

ITINERARIVM
ANIMAE
AD
PALMAM VIRGINEAM,
IN
QVINQVE TOMIS
DIVISVM.



ITINERARIVM ANIMÆ AD PALMAM VIRGINEAM

siue

Palma Virginea 72. Ramusculorum iuxtà numerum Annorum Virginis, diuisa in quinque Palmis, litteris quinque nominis eiusdē tesseratis. Quarum quælibet vestita folijs, virens frondescit sacræ Scripturæ auctoritate, et Sanctorum Patrum sententijs Coronata floribus, vernans florescit subtilitate doctrinæ, et conceptuū multitudine copiosa nimis, et onusta Dactylis, spiritus pinguedine, et dulcedinis sapore fructificat in anima incumbentis verbo Dei, dulci meditationi, et contēplationi piè, sanctèque vacātis.

Auctore

ADM. R. P. BERNARDO ROBERTI À CRYPTA MINERVÆ

Concionatore è Capucinorum familia, et in Neapolitana Prouincia pluries Diffinitoratus, et Prouincialatus officio perfuncto.

Virtutis studium & ascensus ad Palmam Virgineam



Et carpere fructus eius est uita imortalitatis

Neapoli apud Octauium Beltranum. Sumptibus Iosephi Nardellæ Caietani.

MDCXXXXVII. Sup. licē. et Priuilegio.



Sub umbra illius, quam desiderau
sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo
IVS.
FRVCTVS
ET APPREHENDAM
AD PALMAM
ASCENDAM
STATVRA TVA ASSIMILATA EST PALMÆ.
N.F.

AD SACRATISSIMAM

VIRGINEM MARIAM

MEI DOMINAM, & Reginam.



Ominatrix mea, & Domina mei dominans Virgo Deipara, & genitrix mundi factoris rogo te, & obnixè obſecro, vt tuis meritis detur mihi ſpiritus Dei filij vteri tui, vt de te digna ſapiam, digna loquar, digna mediter, & dignè laudem te: vota cordis mei ò Maria à te non ſunt abſcondita, te enim pura mente diligere, te toto corde amare, te pro viribus laudare anhelant cuncta viſcera animæ meæ, ſed à laude tua duo mihi obſtant, & obſiſtunt, quorum vnum me terret, & alterum mihi dirè aduerſatur, quòd perterrefacit, candor eſt tuæ puritatis, & tuæ infinitæ dignitatis altitudo, quòd obſtat, & maioris eſt impedimenti, eſt indignitas mei te laudare præſumentis.

Tu enim vas puritatis, & Dei mater, ego verò terra illa inanis, & vacua, ſpinas tantummodo germinans, & tribulos iniquitatum: ò Virgo benedicta per cuius benedictionem benedicitur omnis creatura, non ſolum creata à creatore, ſed & Creator à creatura, ſic me docet D. Anſelmus. Deſcendat ò fons totius pietatis ſuper te laudare anhelantem, & ſi non imber, ſaltem ſtilla vna tuæ benedictionis, vt ſciat te laudare ſecundum altitudinem tuæ dignitatis immenſæ, quam quùm nec dignè explicare, nec ob ſui paruitatem intellectus plenè compræhendere poſsit, præ ſtu-

pore

pore,& admiratione obmutescendo, etiam silens dignè se putat te laudare. Fateor ò Virgo tuas me laudes non perfectè intelligere, nec cordis mei vasculo me posse illas capere, & hoc non me terret, imò ouans exulto, nam tunc verius tuas explico laudes, & extollo, quum præ magnitudine, multitudine, & altitudine eas plenius explicare non possim, siquidem tum facundius, de tuis laudibus loquor, cum ab illis obmutescendo præ stupore silere cogitur cor meum, obmutescant labia oris mei, taceat lingua, reticeat penna ò Maria: en quia non silet cor, non quiescit, non expauescit, quin audax pro viribus audet, & auet, & perfectius censet tuas te laudando explicare laudes, quum in laudum tuarum explicatione victum succumbit, & exultat vt victor, hæc mea est gloria vinci, hæc mea victoria superari, & hæc tuæ laudis stemma singulare, ò Virgo singularis, tuæ laudis indignum præconem facere dignum, & quę omnibus mutuantem Deum semper habes debitorem, non dedecet tuis te laudibus etiam me semper habere obnoxium: hæc tua palma triumphi, vt non sit, qui tuas laudes perfectè attingat, nisi solus Deus, quo excepto, vt de tuis laudibus inquit S. Epiphanius: *Cunctis extitis superior.* Tu igitur cœlicolis sublimior, tu solis radijs purior, tu Cherubim honoratior, tu Seraphim sanctior, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior: ipse te dignè laudet ò Maria, cui complacuit sic sublimè te exaltare, & tot te laudibus, & benedictionibus cumulare.

Verùm si peccata mea à tuis me laudibus præpediunt, à te ne suis votis vacua recedat anima mea; en ò Virgo clemens, en ò pia mater, si illa eam vrunt dolore, terrent timore, obruunt mole, premunt pondere, sordescunt fœtore, confundunt pudore, eneruant pauore, opprimunt onere, nouo grauant grauamine, & denudant veste nuptiali, intra viscera tuæ pietatis ò Maria ne contineas misericordias tuas, fac pijssima, vt tua refrigerata gratia respiret, tua adiuta dextera assurgat, tua subleuata adiutorio operetur, & amet, tua erecta manu dirigatur, tuis emundata donis conuale-

ualeſcat, ſalutis amicta ſtola congaudeat, tua enutrita dulcedine roboretur, cœleſti corroborata conſolatione firmetur, & tuo ab illis exonerata adiutorio viuat, tuo brachio reſtituta vitæ aſcendat ad Palmam, in cuius ramuſculis, velut apis volitans, nunc tuæ puriſsimæ Conceptionis, nunc tuæ præoptatæ Natiuitatis, nunc ex candidiſſimo flore tui perdulciſſimi nominis, ſugat mella, libet dulcedinem internæ deuotionis, dulcis meditationis, quietiſſimæ contemplationis: nunc nominis tui roſæ, & quinque foliorum eius, percipiat ſacramenta, capiat arcana, intelligat myſteria, ſentiat odorem; odoretur ſuauiolentiam, pergustet ſaporem.

Non audaciæ hoc aſcribendum eſt, ſed piæ in te ò Maria confidentiæ, dicente D. Bernardo in ſerm. 1. Salue Regina. *Maria diuinæ pietatis abyſsum, cui vult, quando vult, & quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum latrocinij ſui ſuffragia præstat.* Præſta igitur animæ ſerui tui ò pietatis mater, pennas ſicut Columbæ, vt ad faſtigia, & coronas huius primæ tuæ Palmæ Virgineæ circumuolet meditando, & requieſcat contemplando, laudet te, & benedicat tibi in huius ſilentij quiete, ò benedicta in æternum.

Tuæ Maieſtatis Virgineæ minimorum ſeruus

F. Bernardus à Crypta Minerua.

NOs F. Ioannes à Montecalerio Ordin. Minorum S. Francisci Capucinorum Generalis Minister. Opus cui titulus est Palmæ Virgineæ, à Reu. P. Bernardo à Crypta Minerua Concionatore, & in prouincia Neapolis Diffinitore compositum, & à duobus dicti nostri Ordinis Theologis de mandato nostro reuisum, & approbatum vt typis mandari valeat, seruatis seruandis, tenore præsentium facultatem concedimus. Dat. in loco nostro Immaculatæ Conceptionis. Romæ die 21. Maij 1643.

F. Ioannes Min. Generalis.

Locus ✠ Sigilli.

PRæſens hoc opus,cuius titulus eſt, Palma Virginea, ſeù Itinerarium animæ ad Palmam Virgineam à R. P.F.Bernardo à Crypta Minerua Concionatore Capuccino elaboratum, ac non minori ſtudio ex præruptis montium concauitatibus ad lucem foras eductum, ne ſub velamine iterum modo inuoluatur ſilentij, de mandato A.R. P. Ioannis à Montecalerio Miniſtri Generalis eiuſdẽ Ordinis Capuccinorum,ego quaſi apis argumentoſa, qua potui vigilantia ſingulos huius Palmæ Virgineæ ramuſculos,veluti perdulciſſimos flores,prælibando perluſtraui,& vt Palma,cuius eſt nulli vnquam cedere oneri,ſed ſemper virens,ſemper vernans,ſemperque parata victoriæ, ſicuti cuſpidibus foliorum peracutis ſatis veræ fidei veritatem impugnantes percutit,& vulnerat ad mortem,ita fidelium mentes ſua vmbra ad vitam allicit,& oblectat,conceptuũ, ac Patruum ſententiarum dactylis eorundem intellectus paſcit,& impinguat,voluntateſque dulcedine deuotionis, & affectuum dulciter pungit,& plenè inebriat, quia palma eſt ſempiternæ viriditatis,ſempiternæque vitæ meritò prælo medio ei debetur,vt ad profectum, & ſolatium ſeruorum Dei,& ipſiuſmet Virginis exaltata in cædes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ plantetur,radicetur,creſcat, coaleſcat, frondeſcat,floreſcat,& fructificet, & quos Virginea hic protegit vmbra,& fructibus enutrit Virgineis,quampluri-mis quoque florum ſertis coronet in patria: hęc eſt ingenij mei ſententia,& in fidem propria manu ſubſcripta.Datum Romæ die 19.Menſis Maij 1643.

F.Saluator à Panormo Concionator Capuccinus olim Prouincial.Prouinc.Panormi.

Approbatio.

IVssu A. R. P. Ioannis à Montecalerio Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum Ministri Generalis meritissimi. Ego F. Franciscus à Vetro eiusdem Ordinis concionator accurri ad Palmam Virgineam nedum ex intellectu R. P. Bernardi à Crypta Minerua Predicatoris Capuccini, ortam, sed affectu, & digitis excultam, & exaratam; lustraui attentè vndequaque recta fide tendentem in cœlum, pijs ardorum cuspidibus assurgentem tum ad Virginem Deiparam, tum ad Virginis filium, ac conceptuum elatis affluentem; mellifluum equidem opus, vt puto a Virgineo fauo fluens: dignum quapropter censeo vt typis mediantibus in campo S. Ecclesiæ omnium fidelium exponatur ad gustum, eius enim suauitas ad dulciores trahet Paradisi, & Palma hæc ad Palmã ducet, qua sequemur Christum quocunque ierit. Hoc profero post attentam lectionem iudicium, & in fidem subscribo. Datum Romæ die 19. mensis Maij 1643.

Ego F. Franciscus qui supra.

Poteſt hoc Opus in quinque tomis diuiſum imprimi.
F. Albertus Barra Carmelita Th. Cur. Arch.
Imprimatur.
Gregorius Peccerillus Vic. Gen.

Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Domine.

MArianum hoc Opus ab Adm. R. P. Bernardo à Crypta Mineruę ex Cappucinorum familia exaratum, cui inſcribitur titulus Palma Virginea cum ſua vmbra in quoque tomos diſtributum attentè de mandato E. V. per Collaterale Conſilium perlegens inueni illud digniſſimum publica luce, cum nihil contineat, quòd Regali iuriſdictioni, aut bonis moribus aduerſetur in refertam reperi pijs, ac ſacris eruditionibus vtpotè à pio, & doctiſſimo auctore compoſitum, ac Beatæ Virginis in primis ſtudioſo, ita cenſeo ſi Excellentię veſtrę videbitur.

Ego Thomas de Aquino Cler. Reg.

Viſa ſupradicta relatione, Imprimatur.
Zufia Reg. Sanfelicius Reg. Caracciolus Reg. Cap. lat. Reg.

Prouiſum per S. E. Neap. die 3. Iulij 1646.
Lombardus.

DE
MYSTICA PALMA
ERVDITO COMMENTARIO
A B

ADMODVM R. P.

BERNARDO ROBERTI

Illuſtrata.



Ne Palmas Eoa ſuas Phœnicia iactet;
    Palma nec vnigenam ſoſpita iactet auem;
Quid Palmæ fœcunda rogo ſua funera Phœnix
    Efferat; hinc vitæ quod noua ſecla trahat?
Cœlite quæ fretu ſurgit generoſa, perennes
    Viuet Roberti robore Palma dies.

Petrus Alois Societatis Ieſu.



Ad Admodum Reuer. Patrem


BERNARDVM A CRYPTA MINERVA

Predicatorem Capuccinum, ac Neapolitanæ Prouinciæ Capuccinorum olim Prouincialem Miniſtrum.

Fratris Petri à Calatia eiuſdem Ordinis Concionatoris

EPIGRAMMA.

Aſcendis palmam BERNARDE, & dulcia carpis
  Vbera fœcundæ Virginis ore premens.
O nimium fœlix, Hic cernis pignora Cœli,
  Hic genitricis opes dignus amator habes.
Illaque te lactat, lactaris & vbere pleno,
  Chriſtiparæ mammæ ſunt tibi Menſa dapes.
Multaque de magna non deſunt fercula cœna
  Vt libri cœnam nectare dulce pares.
Præ docet hic animus ſancti Monumenta laboris,
  Virgineç mentis, non Opus eſſe tuæ:
Angelus appares pariter dum ſcribis, & oras.
  Maxima CRYPTA probas, mira MINERVA canis.
Nunc ſertis, lauro, palma, dignaque corona
  Eia age, Virgo parens Cœlica ſerta dato.



Admodum Reuerendo Patri

B E R N A R D O R O B E R T O

Sacro Oratori, & Capuccinorum familiæ quàmmaximo Ornamento.

I D Y L L I V M

Io: Baptistæ Cacacij V.I.D. & Academici Otiosi.

LAurigeros Erato mecùm tantisper amictus
Exue,& ætherias iam nunc sine tempora circùm
Inter odoratum Palmas tibi serpere crinem.
Tu modò Sicana didúctum carmen auena
Accipe,Roberte,& cœlestis Amazonis axem
Intege Palladio partis sudore triumphis.
Ecce comam nitidis Virgo circumflua palmis
Diuæ redit secumquè vehit Saturnia regna
Exul & extremis properat iam Candor àb Indis,
Virtutumquè chorus,niueiquè ex æthere mores
Reginam comitantur,erunt etiam altera terris
Sæcula,& Heroum fulgere videbitur ætas.
Tuq; adeò decus hoc æui, tu pandere mundo
Tot signa, & Latias nondùm vulgata per artes
Ardua Diuinæ potetis monimenta puellę.
Te duce siqua manent veterum donaria vatum
Fatidici Mosis, priscoq; ex ordine patrum
Ante tholum, Diuæq; sacras suspensa per aras
Inter Idumæas gaudent assurgere frondes.
Ad noua iam decora, atq: nouæ molimina legis
Cùm vertis Roberte, pedem, quo munere Diuam
Congeris? elato quo tùnc tua vèrtice palma
Nubiuagum latè nitidis caput ingerit astris?
Tum florum areolas,tulerint quascumquè Latini,
Quas Dolopes campi per docta volumina patrum
Colligis. ipsa rosas quæ dudùm fama locuta est
Virgineas,mirata tui conamina veris
Vndique congesti,calathos venerata nitentes
Hæret,& Augustæ commendat dona puellæ.

At

At simul ingenio parta, aut decerpta Lycæis
Dona refers: flauæ quantus tùnc fluctus aristæ
Plausu vndante sonat? quali tùnc mitia poma
Proueniunt scęna, tua quà pomaria libris
Consita Virgineas referunt àd sidera palmas.
Docta vel eloquij siquis data vela reuoluat,
Quæ sulcare Thetin ratibus, quæ cærula tentent
Virginis. hæc siquis relegat molimina, dicet,
Alter adest iam Tiphys, & altera quæ vehat ingens
Numinis altricem palmis victricibus Argo.
Eggredere in lucis (plauditiam tempus) honores
Francisci soboles, cœli noua pompa Latini.
Aspice felici plaudentem murmure famam,
Terrasquè, tractusquè maris, tua nomina Thulen
Discere, & extremo diuisos orbe Britannos.
O mihi tàm longum producant pensa sorores
Lanificæ, quantùm sat erit tibi plaudere cantu.
Non me Carminibus superabit Daunia tellus,
Nec mihi si certet bellaci Mantua cornu,
Nostra cothurnato decedet Musa Maroni.



AD

Ad Admodum Reuerendum Patrem

BERNARDVM ROBERTVM

A CRYPTA MINERVA

Prædicatorem Capuccinum;

In laudem Operis ab eo editi, cui Palma Virginea inscriptio est.

MARCI AVRELII DE MATTHEIS I.C. AC BARONIS
Oppidi, quod Tinum dicitur.

EPIGRAMMA.

SVrgit Idumæa victrix in vertice Palma
Nata triumphales condecorasse manus:
Nobiliùs, Bernarde tulit tua ad æthera ramos
Palma, mille virùm sat celebrata sono.
Frondibus occiduis languescit prima: sed ista
Seruabit doctum non violata decus.
Dum crudescit hyems orbatur fructibus illa:
Æternos semper, sed tua Palma parit.

Ad eumdem pro eodem Opere, eiusdem Auctoris.

QVisquis eruditos Bernardi cernere fœtus
Gaudet: næ dicet hunc vigilasse diu.
Viuit, & æternum hic viuet quem rère sepultum.
Quid mirum? solo viuitur ingenio.

Eiusdem Auctoris.

ANAGRAMMA PVRVM.

Admodum Reuerendus Pater Bernardus Robertus à Gripta Mineruae
Concionator è familia Capucinorum.

Rarus erat in Pergamo Bernardus Orator; Nunc vero Mirabile, ac nouum
Opus Deiparae dedicandum fecit.

Eiusdem Auctoris

Alterum Anagramma purum.

Bernardus Robertus à Gripta Mineruę.

Vbere in sugestu perorabat miranda.

Ad

Ad Admodum Reuerendum Patrem

BERNARDVM ROBERTVM
A CRYPTA MINERVA

Dignissimum Guardianum S. Eusebij Fratruum minorum Capuccinorum pro opere ab eo cōfecto cuiustitulus est Itinerarium ad Palmam virgineam in tot libris efformatum quot Ramusculis distinctum.

CAROLI DE LELLIS I. C. NEAPOLITANI. VIRIQVE PATRITII.

ELOGIVM.

Progredere ad Virgineam Palmam,
Si ex vberrima hac Virginis Palma dulcissimos gustare cupiens
Fructus,
cęlestem Palmam queris immortalitatis;
Bernardo Duce;
mitissimo hoc in suo eruditionis, ac eloquentię referto Itinerario.
Palmam enim hic sophorum omnium nostri obtinet ęui;
omnem veluti in palma sibi sapientiam vindicans.
Tanto magis altiora Virgineæ huius Palmæ penerrans arcana,
quanto (ad palmę instar) sui ordinis humilitate deprimitur;
Omnibus palam faciens, quæ de Palma hac Virginea dulci suo eloquio
mysteria euulgauit.
Betnardi hinc sudoribus Palma hęc irrigata, non in cades tantum
mor exaltara, sed in vniuersum sua extendir ramuscula.
E Mineruæ Crypta ad vitam hic ortus,
in Diui Francisci solitarias criptulas, ad spiritualem, ac meliorem renatus,
viram (Minerua haud pingui) de altera cęlesti Minerua
(Maria scilicèt) conscribit encomia;
Non nisi Seraphicæ religionis vir, Angelico ductus spiritu,
de Angelorum Regina laudes valens extollere.
Hic tantum potens huius Palmæ, quot sunt ramuscula tot fungentissimos
fulgures; vbique diffundere;
Qui sub huius Virgineæ Palme deuotionis Vmbra, tante protectionis
expertus est clementiam.
suxit Bernardus ille diuus ex Virgineis vberibus suauissimum lac;
Hic ex Mariæ gratiarum fonte vastissimum dulcedinis hausit Oceanum.
Palmario igitur huic, Palmari potius digno statua,
non palpulatoris more, sed sincerę deuotionis affectu,
paruum hoc reuerentiæ signum.
Carolus de Lellis.
D.

AD
LECTOREM
AMICVM.



N cuiusuis manus, si fortuitù hæc mea scripsa peruenerint, per nominis dulcedinem huius Palmæ Virgineæ, rogo te Amice Lector, vt tria accuratè notes, & quartum religiosè excuses. Nota primò, quòd mei finis laboris fuit tantummodò, vt genio indulgendo, Spirituali quodam erga Virginem per totius vitæ meæ curricula deuotionis otio fruerer, fuit, & mei, duntaxat cordis, & non aliorum erga eamdem Dei *matrem enutrire, & demulcire dilectionis affectus: Demulcire quidem, & ad Deiparæ amorem, eiusdemque sectandi vestigia, cunctorum pectora allicere, licèt aueat nimis mei scribentis animus; at num algosus, & algidus, & durissimo constipatus gelu, ex aliorum cordibus valebit liquefacere, & liquescere glaciem, & illa tantæ purissimæ Matris ignire dilectionis flamma, & amoris eiusdem incandescere foco?*

Nota secundò, quòd non illis vti vocibus, mihi placuit, quæ molli solent legentium aures scalpare prurigine, seu prurire dulcedine, sed eis, quæ, quò in se sunt simpliciores, eò efficaciores, tum erga Virginem deuotionis, & amoris igne ardentiùs concaleat, & candsat cor legentis, tum, vt Animæ, eiusdem ipsiusmet Virginis, Vita, facta, facinoraque meditari cupienti, clariora fiant, & dulciora sapiant; tum vt facilius pandantur eidem cælestes meditationum aditus, quibus patefactis Spiritus Sancti flamine, erit leuior Ascensus ad Palmam Virgineam, faciliorque ad eiusdem Ramulos ingreßus, & dulcißimi itineris fructus vberior, & dulcior.

Nota Tertiò, cùm singularis, & vna sit hæc nostra Palma Virginea, congruum quidem mihi magis visum est, illam in Palmas quinque partiri, non tantum, ne maiori quàm par est, Volumen vnum pondere grauaretur, quàm vt in hoc Quinario Palmarum numero, perdulcißimum Virginis nomen, quod quinque vtique sacratis componitur litteris, etiam præluceret.

Quartum quòd rogo, vt excuses, si quem deuotionis, & spiritualis gustus legendo pergustaueris saporem, & dulcedinem, Deo benedicto, & tantæ Virgini Matri gratias age, sin aliter, non temeritati adscribas, quòd fuit animi scribentis simplicissimus motus, deuotionis affectus, & illius penna ardens dilectionis impetus; quapropter ex me nunquam sum loquutus, sed ex Sanctorum Patrum sententijs, & doctrinis; excusa igitur ignorantiæ meæ penuriam, parce spiritus paupertati, indulge idoneitatis egestati, & quòd primum est, excusa dilectionis tepiditatem, amorisque paruitatem, imò, & glaciem, lacrymis deplorandam: Deum, qui est fons amoris, & à quo omne donum, pro me roga, & purissimæ Virgini, quæ Mater est pulchræ dilectionis, commenda me, diligentem te; Tu verò Vale in Domino, quem, & puro cor-

dis

dis affectu saluto in Virginis Mariæ nomine. Datum Neapoli Idibus Iunij Millesimo sexcentesimo trigesimo nono.

Seruus in Domino humilissimus

Frater Bernardus à Crypta Mineruæ Capuccinus.

IN OBTRECTATORES

ITINERARII

AD PALMAM VIRGINEAM

Admodum R. P. F.

BERNARDI ROBERTI A CRYPTA MINERVAE,

E Capuccinorum familia celeberrimi Concionatoris.

D I S T I C O N.

Zoile ne blateres, laceres ne ſcripta Roberti:
Quæ perimit Momos, Virgo cacumen habet.



D. Io: Petri Massarij Sacræ Theol. Professi I.V.D Sanctæque Sed. Apost Proth.

Carmen Eligiacum.

Ad librum cui titulus Itinerarium, R.P. F.Bernardi à Crypta Minerua Theolog. ex Seraphica Relig. Capucc.

Quo tua peccator celeras vestigia? quorsum
Tendis iter? rectam non capis inde viam?
Verte pedem, te fallis iter, via decipit. Vltra
Cur properas? illuc non sine cæde subis.
BERNARDVS *noua nunc vestigia pandis ad astra*
Minerua ignotum dirigit axis iter.
Hac via, quam carpes, iter hoc decet ire, paratam
Scande viam gressus hinc moderare tuos
Hac via, qua lætus, qua fælix victor in arces
Euades superas, qua celer astra petes.
Huc velut ad tutum venies securus asylum
Hic Sathanam, hic mundum, carne iacente premes
Edit. prima Parens noctis mortalibus vmbras
Intulit, eiecto pallida castra die.
Acta secunda PARENS *vitæ mortalis ad aures*
Eijcit inuicto pallida castra die,
Sic quæ damna tulit Genitricis origo prioris,
Alterius tersit Matris origo Deæ.
Si quantum querimur prima de Matre, secunda
Tantum debemus, Virgineæq; Deæ,
Quo petis ergo miser Peccator, aperta subire
Pectora Mariæ, dogmata clara Patris,
Claudit Pluto fores; Acheron sine fœnore cimbam
Linquit, & exusto Cerberus ore furit,
Non alia (clamant) animæ de nubibus altis
Ad nos (BERNARDI, VIRGINIS *arte) ruent.*
Cerno mille lyras Mariæ pangere gesta,
Bernardi nomen pangere mille lyras.
Decantata Dei referent nunc nomina Matris,
Bernardiq; Patris rite canenda viri,
Ipse etiam linguis centum celebrare Mariam
Bernardum vellem tot celebrare sonis.
Virginis iste refert illustria facta Mariæ,
Exornas, scribit dogmata clara pia.
Hic pius est diuus, sanctus, scriptorque pudicus,
Quod, Bernarde, tua est gloria, fama, decus.

Opus

Opus
Fœliciter cœpit
Auctorante Deo,&
Archymagira dictante Viragine
Fœlicissimè clausit,
Quòd gratis ipsa dedit Sanctissima.
Gratas reddit,haud ingratas,licet exiles,licet impares grates.
Muneris Mariæ munus,propriæ muneris manus
Ipsum fatetur opus,non Auctor.
Virginis dapes,& opes sunt ipsi Nardelli:
Quorum in apice,Suauitatis,quæ dat odorem,
Stat ipsa odorans Diuinitatis Nardus.
Frondescens,virens,vernans,æternis coronata floribus
Diuinis onusta fructibus Palma,
Plena Virgine,plena Deo,
Digna plane ἀποθέωσει
Sacro Seraphici Francisci suffusa,& fœcundata sanguine,
Pretiosis insignita stigmatibus,
In Mineruæ Crypta sita,
Tam docti,tamque eruditi Ruperti culta, & adulta calamo,
Tantisque eius irrigata sudoribus,
Palmarem,triumphalem,Cœlicam,
Numinis,scilicet,& Virginis,
Auctori præbet coronam,
Qua ipse coronatur Deus,& Virgo,
Nunc postracto iam calamo
Non frangitur facti voci obedientiæ Matris
Ecclesiæ Sanctæque Romanæ
Censuræ:
Soli cuius auctoritati totum sese submittit Auctor,
Manus,calamum, opus, labores.
Bilinguæ,Bicordes,
Momi,Blaterones,Molossi,
Quæ Draconis contriuit caput,
Venenatas non fouet Palma cerastas:
Innocuam,innoxam Auctori,
Læthalem vobis virulentæ linguæ nouacula
Noxam inferet necem.

Ipse

Ipſe carpitur, inuidè qui carpit, non carpitur opus:
Sua contabeſcet inuidus tabeſactus inuidia:
Seſe lædit, lacerat laniat penetralia cordis,
Mordicus, qui mordit, vt Momus;
Ipſe ſibi Momus, non homo.
Hinc ergo
Triſulci procul eſſe profani.
F. Antonius à Cærreto Concionator Capuccinus.



Ad

ADM. REV. P. F.

BERNARDI ROBERTI A CRYPTA MINERVAE

E Capuccinorum familia celeberrimi Concionatoris.

Sapphicum Carmen.

IAm melos mecum modulate Ciues:
Lesbio Vates resonate plectro:
Iam Chelys chordis animata blandis
Mulceat aures.
Crypta dum Palmam celebrat Mariæ:
Crypta dum dulci canit acta Matris
Numinis cantu: & Polus ipse gaudet:
Gaudeat Orbis.
Cuius à scriptis iubilat Sebethus,
Et fluit lymphis vada per Latina
Lętus: & pressis subita procellis
Marmora plaudunt.
Ergo nunc laudes canat ipse Apollo,
Musa dum tantas nequit ipsa fari
Corda, te solum precor, in tributum
Accipe amoris.

Addictissmus suæ Paternitatis seruus
Carolus Antonius Clarus.

Ad eumdem.

Dulcè canit;dulces pandit modulamine cantus,
Virginis ad Palmam Parthenopaeus olor.
Quid mirum,emittunt dulces,si guttura voces
Omne facit dulce Diua Virago,Deus.

Non aurum,argentum,gemmae,sunt,Crypta,lapilli
Praedocto capiti digna corona tuo.
Tempora non ornent stellae,non Cyatia,nec Sol;
Cœlorum ast tautum serta beata micent.
Quippe per illustrem reddis dum,Crypta,per orbem
Virgineam almam;stat tibi palma Deus.

Virgineam dum Crypta canis Palmam ;tua cingunc
Non Palma,& Laurus tempora,sed στέφανος

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Quæ in hoc noſtræ Palmæ Virgineæ volumine ſparſim illuſtrantur, & Patrum ſententijs exponuntur. Prima autem littera F. folium indicat, P. Palmam, R, Ramuſculum, V, vmbram cuiuſlibet palmę: C, verò pręmonſtrat columnam quelibet autem littera habet ſuum numerum diſtinctum.

GENES.

I N D E X.

Pul-

Gen. ca. 39. Quàm cumvidiſſet Iacob,& ſciret conſobrinam ſuam,oueſque La-
n. 10. & 11. ban auunculi ſui; amouit lapidem quo puteus claudebatur. Et adaquato grege oſculatus eſt eam: & eleuata voce fleuit. f.280. 2.p.r.30.col.2.

Gen. c. 41. Tu eris ſuper domum meam,& ad tui oris imperium cunctus po-
num.40. pulus obediet.f.719.5.p.r.72.col.2.

Gen ca 41. Tulitque annulum de manu ſua,& dedit eum in manu eius, veſti-
num.42. uitque eum ſtola byſſina,& collo eius torquem auream circumpoſuit f.719.5.p.r.72.col.2.

Gene. c.45. Non ſe poterat vltra cohibere Ioſeph. Et dixit fratribus ſuis: ego
nu. 1. & 3. ſum Ioſeph: adhuc pater meus viuit? f 547.4.p.r.54.col.2.

Gen ca 47. Ex eo tempore vſque in præſentem diem in vniuerſa terra Ægypti
num 26. regibus quinta pars ſoluitur, & factum eſt quaſi in legem, abſq; terra ſacerdotali,quæ libera ab hac cōditione fuit.f.19.1.p.r.2.c.2

Gen. ca.49. Catulus leonis Iuda,ad prædam aſcendiſti fili mi: requieſcens ac-
num.9. cubuiſti vt leo, & quaſi leena quis ſuſcitabit eum? fol. 584. 4.p r.58.col.2.& f.634.5.p.r 62.c.1.

Gen. ca.49. Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu,
num.22. fol.333.3.p.r 34 col.1.

Gen. ca.50. Deus viſitabit vos,aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.f.449.
num.24. vmb.3.p.3.col.2.

Ex Exod.

Exod. c. 2. In flumine vt lauaret ſe deſcenderat quadam die filia Pharaonis,&
nu.5. & 6. puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei, quæ cum vidiſſet fiſcellam in papiryone,miſit vnam è famulabus ſuis, & allatam. Aperiens,cernenſque in ea paruulum vagientem,miſerta eius ait: de infantibus Hebræorum eſt hic. f 486.4.p.r.47.c.2.

Exod.ca.3 Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat,
num 2. quod rubus arderet,& non conſumeretur. f.279.2.p.r.30.col.2.

Exod.ca 3. Locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt. fol.717. 5.p. r.72. col. 2. &
n.5. fol.156.2.p.r.17.col.1.

Exod.ca 3. Deus Abraham,Deus Iſaac, Deus Iacob miſit me ad vos. fol.445.
num.6. 3.p.r 45.col.1. f.68.1.p.r.9.col.2. & f.304.3.p.r.31.col.2.

Exod.ca.3. Mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Iſrael
num 10. de Ægypto. f.278.2.p.r.30.col.2.

Exod. ca.4. Tulit illico Sephora petram acutiſſimam, & circumcidit præputiū
num.25. filij ſui. f.497.4.p.r.48.col.1.

E.c.8. n.19. Digitus Dei eſt hic. fol.595.4.p.r.60.col.2.

Exod.c 12. Profectique ſunt filij Iſrael de Ramaſſe in Socoth, ſexcenta ferè
num.37. millia peditum virorum,abſque paruulis,& mulieribus. fol.245 2.p.r.26.col.1.

Exod.c.15. Sanctifica mihi omne primogenitum, quòd aperit vuluam in filijs
num.5. Iſrael, tàm de hominibus,quàm de iumentis: mea ſunt enim omnia .fol.178.2.p.r.20.col.2.

Exod c.13. Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem
num.21. in columna nubis. fol. 146.2.p.r.16.col.2.

E.c 14.n.11 Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, ideo tuliſti nos, vt moreremur

Ex Leuit.

Ex Numer.

Num.ca.3. num.12. Ego tuli Leuitas à filijs Israel pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filijs Israel, eruntque Leuitæ mei f.156.2.p.r.17.c.1.

Num.c.10. num 35. Cumque eleuaretur Arca, dicebat Moyses, surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua. fol. 56. 1.p.r.8.col.1.

Num.c.11. num.9. Cum descenderet nocte super castra Ros, descendebat pariter, & Man.f.608.4.p.vmbr.4.col.2.

N.c.11.n.17 Auferam de spiritu tuo, tradamque eis.f.320.3.p.r.33.c.2.

Num.c. 13. num.28. Venimus in terram, ad quam misisti nos, que reuera fluit lacte, & melle, vt ex his fructibus cognosci potest.fol.80. 1.p.r.10. col.2.

N.c. 20.2. Mortua est ibi Maria, & sepulta in eodem loco.fol.52.1.p.r.7.col.1.

Num.c.20. num.17. Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis sed gradiemur via publica, nec ad ad dexteram, nec sinistram declinãtes, donec transeamus terminos tuos.f.166.2 p.r.18.c.1.

Num.c.24. num.5.& 6 Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxtà fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri propè aquas f.162.2.p.r.18.col.1.

Ex Deuteronom.

De.c.7.14. Non erit apud te sterilis vtriusque sexus.f.226.2.p.r.25.c.2.

Deut.c.32. n.22.et 23. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet, cõgregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.f.105.1.p r.13.col.2.

Deut.c 34. num 5. Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino.f.653.5.p.r.64.col. 2.

Ex Iosue.

Iosue c. 24. num.31. Seruiuit Israel Domino cunctis diebus Iosue, qui longò tempore vixerunt post Iosue.f.152.2.p.r.17.col.1.

Ex Iudic.

Iudic ca.4. n.4.& 5. Iudicabat populum in illo tempore, & sedebat sub palma.fol.604. 4.p.vmbr.4.col.1.

Iudic.ca.7. num.16. Diuisitque trecẽtos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum. fol.496.4.p.r.48.col.2.

Iu.c 7. 20. Gladius Domini, & Gedeonis.f.496.4.p.r.48.col.2.

Iudic. ca 9. num 15. Si verè me Regem constituistis, venite, & sub vmbra mea requiescite.f.727.5.p.vmb.5.c.2.

Iudic ca 9. n.14.et 15. Veni, & impera super nos, quæ respondit eis, si verè me Regem constituitis, venite, & sub vmbra mea requiescite. fol. 713 5.p. r.71.col.1.

In

3.Reg.c.18 num 44. In septima autem vice ecce nubecula parua quasi vestigium hominis.f.598.4 p r 60.col.2.

4 Reg.ca.2. num.9. Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus. fol. 285. 2.p. vmbra 2. col 2.

4.Reg.ca 3. num.11. Est hic Elisęus filius Saphat,qui fundebat aquam super manus Elię, fol.47.1.p.r.6.col.1.

4.Reg.c.5. num.2. Egressi de Syria latrunculi , & captiuam duxerunt de terra Israel puellam paruulam,quæ obsequio vxoris Naamã.fol.34.1.p.r.4. col.1.

4.Reg. c.5. num 10. Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem, caro tua atque mundaberis.f.34.1.p.r.4.col.1.

4.Reg c.10 num.5. Serui tui sumus, quęcumque iusseris faciemus. fol. 717. 5.p r.72. col.1.

4.Reg.c.10 num.18. Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis.f.43.1.p.r.6.col.2.

4.Reg.c.11 num.2. Tollens autem Iosaba filia Regis Ioram soror Ochoziæ Ioas filium Ochozię.f.528.4 p.r.52.c.1.

4.Reg c.12 num 2. Fecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Iorada Sacerdos,f.152.2.p,r.17.c.1.

4.Reg.c.12 num.2. Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an reuertatur totidem gradibus.f.454.vmb.3.p.3.col.2.

Ex Tobia.

Tob.cap.4. num.3.& 4 Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius . Memor enim esse debes,quàm, & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.f.464.4.p.r.56.col.2.

Tob.cap.6. num 5. Exentera hunc piscem : & cor eius,& fel, & iecur repone tibi. fol. 593.4.p r.59.col.2.

Tob.cap.10 num 4 Heu,heu fili mi , vt quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum,baculum senectutis nostræ.f.548.4.p.r.54.col.1.

Tob.cap.10. num.9. Ego noui,quia Pater meus,& mater mea modo dies computant,& cruciatur spiritus eorum in ipsis.f. 580.4.p.r.58.col. 1.

Tob.cap 10 num.5. Anna autem sedebat secus viam quotidiè in supercillio montis , vnde respicere poterat de longinquo . f 605 4.p.vmb 4 c.2.

Tob cap.13 num.21. Portæ Ierusalem ex Sapphiro,& Smaragdo ædificabuntur.fo.112. 1.p.r.14.col 1.

Ex Iudith.

Iud cap.10 num.14. Et erat in oculis eorum stupor quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis.f.706.5.p.r. 70.col.1.

Iud cap.10 num.18. Quis contemnat populum Hæbreorum , qui tam decoras mulieres habet, vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus. fol 706. 5.p.r.70.col.1.

Iud.cap.16 num.30. In omni autem spatio vitæ suæ non fuit qui perturbaret Israel,nec post mortem eius multis annis. fol.58.1.p.r.8.col.2.

Ester.

Est.c.2.n.8 Ester quoque inter cæteras puellas ei tradita est , vt seruaretur in nume-

Ex Iob.

Ex Psalm.

*Ps.*17. *n.*6. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis, fol. 26. 1. p. r. 3. col. 1.
*Ps.*17. *n.*9. Ascendit super Cherubim, & volauit, volauit super pennas ventorum, fol. 422. 3. p. r. 43. col. 1.
*Ps.*17. *n.*12. Posuit tenebras latibulum suum. fol. 348. 3 p. r. 36. col. 1.
*Ps.*17. *n.*14. Intonuit de Cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, f. 415. 3. p. r. 42. col. 1.
*Ps.*17. *n.*35. Posuisti vt arcum aereum brachia mea, fol. 241. 2. p. r. 26. col. 1.
*Ps.*18. *nu.*7. Nec est qui se abscondat à calore eius, fol. 475. 4. p. r. 46. col. 2. & fol. 244. 2. p. r. 26. col. 1.
*Ps.*18. *n.*6. 7. In sole posuit tabernaculum suum. Exultauit, vt gigas ad currendam viam, fol. 411. 3 p. r. 42. col. 1
*Ps.*21 *nu.*1. Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me, fol. 26. 1. p. r. 3. col. 1.
*Ps.*21. *n.*10. Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ, fol. 607. 4. p. vmb. 4. col. 2.
*Ps.*23. *n.* 7. Attollite portas principes vestras, & eleuamini portę æternales, fol. 241. 2. p. r. 26. col. 1.
*Ps.*26. *n.* 8. Tibi dixit cor meum exquisiuit te facies mea, fol. 218. 2. p. r. 24. co. 2. & fol. 469. 4. p. r. 46 col. 1.
*Ps.*26. *n* 8 Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum, f. 271. 2. p. r. 19. c. 2.
*Ps.*27. *nu.*7. Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei, f 673. 5. p. r 67 c. 2.
*Ps.*28. *nu* 7. Vox Domini intercidentis flammam ignis (Lectio Hebræa) Vox Domini scindit flammam ignis, fol. 22. 1. p. r. 3. col. 2.
*Ps.*32. *nu* 6. Verbo Domini Cęli firmati sunt, fol. 416. 3 p. r 42. c. 1.
*Ps.*33. *nu.*6 Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur, fol. 475. 4. p. r. 46. c 2.
*Ps.*35. *nu.*9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, fol 284 2. p. vmb. 2. col. 1.
*Ps.*35. *n.*10. Quoniam apud te est fons vitæ, fol. 162. 2. p. r. 18. c. 1.
*Ps.*36. *n.*31. Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius, fol. 558. 4. p r 55. c. 1.
*Ps.*37. *n.*10. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus mei à te non sunt absconditi, fol. 479. 4. p. r. 47 c. 2.
*Ps.*41. *nu.*2. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini, fol. 161. 2. p. r. 18. c. 1.
*Ps.*44. *nu.*3. Speciosus forma præ filijs hominum, fol. 238. 2. p. ram. 26 col. 1.
*Ps.*44 *n.*10. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, fol. 102. 1. p. r. 13. c 2. f. 363. 3. p r. 37. c. 2. fol. 703. 5. p. r. 70. c. 1. fol. 21. 1. p. r. 3 c. 2. & fol 327. 3 p. r. 33. col. 2.
*Ps.*45. *nu* 5. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. fol. 687. 5 p. r. 68. c. 2.
*Ps.*45. *nu.*6 Adiuuabit eam Deus mane diluculo, fol. 687 5. p. r. 68. c. 2.
*Ps.*46. *n.*10 Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt, fol. 642. 5. p. ram. 63 c. 1.
*Ps.*47. *n.*10 Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui, fol. 515 4. p. r. 51. col. 2.
*Ps.*49. *n.*14. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. f. 446. 3. p. r 45 c. 1. & fol. 634. 5. p. r. 62. c. 1.
*Ps.*50. *nu.*7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum (Littera originalis) Ecce

Ex Prouerb.

Ex Cant. Cantic.

morabitur, fol. 404. 3. p. r. 41. colum 1.

Can.c.2.n.1. & 2. Ego flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ, fol. 356. 3. p. r. 36. col. 1.

Can.c.2.n.1. Ego flos campi, & lilium conuallium, f. 83. 1. p. r. 11. col. 1. fol. 500. 4. p. r. 49. c 2. fol. 489. 4. p. r. 4. col. 2. fol. 672. 5 p. r. 67. col. 2. & fol. 380. 3. p. r. 39. col. 1.

Can.c.2.n.1. Ego flos campi, *exemplar hebra.* ego flos saturitatis, fol. 284. 2. p. vmb. 2. col. 1.

Can.c.2.n.2. Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios, fol. 451. vmbr. 3. p. 3 col. 2.

Can.c.2.n.3. Et fructus eius dulcis gutturi meo, f. 286. 2. p. vmbr. 2. col. 1.

Can.c.2.n.3. Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo, fol. 122. 1. p. r. 5. col. 1. fol. 724. 5. p. vmb. 5. col. 1. fol. 283. 2 p. vmb. 2. col. 1. fol. 449. vmb. 3. p. 3. col. 1. fol. 498. 4. p. r. 49. col. 1. fol. 608. 4. p. vmb. 4. col. 1. & fol. 451. vmbr. 3. p. 3. col. 2.

Can.c.2.n.3. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, fol. 227. 2. p. r. 25. col. 1.

Can.c.2.n.6. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, fol 654. 5. p. r. 64. col. 2. fol. 323. 3. p. r. 33. col. 1.

Can.c.2.n.9. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, fol. 409. 3. p. r 42. col. 1.

Can.c.2. 10. Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni, f. 124. v. 1 p. c. 2. & fol. 675. 5. p. r. 67. col. 1.

Can.c.2. 13. & 14. Surge propera amica mea, speciosa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, fol. 661. 5. p. r. 65. col. 1. & fol 571. 4. p. r. 57. col. 1.

Can.c.2. 14. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora nimis, fol. 481. 4 p. r. 47. c 2

Can.c.2. 14 Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. fol. 548. 4. p. r. 54. col. 1.

Can.c.2. 16. Dilectus meus mihi, & ego illi, fol. 254. 2. p. r. 27. col. 2. fol. 447. 3. p r. 45 col 1. & f. 497. 4. p. r. 48. col. 1.

Can.c.3.n.1. In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni, fol. 501. 4 p. r. 49. col. 2. fol. 254. 2. p. r. 27. col 2 fol. 545. 4. p. r. 54 col. 1. & fol. 500. 4. p r. 49 col 1.

Can.c.3.n.2. Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea, fol. 218. 2. p. r. 24. col. 2. & fol. 275. 2. p. r. 30. col. 1.

Can.c.3.n.3. Num quem diligit anima mea vidistis? fol. 543. 4. p. r. 54. col. 2.

Can.c.3.n.4. Paululum cum pertransissem inueni quem diligit anima mea, fol. 275. 2. p. r. 30. col. 2.

Can.c.3.n.4. Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. fol. 551. 4 p. r. 54 col. 2.

Can.c.3.n.5. Ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. fol. 108. 2. p. r 23. col. 2. & fol. 275. 2. p. r. 30. col. 2.

Can.c.3.n.5. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, fol. 218. 2. p. r. 24. cap. 2.

4.p.

INDEX.

Can.c.8.n.3. Apprehẽdam te,& ducam in domum matris meæ,ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum,fol.203.2.p.r.22.col 1.

Can.c.8.n.5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto,delicijs affluens, innixa super dilectum suum,fol.261.2.p.r.28.col.1. & fol.706. 5. p. r.70. col.1.

Can.c.8.n.5. Sub arbore malo suscitaui te : ibi corrupta est mater tua,ibi violata est genitrix tua.fol.522.4.p r.51.c.2.

Can c.8.n.5. Sub arbore malo suscitaui te,fol.86.1 p.r.11.c.1.

Can.c.8.n.5. Quæ est ista,quæ ascendit de deserto,delicijs affluens,fol.691.5.p. r.69.col.2.

Can.c.8.n.6. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum tuum,quia fortis est vt mors dilectio ; dura sicut infernus æmulatio, fol.332.3.p.r.34.col.1.

Can.c.8 n.8. Quid faciemus sorori nostræ,quando alloquenda est, fol.361. 3.p. r.37.col.1.

Can.c.8. 10. Ego murus, & vbera mea sicut turris, fol.39. 1. p. r.5. col.1. & fol.88. 1.p.r.11.col.2.

Can.c.8. 10. Ego murus,& duo vbera mea sicut turris,ex quo facta sum coram eo,quasi pacem reperiens, fol.610.4.p.vmbr.4.col.1.

Ex Libro Sapientiæ.

Sap.c.5. 18. Et accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum,fol.90.1.p.r.11.col.2.

Sap.c.6. 14. Præoccupat,qui concupiscunt,vt illis se prior ostendat, fol.97.1.p. r.12.col.

Sap.c.7. 26. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius,fol 496. 4 p.r.48.col.1. fol.475. 4.p.r.46.col.1. fol.688.5.p.r.68.col.1. & fol.41.1.p. r.6. col.1.

Sap.c.7. 11. Venerunt autem mihi omnia bona paritèr eum illa,quoniam horũ omnium mater est, fol.205.2.p.r.23.col.2.

Sap.c.8. 16. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius,nec tædium cõuictus illius,sed lætitiam,& gaudium,fol.139.2.p.r.16.col.1.

Sap c.16.17. Quod enim mirabile erat in aqua,quæ omnia extinguit,plus ignis valebat,fol.475.4.p r.46.col.1.

Sap.c.16.28. Quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam,& ad orientem lucis te adorare,fol.40.1.p.r.5. col.2.

Sap.c.18.15. Dum medium silentium tenerent omnia,& nox in suo cursu medium iter perageret omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit,fol.371.3.p.r.38.col.1.

Sap.c.18 16. Et vsque ad Cœlum attingebat stans in terra,f.284 2.p.vm.2.c.2.

Sap.18 24. Magnificentia tua in diademate capitis illius scripta erat, fol. 702. 5.p.r.70. col.2.

Sap.c.19.n.7. Ex aqua,quæ ante erat,terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio, fol.245.2.p.r.26.col.2.

Ex Liber Ecclesiastici.

tas mea super mel & fauum. Memoria mea in generationes sęculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient. Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt, qui elucidant me vitam æternam habebunt, fol.73.1.p.r.9.col.2.

*Eccl.c.*24.27. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum, fol.78.1.p.r.10.col.2. fol.80.1.p.r.10.col.1. & fol.600. 4.p.r.60.col.2.

*Eccl.c.*26.19. Gratia super gratiam, mulier sancta, & pudorata, fol.333.3.p.r.34. col.2.

*Eccl.c.*26.21. Sicut Sol Oriens mūdo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ, fol.52.1.p.r.7.col.2.

*Eccl.c.*33.29. Multam malitiam docuit otiositas, f.198.2.p.r.22.c.1.

*Eccl.c.*34.23. Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum. f.181.2.p.r.20.col.1.

*Eccl.c.*42.*n.*9. Filia Patris abscondita, f.347.3.p.r.36.col.2.

*Eccl.c.*43.*n.*2. In meridiano exurit terra, & in conspectu ardoris eius, quis poterit stare, fol.473.4.p.r.46.col.2.

*Eccl.c.*43 *n.*7. A luna signum diei festi, luminare crescens mirabilitèr in consumatione, fol 470.4.p.r.46.col.2.

*Eccl.c.*43.10. Species Cœli tu gloria stellarum, f.687.5.p.r.68.c.2.

*Eccl.c.*43.13. A Luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consumatione, f.512.4.p.r.50.c.2.

*Eccl.c.*43.13. Gyrauit Cœlum in circuitu gloriæ suæ, f.687.5.p.r.68.c.2.

*Eccl.c.*44.20. Non est inuentus similis illi in gloria, f.315.3.p. r.32.c.1.

*Eccl.c.*45.14. Desideria oculorum ornata. f.495.4.p.r.48.c.2.

*Eccl.c.*45.14. Coronam auream super mitram eius expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis, f.693.5.p.r.69.c.1.

*Eccl.c.*47.*n.*2. Et quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filijs Israel, fol.328. 3.p.r.33.c.2.

*Eccl.c.*49.*n.*1. Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarij. In omni ore dulcorabitur quasi mel eius memoria, & vt musica in conuiuio vini, f.75.1.p.r.10.c.1.

*Eccl.c.*50.10 Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso, f.186.2.p. r.21.col.2.

Ex Isaia Propheta.

*Is.c.*2.*nu.*2. Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, f.409.3.p.r.42.c.1.

*Is.c.*4.*nu.*1. Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer approbrium nostrum, f.453.vmb.3.p.3.c.2.

*Is.c.*4.*nu.*6. Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatē, & absconsionem à turbine, & à pluuia, f.681.5.p.r.67.c.1.

*Is.c.*6.*nu.*1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant replebant templum. f.601.4.p.r.60.c.2.

*Is.c.*6.*n.*2. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, fol. 352. 3.p.r.36.col.1.

INDEX.

Hieremiæ Prophetæ.

Ex Ezechiel.

Ex Danielis Prophe.

INDEX.

Ex Osea Prophea.

Ex Ioeles.

Ex Amos.

Ex Iona.

Ex Michea.

Ex Abacuc.

Ex Sophonia.

Ex

Ex Aggeo.

Ex Zacharia:

Ex Malachia.

Ex Machabaor.

Ex Matthæo.

Ex Marco.

Ex Luca.

Ex Ioanne.

Ex Act. Apoſtol.

Ex Epist. ad Roman.

INDEX.

Ex 1.Corint.

Ex 2.Corint.

Ex Epist. ad Galat.

Ex Epist. ad Ephes.

Ex Epist. ad Philipp.

Ex Epist. ad Coloss.

Ex Epist. ad Timoth.

Ex Epist. ad Hebr.

*Hebr.c.*1.*nu.6.*Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei,f 11.1.p.r.1.c.1.

*Hebr.c.*1.*n.6.&* 7.Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ,dicit,& adorent eum omnes Angeli Dei,f.398.3.p.r.41.c.1.

*Hebr.c.*2.*nu.*16.Nusquam Angelos apprehendit,sed semen Abrahæ,fol.68.1.p. r.9.col.1.fol.11.1.p.r.1.c.1.& f.685.5.p.r.68.c.1.

*Hebr.c.*4.*n.*12.Viuus est enim sermo Dei,& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, fol.557.4.p.r.55.c.2.f.564.4.p.r.56.c.1.f.23.1. p.r.3. col.1,& fol.23.1.p.r.3.c.2.

*Hebr.c.*4.*n.*16.Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ,vt misericordiam consequamur,& gratiam inueniamus in auxilio opportuno, f.44. 1.p.r 6 col.2.

*Hebr.c.*1.*nu.*10. Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis,quam ostendistis in nomine ipsius,qui ministratis Sanctis, & ministratis,f.324.3.p.r 33.col.2.

*Hebr.c.9.n.*11.Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis,f.25.1.p.r.3.c.2.

Hebr c.9.n 22.Et sine sanguinis effusione,non fit remissio, fol 491.4 p.r.48.c.1.

*Heb.c.*11.*n.6.*Sine fide autem impossibile est placere Deo.Credere enim oportet accedentem ad Deum,quia est,f.249.2.p.r.27.c.1.

*Hebr.c.*11.*nu.*11. Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in Conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quando fidelem credidit esse eum, qui promiserat,f.390.3.p.r.40.c.1.

*Hebr.c.*11.*n.*13 Iuxtà fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus,f.449.vmb.3.p.3.c.2.

*Hebr.c.*11.*n.*24.Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis,f.527 4.p.r.52.c.1.

*Hebr.c.*12 *n.*20.Et si bestia tetigit montem lapidabitur,f.73.1.p.r.9.c.2.

*Hebr.c.*12.*n.*24.Accessistis ad sanguinem effusionis,melius loquentem, quàm Abel,f.244.2.p.r.26. c.1.

*Hebr.c.*12.*n.*26. Deus noster ignis consumens est,f.422 3.p.r.43.c.2.fol.423.3.p. r.43.c.2.& f.330.3.p.r.33.col.1.

Ex Epist. Iacob. Apost.

*Iacob Ap.c.*5.*n.*12.Sit autem sermo vester est,est,non,non.f.400.3.p.r.41.c.2.

*Iacob.c.*5.*n.*17.Elias,homo erat similis nobis passibilis:& oratione orauit,vt non plueret super terram,& non pluit annos tres,& menses sex,f.224. 2.p.r.24.col.1.

Ex Epist. Petr. *Apost.*

*Pet.Ap.Ep.*2.*c.*2.*n.*21.Christus passus est pro nobis,vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius,f.592.4.p.r.59.col. 1.

*Pet.Ap.Ep.*1.*c.*2.*n.*22.Christus peccatum non fecit,nec dolus inuentus est in ore eius,f.572.4.p.r.57 c.2.

*Pet.Ap.Ep.*1.*c* 3.*n.*10.Elementa verò calore soluentur,f.681.5.p.r.67.c.2.

2.*B.Petri c.*1.*n.*21.Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spi-

F I N I S.

PALMA
PRIMA,
SEV
TOMVS
PRIMVS.

AD SACRATISSIMAM

MARIAM DEI MATREM

Angelorum Reginam, humani generis reparatricem, ac Virtutum omnium magistram, & exemplar.

F. Bernardi à Crypta Mineruæ humilis peroratio.



Ecretum cordis huius serui tui, & Propositum voluntatis eiusdem, ò Deipara, & dulcissima mater Dei mei, quum sit tui dulcissimi nominis, suaui semper perfrui dulcedine, sanctisque tuis continuò insistere vestigijs, & in tuo quotidie esse famulatu: quum sit toto cordis affectu tuæ ardentius se addicere deuotioni, ac per totius vitæ suæ curriculum tuis tantummodo vacare laudibus, tuæque solius conuersationis præcordialiter attingere perfectionem, rogo te ne paruifacias, imò vt die noctuque anima mea à tua nunquam desistat contemplatione tuarum viarum, morum, perfectionum, virtutum, ac actionum omnium meditatione, quum ipsa ardentèr satagat, & arden ti desiderio flagret, vitam suam quantum ei fas est per tuæ gratiæ donum, ad tuæ purissimæ vitę similitudinem componere.

Hoc agere, hoc obtinere, hęc tua nouitèr famula, tibi dulciter famulari anhęlans, ò Maria, non potest non valet, nisi singulari tua ei famulante gratia, & ope Patrocinante: adiuua imbecillitatem eius, adesto ei pijssima mater, vt quod in corde, tuo patrocinio, tuisque auspicijs conceptum est, & institutum, & ab ea decretum, à te misericorditèr adipisci valeat, consequi, & obtinere.

Si tibi omnia famulantur, & deseruiunt, cur ò Maria non anima mea? Si ad tui dulcissimi nominis inuocationem, elementa ipsa rident, cœli lætantur, nouo gaudio exultat terra, & orbis, si Sol suo, te, lumine vestit, Luna flexis ceruicibus veluti regali scabello tuis gloriosè subijcet pedibus; si stellæ nouo Diademate te coronant, si Spiritus Cœlorum modulatis vocibus quotidiè te lau-

dare non cessant,cur ò Domina mea, ò mater æternæ dilectionis hoc munus laudandi, tibi inseruiendi negabis miseræ animæ famuli tui? si ipsamet summa Trinitas diuinis vndique splendoribus te circumplectitur,cur vestigia pedum tuorum strictè & humiliter non amplexabuntur cuncta interiora cordis mei?

O Maria amet te cor meum,in te, & de te sola sit meditatio cordis mei,igne tui purissimi amoris,in tui solius contemplatione exardescat mens mea,vt & te solam meditetur lingua mea, ac te solam alloquatur,& hoc perdulce nomen tuum quotidiè benedicant hæc labia oris mei,per te videant,& te solam videant,& præsentem te semper habeant ij oculi mentis meę:labori ad tui nominis gloriam nulli parcant hę manus meę:ad te ò fons omnis benignitatis,& dulcedinis celeri cursu moueantur, & currant pedes affectuum cordis mei.

In concameratis aurium mearum latebris,solam hanc vocem, Maria perlæpè iteratis vocibus amica dulcitèr resonet echo; est enim vox tua dulcis, & facies tua decora nimis; ad huius vocis echo, euigilet anima mea,& excitata à somno,exultet,exultando laudet te, vacet tibi,tibique adhæreat, ac spirituali nexu tibi alligetur,aduinculetur,vniatur, brachijsque feruentium desideriorum te tremebunda humilitèr, & cum maxima deuotione amplexetur,imitetur,sequatur,& sola tuæ vitæ puritas, ò purissima Virgo sit ei exemplar,& norma benè viuendi.

Quoniam placuit sic misericorditèr Bonitati diuinę (quod tuis solis ascribo meritis) me adducere in solitudinem hanc,vbi ab omni interpellatione mortalis vitæ, & temporalis sollicitudinis iam feriante animo,vt diuinis duntaxat vacet meditationibus,quę non nisi in solitudine nimirum cómorantibus reuelari solent: & quia mens mea à terrenis est iam soluta curis,& ab omnibus mundi huius abducta tumultibus,illibata tua puritas & innocentia, mores tui castissimi,virtutes,opera,actiones, perfectiones, verba, gesta, motus,necnon vitę tuę ingressus,& progressus,& egressus, ac nomen ipsū perdulcissimū,sint ò Maria niduli huic animę meæ: vbi interim ipsa velut gemebunda colūba,seu turtur non minus casta quam solitaria,meticulosa,& meditabunda nidificando paret sibi nidum,in quo,& conquiescat,reponat,& nutriat pullos suos.

In-

Inter nodosas igitur has quercus, annosas castaneas, pinus, cæterasq. frondosas arbores, innumeris, varijsque nemorosis montibus, rupisq. caruernosis, & vmbrosis vallibus circumseptus, quampluri mis apricus, & accliuis consurgit collis, qui nō partu naturę, sed ar tificiosę manus artis ministerio saxeam affabrè continet molē, de pręruptis cuius concauitatibus, & de eiusdē eruptione venarum. Pulcherrimā veluti Palmam, te, ò Maria assurgentē intuetur anima mea, meritò lætabunda decantans dicere potest, & tibi decantare suauiter, Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua Botris.

O pietatis mater, ò virtutum omnium magistra, quoniam duxisti me in solitudinē hanc, loquere tu ad cor serui tui, aperi sinum tuæ dilectionis, vbi præoptata vota sua, quæ suo sunt cordi infixa medullitus, non alterius, nisi tua gratia aucupando, vbi casta sua vota, tui dulcissimi nominis degustandi dulcedinē, quā abscondisti diligentibus te, vbi pias suas meditationes in tuis laudibus semper solū inuigilādi; vbi suas preces tua consectandi vestigia, tuosq. mores Virgineos imitandi; hæc aprica auicula animæ meę ignitis tuę dilectionis, & bonitatis ex posita radijs, velut pullos, & sui vteri partus reponat, incumbat, foueat, nutriat, & ad perfectum perducat, vt te magistra addiscat, etiā quę retro diebus, imò (quòd non sine lacrymis dici potest) proh dolor, quatraginta, & sex annis elapsis ignora uit, exurgat à dormitatione tantę suæ desidię, & ignauiæ, euigilet à somno torporis sui: imò ò mater viuentium, excita tu illa à morte ingratitudinis tot tantisq; Dei beneficijs onustam, & in quā iacturam non incidit, non incurrit, non offendit anima, ò Maria veræ sapientiæ mater, quæ cœlestibus beneficijs à Patre luminum descendentibus, adhuc existit ingrata? ne de benemeritis tali amplius in posterum anima mea criminetur vitio, sit hæc solitudo mea schola doctrinæ, ac diuinarum artium vera magistra.

Sub hac palma quasi altera Debora iudica me, tu Virgo prudēs, tu æternæ sapientiæ mater, tu moribus grauis, tu silentij amatrix, tu vacua perturbationibus, tu magistra virtutū, tu irradiatrix Euāgelistarū, tu doctrix Apostolorū, tu lux gentiū tu illuminatrix animarū.

Erudire animam serui tui, tu quę affabilis est, sed non leuis, tu modesta, sed nō morosa tu verbis affluens, sed nō affectata, tu factis operosa, sed nō cassa, & otiosa, tu quæ es humilis corde, mēte pacifica, mitis animo, colloquio dulcissima, moribus ornata, pectore mitissima.

In-

Inſtrue ſub hac Palma animã ſerui tui, o dulcis Maria, Tu quæ patiens in aduerſis, ſed non deiecta, tu moderata in proſperis, ſed non inanitèr effuſa, tu ſollicita in officijs, ſed non anxia, Tu Contemptrix tui ipſius, & omnes non nihil faciens, Tu fortiſsima in difficultatibus, ſed non vilis, & mollis animo, Tu in fide Dei immobilis, in Dei voluntate ſemper intenta, Tu ſpe fortiſsima, Tu Charitate ardentiſsima.

Sub hac Palma edoce animam ſerui tui ò Virgo pulcherrima, Tu totius perfectionis exemplum, Tu obedientiæ norma, Tu Virginitatis decus, Tu Eccleſię fundatrix, Tu Fax fideliũ, Tu forma diſciplinę, Tu paupertatis imago, Tu ſpes vnica peccatorum, Tu ſolatium miſerorum, Tu miraculorum officina.

Sub hac Palma lumine verę lucis, & ſapientię, illuſtra animam ſerui tui, ò Sapientiæ mater, Tu quę es fons vberrimus ſanctitatis, Tu quę es fœderis Arca, fons lucis, quę es deſiderata gentibus, Tu Dei ſponſa, Tu dilectionis theſaurus, Tu diuinę Charitatis promptuarium Tu, quę es Vitæ terminus, & armarium, auctrix meriti, abyſſus gratię, aula Cœleſtis lumen ſtudioſorũ, liber obſignatus, Tu porta Cœlorum, aſcenſus omnium, Tu clauis aulę Cœleſtis Tu portus dira procella Ventorum, Tu orphanorum ſuſceptio, Captiuorum redemptio, Aegrotantium exultatio, Tu ſpes vnica ad te clamantium, Tu ſolitarij ſolamen, Tu lux contemplãtium, Tu animæ meę refrigeriũ, Tu cordis mei quies, & ſolatiũ; tu vitæ fons irriguus, & Cœleſte viaticum, Tu Conſolationis vmbra, Vallum fidelium, Auxiliatrix periclitantium, Fons gloriæ, tu mundi ſalus, & gaudium, tu noſtri generis lætitia, tu Patrum præconium, Patriarcharum promiſſio, Prophetarum decus, Martyrum fortitudo, Virginum pulchritudo, Sanctorum Corona, Beatorum gloria, Hierarchiarum ornamentum, tu canticum Cherubin, tu hymnus Angelorum, tu ſanctiſſimæ Trinitatis nobile Triclinium, Tu mater ſalutis Tu mater Dei mei, & mater Maieſtatis Diuinæ.

O Palma ſempiternę pulchritudinis, ò Victoris, & victoriæ ſignaculũ, ò Corona capitis mei, Statura tua verè aſsimilata eſt Palmæ; An nõ verè Palma tu es Maria, cuius radicũ profunditas, dum ad ima profundius deſcendit, Si tuam ſimul adumbrat humilitatẽ, & tuę altitudinẽ dignitatis; Si ſtipitẽ, & Truncũ ad extra intuetur anima mea, te totã rectã, totã ordinatá, totá cõpoſitá, omnib. amabilé per tuę vitę puritaté & innocentiá, omnibuſq; gratiſsimã, ac

Ve-

venerãdam te inuenit,vt & ipsa prædemõstrat puritatis rectitudo.

Si corticis tuæ asperitatem cõtemplatur hic seruus tuus,quo exterius te asperam per tot tantasque passionum,ac pœnalitatũ pressuras à te perpessas intuetur,eò te videt interius sub asperitatis cortice,veluti palmã totam decoram,iucundam,delectabilẽ,& suauẽ; quoniam ô Dei mater,ô Virgo incorrupta,in te nihil prauum, nihil insolens,nihil inordinatum, vel coinquinatum inuentum est, imò,quòd in te gestum est,totum puritas, totũ innocentia,totum gratia,& simplicitas,totum suauitas,& cœlestis dulcedo fluit.

Hinc Virginalis tuus animus ô fortissima mulierum,sicut nunquam concidit doloribus,afflictionibus, nec vnquam cedit amaritudinibus:& præssuris,sic nunquam inanitèr in prosperis,& in propria laude,seu gloria insolentèr efferbuit.

Si huius palmæ attendit virorem sempiternæ viriditatis, quis ignorat,quã perpulchrè tuæ exprimere Virginitatis incorruptibilem nitorem.

Si se vertit hic famulus tuus ad cõtemplationem foliorũ,verba tua adumbrantium quæ vtiq. ad similitudinẽ foliorum palmæ,plana sunt per simplicitatem,scindentia per efficaciam, penetrabilia per dilectionis tuæ charitatem,splendentia per honestatem connexa per vniformitatem,non disiuncta,nec vana per veritatem,dum verba oris tui cœlum penetrant,de cœlestibus loquuntur,cœlestia docent,cœlestia astruunt,cœlestia instruunt,cœlestia præbent.

O anima mea,quæ enim norma virtutum non docetur in Virgine? quæ sacrarium fuit totius diuinitatis,& omnium Spiritus sancti charismatũ optimus thesaurus, & Dei animatum templum,quę anima non exultabit? non lætabitur? & læta non sedebit sub vmbra huius Virginalis palmæ?sub qua edocta non leuabit se super se, vt fructus pergustet perdulcissimos consolationis,deuotionis,dilectionis,dulcedinis,perfectionis,& protectionis, sub illius umbra, quæ tantæ uirtutis est,& efficaciæ,vt præter ipsam,non est alia,quę ardorem sic temperet diuinæ iustitiæ,& à calore Solis illius supremi Iudicis te protegat,&defendat,vt vmbra huius palmę,cuius fructus,si dulcedinem nominis Marię dulcissimi exprimunt,sic ramusculorum numerus eius (cum ad septuaginta duos solum ascendant) obsignat,& recenset totius Virginis vitę,& ętatis curricula; quæ ad septuaginta duos annos (vt in re tam incerta uerisimilior

usque

usque adhuc est coniectura) peruenerunt.

O palma, ò Maria, *Statura tua assimilata est palmæ*, qua possum cordis deuotione, mentis humilitate, præcor te ò mater, & Virgo, singularibus tot insignita titulis, & gratijs, sic cœlorum cumulata omnibus, attrahe cor meum ad te, repone sub vmbra, & illud radicum tuæ profundæ humilitatis obfirma profunditate, vt tibi soli vacet, & tuis laudibus: meritò duræ corticis tuarum passionum, & pœnalitatum operi nuditatem animæ meæ, ne vt filia Adæ nuda timeat tuis apparere conspectibus, decore tuæ rectissimæ innocentiæ, & puritatis rectifica me; nitore illibatæ Virginitatis tuæ illustra aciem mentis meæ, ramorum folijs corona animam meam, vt huius palmæ sic coronata folijs, sic illustrata Virginitatis radijs, sic rectificata innocentiæ donis, sic meritorum tuorum vestita frondibus, sic protecta vmbra, sic onerata, & dulcorata fructibus, sic fundata humilitatis radicibus: tandem à te sic adiuta, & tuis sic protecta præsidijs ascendere possit ad palmam, illius carpere fructus, sentire odorem, gustare dulcedinem, & læta dulcitèr canere sub vmbra, aue spes mea, Virgo pia, Virgo sacra, Virgo Maria, hoc canam ad tui nominis gloriam, dum vixero in hac solitudine, repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem dulcedinis nominis tui.

En ò Maria duxisti me in solitudinem hanc, en anima mea in foramine petræ iam exposita, vbi curis omnibus allisis, secura, & læta sedet sub vmbra tuæ palmæ; loquere nunc tu ad eam, esto ei magistra, dux, & exemplar, vt tuis addiscat duntaxat vacare laudibus; quòd si te matre pietatis inspirante cor meum ardere cæpit desiderio tui dulcissimi nominis degustandi suauitatem, & morum, virtutum, ac perfectionum tuarum, & totius vitæ tuę purissimæ fructus libandi perdulcissimos.

Pia mater, quòd inspirasti, ad te suspirantis, & aspirantis pia cordis vota suscipe, & quòd iam cæpisti in me, perfice, & vt perficias, genibus flexis, capite demisso, toto corde, & ore, te millies suppliciter exoro; te laudo, te saluto, aue spes mea, Virgo pia, Virgo sacra, Virgo Maria.

Esto mihi pia, esto tu mihi palma, & Corona, esto tu mihi mater, esto, & tu mihi Maria, cui sit laus, & gloria, benedictio, & honor. Amen.

Præparatoria graduum dispositio ad Meditationes, quibus anima facilius, aptè, & deuotè ascendere possit ad Palmam Virgineam.

CVilibet animæ fideli, ad hanc Palmam Virgineam nunc per gradus orationis ascendere cupienti, nunc per contemplationis pennã, & fructus eiusdem, quam perdulcissimos carpere, & exatiatè degustare famescenti nimis, interest, primò sui cordis puritati sedulò inuigilare, secundò spiritus quieti attentè, & enixè vacare, tertiò intentionis rectitudini summoperè studere.

Vt seruet cordis puritatem, sibi instituat viuendi modum, actus contritionis frequentèr repetat, & in pœnam commissorum non solum corde doleat, sed aliquam deuotè ad hoc orationem recitet, & quòad fieri potest, spiritualiter per manus Domini spiritualem communionem recipiat.

Quies spiritus oritur ex custodia claudendo ostium ad omnia, quæ mundi sunt, & soli Deo vacare, quiete ijs, quæ tantum Dei sunt, attendat; hoc opus omni alio maius est, nam agitur de nostra salute, de peccatorum nostrorum remissione, de acquisitione gratiæ, de augumento virtutum perfectionis, & meriti: Ergo omnibus proponendum.

Cui ordinatur intentionis rectitudo, quoniam orationis intentio non debet ordinari, nisi vt Deus glorificetur, cognoscatur a Creatura, ametur, timeatur, laudetur, & benedicatur in æternum: præscribat sibi anima hæc tria, vt orationis exercitio optimè vacet, habeat, & ante mentis suæ oculos, partes orationis, quæ sunt septem:

Prima est Preparatio, secunda lectio, tertia meditatio, quarta contemplatio quinta gratiarũ actio, sexta petitio, & septima orationis conclusio.

Præparatio ante omnia necessaria est, sicut enim ad receptionem gratiæ quæ est donum Dei ex parte recipientis dispositio requiritur, & præparatio quædam, ita & orationis spiritus donum est Dei, & à Deo non datur nisi animæ benè dispositæ, vt disponatur, oportet, vt anima ipsa primò humiliet se; qui humilitatis actus, vt ei desuper adueniat, ante omnia pensare debet, quæ est? quæ & Deum loqui & ad Deum audet accedere? Sanctus ille Patriarcha hoc docuit, quùm Deum alloquuturus dicebat, quis sum ego, vt loquar ad Dominum Deum meum, homo, vermis, & cinis, homo putredo, homo vanitati similis, homo peccator, & nihilum; penset, & humilitèr, & attentè cogitet, quis est Deus, cui alloqui præsumit, & tentat; ex Dei enim magnitudine oritur in anima timor, & amor, reuerentia, & honor.

Secunda est lectio, quæ breuis esse debet, & deuota, sapida, & grauis;

spiritualis, & attenta, vel legendo, vel audiendo, sic ex proposito standum est, ac si non liber, vel homo, sed piissimus Deus ipse in illis tibi alloqueretur, & ad illa mentem & cor applica, quæ magis sunt tibi utilia; sta in illis, ad quæ Deus interno impulsu inspirat, & impulit, & ea memoriæ retine, & ex illis illud magis elige meditandum, ex quo fructus spiritus uberiores noueris te posse colligere.

Tertia est meditatio, quæ est mentalis discursus, quo bonum eligendum, & malum fugiendum suadetur voluntati; quæ ut sit libera, in illa orationis hora à noxijs cogitationibus, iuuatur anima in hoc, ex continua, in die, Dei præsentia, & quò in Deo ardentius confidit, et se tota committit, quo sibi ipsi anima diffidit; Deus enim est, qui imperat mari, & ventis, & tranquillitatem inducit, & tumentes tentationum fluctus sedat: quietè siquidem anima intendat, & attendat, quæ meditatur, vtilius est super vnum sæpè, & pluries insistere, quam per multa vagare, vt ignem Diuini amoris eliciat, vt possit dicere cum psalmista, Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.

Quarta est contemplatio; quæ est illa cogitationis mora, seù animæ suspensio. Circa id, quòd contemplatur; vel est illa cordis, & voluntatis applicatio, quæ cum quiete, & silentio vult id, in quo se sistit, & immorari desiderat, humilians se, & indignam se fatetur tanto dono, & sic humiliando laudat Deum, & glorificando benedicit: nunc Deum ipsum alloquitur, modo nunc alloquentem sibi auscultat, & audit.

Quinta est gratiarum actio, hæc stat in memoria, & cognitione beneficiorum Dei, illi gratias agendo; quæ gratiarum actio, ex fonte ipsius contemplationis omnino oriri debet (excussis omnibus alijs) habet anima confirmare propositum, & actus, quos in contemplatione concepit, & existens gratissima Deo pro acceptis, crescat in ea confidentia, & spes, maiora recipiendi beneficia, & incrementa virtutum.

Sexta est petitio, quam si comitabitur humilitas, & vera in Deo confidentia, vehemens, & ardens cordis desiderium, & obtinendi securitas, semper obtinebit; liberalissimus est Deus, & quo animam indignam se reputat ad Deum accedere, eò securius impetrabit, postula, quæ tibi necessaria sunt, & exerce te circa id, quòd reportare summoperè peroptas.

Septima est conclusio, qua stat, vt exquaris, quòd in oratione cũ Deo pertractatum est, & tu aggressa es, opere compleatur vt voluntas conualescat, & concalescat, & Deo grata, Dei amore ferueat, & Deum ipsum laudet, & benedicat.

Circa hæc, quæ dicta sunt, sunt & alia necessario prænotanda, & primò, quòd præparatio vna dicitur remota, & hæc docet fugienda, vt sunt vanæ conuersationes, colloquia vana, & cuncta, quæ Dei offensam possunt

sunt in animam inducere, sed conuersatio tua, & occupationis, studium sit circa illa, quæ ad Dei amorem inducunt, & excitant, & ad ipsam meditationem necessaria, & utilia sunt, ut est lectio spiritualis. Cogitatio circa meditanda: Excita teipsum frequentias per affectus internos, vel ad tui confusionem ex memoria peccatorum, & tuæ utilitatis, vel ad Dei amorem; Alia dicitur proxima, quæ versatur circa puncta meditationis; hinc, pensa, Deum esse tibi præsentem, humiliare, & apta te deuotè, & Diuinæ Maiestatis humiliter adora præsentiam, actibus Cordis tui roga eum, ut animæ tuæ potentiæ simul unitæ, & in unum Collectæ, ipsi soli intendant, inuigilent, & adhæreant.

Perscribatur locus, & exhibe te præsentem, ut quæ meditaris, non quasi præterita, & transacta, & præsentia, ac si te spectante realiter tunc fierent, intuere locum, personam, gestus, actus iuxta meditationis materiam.

Duo alia prænotanda, Primum est modus formandi discursus, & cogitandi circa ea, quæ meditanda sunt; Secundum est, modus resistendi tentationibus meditationis fructibus obsistentibus: Quoad Primum; Considerandа est materia meditationis, nam vel est circa personam, vel circa virtutē, vel vitium, vel circa actionē bonam, vel malam; in qualibet actione consideratur vel persona operans, vel persona, circa quam, illa fiunt; & operantur; vel sunt verba dicta, vel operationes factæ; in persona considerari debent actiones virtuosæ, ut in Christo dignitas, Excellentia, gratia, & meritum; Vitiosæ, ut utilitas, & malitia in Iudeis, odium, & inuidia.

In verbis attendenda est doctrina, & virtutes, quas instruendo docent, & affectus, quo amore illa exprimuntur, an odio, & ira? In actionibus similiter conditiones sunt attendendæ, & præcipuè circumstantia, si est bona, an vitiosa, si virtuosa est an mala? Sic attendendus est finis, locus, tempus, & modus, & ex quolibet Anima eligere tenetur fructus, qui est circa doctrinas practicas ad vitæ reformationem ordinatas.

Et ex voto seù cordis proposito, quæ utilia sunt, quidē ad praxim deducenda sunt eo, quæ meditatur, nascuntur in ea diuini amoris affectus, peccati odium, Virtutum desiderio, iubilum de Dei gloria, Spes vitæ eternæ, dolor offensionū, timor Dei, indignatio erga vitia, & perfectionū profectus: Quid animæ deesse poterit, Si Spiritum S. ad hoc in magistrū habebit? à quo in omnibus edocta si fueris, O Anima mea, & sui diuinis amoris flamma accensa, Siste gradum, ibi commorare, nunc petendo, nunc te accusando, nunc te humiliando, nunc admirando, nunc inuocando, nunc excludendo, nunc affirmando, nunc confirmando, nunc offerendo, nunc perambulando quocunq; te Dei spiritus duxerit, denudata proprijs desiderijs, & affectibus humanis, tota, & totaliter diuinis te manibus cōmitte, & derelinque, ut pariter ab omnibus libera sis tentationibus, quæ principaliter tres esse solent tempore meditationis.

Prima dicitur desolatio, & est illa spiritus ariditas, vel defectus sanctarum cogitationum, & cordis frigiditas; contra hanc desolationem valent nimirum actus contritionis, & humilitatis, suæque nihilitatis attenta consideratio. Secunda dicitur consolatio spiritualis, qua inimicus vtitur, vt meditationis delectatur absque voluntatis affectu, & sine proposito reformandi vitam, & dignoscitur esse diabolica, illa spiritualis consolatio, quùm exploratis illius principijs, medijs, & fine, vel retardat à bono, vel inducit ad minus bonum, quòd prius amplecti, & sequi anima se determinauerat; vel animam ita coarctat, angustiat, & perturbat, & priuata remaneat quiete, pace, letitia, & spiritus tranquillitate, qua primo fruebatur.

Tertia dicitur curiositas, quam meditationis tempore ingerit Diabolus, sub specie boni, vt est non attendere, nec attentè persistere quòd meditatur; vel leuitèr pro puncta discurrere; hæc enim tentatio impedit notabilitèr meditationis fructus; quos vt capias, sentias, & gustes, sistendum tibi est, & sæpè iterum repetendo Christi exemplo, qui tertio orauit eundem sermonem; hoc enim vt perficias colloquijs vtere amorosis cum Deo, cum Beata Virgine, & cæteris Sanctis, imò & tua propria anima, nunc inculpando se de peccatis, de suis negligentijs, & defectibus, nunc detegendo Deo suas miserias, & vulnera, & suo auxilio opitulari dignetur, nunc ipsum laudando de sua misericordia, bonitate, maiestate, & gloria, &c. nunc inuocando cunctas creaturas ad Deum laudandum.

Colloquia licet in fine orationis sunt perfectiora, quia fiunt à corde iam meditationis igne calefacto, tamen semper sunt opportuna, tum in fine, tum in principio, tum in medio.

In fine orationis recolligat se anima, & quæ proposuerat ad perfectum ducat gratias agendo Deo de acceptis, & oret pro accipiendis: Et hæc sit orationis conclusio, & hæc nostræ ascensionis scala, cuius gradibus anima facillimè ascendit ad Palmam Virgineam, quiescit sub vmbra, & sedens meditabunda, experitur, quàm perdulcissimi sunt gutturi suo fructus eiusdem.

A M E N.

NVMERVS
RAMVSCVLORVM
HVIVS PRIMAE PALMAE
breuiter collectorum.



Ramusculus Primus.



Præmonstrat Mariam fuisse in mente diuina ab æterno præcognitam, & super omnes creaturas singulari dono, & sublimiori gradu fuisse conceptam in illa æternitate; quapropter fuit Trinitatis Sanctissimæ super omnes creaturas perfectissima Idea, & eiusdem consanguinea, nec non & complementum non additatiuum, sed expressiuum ducens nos suarum virtutum puritatis, & perfectionum luce ad intelligentiam, & cognitionem illius Triadis beatissimæ; cuius bonitatis desiderium ad extra sola exatianit Maria adiuuans nos suis meritis, & precibus vt salui simus; ex quo sortitur nomen Redemptricis, Sacerdotis, & Primogenitæ, quum de suo erat quod obtulit Filius Patri, & voluntate concordi, vt faceret & ipsa homines de feris Angelos, & de peccatoribus iustos: & hoc munus cùm perfectè consumasset, habet iuxta Diui Methodij sententiam ipsummet Deum debitorem.

Ramusculus Secundus.

PRæmonstrat Mariam fuisse ob suæ puritatis nitorem in mentibus Angelorum, & Prophetarum figuratam, conceptam, & sub puritatis tropis eisdem præmonstratam, vnde laudauerunt Deũ,& Virginem adorauerunt,& agnouerunt vt Dei Matrem;quæ quantæ sanctitatis,puritatisq;futura erat ab exordio suæ Conceptionis facilè conijcitur dũ auroræ, primæ luci,pulchritudini lunę,& solis splendori ab eisdẽ comparatur,& Ioanni Euangelistæ monstratum est: quia non vt Eua, sed vt Dei Mater futura calceatos habuit pedes, & solis amictu vestita, quo tanto fulgebat puritatis candore, quòd Deus potius videbatur quàm pura creatura; erat enim ipsa vt sol inter septem planetas, inter Deum, & tres Ierarchias, Angelicas, vnde erat luna,& sole pulchrior, & cœlo latior, & ipsis Angelis purior; & dum eis coronatur signis, quibus & Filius, qui Deus est,qui vestitus à Matre veste primæuæ carnis Adæ, vestiuit eadem & ipse matrem; quæ vt prophetauit Adam, facta fuit ex ossibus, & carne Christi Filij sui, quando & liberam (vt terra sacerdotalis) reddidit à tributo culpæ originalis, & debito: purior fuit Maria, in qua scripsit Deus Verbum suum,quàm membrana in qua scripsit verba legis, vt docet Olerster.

Ramusculus Tertius.

PRæmonstrat MARIAM fuisse præseruatam à culpa originali gratia singulari, vnde eius Conceptio naturalis fuit quòad modum, at supra naturam, & mi-

& miraculoſa quoad ordinem, quia Deus benedictus in ſua Conceptione vocanit generationem ab exordio ſeruando modum, quem ſeruauit in creatione Angelorum, & primi hominis redimendo à culpa originali nono redemptionis ordine: ne fermento Adæ fermentata conciperetur, a dextris collocauit, & erecta ſtetit, vt Regina, & filia Regis, inflexibilis vt columna; cuius conceptio comparatur à Spiritu Sancto Paradiſo, plantulis eiuſdem, & malis puniois; ſic coronata, & viuificata Dei halitu, qui produxit eam puriſsimam ſuper puritatem Angelorum. Hinc factum eſt, vt halitus Virginis efflans Dei halitum vitæ ſpirat odorem; & cum eius halitus ſit Paradiſus, Paradiſum efformat, & mortis dolores, & paſsionis ludibria in Paradiſum vertit; Paradiſum donat, qui non inuenitur niſi in halitu, & per halitum tantæ Virginis: nec mirum ſi fuit ſemper Dei tabernaculum intus, & foris auro gratiæ, & cæleſtibus donis deauratum, & elaboratum.

Ramuſculus Quartus.

PRæmonſtrat Mariam Dei eſſe Altare ſuper quod ſemper ardet ignis diuini amoris, Deum amando toto corde, tota anima, tota virtute: ardet & erga nos, ad nos protegendum, & ad interpellandum pro nobis, ab ipſomet inſtanti ex quo concepta eſt in vtero matris; nec pauere debes quia Virgo, recordare quia deſponſata fuit, vt Virgo cogitat quæ Dei ſunt, ſed vt deſponſata, quæ ad tuam ſalutem pertinent ſedulò cogitat: ad hoc Ioanni apparuit calceata luna, ſed coronata ſtellis, & figurata in puella vxoris Naan, qui percuſsus lepra huius ſeruæ conſilio, & adiutorio fuit à lepra mundatus, & perfectæ ſanitati reſtitutus.

Ramuſculus Quintus.

PRæmonſtrat ex Auroræ nomine, ſplendore, decore, proprietatibus, & effectibus Virginis ortum verè fuiſſe Auroram, lucis gratiæ vndique plenum; idcirco mundo, Angelis, & hominibus Virginis hic ortus, quia prænuncius noſtræ ſalutis, & illorum reparationis, fuit periucundiſsimus, nam non Adæ filia ſimpliciter naſcitur, ſed Dei Mater, & Sponſa.

Ramuſculus Sextus.

PRæmonſtrat ex tribus lunæ proprietatibus ortum Virginis fuiſſe lunæ perſimilem, quia fuit Maria vt luna receptiua numinis, diffuſiua luminis, & repreſsiua fulminis, quod probatur thronum Salomonis, cuius ſedile tenebant duæ manus, ex manibus Moyſis expanſis, & in altum erectis, & ex virga eiuſdem petram bis percutiente, ex lucta Iacob cum Angelo, & manibus Eliæ.

Ramuſculus Septimus.

PRæmonſtrat Virginis ortum ex ſolis proprietatibus ſoli fuiſſe conſimilem, tum in magnitudine amoris, tum in celeritate motus ad nos ſaluandum ſimul & protegendum: vt ſol celerius eſt Maria, quod apparet ex nubecula illa Eliæ ex noua Euę creatione, ex aqua deſerti, viuens Maria Moyſis ſorore, oritur vt ſol ad conſeruationem, & ſalutem omnium viuentium.

Ramuſculus Octauus.

PRæmonſtrat Virginem in ſuo naturali fuiſſe aciem caſtrorum benè ordinatam, & cunctis inimicis valdè terribilem; & licèt bellum ſit durum, crudele, & inimici innumerabiles, & fortiſsimi, ſolo ſuo aſpectu, ſola ſuę innocentię pulchritudine, ſolo ſui nominis vocabulo vincit, proſtrat, conculcat, deijcit, & triumphat de omnibus, exemplo vnius Arcæ, & lucis primæ diei; habet enim puella hæc ad nos protegendum, & ad nos ſaluandum mille clypeos, vt patet de Latrone in cruce pendente, & de Iaele, quæ interfecit Siſaram; & ſi eſt ad tuæ ſalutis præſidium veluti Acies ordinata

dinata: esto secuta, nec vnquam in dies eius memoria à tuo recedat corde, nec illius nomen ab ore.

Ramusculus Nonus.

PRæmonstrat Mariæ nomen esse nomen nouum, tum quia consequens est rei, tum ex nouitate tantorum prodigiorum, tum ex dignitate, quam signat, vt Nuncius Gabriel in sua patefecit legatione: tum quia ori suo benedicto reliquit Deus pronunciandum, vt quinque illa nomina, quæ habentur in Genesi, & Abrahæ Patriarchæ, & vt datum est à Deo plenum mysterijs, & Abyssus est omnium gratiarum; quapropter facta est Maria nobis spes tuta, & mons saluationis, & protectionis à turbine, & inimicorum infestatione.

Ramusculus Decimus.

PRæmonstrat Mariæ nomen esse ineffabili suauitate replerum, vt sola sua dulcedine omnem dulcescat amaritudinem: non est in hac vita quid amarum, quod huius nominis dulcedine non conuertatur in suauitatem, vt exploratum est in Ioseph Virginis Sponso, qui ad tactum huius mellis fauum excussit turbationis amaritudinem, & degustauit dulcedinem, quam ex ore Iesu in hoc nomine lambens Magdalena gustauit tanti nominis, & ipsa dulcedinem dulcius quàm Adam ex bolo pomi ab Eua primò tacto: Quid mirum si nomen Mariæ eductum est de corde Dei, & de thesauro suæ Diuinitatis, qui fons est totius dulcedinis. Tantæ dulcedinis est quòd etiam mortis amaritudines, & dolores mutet in saporem, & suauitatem, vt in Christo iam morti proximo.

Ramusculus Vndecimus.

PRæmonstrat prima hac littera, M, nominis Mariæ insculpta in primo folio rosæ eiusdem, Maria nondum matrem esse Dei, sed etiam omnium nostrum, quia Virgo, [quæ] capitis effecta est mater, mater effecta est & membrorum eiusdem, vt ex reduplicatione hominis probat Propheta Dauid; & quos sub ligno Crucis peperit Maria lacte suæ protectionis, adiutorij, & defensionis lactat, vt eos perducat ad Christum.

Ramusculus Duodecimus

PRæmonstrat ex littera, A, secundi rosæ folij Mariam esse Arcam fœderis auro mundissimo deauratam intus, & foris, quæ continet Manna illud suauissimum suæ pietatis, & misericordiæ; & veluti Arca fœderis in quauis necessitate effecta est in subsidium populo Dei, & data est in signum fœderis, & reconciliationis, quemadmodum & arcus in nubibus Cęli: pacis manna simul & pietatis semper effundit, vt in Nuptijs Canæ Galilęæ; quia hoc manna non sumpserunt virgines illæ à sponsi consortio reiectæ sunt: quapropter tamquam ad Arcam fœderis totus accurrit mundus, vt hoc manna accipiat, & accepit. Et si hoc effudit manna sub arbore Crucis, quantò magis nunc collata in throno maiestatis diuinæ.

Ramusculus Tertiusdecimus.

PRæmonstrat Mariam verè esse Reginam ex littera, R, tertij folij rosæ, qui titulus in Virgine non est titulus seueritatis, & iustitiæ, sed benignitatis, & gratiæ, vt de Regina Esther, & Domino Iesu pendente in Cruce: de tribus Magis, & Diuo Paulo, ex quo datur intelligi, quòd huic seruire Reginæ non est graue seruitutis iugum, sed regium diadema, & corona regalis, vt vidit Ioannes in viginti quatuor Senioribus, qui mittebant coronas suas ante pedes sedentis in throno.

Ramusculus Quartusdecimus.

PRæmonstrat ex quarta littera, I, nominis Mariæ, Mariam esse Cæli ianuam nobis, & Angelis omninò clausam quoad eius dignitatis altitudinem, sed ad misericordiam præ-

præstandam semper apertam vt ingredientes per eam salutis,& gratiæ pascua inueniant; si non vis tuæ saluationis reportare repulsam ita,& sede iuxta portam hanc,quia ianua Cœli est, & porta lucis fulgida.

Ramusculus Decimusquintus.

PRæmonstrat Mariam nostræ salutis verè aduocatam ex littera quinta, A, cui non deest potentia,quia mater est Dei,mater est & Iudicis:non deest prudentia,quia mater est sapientiæ:nec illi deest voluntas quum mater sit misericordiæ,& pietatis. Ipsa enim est quæ potest,scit,& vult salutem nostram: salus tua nulli potest securius committi vt Mariæ patrocinio,sub cuius clypeo,protectione,& vmbra non est qui viam salutis non inueniat,non accipiat.

De Vmbra prima Palmæ Virgineæ.

SVam hæc nostra palma Virginea emittit vmbram,quæ cum non sit inanis, & vacua, pręmonstrat Virginem tum in mente diuina,tum in mentibus Angelorum, & prophetarum,tum in aluo suæ matris Annę semper extitisse vmbram, vmbra Spiritus sancti oboumbratam,perlucidam,& tantę innocentiæ claritudine perfusam, quod Dei filio,qui est lumen de lumine,sub illius vmbra complacuit sedere,accubare,& requiescere. Nec mirum quum vmbrę corpori,cuius est vmbra,sit proprium,& naturale vndequaque conformari: zelotypa vmbra Maria,quum inter sui candoris vmbram,& Deum ipsum vnquam est passa nunquam inane commisceri,& interponi: fidelissima vt amica nunquam te deserit,sed pręit,& sequitur vt te protegat,operiat,obumbret, adiuuet, defendat, & saluet: suauis ad requiem,perdulcis ad escam sub qua sola Deus clare videtur, vt in monte Thabor vox Patris auditur & Dei delicię degustantur.

NVMERVS RAMVSCVLORVM TOTIVS OPERIS.

PALMA PRIMA.

Numerus Ramuſculorum.

PALMA SECVNDA.

PALMA TERTIA.

Ramu-

Ramusculus trigesimusquartus.
De Zelotypia Sponsi, ad Sponsum.
Ramusculus trigesimusquintus.
De Incarnationis, seù Virginis Mariæ Annunciationis mysterio.
Ramusculus trigesimussextus.
De Sponsæ Sponsi sui familia.
Ramusculus trigesimusseptimus.
De Veste Nuptiali Virginis.
Ramusculus trigesimusoctauus.
De Monile Virginis.
Ramusculus trigesimusnonus.
De fascia pectorali Virginis.
Ramusculus Quadragesimus.
De Annulo fidei Virginis.
Ramusculus quadragesimusptimus.
De Sandalijs humilitatis Virginis.
Ramusculus quadragesimussecundus.
De Verbi Conceptione, & Partu Virginis.
Ramusculus quadragesimustertius.
De Virginis dilectione ad Proximum.
Ramusculus quadragesimusquartus.
De Efficaci Virginis voce, & dulcedine eiusdem.
Ramusculus quadragesimusquintus.
De Iugi Virginis beneficiorum Dei memoria.
Vmbra tertiæ Palmæ.

PALMA QVARTA.

Ramusculus quadragesimussextus.
De Virginis desiderio in partu Filij Dei.
Ramusculus quadragesimusseptimus.
De Cordis Virginis gaudio in partu Filij Dei.
Ramusculus quadragesimusoctauus.
De Prima effusione sanguinis Pueri Iesu per manus ipsiusmet suæ Matris Virginis.
Ramusculus quadragesimusnonus.
De Inuentione pueri Iesu, & loci inquisitione eiusdem.
Ramusculus Quinquagesimus.
De Purificatione Virginis purissima.
Ramusculus quinquagesimusprimus.
De Pueri Iesu oblatione in Templo.
Ramusculus quinquagesimussecundus.
De Fuga Pueri Iesu in Ægyptum.
Ramusculus quinquagesimustertius.
De Redditu Pueri Iesu, & Mariæ ex Ægypto in Iudæam.
Ramusculus quinquagesimusquartus.
De Lachrymosa Virginis inquisitione Filij perditi in triduo.
Ramusculus quinquagesimusquintus.
De Corde Virginis Christi Filij sui penu.

Ramu-

Numerus Ramuſculorum.

PALMA QVINTA.

FINIS.



DE NVMERO ANNORVM, QVIBVS DEIPARA SVPERVIXIT IN TERRIS.

NVmerus annorum, quos B. Virgo Maria à die Natiuitatis suæ transegit in terris, vsque ad filij sui Ascensionem in Cœlum, facillimè vocatur ad calculum, & cuilibet patet ex ratione, planèque constat omnì exactè supputanti, quum nemo sit, qui illi aduersetur: quoniam agens ipsa annum quintumdecimum, mundo edidit Saluatorem, vt probat Tostatus q. 91. in Matth. cap. 2. in cuius commercio conuiuendo vitam duxit triginta, & tribus annis, quibus simul collectis, seu computatis, nulli dubium est, Virginem ætatis suæ, quando filius eius ex hoc mundo discedens, & cœlum petijt, Quadraginta, & octo annos tunc attigisse; sed quot annis fuerit ipsa in terris superstes, post filij sui Ascensionem, non est vna Sanctorum Patrum opinio, sed maxima inter eos controuersia.

Tostat.

Diuus Augustinus lib. de mirab. Sacræ Scripturæ, docet Mariam post filij in Cœlum ascensum, vno tantum anno in terris extitisse superstitem, & de vita migrasse anno ætatis suæ nono supra quadraginta.

D.Aug.

Petrus Aquil. videtur idem sentire in lib. 2. Catalogi cap. 65. at anno illi quinque alios menses addidit, & diem vnum, & viginti.

Pet.Aqu.

Nicephorus lib. 2. histor. cap. 3. post discessum filij, tribuit Virgini vndecim annos, & scribit, illam vitam terminasse anno ætatis suæ quinquagesimo nono.

Niceph.

Euodius, qui fuit Apostolorum successor, & à quo fortè acceperat Nicephorus, vt ipsemet refert in lib. 2. cap. 21. computat quadraginta quatuor annos Mariæ à natiuitate filij, vsque ad obdormitionem eiusdem Virginis. Anno quintodecimo Virgo venit ad partum, vt perueniret ad annum quinquagesimum nonum, vndecim annos necesse est eam superuixisse.

Euodius.

Diuus Antoninus par. 1. titul. 6. cap. 3. post Christi Ascensionem, Virgini duodecim annos adscribit, & illam obdormisse sexagenariam, omnis mortis doloris expertem, sicut ab omni carnis corruptione immunem.

D.Antonin.

Eusebius in Chronicon ab Ascensione filij, vsque ad suam migrationem in Cœlum, affirmat vitæ Virginem tempus percurrisse quindecim annorum.

Eusebius

Beata Brigitta lib. 7. suarum reuelationum cap. 26. reuelat, sibi à Virgine facta, testatur accepisse, vitam Dei Matris ab Ascensione filij fuisse quindecim annorum, vsque ad diem Assumptionis in Cœlum, & his enumeratis, quis non intelligit, totius vitæ Virginis decursum fuisse sexaginta trium annorum? ad quorum honorem, & gloriam, totidem à communi fidelium deuotione recitatur, Aue Maria.

B. Brigit.

Alij, vt est D. Epiphanius lib. de vita B.Vir-

D.Epiph

Cedren. Canisius Baron. B. Virginis, Cedrenus in compendio historiarum, Canisius lib. 5. de Virgin. cap. 5. Baronius tom. 1. annalium, docent Mariam post filij in Cęlum ascensionem superuixisse annos quatuor super viginti, quibus additis quadraginta octo, quando Maria in Cœlum fuit assumpta, annos agebat septuaginta duos.

Sunt, qui affirmant Virginem peruenisse ad annos ætatis suæ octoginta duos, & Diuo Anselmo adscribunt; sed facta annorum Virginis computatione, etiam secundum Diuum Anselmum, benè supputanti erit compertum, quantum aberrant à veritate. In quintodecimo namque suæ ætatis anno, Virgo Christum peperit, cum quo vixit in terris triginta tribus annis, post cuius in Cęlum ascensum fuit in domo Ioannis Euangelistæ quatuor & viginti annis, qui simul collecti, seu computati, non octoginta duorum, sed potius septuaginta duorum numerus resultat annorum; vndè & Mendosa, octoginta duorum annorum est computatio, vel typi, vel præli errori tribuendum est. Mendosa

Ad Virginis ætatem septuaginta duorum annorum, vt verisimiliorem animum cùm induxissem: Palmam hāc Virgineam totidem Ramusculis coronatam, & exornatam elaboraui mihi.

Quoniam illorum sententia, qui docent Virginem anno ætatis suæ sexagesimo tertio vitam terminasse, pro suæ argumento probationis habent tantum cōmunem illam fidelium deuotionem: nulla tamen prorsus Patrum suffulta sententia, seu doctrina.

Nostra verò, quæ tribuit Mariæ septuaginta duos annos videtur veritati magis consentanea, & magis conformis, & ad probationem eius sisto hic verba Cedreni in compendio historiarum. *Tradidit*, inquit, *Sanctam animam Domino, filio, & Deo suo annos nata septuaginta duos*. Huic sententiæ se subscribit D. Andreas Cretensis in serm. de dormit. Deiparæ, & elicitur clarius ex verbis Beatæ Birgittæ lib. 6. suarum reuelationum cap. 61. cui Virgo Maria sic affata est: *Ego quippè post Ascensionē filij mei longo tempore vixi in mundo*: & vitæ prorogationis huius rationes assignat, quando subdit; *Et hoc voluit Deus, vt visa patientia mea, & moribus meis, plures animæ conuerterentur ad eum, Apostoli Dei, & alij electi roborarentur, & etiam naturalis dispositio corporis mei hoc exigebat, quòd diutiùs viuerem, vt corona mea augeretur*. Hæc Maria Beatæ Birgittæ.

Cedren. D. Andr. Cretens. B. Birgit.

Ratio, quare Christus tandiù prorogauit vitam Matris suæ post ipsius ascensionem, non vna fuit, sed plures, vt optimo vitæ suæ exemplo, malis, impijsque hominibus esset norma benè viuendi; pijs verò, probisque regula, ac stimulus benè operandi, vt tribulatis, afflictisque consolationes afferret, ægris sanitatem, infirmis fortitudinem, mœstis lætitiam, ignaris scientiam, Christi discipulis, & toto generi humano dux esset, & magistra; quia ipsa docente, & narrante, atque annunciante scripserūt Apostoli, & Euangelistæ, atque prædicauerunt; nam verba filij Dei, & facinora conferens ipsa in corde suo, nobis seruauit. Hæc veritas elicitur ex Diuo Ruperto Abbate lib. 1. in Cant. ex Diu. Bernardo hom. 4. super Missus est, ex Diuo Anselmo lib. de excell. Virginis cap. 4. Andreas Cretensis de dormitione Deiparæ, & Eusebio Emisseno in Euangelium de festo Assumptionis. Rup. Ab. D. Bern. D. Ansel. D. Andr. Cretens. Eusebius Emissen.

Quare ità in longum protraxerit filius matris suæ vitam post Ascensionē suam clarè patet ex Diuo Anselmo de excell. Virg. cap. 19. in quo sic legimus: *ascendente verò suo benedicto filio ad suum regnum gloriosum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum confortationem, & errantium correctionem remanere permissa est; erat enim magistra Apostolorū, confortatrix Martyrum, Doctrix Confessorum, clarissimum speculum Virginū, consolatrix Viduarum, in coniugio viuentium saluberrima monitrix, atque omniū in fide Catholica perfectissima roboratrix*: hæc Sanctus. Et longum hoc tempus vitæ Virginis fuit spatium septuaginta duorum annorum: sisto hic verba pijssimi Canisij lib. 5. de Virg. cap. 1. *Et si*, inquit, *cōmuni iam hominum opinioni, quæ sexaginta tres annos duntaxat Virgini tribuit, nihil volumus esse detractū: tamen probabilior nobis illorum apparet sententia, qui longioris vitæ spatium Virgini post assumptum in Cælis filium assignant, & nimirum ad ætatem prouectam, multamque peruenerit, atque sic annum septuagesimum vel attigerit, vel excesserit*, hæc ille. D. Ansel. Canisius

Hic autem numerus septuaginta

duo-

duorum annorum ex computatione pluries facta, patet supputanti, & deduci potest etiam à Scriptura diuina, in
Acta Ap. cap. 16. Actuum Apostolorum legimus cęlestem illam Diui Dionysij Areopagitæ conuersionem ad fidem accidisse; anno à nece Domini Iesu, decimo octauo, vel decimo nono, vt probat Baro-
Baron. nius, vbi supra, & quinquagesimo secundo à filij Dei in mundo natiuitate: hic
D.Dion. Sanctus in lib. de diuin. nominibus cap. 3. morti, & sepulturæ Virginis testatur se interfuisse, quæ si saltem ante annos sexaginta octo obijsset vtique verum non esset.

Vltra igitur decimum octauum, vel decimum nonum annum à passione Domini, & ascensionem eius ab Athænis in Ierusalem, tùm ex commoratione illius in propria Ciuitate, & domo, tùm ex itineris distantia, & longitudine, aliquos paucos annos intercessisse fateri multum rationi consonum est; nam post acceptam fidem subitò, & sine aliqua mora eum discessisse, ipsamet ratio prohibet.

Addam & hoc: siquidem illorum Doctorum iudicium mihi multum videtur probabile, qui asserunt D. Dionysium ad perfectè peraddiscenda, capessandaque Christianæ religionis mysteria, & fidei Sacramenta in Areopago triennio adhæsisse Paulo, à quo & ad Christi fidem fuit conuersus, & Athænarum creatus Episcopus. Deinde paulò post cum eodem ascendit Ierosolymam, ibique Sacratissimæ Virginis funeri, & morti potuit interesse: eò magis quum matris Dei obdormitio, ad quā aduentitans, ipse pluries, & videre, & alloqui meruit, non subitò, ad illius in sanctam Ciuitatem primum aduentum, & introitum euenit, seù accidit, vt patet legenti Chronologorum historias, & eiusdem sanctissimi viri Epistolas ad Apostolum de hac re sollicitè missas.

Si igitur Virgo Maria quindecim tantum annos, & non pluries vixisset post filij ascensionem, hic nouus Christi fidelis, & Pauli Apostoli discipulus, tantæ Virginis funeri, vt ipsemet restatur interfuisse, non poterat interesse, quum sua conuersio, quando Christo nomen dedit, accidit anno quinquagesimo secundo à natiuitate Domini, & passionem eiusdem, vt dictum est de mente Baronij anno decimo nono.

Ad quem si accedant, quæ intercesserunt ex itineris distantia, diuturnitate, & Ciuitatum peragratione, & cōmoratione in Areopago, facilè peruenitur ad veritatē septuaginta duorum annorū, præsertim si attendantur quatuor Apostoli Pauli profectiones in Ierusalem.

Prima fuit, post triennium à sua conuersione, vt ipsemet restatur ad Galatas Paul. Ap.
cap. 1. n. 18. & D. Lucas cap. 9. Actuum D.Lucas
Apostolorum n. 26. Christi Domini, verò anno trigesimo nono.

Secunda fuit, post annos quatuordecim: venit enim Ierosolymam, vt cum cæteris Apostolis interesset, & ipse Cōcilio Ierosolymitano ad quasdam legalium quæstiones dirimendas, anno verò Domini quinquagesimo primo.

Tertia fuit, quando petijt Ierosolymam, vt suæ consecrationis in templo votum solueret, & salutaret Ecclesiam, vt puta Ierosolymitanam tanquam matricem, & omnium Metropolitanam, lege in actis Apostolorum cap. 18. Act. Ap.
n. 22. Christi annus erat quinquagesimus quartus.

Quarta fuit, quando ex specialis Spiritus sancti impulsu venit Ierosolymam, vt ibi Pentecosten celebraret, & simul videret, & salutaret Virginem, eamque vicissim consuleret in dubijs; cum qua sua pariter cōmunicaret consilia, suisq; præcibus apud filium fideles omnes, Ecclesiam, seque commendaret, vt in tot, tantisque laboribus, difficultatibus, & mæstis opem ferret, & adesset ipse funeri tantæ Virginis, vt Acta testantur Act. Ap.
Apostolorum cap. 21. n. 17.

Spiritus sanctus Paulum impulit, stimulauit, eique dedit impulsum, desiderium, & ardorem eundi in Ierusalem. Ecce ego alligatus vado in Ierusalem. Act. Ap. cap. 20.

Causa huius impulsus, inter alia, fuit, vt Virginem antè ex hac vita migrationem, quæ paucos post dies hoc eodem anno accidit, Paulus videret, salutaret, & suis meritis, & præcibus se commendaret.

Hic enim annus, quo D. Paulus comitibus Diuo Dionysio, & Hierothæo Ierosolymam venit, Christi annus erat à sua natiuitate quinquagesimus octauus, cùm Athænas venisset anno quinquagesimo secundo, quinque in prædicatione, & Ciuitatum peragratione consumatis, regressus est hac quarta vice in Ierusalem, & cum eo D. Dionysius

sius anno Domini quinquagesimo octauo, quo pariter anno è terrestri hac Ierusalem, ad cœlestem illam euolauit Virgo sanctissima.

Quæ si decessit è vita anno à natiuitate filij sui quinquagesimo octauo, & huic numero apponitur quintus decimus, quem pene iam Virgo tetigerat, quando mundo edidit Dominum Iesum: nulli dubium est totius vitæ Virginis cursum, quando obdormiuit in Domino fuisse septuaginta duorum annorum.

Cedren. Epiph. presbyt. Baron. Suarez. Canisius Christophor. a Castro.

Fauet huic opinioni Cedrenus in compendio, Epiphan. presbyter serm. de Deipara, Baron. vt dixi anno Christi quadragesimo octauo, cap. 4 Suarez 3. p. q. 5. art. 2. sect. 1. disput. 21. Canisius, Christophor. a Castro in histor. Deiparæ, & quamplurimi, quos breuitatis causa sileo.

Si verò alicui tot inter Patrum sententias hoc nostræ huiuscemodi probationis argumentum non videtur adeò firmum, vt omni ex animo postposita dubietatis perplexione, huic adhæreat veritati, aliud firmius adinueniat ipse, si potest; mihi quidem hæc vltima visa est omnibus alijs probabilior, ac verisimilior, tùm quia annorum Virginis supputationi est magis concors, tùm quia deducta est ex Sacra Scriptura, & tot Patrum sententijs. Idcircò illi assentiendo toto cordis affectu amplector, & ità firmissimè profiteor, & nulla vnquam anceps valuit difficultas me dubietatis telo attingere, maximèque cùm illam in Pontificum etiam diplomatibus inueniam annotatam, & expressam, confirmatam, & spiritualibus indultis auctam, & locupletatam.

Iulius II. Leo X. Collect. priuileg.

Ex concessione namque Iulij Secundi, vt videri potest in lib. 3. qui monumenta ordinis nuncupatur, fol. 29. concess. 273. inter viuæ vocis oracula; & in Bulla autentica Leonis Decimi, vt ibidem fol. 43. concess. 134. & Collector priuilegiorum annotauit in verbo Indulgentia legimus, recitantes hanc Coronam B. Mariæ Virginis, toties, quoties recitauerint, lucrari indulgentias plenarias, & remissionem peccatorum; qui collector relata opinione eorum, qui annos sexaginta tres tribuunt Virgini benedictæ, nostram referens ad differentiam huius, addit; *sed, & alij dicunt, & melius, Virginis Coronam continere septuaginta duo Aue Maria, cum septem Pater noster, in memoriam septuaginta duorum annorum, quos Virgo Deipara in hoc sæculo creditur superuixisse, addito vno Pater noster, & Aue Maria pro Domino Papa*: licet Corduba hic in sua annotatione dicat, quòd ly melius, nulla probatione probetur: nobis autem sat est ratio iam adducta, & in Bullis Pontificum antiquitus de ea etiam fieri mentionem, & plenaria indulgentia magnificari, & ditari; quam, & vltimò hisce nostris temporibus confirmauit Dominus Papa Paulus Quintus ad honorem & gloriam septuaginta duorum annorum Virginis Purissimæ.

Cordub. Paulus V

Cuius vita quantò magis fuit plena dierum, eò meritorum floribus, & bonorum operum coronis, fuit ipsi matri Virgini vberior, & gloriosior, mundo salubrior, & facundior, & mihi ditior, & vtilior. Cui sit honor, & perennis laus per annos æternitatis nunc, & in perpetuum. Amen.





ITINERARIVM ANIMAE AD PALMAM VIRGINEAM.



DE DIVINALI CONCEPTIONE in mente Diuina.

RAMVSCVLVS PRIMVS.

Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Prou. cap. 8.

VIRO illi sapientissimo Salomoni, ad hanc Virgineam Palmam sæpissimè mentis oculo, & feruentiùs cordis affectu ascendenti, vt eius Cantica Canticorum benè testantur, ramusculus, qui primò occurrit, fuit hic primus de Diuinali, & æterna Virginis Conceptione, qua Virgo ipsa Maria in mente Diuina fuit ab æterno concepta, præuisa, ac præcognita, quæ & si ratione status fuit ineffabiliter purissima, ratione tamen signi, & figuralem, ac corpoream fore omnino consimilem, & immaculatam fuit illa æternalis, harum etiam singulare prænuncium.

Primam illam piè, & deuotè contemplandam ò anima mea, tibi proponit feruentissimus diuinorum arcanorum contemplator in persona Virginis loquens in 8. Prouer. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis*, quæ verba de incarnata Sapientia intelligũt multi Patres, vt videri potest apud Laurentium Iustinian. in serm. de Eucharistia. Quæ ab initio, & ante sæcula ideo creata dicitur; quia antequam Deus quidquam facere decreuisset, Verbi Incarnationem futuram primò disposuit, dum se dicit, in initio viarum Dei creatam; nam opus incarnationis fuit primum initium operum Dei ad extra, non in executione temporali, vt constat; sed in æterna Dei prædiffinitione, quam incarnatam sapientiam: si Virgo ipsa nouem mensium spatio in suo Virginali

vteto continui:, non potuit plures ipsius Dei proprietates, & conditiones, Bonitate Diuina sic disponente, ipsa nō attrahere,& tantarum gratiarum plenitudine nō cohonestari,quanta Dei matris decebat dignitatem, ex quo effecta est illi persimilis: Vndè mirum non est, si æternæ Virginis conceptioni aptemus & nos similia verba, quæ incarnata,& increata sapientia aptauit, & suæ dicens,*ab æterno ordinata sum,& ex antiquis.*

Appræhende, sic ascendendo anima mea ad palmam huius primi ramusculi fructus, vt legendo, illos suauitèr libas,libando gustes,gustando tantæ Virginis inebrieris amore,dum ab exordio omnium creaturarum noueris ab æterno præuisam,præcognitam, & ordinatam,ordinans eam Deus ab æterno, vt esset purissima, & exemplar creaturarum,vt esset consanguinea Sanctissimæ Trinitatis, & Spiritus sancti sponsa, vt esset toti humano generi mystica sacerdos offerens ipsa Deo Patri Christum suum in holocaustum pro peccato ad redemptionem humanæ naturæ, quæ omnia complectuntur in verbis istis.

Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret: ab æterno Virginem ordinauit Deus, quando ab initio mundi eam varijs figuris architypis exemplaribus per sæcula omnia delineauit; vndè eius puritas præfulsit in Angelis,charitas in Seraphinis, sapientia in Cherubinis,integritas in cœlis,splendor in stellis,gratia in campis, fructus in arboribus, & in animalibus spirandi,agendique virtus;ita vt omniū iustorum perfectiones, & virtutes extiterunt tantummodo vmbratilia quædam,in quibus Deus primæ huius Virginis rudimenta præludebat,qui ab æterno in Dei prædestinatione fuit ordinata,& constituta Maria Regina Cœli, & Terræ,Angelorum,& hominum Domina, fuit in illa æternitate ipsa prædestinata, vt esset principium, prima & primogenita Princeps,& Domina omnium operum Dei, hoc est omnium purarum creaturarum,ordinata fuit in illa æternitate, vt esset idea sanctitatis; ad cuius exemplar efformauit Deus Angelos,& electos omnes; nam quando Deus Virginem hanc sua mente concępit,& prædestinauit, prædestinauit fideles omnes ad gratiam,& gloriā, hinc est,quòd Maria suam hanc prordinationem tanti faciat,extollet, exaltet,& commendet, cum sic gloriatur. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret*,& Virgini benedictæ sic gloriari,quid causæ est, cum illa sua prædestinatio,& ordinatio in mente diuina nullam Virginis laudem ità singularem creaturis omnibus præferre videatur.

Nam singulæ creaturæ, etiam infimi gradus,fuere in illa mente diuina,quas Deus licet minimas,mentis suæ acumine ab æterno,& præcognouit,& præuidit: non vulgarem,sed valdè singularē, & singularitèr vnicam laudem super omnes præseferre,vtique dicerem, dum se fatetur Virgo à Deo in illa æternitate præ ceteris puris creaturis fuisse præcognitam,& præuisam,tunc enim principatum habuit supet illas,quando ab æterno ordinata fuit,tunc etiam illis dignitate hac præstantior apparuit,tūc suæ altitudinis, & excellentiæ fuit illa æterna prædiffinitio præcognoscentis singulare praconium,& diuini eiusdem pectoris ineffabile iubilum, quoniam omnia illa,quæ creanda erant,nō erant solum in Deo nuda, & simplicitèr præscita,sed ea forma, eoque modo, quo per creationem posteà in esse proprio sunt producta,eo gradu, dignitate, excellentia,atque ordine ad extra sic sunt à Deo benedicto creata,sicut ab æterno diuino illius conspectui pulcherrimè illa assistebant increata; inter hęc autem omnia,quæ tunc erāt increata, vnū erat coram Deo,& in ipso Deo, quòd summè cætera cuncta excellebat, & de quo ipsemet Deus, vt laudabilis nimis maximè lætabatur,gaudebat,& congratulabatur.

O Maria,ò puritatis Virgo, hoc ipsum tu es, sic namque, & talis ab æterno diuino astitisti conspectui, coram Deo increata, qualis postmodum in tempore effici meruisti,idcircò à principio omnia creanda ad eius maximum gaudium,gloriam,& honorem plurimū excellebas; hæc enim cæteris omnibus excellentior præstantia,causa fuit & ratio,quia Virgo suæ creationis initia ab æterno iam præcognita tanti faciat, vt dicere possit: *Ab æterno ordinata sum, & ex,&c.*

Et vt huius primi ramusculi fructus per-

perdulcissimos dulcitèr in te fentias, & suauitèr capias, velim scias in Deo benedicto esse ideas omnium creaturarum, & quantò res repręsentata, per illas est in se excellentior, tantò idea repræsentans æstimatur perfectior: cum Virgo semper benedicta inter omnes puras creaturas sit summè excellétior, ideam eius in mente illa diuina, quis dubitat omnium aliarum fuisse perfectissimam, & vt perfectissima, & cæteris omnibus præstátior super omnes principatum habere?

Nam nihil aliud est idea, quam essentia diuina, secundum quod est exemplum imitatum à creatura, vnde & ipsa creatura, quò magis imitatur Deum, eò nobiliorem, & excellentiorem in ipso Deo habet ideam, nulli dubium est; Purissimam Virginem inter puras creaturas exactius, & præstantius Deum ipsum fuisse imitatam: ex quo, quis non intelligit ideam illam repręsentantem omnes alias longissimè, & infinitè antecellere, quòd mirum haud est, sed valdè mirandum, Virginem hinc intueri transformatam in ipsammet ideam, à qua transcripta, & translata est: Quùm enim imago aliqua à suo exemplari perfectè, & ad vnguem translata est, & ritè desumpta, fas est dicere: illam non esse aliud, quàm idipsum exemplar, licet Virginis puritas, & ipsius purissima sanctitas, & innocentia, imago quædam sit illius puritatis, & sanctitatis, quam diuinæ mentis idea exprimit in semetipsa, sic ad vnguem illa indè trans lata fuit, vt ipsissima idea congruè, & meritò ipsa possit appellari. O sanctitatis fons perennis, ò viua Dei imago, ò vitæ cœlestis idea, intueatur te oculus mentis meæ, intelligat te anima mea, cognoscat te meus mea, luce tuæ puritatis illustretur cor meum, & amet te, & tui amoris ignem succensum appręhendat fructũ perdulcissimũ huius ramusculi, & apprehendendo capiat, sentiat, carpet, & dulcitèr gustet: quo solo viuat, & fruendo nutriatur, & crescat in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi filij tui.

Dicat igitur ipsa sola *ab æterno ordinata sum; & ex antiquis*, quia ipsa sola fuit ordinata, & prædestinata consanguinea Sanctissimæ Trinitatis; nam Filius, quem peperit Maria, Deus erat, & homo: & ita naturalis filius Dei Patris, sicut & naturalis erat Deiparæ: quæ & si eumdem peperit, quem genuit Pater: cur non Patri consanguinea? & si manens Virgo peperit Christum; cur non sponsa Spiritus sancti, cuius ope, & opera concępit ipsa: quæ à filio non fuit disiuncta, etiam in electione diuina.

Et hanc Virginis super omnes puras creaturas dignitatem, & excellentiam piè contemplatus S. Isychius, & prægustata ramusculi huius fructus dulcedine, factus est in eo mentis excessus, vt in Virginis laudem in hæc prorumpere verba non dubitarit: *Hæc vniuersum Trinitatis complementum, quandoquidem Spiritus sanctus adueniebat, atque hospitabatur, Pater obumbrat, & Filius in vtero gestatus inhabitabat*. En Virginis æterna concęptio, en euidens dignitatis eius, & mira sublimitas: si enim Maria pertinet ad Trinitaris complementum: & quidem, & ipsa Trinitas existere minimè potuit, quin de suo complemento etiam non cogitaret: æterna illa, imò ipsamet æternitas, quod ab æterno sit, & ipsa Virgo præcognita, & in mente diuina in illa æternitate sit concepta, & ista, quid mirum? D. Isych.

O verè admirabilis altitudo, ò dignitatis tantæ Virginis excellentia: ipsa sola est, ò anima mea, in qua ex puris creaturis Trinitatis attributa, & perfectiones diuinæ magis, ac magis emicuerunt, ipsa sola est, in qua personæ diuinæ virtutem, & efficaciam diuinitatis, & potentiæ illius infinitę ad extra magis pro patulo habuerunt, & cum sit illa Beata Trinitas in se absolutissima, & absolutè perfectissima: eius tamẽ attributa, dum maiori cum perfectione: quæ in qualibet alia creatura in Virgine magis, ac magis detecta irradiarunt, quòad efficaciam, & quòad illam efficientiam ad extra, meritò, & ipsa dicatur Trinitatis complementum.

Non dicitur Virgo Trinitatis complementum ea ratione, quòd quidquam Trinitati ipsa contulerit: creatura enim suo Creatori quid valet conferre? vel illam perficere? nisi ea tantum, quatenus Trinitatis mysterium, ex mysterio incarnationis Verbi Dei, in ipsa maximopere patuit, sicut cætera opera ipsius Trinitatis ad extra, quòd idem Isychius videtur annuere quando dicit: *Quandoquidem, & Spi-*

Spiritus sanctus adueniebat, & hospitabatur, & Pater obumbrabat, & filius in vtero gestatus inhabitabat.

Quia bonitatis diuinæ opera in conditione creaturarum extra se diffusa nullibi explicatius emicuerunt, vt in Virgine, hinc meritò Trinitatis complementum appellatur, & si in cæteris creaturis apparent sub obscuro, in Deipara magis conspicuè cernuntur, & vt omnium perfectissima, ex hac suæ perfectionis radice, dicitur Maria Trinitatis complementum.

Inter puras creaturas ità sola est ipsa perfectissima: vt ea perfectior dari non possit, quæ si perfectissimè vicit omnia creata, meritò, quantum fas est creaturæ, sanctissimæ Trinitatis exprimit imaginem, & repræsentat: imò ad Trinitatis intelligentiam perfectissimè ducit: nec mirum, si diuina bonitas bonorum in Virgine coaceruauit aceruum, & cumulauit immensiratem, vt testis est S. Andræas Cretensis homil. 1. in Assumpt. B. M. Virg. *Hæc est diuinarum reconciliationum, quæ pignore dato fit fideiussio: Eximia pulchritudo à Deo sculpta, statua rectè descripta Diuini Archetypi, imago totius contemplationis, & ascensus sustentaculum:* ex nimia perfectione bonorum omnium Virginis, facilè quælibet anima valet ad Deum ascendere, & ad illius perfectam cognitionem, & intelligentiam peruenire, vt clarius docet idem Sanctus hom. 2. de Assumpt. quando inquit, *Hæc est declaratio occultorum, & profundorum Diuinæ incomprehensibilitatis; hic est scopus qui excogitatus est antè sæcula, quo perfectior creatura, eò perfectius sui Creatoris ingerit cognitionem.* O perfectissima omnium creaturarum, meritò tibi vendicas Trinitatis complementi nomen, & oraculum, dum *& si magna*, inquit S. Petrus Damian. serm. 1. de Natiuitate, *facta sunt in creaturis mundi, nihil tamen tam excellentius, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei; Virgo Dei genitrix, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur:* & comprobatur à D. Petro Chrysologo sermone 140. *Quantus sit Deus satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur:* si adeò progressa est Virginis perfectio, vt per eam anima ascendat ad Dei perfectam cognitionem, & Trinitatis notitiam, meritò sub nomine Trinitatis complementi honoratur, laudatur, & benedicitur.

Andreas Cretens.

Id. Sanct.

S. Petr. Dam.

D. Petr. Chrysol.

Quòd vt clarius tibi innotescat attende, quid per eam mediante Incarnationis mysterio in personis illis diuinis operatum est: scito igitur, quòd si Pater æternus æterni filij sui, dum bis est Pater: æterna scilicet, & temporali generatione: si Filius dum sub eadem duplici ratione, eiusdem Patris, bis est Filius, & si Spiritus sanctus, qui vtriusque est nexus, & amor: dum etiam ipse secunda vice est nexus, & amor, quo Pater amat illum, qui secundò est filius, & filius amat illum: qui secundò est Pater, qui iterum, hoc est, nouæ relationis ordine, est Pater.

O electissima mater, & Virgo, nonnè per te Pater eiusdem filij sui secundo est Pater? nonnè filius per te secunda vice est filius eiusdem Patris? nonnè Spiritus sanctus per te est nexus, & amor, quo Pater, & Filius duplici illo amore mutuò se diligunt, & amant? ac per hoc meritò Trinitatis complementum te vocat, vocando appellat, appellando te laudat, laudando te exaltat, & benedicit te ex intimis præcordijs suis anima mea. O Virgo semper benedicta, esto, & tu illi nexus, quo dilectionis tuæ vinculo: se illa tecum vinciat, ligetur, arctetur, & ardenti amore amet te cor meum, & in tui amoris dilectione, ac dulcedine semper exardescant omnia interiora mea, & ab hoc ramusculo suæ creationis, suæ redemptionis, suæ sanctificationis; imò & totius mundi per te, & ex te, & à te fructum suauissimum capiat hæc redempta anima mea, & sicut sine illo intelligit ipsa nihil esse factum, sic sine te præcognoscat nihil esse refectum.

O Restauratrix sæculorum, si Christus nos redemit sanguine suo, ex præcordiorum tuorum visceribus assumpto, Spiritus sancti operante virtute, quando in Virginali tuo vtero, tua se Christus carne vestiuit: cur captiuorum redemptricem, & omnium salutem non appellabit te anima mea? Quæ dum si Spiritus sancti donis repletam, & se tua intercessione agnoscit sanctificatam: ò diuinarum gratiarum aquæductus, nonnè meritò te Trinitatis complementum vocat, & prædicat anima mea, & prædicãdo diligat te, seruiat tibi cun-

cunctis diebus vitæ suæ, & amoris tui sic inebriata dulcedine non recedat à meditatione huius Ramusculi,& à contemplatione suauitatis dulcissimi fructus illius,ò verè Trinitatis sanctisimę vniuersum complementum.

Cuius Trinitatis tertia persona existens quemadmodum,& Pater,& Filius ipsa bonitas infinita,& omninò ęqualis, & bonitati infinitæ,cum sit se omnibus diffundere, & alijs infinitè se communicare, vt in Patre generatio, & in Patre,& Filio spiratio perspicuè cernitur; mens enim nostra fecundum sui cognoscendi modum introspiciens in illa Sacrosancta Triade, in qua quartam, cum intelligat non dari personam, intelligit Spiritum sanctum tali effusione infinita, bonitati illi infinitæ iam debitæ, funditus priuatum existere non habens Spiritus sanctus personam ad intra:cui vt Pater filio,& Pater,& Filius, Spiritui sancto essentiam,& attributa omnia illa diuina, ipse Spiritus sanctus contradat, conferat, communicet, & diffundat appetentiam illius diuini pectoris se infinitè diffundendi, se communicandi per totius æternitatis curricula, intelligat ipse fuisse detentam, suspensam, priuatam, vel saltem non completam, & intra se hoc intuens vehementer exardescit, & desiderio vehementi anhelat intuendi personam, cui Spiritus sanctus suæ effusionis infinitæ desiderium,seù appetentiam,& si non ex toto exatiate,& explere valeat, possit saltem leuare,ac dulciter relaxare, ex quo valeat, & ipsa intueri Trinitatem esse completam, & nihil in ea amplius desideratę.

Hoc complementum, & illius tertię personæ in Trinitate perfectæ, tu sola impleuisti desiderium, ò diuini Archetypi imago, quam in Mariam solam adueniens Spiritus sanctus, & si essentiam, & diuina illius attributa modo infinito, vt ad intra illi communicare non potuit: (erat enim Virgo ipsa pura creatura) adueniens in illam cum tanta diuinorum donorum copia, & gratiarum cœlestium affluentia,sic copiosè, & diffusè, se diffudit, vt meritò D. Athanasius de ea audeat affirmare, dicens *Spiritus sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus donis, & virtutibus, quæ illi per rationem diuini Principatus adsunt, imbuens iam in gratia, vt in omnibus esset gratiosa*, quam & si non personaliter infinitam, infinitam tamen effecit suo modo,vtiq; dignitate,dùm in suo Vtero Virginali, veluti in officina quadam diuina, ipso operante,Verbum caro factum est,tunc sine vlla diuinitatis iniuria, imò cum magna Virginis gloria,tantis Spiritus sancti sic oppignorando muneribus, tantis sic cumulando virtutibus, tantis sic illam adimplendo donis cœlestibus, vt sui cordis appetentiam se diffundendi,& bonitatis suæ naturam se communicandi,& exatiare in illa sola visus est, vt meritò mereatur ex hoc Virgo dici Trinitatis complementum.

D. Ath.

Dicam,& amplius,si sanctissimę Trinitatis præcipuum opus est,tua salus, ò anima mea, quæ licet ex parte Redemptoris Christi sit perfectissima, & numeris omnibus consummata, ne huius diuinæ operationis præpediatur finis,si Virgo opitulatur, si Virgo adiuuat, adimplet, quæ desunt ex parte tua, & omni conatu tuæ inuigilat saluti,& suis meritis,suis precibus, suis suffragijs ad illam te promouet, & vt merearis saluari,gratiam impetrat,& alia tuæ saluti necessaria postulat, & obtinet, & salus perfecta à filio, suum vt assequatur effectum, suis meritis ipsa perficit, & complet,quæ tu tua infirmitate, & imbecillitate non vales, ipsa facit, vt sis apta, (vt sis idonea, vt sis salua, vt & tuæ salutis complementum accipias, quòd est præcipum Trinitatis sanctissimæ complementum; nonnè meritò hoc complementi Trinitatis nomine illam sic appellando coronas: Corona ò anima mea Virginem laudando hoc nomine, vt ab ea tuæ salutis complemento merearis coronari & tu.

O Creaturarum omnium præstantissimum opus, ò ab æterno ad tantam dignitatis altitudinem dignè in mente illa diuina concepta, & præcognita, tu sola hac sublimitate landabilitèr omnia precellis,tu gloria gloriosè omnia meritò antecellis,tu splendore cuncta excedis, tu puritate sola cuncta vincis, tu dignitate cuncta superas, tu dilectione, amore, vicinitate, & Deo magis coniuncta inter omnia pura creata iustissimè tenes Principatum, & vexillum extolli.

Ad hoc ab æterno ordinata fuisti, vt mystica Sacerdos ordinares,& coniungeres,

geres Deo hominem cum ipsa sola est, quę per Christum Deum hominibus, & homines Deo reconciliauit, non est, qui ad Deum sic proximè accedat, appropinquet, vt Maria veste puritatis induta, vt non solum videatur eius diuinitatis redolere odore, sed in Deum ipsũ transformata, iam facta particeps omnium essentialium donorum Dei, qui sic se gessit cum Virgine, ac si non esset pura creatura, sed persona diuina.

O primogenita antè omnem creaturam, imò, ò primogeniti verè mater, vt iurè tibi primogenitę vendices nomen, deiectum eleua, erige prostratum, restaura dirutum, repara desolatum, disfiguratum reforma, & iam deperdito, tui auxilij porrige manum, emortuum reuoca, tua gratia ad vitam, & salua damnatum; tui namque virginalis vteri partum, quia primogeniti nomine potitur, hoc illius singulare fuisse munus, & hoc idem satis completè impleuisse officium, testatur Apostolus sic scribens ad Roman. cap. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt esset ipse primogenitus in multis fratribus.*

Cur ò Maria, quæ primogenitæ nomine gloriaris; Non tu hoc idem? vt meritò dicaris primogenita in multis fratribus.

Christus Dominus si Dei Patris, & Virginis matris Vnigenitus est filius, vndè nunc illi Primogeniti nomen ascribit Apostolus, & quidem, quia Filiorum Dei Christus naturalis est filius, cæteri verò tantum adoptiui, vel quia antè omnes ipse prædestinatus est ad hanc filiationem, vel quia ipse omnium prædestinatorum finis est, scopus, salus, & exemplar; ergo ex munere, quòd exequutus est, & perfecit erga homines, quos, vt perditos reparauit, inuenit, redemit, saluauit, & reformauit, sortitus est nomen Primogeniti, ità est mens Diui Cyrilli Alexandrini lib. 10. thes. cap. 4. *Propter misericordiam igitur suam*, inquit Sanctus, *creaturis se connumerauit, & Primogenitus earum factus, vniuersa reformauit; Deus enim verus est ex Deo vero, lumen de lumine, primogenitus propter nos, vt sicut per ipsum facta sunt omnia, sic etiam in ipso reformata saluantur.*

Paul. Ap. Hebr. cap. 1.

D. Cyril.

En qui erat Dei Patris Vnigenitus, ex munere iam præstito ad salutem hominum, eos reformando, instaurando, reparando, redimendo, & ad salutis semitas illos dirigendo, nomen primogeniti iure prosequutus est; nostrarum igitur ruinarum reparatio Christo nomen dedit primogeniti, hoc sonant verba Apostoli dicentis, *quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt esset ipse primogenitus in multis fratribus.*

O anima mea, si Maria hoc primogenitæ nomine, ore proprio gloriatur, dùm fateretur ipsa 24. Ecclesiastici. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita antè omnem creaturam: Ego feci, vt in cælis oriretur lumen indeficiens.* Dùm Maria Cœlum indeficientibus luminibus implet, implet & munus sui nominis, primogenitæ, quòd est fratrum, testaurare collapsa, reparare ruinas, & deperditos reformare, atque saluare, hoc sonat fuisse Virginem præcognitam, & prædestinatam ante omnem creaturam: Hæc enim Virginis præscientia non est tantummodo attendenda iuxtà durationis anticipationem, sed secundum prælationis excellentiam; in quàntum ante alios, & super alios fuit ipsa præscita, & præcognita, & per ipsam erant alij præsciendi, & prædestinandi, dùm in illa mundi conditione, primam omnium creaturarum, in quam mens diuina sua lumina flexit, & fixit, non est, qui dubitet, fuisse Virginem, cui & in creaturas ipsas ius contulit Deus veri dominij; ità vt de hac, & ob hanc dicat Diuus Bernardus in sermone primo Salue Reginæ, *& propter hanc omnis scriptura facta est, & propter hanc totus mundus factus est, & hæc gratia Dei plena est, & per hanc homo redemptus est; Verbum Dei Caro factum est; Deus humilis, & homo sublimis*, hæc Bernardus, *at omnis sublimitas, reparatio, reformatio, & redemptio non nisi per Mariam.*

Eccles.

D. Bern.

Hæc enim ò anima mea, vt tibi innotescant, clarius fas erit ad clariorem descendere praxim; Culpæ namque primi hominis venena totius tuæ posteritatis ità fedarunt, & corruperunt imaginem, vt Dei stemma, quo erat homo insignitus, omninò cassum, & abolitum videbatur ex toto, ità vt audeat affirmare D. Chrys. hom. 23. ad populum Antiochen. *Hominem feris ipsis esse bestialiorem, atque crudeliorem.*

Et

Et ex feris, quis homines facit? restaurat ad Dei figuram? transmutat in Angelos exaltat, & euehit ad sydera, & summis immiscit ima? & quòd maius omnibus est, ex feris ipsis, tamquam ex vernantibus folijs, floribusque inserta regalia, quibus coronatum Virginis caput, & gloriosè redimitur in Patria, quis mutat, & intexit? nisi ipsamet Virgo se nuper benedicta, quam idcircò persæpè Sancti Patres non modò vocitant Reginam, sed & mediatricem, reparatricem, redemptricem, & auctricem nostræ salutis, qui vtique cautè intelligendi sunt.

Quoniam Dominus Iesus duntaxat solus Redemptor noster est, ipse solus redemit nos sanguine suo, & redemptionis nostræ exoluit, & pro humani generis culpis satisfecit diuinæ iustitiæ; Maria tantum iuuit nos suis præcibus, & sua intercessione salutem nobis promeruit, vt testis est D. Hieron. serm. de Assumptione: *Nec enim dubium est, illam, quæ meruit pro liberandis ferre pretium, posse liberatis impartiri suffragium.* D. Hier.

At si Sanctorum attentè perpenditur dicendi modus, quando Virginis sacratissimæ reparatricis, mediatricis, & redemptricis nomen ascribunt, non quia mundo edidit Saluatorem, non quia suis præcibus nostram redemptionem nobis promeruit, hoc nomen illi attribunnt, sed quia pro nostra salute aliquid de suo, vel quòd suum erat verè obtulit.

D. Bern. Diuus Bernardus serm. 3. de Purificatione, conferens Virginis oblationem quando templum ingressa, Deo Patri obtulit puerum Iesum cum illa, quam obtulit, stans iuxtà Crucem, in ipsa ara Crucis, ait: *oblatio ista fratres, satis delicata videtur, vbi tantùm sistitur Domino, redimitur auibus, veniet, quando non in templo offerret mater, nec in brachijs Simeonis; sed extrà Ciuitatem, inter brachia Crucis, quando non redimitur alieno, sed ipse redimet omnes sanguine suo, illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum.*

In ara Crucis, denique verè de Filio suo rem diuinam faciens Virgo obtulit Deo sacrificium redemptionis humanæ, quæ Virginis filij sui in Cruce oblatio, si attendatur ex parte offerentis, siue ex parte rei oblatæ, vtraque est admirabilis, & mysterijs plena, dum in persona offerentis pensatur liberalitas, & voluntas; & in re oblata elucet magnitudo, & difficultas.

Si offerentis spectas dignitatem, ò anima mea, Mater est Dei, si eiusdem voluntatem, amor fuit, qui sic Virginem impulit, & qui sic liberalem reddidit, vt pro te filium sibi vnicum passioni daret & morti; testis veritatis huius est D. Bonauent. lib. 1. d. 48. quæst. 2. *Nulla*, inquit Sanctus, *posteà creatura per amorem Dei: ac per amorem nostrum ità exarsit, quæ Filium suum amantissimum, & vnicum, quem mulier plus seipsa amabat, nobis dedit, & pro nobis obtulit.* D. Bona.

Si rei oblatæ magnitudinem aues spectare simul, & difficultatem, sicut ipsa nihil maius, sic nihil ea difficilius; filiũ namque sibi vnicum, hominem, & Deũ pro te mater addixit morti, & hæc Mariæ actio, & oblationis sacrificium, cum ex ea Virginis processerit voluntate, quæ & concors erat voluntati diuinæ, & triadis sacratissimæ decreto erat conformis.

Insuper, & quòd offerebat Virgo, verè suum erat, verè vtique quidem, & mediatricis, & reparatricis nomen est assequuta, non quia duntaxat Salua torem edidit mundo, non quia multas solummodo ad hoc fuderit præces, sed quia suum erat, quòd obtulit: O ineffabilis oblationis sublimitas, dùm Maria obtulit in ara Crucis idem, quòd Pater æternus sibi voluit offerri, & obtulit Filius seipsum offerens, qui ve principalis Redemptor, & si de condigno nobis promeruit salutem, & redemptionem æternam, Maria, quæ effecta est in adiutorium filij Dei, eadem promeruit de congruo.

En anima mea, quantum debes huic Virgini, & quam congruenter tuæ saluationis, tuæ reparationis appellas, Redemptricem, reparatricem, & mediatricem, ex fera crudeli ipsa te commutauit in hominem, reformauit in Angelum, & immutauit in stellam, qua sertũ intexitur, & Virginis redimitur caput in gloria.

Attendamus, quid de corona hac eiusdem dicat filius simul, & sponsus in Cant. c. 3. *Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon de* Cant.

cubi-

cubilibus Leonum, de montibus Pardorū; & quidem stellarum nulla in hac Virginis, & sponsæ coronatione fit mentio, sed ferarum crudelium tantum.

Quid est hoc, ò anima mea, & cur feris dicitur coronanda Maria, quam corona stellarum duodecim coronatam, vidit Beatus Ioannes: *& in capite eius coronam stellarum duodecim*: quid humi feræ, ad stellas cœli, & quæ Leonum, Pardorumque ad stellas perlucidas cōuentio, seù cohęrentia. D. Ioan.

O Maria, ò Virgo purissima, qui tu sola in monte Libano tui candoris, tuæ puritatis, tuæ innocentiæ ante omnes creaturas ab æterno præcognita, & concepta, qu ia sola primogenita in multis fratribus, scito tui muneris esse, tui officij, tuarum partium, tibique soli hoc cōuenire, ad te solam pertinere, & à te sola præstolamur; quia tui solius est hoc donum, nempè in stellas perlucidas commutare feras, & tuum ipsis coronare, & redimere caput.

O miracula, ò prodigia anima mea, quæ prius, vt Diaboli, & cunctorum vitiorum serua, & famula, recalcitrabas vt Asinus, lasciuiebas vt Taurus, post mulieres hinniebas vt Equus, ventri indulgebas vt Vrsus, rapiebas vt Lupus, feriebas vt Scorpius, seducebas vt Vulpis, irascebaris vt Serpens, venena vt Vipera, & nequitiam seruabas vt Aspis, & peccati macula nigrescebas vt carbo, cuius dexteræ mutatio hæc tam admirabilis? vtique Virginis? in cuius capite iam in stellam commutata elucescebis in perpetuas æternitates, ipsa suæ oblationis virtute, & efficacia, dum pro tua salute filium suum obtulit Deo Patri in ara crucis, ex fera te mutauit in stellam perlucidam.

Riccard. Sistamus hic verba pijssimi Riccardi lib. 3. de laud. Virginis: *Ipsa Virgo de cubilibus Leonum, & de montibus Pardorum dicitur coronari*: & nota, quòd in Apocalypsi cap. 12. dicitur: *Maria coronari de stellis, hic promittit ei filius, quòd coronabitur de feris, & quid est hoc? nisi quòd feræ per gratiam, & orationes Mariæ stellæ sunt, vt conueniant capiti tantæ Reginæ, vt de stellis ei corona videatur exhibita, quæ de feris fuerat promissa, & hæc est mutatio dexteræ excelsi.*

O anima mea, si Leonum, Pardorum, Luporumque crudelitatem, & sceleribus feras vincis, & feris existis crudelior, & bestialior, vt ferarum exuas feritatem & in stellam, quæ fulgebit, in firmamento capitis Virginis commuteris, hoc munus est ipsius Virginis, quæ ad hoc vocatur de Libano, vt suo candore, sua puritate, suis meritis, præcibusque ex fera te immutet in stellam, & coronam sui capitis.

Quæ idcircò primogenita facta est ante omnem creaturam, vt omnis creatura per lapsum primi hominis deformata, reformata existeret per Virginē, quæ in collegio Sanctorum primatum obtinet, & vt primogenita hæreditatem Dei possidet, cui si Deus Pater nomen tradidit primogenitæ, præstitit & muneris potestatem. O Virgo, & mater, & mater primogeniti, vt habeas, cui hęreditatem dispartiaris; vt primogenita; tui enim muneris, & tua interest ò Maria, vt munus tibi cōmissum adimpleas, reforma me, restaura me, viuifica me, ciba famelicum pane cœlesti, potum tribue sitienti, vestire nudum, reduc errantem, salua vt dicaris primogenita? & tu in multis fratribus, & vt fratres tui, imò serui tui illos dico, quos pręsciuisti tibi futuros esse deuotos, laudent te, & benedicant in gloria Sanctorum; ex quo rum numero vna sit anima mea, cuius vires licet ad tua virginea præconia concinenda sint impares; tua tamen gratia adiuta concinat & ipsa, quę dum te tantis, & sic innumeris beneficijs à Deo cohonestatam, & super omnes puras creaturas dignitate tam sublimi sic te intuetur euectam, vt pariter fateatur eadem te super illas meritò habere principatum, fateri, & illi quoque fas sit cum Diuo Methodio martyre, ò diuini pectoris sacrarium, ò totius diuinitatis animatum templum hunc ramusculum ascendente, & contemplante: *Euge, quæ debitorem Deum semper habes.* D. Meth.

Quasi diuina æmulatione præoptat Deus tibi ò mater, & Virgo, gratas rependere, & quasi talionis vicem præstare: nam si Dei filium, tu ò Maria, tuo carnis velamine, veluti amicto, & vestimento induisti, & tui natura fecisti, vt esset homo ipse Deus, vt par pari referret te, suo esse diuino totam Dei formem, totam te deificare, quodammodo Deus iustè teneri videtur, dum hoc non agit, non perficit, non adim-

adimpleat contractum debiti pignus, licet tot, tantaq; talia præstatur beneficia, non d in luit, hinc Deum ipsum ô Maria, ô cor s mei corona, & gaudiũ, debitorem tuum te semper habere fateatur anima mea.

En ô ab æterno prælecta tibi se commendat hæc anima mea, cui ascendendi si non adest substantia, & vires, vt ascendere possit ad Palmam, cômorare sub vmbra, & ramusculi fructus gustare, tu porrige manum, largire gratiam, dona auxilium, vt sic adiuta tuo patrocinio, tibi offerat sacrificium laudis, & amoris, vt nocte, & die tibi canat. Benedictũ sit sacratissimum nomen tuum in ęternum, ô humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te pręcor, ô Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, sub vmbra alarum tuarum protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

DE FIGVRALI VIRGINIS CONCEPTIONE in mente Prophetarum.

RAMVSCVLVS SECVNDVS.

Non facit Dominus Deus Verbum, quod non reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Amos. c. 3.

Mellifluus Diuinusque noster ille Bernardus, qui & lectioni, & contemplationi Sacræ Scripturæ, de cuius fonte, quidquid ateanorum spiritualitèr, & auidè ebibebat, sugebat dulcitèr, sentiebat suauitèr, degustabat alacritèr, retinebat tenacitèr, & clarè intelligebat, non alio magistro medio, fatetur accepisse, nisi quercuum, pinorum, fagiorumque præceptoribus, otiando in sylvis, meditando in præruptis montium, & contemplando in agris, quum ab exordio suæ conuersionis nô modò multus erat, sed sic fortitèr addixerat animum, quòd mens illius semper diuinis erat ita occupata meditationibus, semper ita absorta contêplationibus, vt videns non videbat, audiês non audiebat sentiens non gustabat, & vix aliquid sensu corporis sentiebat, & quid mirum? si tantæ dulcedinis penna, & tantarum supercœlestium contêplationum alis, volatu celerrimo sursũ semper ferebatur in Deum?

Cuius nunc totus videbatur bonitatis, & dilectionis diuinæ ergaVirginem nectare intimè inebriatus, nunc verò suaui odore florum illectus etiam huius nostræ Palmæ Virgineæ, nunc victus pulchritudine, nunc captus dulcedinis vmbra eiusdem, sub qua sedens sopori quodam spiritus, & nouæ deuotionis affectu perdulcissimo, totius vitæ suæ dies consumpsit, et annos.

Sub qua sedens modò eleuabatur ad contemplationem idealis Virginis Côceptionis, quando Deus Trinitas ab æterno, et prædefinito consilio antè omnia sæcula elegit, et præelegit eam, præcognouit, præparauit, prædestinauit prædefiniuit, concepitque illam in mente sua diuina ideali conceptione.

Nunc ijsdem contemplationis alis, penna duce Amos Prophetæ dicentis: *Non faciet Dominus Verbum, quòd non reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas*; ascendebat hunc Virginis figuralis conceptionis ramusculũ, quãdo Deus Trinitas, antequam purissima Virgo corporalitèr conciperetur in vtero matris, sub diuersis, multisque figuris, voluit concipi, effigiari, & efformari in mente Prophetarum, quibus cœlicus longè fuit illa promissa, quorum spiritus, omnium fuit vnus, & idem, teste D. Apostolo Petro, *Non voluntate humana, allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines*: vndè licet sub diuersis, multisque modis, tropis, figuris, temporibusque præuiderũt, præfigurauerunt, prędixerunt, prædicauerunt, spiritu tamen non diuerso, sed vniformi, & vno, imò eodemque ostenderunt multiplicibus sub figuris veluti

Amos. Pro. c. 3.

Pet Ap. 2. Petr. cap. 1.

tot innocentiæ flosculis hanc Virginis Conceptionem Deum benedictum candoris,& puritatis lineis in eorum mentibus nouo, ac miro artificio efformasse,& variè figuratam candidissimis picturæ coloribus eam mirificè etiam illustrasse.

Et si Deus non facit Verbum,hoc est rem aliquam, quod non reuelet secretum suum seruis suis,num hoc Virginis abscondit,& occultauit arcanum? non quidem respondet D. Bernard. qui, homil. 2. super missus est, de Virginis ideali Conceptione in mente diuina,sic fassus est, *Non nouiter, non fortuitò inuenta est Maria, sed à sæculo electa, ab Altissimo præcognita, sibi præparata, & ab Angelis seruata*: statim subdit de figurali,*à Patribus præfigurata,à Prophetis promissa*.

D. Bern.

Et in sermone de Verbis Apocal. si id parum videtur,adde, *quod generationi illi, ob singulare priuilegium sanctitatis, diuinitus noscitur esse concessa, quòd longè antè usdem Patribus cœlitus repromissa, quòd mystiois præfigurata miraculis, quòd oraculis prænunciata propheticis*.

Quam Virginis Conceptionem in mente Prophetarum, non minoris bonitatis, & dilectionis Dei erga Virginem, intellexit vir sanctus, fuisse argumentum,& fructus eiusdem,non minoris dulcedinis animę ramusculum hunc feruentiùs, frequentiusque ascendenti, imò ausim dicere,quòd sicut est, hæc figuralis Mariæ conceptio maioris dilectionis signum, sic & maioris dulcedinis fructus ascendenti indicium.

In amantis pectore, hoc viget amoris pondus, intimè excruciari, & rei amatæ non pati absentiam, quapropter ad amantis solatium factum est, vt antequam adueniat tempus peroptatum frui præsentia rei concupitæ, & amatæ, frui deliciari,& delectari in imagine,& rei absentis figura.

O Deus amor.& Virginis amator, ô Dei ardens incendium, super omnes creaturas, sicut amasti Virginem, sic elegisti, vt de mundissima matre mundissimus nasceretur filius, qui & si in cęlo habet sine ruga Patrem, ità in terris haberet sine macula matrem. Hæc antequam mundo nasceretur, & aduenisset tempus, tùm ad sui, Deus, cordis solatium,tùm ad suorũ consolationem, quia non facit Dominus verbum,quòd non reuelet seruis suis Prophetis, tùm ad maiorem ipsiusmet Virginis honorem,& gloriam in mente Prophetarum depinxit imaginem, & expressit eiusdem figuræ simulacrum, eiusdem pulchritudinis, ijsdemque puritatis, & innocentiæ coloribus,quibus & primam; licèt sub diuersis tropis, scrutare scripturas,& proba,quæ dico; Vis ne,vt ego aliqua ex his testimonia hic inferam, quam aliam putas præsignasse Euam? Mariam, Moysis sororem? Rebeccam, Iudith, Esther, Saram, Abigail, Sunamitidem. Templum Salomonis Thronum eiusdem? Arcam testamenti? Hortum illum conclusum, Fontem signatũ, Virgam Iesse, Tabernaculum Altissimi? Rubum non combustum? Gedeonis Vellerem? Scalam Iacob? Portam clausam? Nubem leuem? Aulam Regiam? Propitiatorium Dei? Thalamum? & lectulum floridum? Turrem Dauid? liliũ? oliuam in campis? Cedrũ? Cypressum? Palmã? Virgam Aaron? Iericontinam rosam? Petram deserti, Mulierem amictam sole? & multa alia,tùm apud sacram scripturam,tùm apud Patres reperies.

Quorum tropis satis apertè pręmonstratur,hic figuralis nostræ Palmæ Virgineæ ramusculus non minoris fuisse dulcedinis,& lætitiæ in mente Prophetarum,quæ illius idealis in mente diuina electa vtique, & prædestinata fuit Maria, vt primorum parentum damna reintegraret,& à tot calamitatibus eriperet,erigeretque totum genus humanum, & quod in tempore iam prædefinito erat operaturus Deus pręsẽtia Virginis huius,hoc idem antequam nasceretur, operandum aperuit cordibus omnium auidè concipientium eam.

O Virgo,ô Maria,ô spes,& solatium nostri generis,vt huius tui ramusculi,& quidquid iam per te operatum est,perdulcissimos fructus capiat anima serui tui, da ascendere, da & sedere sub vmbra,sub qua concipiat te puro corde; mente integra, affectu feruido, sitienti animo, anhelanti desiderio, deuotionis spiritu, vt de pluribus saltem pauca dignè loquar, ad tui nominis laudem, & gloriam,da mihi tu dignè loqui,& meditari.

Quia non faciet Dominus Deus verbum, &c. Sicut Dei optimi maximi, & bonitatis suæ diuinæ maximoperè inte-

teret, seruis suis sui cordis aperire secreta, quæ necessaria sunt cognosci, nunciando per Prophetas, quæ sciri nequeunt via humana, ita suæ est etiam naturæ, creaturis se communicare, & in illas largius se diffundere, & effundere.

Et quæ, ô anima mea, diffusior Dei communicatio? vel quæ Dei tui erga te vberior effusio? quam illa quando *non Angelos apprehendit*, vt inquit Apostolus ad Hebr. cap. 2. n. 16. *sed semẽ Abrahæ apprehẽdit*, ô mira circa nos dilectionis Dei dignatio, non apprehendit naturam Angelicam, vt eam, quæ inaniter corruerat, repararet, sed semen Abrahæ, hoc est naturam humanam, ex posteris Abrahæ, & qui verè secundum spiritum semen sunt Abrahæ, audiendus est hic D. Chrysostom. hom. 5. qui hunc locum sic expandit: *Vehemens Dei desiderium erga naturam humanam ostendit, & quòd multò amplius est, ex comparatione ponit, amplum beneficium, amplius redditur, dum non ad Angelos funditur, sed ad homines determinatur.*

Paul. Ap.

D. Chryſ.

Hoc autem miserationis, & pietatis opus, licet sit ad homines effusum, & nõ ad Angelos; Angelis tamen in creationis eorum atticulo, Deum hoc sui cordis arcanum aperuisse, est sententia multorum non infimè notæ auctorum: mihi verò ad hoc prosequendum satis est, eiusdem D. Pauli ad Hebr. cap. 1. doctrina, qui de Christo loquens, sic ait, *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei*, ac si diceret.

Id. Apoſ.

Christus futurus homo, & in carne nasciturus, fuit primò Angelis in eorũ creatione præpositus, quem iussi sunt à Deo Angeli, tamquam eorum caput, Regem, & Dominum adorare per fidẽ; Hæc quidem prima Christi adoratio, antequam Verbi Diuini incarnatio executioni mandaretur, fuit Angelis in cælo præposita, & eorum mentibus tunc clarissimè obiecta, secunda verò eiusdẽ Verbi incarnati adoratio, seu adorationis iussio fuit eiusdem Angelis demandata, cùm re ipsa fuit incarnatus, mundo à Virgine editus, & per matrem introductum in orbem terræ, hoc sonat ly iterum, & hæc secunda iuxtà Apostoli doctrinam in terris Christi adoratio, iã præsupponit illam in cælo, cum adorandus perostensus fuit Angelis, & eorum mentibus obiectus.

Quòd cum Lucifer hoc facere existimasset suæ naturæ indignum, & indecorum suæ nobilitati, fuit hæc, & suæ, & suorum damnationis occasio, & origo; ad hoc notanda sunt verba D. Bernardi serm. 17. in Cant. qui sic habet, *Potuit tamen contingere, si tamen incredibile non pates tum plenum sapientia, & perfectum decore, homines præscire potuisse futuros, & etiam profecturos in parem gloriam, sed si præsciuit, in Dei Verbo absque dubio vidit, & in liuore suo inuidit, & molitus est habere subiectos, socios dedignatus; infirmiores sunt, inquit, inferiores natura non decet esse consciues, nec æquales in gloria, an fortè prodit haec eius machinationem illa præsumpta ascensio, seseque significans magisterium: Ascendam, inquit, super montem excelsum, & sedebo in lateribus Aquilonis*, hæc ille.

D. Bern.

Quibus verbis sui capitis Lucifer ecnomit superbiæ, & inuidiæ fumum, & caput suum præsumpsit ita super omnia attollere, vt nec filium Dei, si humana induatur carne, vnquam revereri, nec illi me submittere, nec vnquam illum adorare.

Hoc inquam fuit Luciferi, & sequacium eius detestabile scelus, Dei filium in forma humana adorandum à Patre illis præpositum noluerunt, nec adorare, nec illi subijcere, nec confiteri, nec ve eorum caput, & Dominum reuereri, & cognoscere; hanc doctrinam docuerunt nos, & D. Bernar. vbi supra, D. Basil. in serm. de inuidia. D. Greg. Nanz. in Cathec. c. 6. quos postea sequuti sũt Ambr. Chater. in Gen. c. 3. et in opusc. de glor. honor. Angelor. Iac. à Val. in psal. 8. Viguer in institut. Theol. c. 3. §. 2. vers. 15. Naclantes in ep. ad Ephes. & Rup. Abb. in Ioan. c. 8. huic opinioni nos inhærendo, dicimus eodem tempore, quo Christus fuit Angelis obiectus & perostensus, vt illum tamquam Deum, & hominem, & eorum Dominum, caput, & Regem adorarent, fuit eisdem Angelis præmonstrata & Maria, vt mater, ex qua carnem à Verbo hypostaticè assumendam erat Deus Verbum suscepturus, & Virginem illam sub typo mulieris in vtero habentis, tunc spiritus illi supercœlestes, qui Verbum carne vestitum adorauerũt: adorauerũt & matrẽ cultu hyperduliæ, et in Virgine, et per Virginẽ lau-

D. Bern. D. Basil. D. Greg. Nanz. Ambroſ. Chater. Iac. a Val Viguer. Naclant. Rup Ab.

laudauerunt Deum, vt ipsemet cecinit
Iob. per Iob; *cum me laudarent astra matuti-*
Septuag. *na, & iubilarent omnes Filij Dei*; Septuaginta legunt: *cum me laudarent voce magna omnes Angeli mei*; & dùm laudant boni, malos inuidia inflammat, & superbia deijcit, & damnat; iubilando boni, laudant Dei bonitatem, non duntaxat de beneficio creationis eorum; sed & de eorum glorificatione, & restauratione ruinarum futura per Virginem; idcircò laudando laudāt Deum laudibus matutinis.

Quid est Deum laudare laudibus matutinis? nisi laudibus auroræ? hæc autem aurora: quæ nisi Virgo Maria? cuius Conceptionis imago, quam Deus veluti in tabula nuda depinxit in mentibus Angelorum candore puritatis, & innocentiæ coloribus, quibus adeò apparuit illa Sole candidior, Lunaque pulchrior, quòd mens ipsa Angelica, quæ vi suæ naturæ est puritatis, & lucis abyssus, facta est in mentis excessum, extasim passa præ stupore, laudans, iubilans, & admirans; prout potuit per similitudinem corporum cœlestium tibi, & ad Virginis gloriam expressit eiusdem puritatem, & innocentiæ candorem, quando sic cecinit in
Cant. Canticis cap. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens; pulchra vt Luna electa vt Sol*, in die, Sole nihil pulchrius, de nocte Luna nihil pulchrius, aurora nihil formosius in termino vtriusque.

Quæ laudum præconia, quia plena sunt mysterijs, singula percurre, & primò, quòad auroram, quando Deus Virginis Conceptionis, quæ & quantæ futura erat puritatis, Angelis suis aperuit arcanum, formositati auroræ consurgentis comparare complacuit.

Est autem auroræ esse noctis terminum, diei principium, Solis prænūcium, aurora non est aliud, quam diei claritatis exordium, primus aeris splendor, eo crescit vsque dum corpori solari vniatur, & incorporetur. O Maria, ò Virgo, & aurora consurgens, quasi diluculum præparatus egressus tuus: diluculum est, quando incipit illa parua lux ante crepusculum diei, hæc est aurora: quasi aurora fuit præparatus Virginis egressus, & suæ Conceptionis exordium. O Virgo benedicta veluti aurora cœpisti luce gratiæ te in instanti tuæ Conceptionis præuenientis, & præseruantis super omnes filios Adæ clarescere, & delucescere, quò vsque Soli Christo fuisti coniuncta, & illi incorporata tali nexu, quòd caro Christi erat caro Mariæ, vna vtriusque caro, vnus vtriusque spiritus, & puritas.

Primum omnium, quòd creauit de nihilo Deus fuit lux, quando dixit: *Fiat* Genes.
lux, & facta est lux, & videns, quòd esset bona diuisit lucem à tenebris: quæ diuisio fuit executioni mandata, tunc quando ipsamet lux primordialis conuersa est in lucem solarem, & factus est Sol quarta die; quam aliam signabat lux illa prima creata, & vnita, seù incorporata corpori solari, nisi Virgo, quæ cum non fuerit vnquam in tenebris quando diuisit eam à tenebris Deus, non à tenebris, quibus non fuerat vnquam obumbrata, seiunxit, & segregauit, sed diuisit, quando elegit eam Deus ex communi radice primi hominis, ex qua cuncti fœtus nascuntur in tenebris. Maria sola, quia lux erat, licèt naturalis filia Adæ, lucet in tenebris, tenebræ eam non comprehenderunt, quia sicut lux illa primordialis, quòad eius materiam cessit in Solem, ità, quod de ea postea factus est Sol, quo licèt ipsa esset prior in tempore, in opere, & efficacia, in virtute caloris, & splendoris fuit nihilominus minor: lux non huius lucis, quę solē præcessit nō fuit ità clara, sicut lux Solis, qui postea successit, & cuius corpori fuit coniuncta, & incorporata.

Hic nostræ auroræ progressus, tantæ etiam ab exordio fui esse fuit lucis, & puritatis, quòd mens Angelorum obstupuit, & admirata est, quòd veluti prima lux ipsa sola luceret in tenebris, & quòd per incarnationis mysterium copulanda erat Verbo Dei, & soli illi æterni luminis, cum quo futura erat vna caro, vnus spiritus, & de qua Sol ipse per humanam naturam nasciturus erat in mundo, Maria vt aurora prior est sole Christo homine, sed in virtute, & efficacia multò posterior. Christus vt Deus fons est luminis, & lumen de lumine, Maria verò vt mater, & illi coniuncta creuit, & excreuit in lumine, & quamuis Deo soli sit minor, & posterior, cunctis tamen etiam Angelis est maior, & prior; imò & ipsis Angelis purior.

Et cum hac aurora nihil sit formosius, nihil ea purius, meritò spiritus illi

Angelici, quando illis hoc Virginis aperuit Deus, et cordis sui arcanum, iubilando laudant, laudando admirantur, et admirati prædicant Dei bonitatem in Virgine, dum illi psallūt laudibus matutinis, laudibus auroræ dicendo: *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens.*

Adueniente aurora rorat Cœlum, et vberiori rore terra sitiens fœcundatur, En ò anima mea, adueniente aurora Mariæ incipit de Cœlo descendere ros gratiæ, et æternæ benedictionis: Surgente aurora meruit Iacob benedictionem, si benedictionibus, si donis cælestibus repleri aues tu, ò sitiens, ò vrēs anima; En Angeli tibi nunciant, quòd aurora Mariæ proxima est, & consurgit, accede ad eam, require Mariam, cuius est: vt aurora noctis depellere vmbras, ignorantiæ tenebras effugare, diei ortum propinquum nunciare, lucis gratiam, & splendoris rorem rorare in cor sperantis in ea; Tu ergò Deus meus, qui præcepisti: & ostendisti auroræ locum suum; per huius virgineæ auroræ puritatem rora super faciem serui tui rorem gratiæ tuæ: qui & me reficiat, & illuminet; impinguet, & fœcundet: cuius lumine ignorantiæ meæ effugantur tenebræ, & noctis ab ea propellantur nebulæ peccatorum, vt te: cui proprium est seruis tuis reuelare secretum cordis tui, cum illis cœlestibus spiritibus laudem laudibus matutinis in Virgine, & per Virginē quę in articulo suę Conceptionis puritatis candore surgit, vt aurora consurgens, & splendet vt Luna.

Pulchra vt Luna: laudant illa astra matutina Deum, & Virginis puritatem, quādo suæ Conceptionis immaculatam innotuit Deus mentibus eorum, & eius pulchritudinem admirantes iubilant omnes Angeli Dei, comparantes Mariæ innocentiæ candorem candori, & pulchritudini Lunę, & quam sit apta hæc Virginis Lunæ comparatio, attende: Luna corpus est obscurum, per se non lucet, sed lucem accipit à Sole, & acceptum reddit, præterea competit Virgini, hæc Lunæ similitudo fuit illi simillima per tres Lunæ conditiones: Luna est receptiua superni numinis, diffusiua interni luminis, & repressiua æterni fulminis; Luna enim sua diaphaneitate recipit splendorem, sua luminositate emittit fulgorem, sua humorositate temperat ardorem; Sic Virgo benedicta, vt Luna recipit lumen à Sole, vt Luna est influxiua luminis interni, infundendo gratiam, & benedictionē supercælestē, vt Luna suis humidis, & frigidis qualitatibus temperat ardorem Solis, & aeris: sic Virgo temperat suis intercessionibus ardorem diuini rigoris, & sicut Luna perfecta pro nobis peccatoribus intercedit in conspectu Dei, vt Luna effecta est ad hoc, vt præesset nocti, hoc est nobis peccatoribus per suam clementiam, & pietatem, hæc quò ad nos, quò ad se meritò comparatur Lunæ, in exordio suæ conceptionis lumen puritatis: quo lucet, & splendet, habet à Sole, vt filia naturalis Adę corpus ex vi natura habet obscurum, sed non obscurum, imò clarissimum apparet ex lumine mutato à Sole.

Ioannes Euangelista, cuius menti reuelauit Deus Virginem hanc sub typo, etiam mulieris in vtero habentis, quia futura erat mater Dei, vidit eam Sole amictam, & Lunam habentem sub pedibus eius; ò profunditas mysterij, ò cordis mei, imò, & Angelorum iubilum, cur pedes tantum Maria habebat calceatos splendoribus Lunæ, & quæ hæc Lunæ calceamenta? et sandalia sic perlucida, et splendentia? audiamus, quid respondeat Rup. Abb. in Cant. cap. 7. ad Virginē loquens sic scribit: *Idcircò ancilla nempè Eua Calcaneum à serpente ad morsum, quia decalceata erat, Tu verò filia Principis prout calceata serpentis caput contriuisti*: Euæ namque pedes, quos in sua formatione calceatos à Deo acceperat sandalijs originalis iustitiæ, vbi serpens ille antiquus, tùm præcepti diuini transgressione, tùm deificę ęqualitatis præsumptionis veneno denudauit ad morsum; facillimè calcaneum eiusdem momordit ad mortem; Cur hoc? nimirum, quia, et ipsa mater Eua erat nuda pedibus, et nudo quoque calcaneo, primos suos gressus direxit ad pomum; Virginis verò calcaneum non momordit, vt quòd erat gratia præseruationis vestitum, et calceatum: Tu verò vt filia Principis, vt Dei mater calceata contriuisti primò caput serpentis, et te mordere non præsumpsit.

Ioan. Eu. Apoc. c. 12.

Ruper. Abb.

O Infelix Filiorum Adæ sors, et detestabilis hæreditas, vt Filij sunt heredes, sed luctuosæ hæreditatis, hæc est

pats hæreditatis Adæ, nasci Filij iræ, Filij vindictæ, Filij gehennæ, nasci pedibus discalceatis; Pedes in sacra Scriptura significant affectus, appetitus, affectiones, & vota, seù desideria humani pectoris, quibus anima graditur, & mouetur; omnes ab Adam progeniti, quia concipiuntur in peccatis, hos pedes semper gestant discalceatos, & culpæ originalis puluere maculatos, quòd aperuit nobis Christus, quando antequam veniret ad cœnam Agni, sui corporis, peracta iam cœna Agni Pascalis secundum legem, voluit lauare pedes discipulorum suorum, quòd videns Simon Petrus dixit, *Domine tu mihi lauas pedes, non lauabis in æternum*: cui fuit responsum, *si non lauero te non habebis partem mecum*, quam partem hæreditatis Dei ne perderet Petrus, obtulit, & pedes, & caput, & manus: tunc meruit audire: *qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.*

Ioan. Eu. c. 13.

Vndè, & cur hæc coactiua necessitas tanta lauandi pedes? respondet D. Ambrosius in lib. de his, qui mysterijs initiantur in cap. 6. *Mundus erat Petrus, sed plãtam lauare debebat, habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantauit serpens, & persuasit errorem, ideò planta eius abluitur, vt hæreditaria peccata tollantur; licèt peccati macula nulla fœdaretur*; Petrus mundus erat totus, quia filius Adæ, & hęres successerat in Patris sui hæreditatem, quæ est concipi in peccatis, & nudis nasci pedibus; de filijs Adæ non est, qui ab hac hæreditate secernitur, nemo liber, nullus eximitur, hoc est, nõ indiget, nisi vt pedes lauet, ij pedes maculantur puluure peccati originalis, idcircò planta pedis abluitur, vt hæreditaria peccata soluantur; quamuis sanctitate calleat: homo sit ille sanctus, & mũdus totus, semper indiget, vt pedes lauet, quia discalceatus incedit, habet vndè facilè mordeatur à serpente; Virgo verò Maria, vt Dei mater singulariter electa nunquam nuda pedibus, sed semper gratiæ calceata calceis, in nocte culpæ originalis ipsa sola ex natis, ex primi parentis radice non cespitauit, nec offendit, sed calceata sandalijs gratiæ præuenientis contriuit caput venenati serpentis, natura erat Maria filia Adæ, at non primi parentis; sed gratia singulari hæres effecta est Dei, vndè meritò

D. Amb.

eius pulchritudo assimilatur pulchritudini Lunę: tùm quia non sua, sed alięna lucet luce, tùm quia lucet in nocte, & præest nocti, & lumen, quòd in se recipit, ad inferiora diffundit.

Quia Maria sub pedibus eius tenet Lunam, amplectamur Marię vestigia, inquit D. Bernardus ser. 7. de B. V. *& deuotissima supplicatione illius pedibus prouoluamur, teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis*; & eius benedictione repleti arctius illi alligemur, ipsa est, quæ stat in conspectu solis filij sui, pro nobis orando, iustum est, vt stemus, & nos in conspectu tantæ Virginis illi obsecrando, famulando, inseruiendo, eam laudando, ei iubilando, eam benedicendo, eam adorando; Elephantes dicuntur Lunam adorare, & omni Nouilunio cum balneati fuerint, solent omnes nouę Lunę in signum reuerentiæ capita inclinare.

D. Bern.

En anima mea hic tibi præmonstratur exemplũ, quo doceris, Lunam hanc, virgineam totis affectibus debes honorare, & ei caput & animum inclinare, & imaginem eius per deuotionem in medio cordis tui habere, sicut & Angeli in mentibus habuerunt expressam, & impressam, ex quo iubilant, & laudant Deum laudibus matutinis per Virginem, & in Virgine prædicando eius puritatem, & suæ Conceptionis candorem, dùm assimilant illam pulchritudini Lunæ, imò, & Solis.

Electa vt Sol, pulcherrimus est hic planeta, & sua luce obscuratis alijs astris omnibus, quia principium est luminis, & fons, à quo emanat omne lumen, cuncta perlustrans, irradiat, clarificat, illuminat, illustrat, & pulchrificat, cuius claritas intrà se licèt non patiatur Eclypsim, nec aliis syderibus obscuratur: obscuratur nihilominus à pulchritudine huius Virginis, quæ idcircò dicitur electa vt Sol, quia est Sole pulchrior, cuius etiam pulchritudinẽ Sol, & Luna mirantur, et iubilant omnes Angeli Dei, quando eorum mentibus sub typo mulieris in vtero habentis, et amictæ Sole aperuit Deus huius Virginis simulacrum, cuius caput, vbi coronat corona stellarum duodecim; Lunam pedibus premit, tota verò corporis imago Sole amicitur, vt à planta pedis vsq; ad verticem capitis, intelligas nihil esse in Virgine, nisi lumen, vel lumine

mine amictum; Et quidem non poterat non tota lucere Maria, quæ intra sui vteri claustra illum claudebat, qui est lumen de lumine; si ab exordio sui esse apparuit Maria electa vt Sol, hoc est Sole pulchrior, cur Angeli iubilantes Deum laudando laudibus matutinis, quando reuelauit illis, Deus hoc sui cordis arcanum: *Tunc*, vt inquit D. Vincentius Ferrerius serm. 7. de Conceptione Virginis: *Angeli Sancti conceperunt Virginem in eorum mentibus, per quam eorum ruina repararetur, & ceperunt trepudiare, & fecerunt festum magnum*. Cur dico, Solis candori, & pulchritudini, quo Virgo satis erat amicta præmiserunt pulchritudinem Lunæ, & auroræ: quæ minoris sunt luminis, & obtenebrantur eorum lumina, Solis splendore, à quo mutuantur, si erat tota immersa luminis fonti, ad quid lumini Lunæ, & auroræ luci comparare tantæ Virginis puritatis candorem, & splendorem?

D. Vinc. Ferrer.

Dicam quæ sentio, hæc est maior Virginis laus, quæ in illo suæ Conceptionis instanti tantæ puritatis luce prælucebat, quod in ea olere, spirare, relucere, videbatur nescio, quid Diuinitatis, vndè non pura filia Adæ, nec de eius massa corrupta manifestabatur procreata: sed ex Deo primogenita: Candor ille potius Deum esse suo splendore indicebat, quã creaturam ex semine Abrahæ, vt Maria creatura esse credatur, & non Deus, Solis luci, auroræ fulgorem, & Lunæ præmittunt pulchritudinem spiritus illi supercælestes, cum illi psallunt; *Quæ est ista: quæ progreditur sicut aurora*, &c. ac si dicerent splendet, & candet Maria Solis candore, quo est amicta, vt Dei genitrix, vndè quid Diuinitatis videtur efflare, vt Deus credi, haberi, extimari, & videri posfit, vt de hac re testis oculatus est D. Dionysius Areopagita, sed vt creatura, & illius primi hominis filia, fulget fulgore auroræ, quæ paulatim crescit, quod est proprium creaturæ, & splendet splendore Lunę, quæ lumen suum à Sole mutuatur.

D. Dion. Areop.

Et quamuis Virginis puritas, & innocentiæ candor, sit creaturę, cur Solis comparatur pulchritudini? nisi quòd tantæ est excellentię, quòd diuino tantum lumini subest, cæteris omnibus præest, eminet, extat, & excellit, ideò electa vt Sol; Sol enim qui in numero Planetarum quartum obtinet locum, cum verò Planetæ sint septem, ipse medium locum occupat, & sic tres tenet infra se, & tres alij super se eleuantur; Si amictus Virginis in sua Conceptione fuit solaris, & ipsa lucet vt Sol: Cur hoc? nisi quia vt Sol est situs in medio Planetarum, sic Virgo sita est in medio trium diuinarum personarum, & trium Angelorum Hierarchiarum, super se tenet tres illos Planetas diuinos, infra se tres Hierarchias Angelicas, & ipsa medium occupat locum; O Deus cordis mei quid est hoc? Tu, qui non facis verbum, quòd non reueles seruis tuis, reuela, illumina luce tua oculos serui tui, vt agnoscam qui, qualis, & quantus sit hic Virginis benedictæ puritatis, & innocentiæ candor, quæ etiã Angelorum vicit puritatem.

Nonnè illi spiritus cęlorum purioris conditionis sunt, quum nihil habẽt corporale, nihil corruptibile, nihil mortale, imò naturam habent puram, spiritualem, & naturam purissimi, quapropter dicuntur à Diuo Dionysio, Algamata, hoc est specula purissima, & clarissima, & in lib. 1. de Diuinis nominibus cap. 6. inquit *idem*, *quod Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidum, & immaculatum, & incontaminatum recipiens totam, si fas est dicere, speciositatem beneformatæ Deiformitatis*: & veluti Smaragdus purissimus lapis more speculi representat imagines, ità Angelus, qui tantæ puritatis est, quod & imaginem Trinitatis, & illius diuinissimæ puritatis representat, & etiam vniuiuersæ creaturæ rationalis.

D. Dion. Areop. 5

Quantæ puritatis fuit, hæc tua Virgo, ò Deus lucis, puritatis, & candoris æterni, quando à te fuit amicta Sole, corpus habebat corruptibile, & mortale, & mortale hoc, immortalium splendore suæ puritatis vincat puritatem, quæ puritatis præstantia? qui innocentiæ splendor? vt eleuetur super Angelorum puritatem, & efflat, quid diuinitatis, vt ne Maria credatur Deus, ipsi spiritus cœlorum, puritatis vasa, & specula clarissima tibi Deus meus iubilando, te Deum meum laudando laudibus matutinis, Solis puritati Marię addiderunt fulgorem auroræ, & lunę pulchri-

chritudini, vt ex his credatur creatura, quæ candore suæ puritatis videbatur Deus, quando cecinerunt, *quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens.*

Can.c.6.

Sub eiusdem mulieri typo, quo spiritibus Deus reuelauit Angelicis quantæ futura erat puritatis ab exordio suę Conceptionis Virgo Beata, præmonstrauit, & Diuo Ioanni, qui & Euangelistæ titulo gaudet, etiam & prophetæ, in cap. duodecimo suæ propheriæ, hoc Virginis sacramentum tibi prophera sanctus proponit contemplandum dicens; *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens.* Quid vestis illa solaris? quid calceamenta illa lunaria? quid stellarum sertum illud? & quid, hic Virginalis vteri conceptus, & partus indicant? nisi Virginem sua puritate, & innocentia esse cœlum; nam si cœlum conspicies, ô anima mea, nihil vtique spectabis in eo, nisi Solem, & Lunam, & astra; & si hæc eadem nobili cælatura signat D. Ioan. in Virgine, Virginē suo testimonio voluit astruere cœlum esse animatum, suę puritatis candore, cœli omnibus candidius, atque splendidius, non tantum Solis lumine, Lunæ pulchritudine, aut stellarum claritate, quā vteri sui conceptu, & ventris virginalis partu, qui vtique ille fuit, de quo scribit D. Paulus 1. Corinth. cap. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*; Christi Corpus non terrenæ, sed cœlestis fuisse substantiæ, ex hac Apostoli sententia, falsò interpretantes deduxerunt quidam, quos meritò, vt à veritate aberrantes confutat, & damnat D. Athanasius lib. 1. de Incarnat. Christi, vbi satis apertè ostendit, Sanctus, Christi carnem à Patribus assumptam fuisse eiusdem conditionis, atque naturæ, quò ad munditiā, & puritatem, cum primęua Adæ carne antè transgressionem.

D. Ioan. Apost. & Euāg.

D. Paul. Apost.

D. Atha.

Caro primi hominis formata à Deo, in illa sua formatione fuit omnis maculæ expers, & extra omnem culpam, at vbi ille acceperat mundam, ipsemet propria culpa reddidit, preuaricando delicti capacē quā vt ad primordialis carnis Deus instauraret naturam, factus est homo ex Virgine, in cuius vtero indutus est carne, non quam fœdauerat Adam, sed quam ipse Deus formauerat in Adam, in illa prima formatione: si non te piget audi D. Athanasium, *Adæ lapsum in corruptibilis resurrectione Christus persanit, in similitudinem carnis peccati visus, & condemnans peccatum in carne, vt & carne in terra versaretur, & incapacem peccati ostenderet, quam quum ex prima psalmatione ipse Adam habebat sine peccato, præuaricando, capacem delicti fecit, & in corruptionem mortemque dilapsus est, hanc suæ naturæ restituit Christus, & proindè impeccabilem reddidit, vt declararet opificem extra culpam fuisse, & secundum primordialem creationem, cum instaurauit, vt ipse esset impeccabilitatis speciem*; Hæc ille quando ergò Christus in vtero matris vestitus est carne, vestis illa fuit secundum primęuam carnis formationem in Adam, & in virginali vtero non modò fuit incarnatus sed & concarnatus, & conuisceratus; hisce verbis vtitur antiquus ille Tertullianus in lib. de carne Christi. *Quid est Verbum Patris in vtero Virginis factus homo ipsi matri agglutinari, concarnari, & conuisscerari? nisi vnam vtrique substantiam fuisse, & carnem candem*; Pijssimus Arnoldus de laudibus Virginis; *Vna est Mariæ, & Christi caro, vnus spiritus, vna charitas, & vnitas diuisionem non recipit*: si vna est Mariæ, & Christi caro, & caro Christi fuit secundum primęuam carnis formationem iuxtà quam fuisse, & Virginis carnem, quis audebit vertere in dubium? Cuius caro tantę fuit puritatis candoris, & innocentię, non quia apparuit in cœlo, non quia erat amicta sole, non quia pedibus calcabat Lunam, & caput habebat stellis coronatum, sed quia habebat in vtero illum qui cęlestis erat. & de cœlo descendens, vt inquit Apostolus, *secundus homo de cœlo cœlestis.*

Tertul.

Arnold.

Non est sensus Apostoli, Christum habuisse corpus non elementare, & humanum, sed è cœlo cœleste attulisse, & transijsse per Virginem sicut aqua pluuialis per canalem, est error iam damnatus, sed dicitur cœlestis & de cœlo inquit Ven. Beda, & Tertullianus de carne Christi cap. 8. tùm quia cœlestem vitam duxit, semperque fuit impeccabilis, tùm quia supra totum naturę ordinem

Ven. Beda.

dinem cœlesti virtute Spiritus sancti, ex Virgine conceptus, & natus est, tùm ratione suppositi diuini, & cęlestis, tùm quia, vt corpora cœlestia, erat ipse incorruptibilis, & gloriosus, tùm quia conceptus est vteri virginalis, qui sua puritate, suo candore, sua immensitate cœlum est, & meritò cœli nomen sibi vendicat.

Christi corpus è terrena mole sicut cęteri homines erat concretum, sed dicitur descendere de cœlo, & esse totum cœleste, quia formatus fuit è purissima Virginis substantia, quæ cœlum referebat sua puritate: sistamus hic verba, Ruper. Abbat. lib. 1. in primo cap. Matthæi, *Verissimè dixit Apostolus, quia primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis, non quòd iste Iesus Christus, qui ex Maria natus est, de cœlo cum carne venerit, & per Mariam, quasi fistulam transierit, sicut quidam Hæretici dixerunt, vt Valentini, & Gnostici, sed quòd coniugum vita tota fuit cœlestis, quorum vtique conuersatio erat in cœlis.*

Ruper. Abbas.

Sub vmbra huius ramusculi sede paulispèr anima mea, meditare; si tibi datum est, quam meritò, & iustè suæ innocentiæ candore cœli nomen sibi vendicat Maria, cœlum est, quia dùm Sol in ea continuè fulget, & vestit, Luna coruscat, & stellæ perennitèr lucent, claritatem habet infuscabilem, Cœlum reperies omnium virtutum, etiam supercelestium stellis omnibus sculptum; Altissimum videbis, & eleuatum ab infimis, capacissimum intelliges, dùm incomprehensum in se continet Deum; cœlum lenties, quòd cunctis influit largius; durat stabilius, & relucet clarius, vndè dicebat D. Petrus Dam. serm. 3. de Natiuitate Virginis, *Quid vitij in eius mente, & corporè vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cœli plenitudinis totius Diuinitatis meruit esse sacrarium.*

D. Petrus Damian.

O Maria si tui vteri partus cęlestis est, & de cœlo descendens, vt dicit Apostolus, ergo tu cœlum, cui nulla, vt illi, vnquam originariæ lapis peregrina impressio obtigit, obnubilauit, nec turbauit, vel tetigit, Christo homini cœlum, quia eum genuisti, eum portasti, & eum mundo effudisti, sed & mihi cęlum te esse video.

Si tuæ pietatis ergà me, & misericordiæ intueor immensitatem, tu cęlum es extensum; si perfectionum tuarum, & virtutum omnium sydera micantia, tu cœlum es stellatum; si tuæ animæ, & corporis contemplor virginitatem, & integritatem incorruptibilem, cœlum tu es clausum; si nouam, & admirabilem tuam puritatem, tu cœlum es nouum; si tuæ contemplationis eleuationem, cœlum es altum, si tui cordis humilitatem; cœlum es bassum, si præuentionis, & præseruationis gratiam; cœlum es præparatum, si tuarum actionum prudentiam, tu cœlum es mensuratum, si tuę claritatis flammas, cœlum es igneum, si tui pectoris fortitudinem, cœlum es æneum, si tui virginalis animi timorem, cęlum es obscurum; si tuæ spei firmitatem, cœlum es securum, si in aduersis constantiam, cœlum es solidum, si tuarum gratiarum stillicidia, cœlum es roridum, si tui oris dulcedinem, cœlum es loquens, si rerum diuinarum meditationes tuæ purissimę mentis, cœlum es intelligens, si ergà miseros tuam benignitatem, & clementiam, cœlum es audiens, in gratias agẽdo Deo, cœlum es benedicens, si tui pectoris compassionem in pauperes, cœlum es liquescens, si tui cordis confessiones, & laudes ad Deum, cœlum es confitens, si tuorum beneficiorum affluentiam, cœlum es pluens, si in multitudinem operum conspicio, tu cœlum es coruscans, si in te continuum Dei timorem, cęlum es tremens, si fulgura tuę correctionis, tu cœlum es tonans; si tui cordis, eo quòd sedes est Dei quietẽ, cęlũ es quiescens; & in fruitione Dei, & mentis eleuatione cęlum es dormiẽs.

O Maria si facta es cęlum tua puritate, & cęlũ in cunctis suis partibus est mobile, ità quod velocissimè, & cõtinuè circũfertur; esto tu mihi cęlũ, & occurre animę serui tui, vt tuę lucis adiutorio fugatur ab ea omne nubilum, vt possit ascendere ad Palmã, & huius ramusculi carpere fructus, qui quidẽ eiusdẽ sunt dulcedinis cuius, & Filij tui, ò Virgo, & mater, & eiusdẽ sunt saporis, & pulchritudinis, nec mirũ, si vtriusq; vna est natura, vna est substãtia, vt ad horũ fructuũ pergustandũ suauitatis dulcorẽ ascendere possis, siste anima mea paulispèr sub vmbra illius, & obserua, quod non faciet Dominus verbum, quod nòn reuelet ad seruos suos prophetas, & Propheta Ioannes, cui in cap. 12. suar. reuela-

uelationum aperuit Dominus hoc puritatis Virginis sacramentum sub typo mulieris habentis in vtero, amictę Sole, calceatæ luna, et coronatę stellis in primo autem capitulo eiusdem Prophetę, libri aperuit, quas, & quanta calluit puritate huius Virginis partus, vt ex filij puritatis candore, agnoscas, et matris innocentiam, sic scribit: *Vidi in medio septem Candelabrum similem filio hominis, & eius facies lucet sicut Sol in virtute sua, pedes eius similes Aurichalco, sicut in camino ardenti, et in dextera eius habebat septem stellas*, & signa quorum lumine agnouit filium hominis sunt eadem, quibus signatam vidit, et matrem.

D. Ioan. Apo.c.1.

Quid est hoc? ô anima mea, Cur? sacramentum signis ad prænotandam, et simul agnoscendam puritatis pulchritudinem filij, et matris, ad intelligendā munditiem, et innocentiæ decorem, signatur ijsdem? reuelet mihi Deus hoc cordis sui secretum, ad filij et matris Virginis gloriā, et honorem, vt et reuelauit Ioanni, sed primò aperuit Adamo primo Parenti, qui ante peccatum peculiari prophetandi munere præditus erat; *Non enim*, inquit D. Cyrillus Alexandrin. *spirituali gratia prophetiæ carebat Adam, priusquam diuinum mandatum transgrederetur, sed fixus quasi, & stabilis adhuc manebat, & naturæ bonis præstans, & insignis, itaque cùm vxorem à se fabricatam ad se adduceret Deus, tametsi non audiuisset, vndè aut quanam esset, aut qua ratione extitisset, statim acclamauit, Hoe nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.*

D Cyril.

Si attendamus ad hæc verba, dicimus cum D. Vincentio Ferrerio sermon. de Conceptione Virginis, prophetasse Adam, & vt prophetam per reuelationem accepisse quantæ puritatis Maria futura erat mater, *Reuelauit Deus parentibus primis*, inquit ipse, *ab eis processuram Virginem sanctissimam, quæ afferret eis maius bonum, quam ipsi perdidissent, quare conceperunt Virginem Mariam, ipsam desiderando*, per reuelationē intellexit tunc Adam, quòd sicut ipse, Christi, ita et Eua, Marię typus erat, Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. Vna erat vtriusque caro, et quæ erat Euæ, erat eiusdem conditionis naturæ, eiusdemque puritatis, munditiei, et innocentiæ, cuius erat, et qua præstabat Adā

D. Vinc. Ferrer.

caro, qui in sua plasmatione ante transgressionem carnem habebat non fœdatam macula peccati, sed mundissimam; Si Adam Christum præfigurabat, et Eua Mariam, cuius caro puritatis nitore micat eorundem syderum splendoribus, quibus micat, & splendet caro Christi, Cur hoc? nisi quia vna erat Mariæ, et Christi caro, caro Christi erat, caro Marię et Marię caro caro erat Christi, hic de Virgine sumpsit, et Virginis efformata fuit caro ex carne, et ossibus Christi, qui non alia se vestiuit carne, nisi illa primæua, quę formata fuit in Adam, amicta puritatis Sole hęc amicta Innocentiæ nitore, et illa, quòd cecinit propheticis verbis Propheta Sanctus in psal. 88. *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus*: & formationis Mariæ qualis ordo? vt Eua de Adam, sic Maria de Christo, & si caro Christi Verbo copulanda, vt Angelis, et suis ante incarnationis mysterium reuelauit Prophetis Deus, erat illius puritatis, et innocentiæ, quā à Deo fuit creata in primo parente, quām aliam fundauit, effecit, fabricauitque in Virgine, qui carnē assumpturus erat ex ea, nisi eandem, et primordialis munditiei candorem con decoratam.

Dauid. Proph.

Qui locus non solum eximit Mariam ab originali culpa, sed etiam à debito illam contrahendi; Christum Virginis filium à peccato, et à debito contrahendi fuisse immunem, non est qui dubitet, si Sole amicitur mater, quo amicitur, et filius, si censetur hic liber à debito contrahendi, Cur non mater? si cum filio eandem habebat carnem, et naturam? *Sicut Eua fuit similis Adæ ad corruptionem* inquit pijssimus Ioannes de Agacijs tract. de Conceptione Virginis, *ita B. Virgo Maria similis facta est Christo ad reparationem, & sic fuit necessarium, vt esset à peccato immunis, sicut & ipse*, Et Petrus Cellensis in lib. de panibus cap. 21. *Filius est Sanctus Sanctorum, & Mater sancta Sanctorum, Filius est altare de terra sancta, quia corpus habebat à matre sine macula, in quo cremantur holocaustomata, dum damnantur peccata, quæ ratione condonaret peccata, si ex terra peccato obnoxia compactum esset.*

Ioan. de Agacij.

Petrus Cellens.

Si primi hominis creationem nulla vnquam præcesfit, nec præiuit culpa fœdans, sic in eiusdem formatione, nec

debiti

debiti vnquam eam contrahendi flebilis resonuit echo, quia vt docet D. Aug. (D. Aug.) *Erat tunc Deus condens naturam, & largiens gratiam*, cuius candore in instanti suæ creationis Adam candidatus apparuit stola originalis iustitiæ, & (25stis) amictus lumine innocentiæ, & puritatis indumento; vndè nec culpæ, nec debito contrahendi fuit ille primus homo vnquam obnoxius. Quandoquidem culpæ originalis vulnus, & debitum illam contrahendi, non est sanæ mentis qui neget, toti fuisse posteritati humanæ inflictum post transgresſionem primorum Parentum, qui in eorum creatione, quia à Deo fuerunt induti stola originalis iustitiæ, & vestiti puritatis, & innocentiæ vestimento, meritò fatemur illos, & à culpa extitisse alienos, & à debito solutos & illi nunquam fuisse obnoxios: Si Angelis in eorum creationis exordio datum est, vt essent immunes à culpa, & à debito, num negatum est Virgini? quæ & Angelos vincit puritate, & quòad eius innocentiam carnem habuit primeuæ formationis sine macula, & sine debito contrahendi sordis originalis maculam, audiēdus est hic D. Bernardin. Sen. tom. 2. ser. 51. c. 3. (D. Bernard. Senens.) *Congruebat*, inquit, *vt illa, quæ placuit altissimo, ita vt fieret illius sponsa, & mater Vnigeniti filij sui, sic esset immaculata mente, sicut fuit intemerata carne.* Si Maria culpam contrahendi debito fuisset obnoxia, mundior, puriorque extitisset carne, quam mente, quòd non audeo dicere, dicente D. August. (D. Aug.) *Beatior fuit Maria concipiendo fidem Christi, quam carnem Christi*, & cur à debito non libera, si filius fatetur: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*, num immunis vna, & obnoxia simul potest esse, si Sole amicta illa Christi caro, Sole & amicta caro Mariæ, pulcher ille pulchra, & ista, pulcherrimus filius pulcherrimam sibi fundauit & matrem; ille pulcher elucet vt Sol in virtute sua, hæc pulcherrima vt Luna, quia per gratiam, pulcherrimus Iesus, pulcherrima & Maria, (Cant. c. 1) quæ iubilando laudans filium dicebat: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus, lectulus noster floridus*; qui hic lectulus stipatus vndequaque floribus, nisi Conceptio Iesu, & Virginis, hæc à peccato immunis, & à debito contrahendi nunquam obnoxia, quia, & immunis erat filius, Pijssimus Galatinus (Galatin.) in lib. 7. cap. 5. sic exponit hæc verba: *Quemadmodum ego absque originali labe concepta sum, ita tu quoque amicus meus, ideireò pulcher es, & formosus, lectulus noster, hoc est Conceptio nostra est florida; & odorifera absque peccati corruptione, & immunis à debito contrahendi;* quod quidem debitum maculam contrahendi peccati originalis, ex pacto illo vtique oritur à Deo cum primo homine iam contracto, in ordine ad transfusionem gratiæ; si non peccasset, vel ad eiusdem amissionem, si defecisset, & hoc totum in illo primo signo, in quo Deus nihil decreuerat de Virgine, sicut in secundo signo, in quo & Filij sui incarnationem, & matrem Virginē ex qua carne vestiri voluit, & nasci prędefiniuit; vndè ex meritis, & precibus Filij sui datum fuit Mariæ, vt non esset de multitudine fœminarum, quas Adæ continebat pactum, sed esse fœminam præter futurarum numerum à Deo statutum in primo signo, En quā verè elucet Virginis voluntatem non fuisse subiectam volnntati Adæ, cui tantum subijciuntur voluntates eorum, quorum caput Adam est morale, ergo sicut Maria pacto non fuit inclusa illius primi hominis, sic, & à culpa eiusdem nunquā fuit compræhensa, & à debito semper libera, & omninò immunis.

Quam immunitatem mihi videtur astruere D. Bernard. hom. 2. super Missus est, (D. Bern.) quòd si filius obnoxius non fuit debito contrahendi peccatum, nec fuit & eius mater: *Factor enim hominum*, inquit, *vt homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit eligere, imò condere matrem qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram*, huius veritatis vmbra præcesserat in terra illa sacerdotali, sacerdotibusque data in posſesſionem, de qua lege cautum erat peculiari decreto, vt in Genes. 47. notauit (Genes.) sacer textus, *ex eo tempore, vsque in præsentem diem in vniuersa terra Aegypti Regibus quanta pars soluitur, & factum est quasi in legem absque sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.*

Culpæ originalis debitum tributum esse Diaboli, qui Rex dicitur Aegypti, non est, qui neget, cui in pœnam transgresſionis primi hominis vniuersalis Adæ natura persoluit, excepta Virgine sola, peculiari priuilegio, quia terra erat sacerdotalis, ideò sacrata, & ex qua

prodijt Verbum Patris factus homo, & sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui si nasci voluit ex patribus sanctis, & à peccatis mundis, eorum munditties, & sanctitas ad debitum hoc culpæ originalis fuit obnoxia, & vt à debito adstricti tributum persoluerunt, at nō Maria, quæ & à peccato fuit immunis, & à debito contrahendi fuit libera, D. Hier. Audiendus est hic D. Hieronym. in suis comment. in Ecclesiastes cap. 10. *Beata terra Ecclesia, cuius Rex Christus est, filius ingenuorum de Abraham, Isaac, Iacob Prophetarum quoque, & Sanctorum omnium de stirpe descendens, quibus peccatum non fuit denominatum, & ob id fuerunt liberi, ex quibus nata est Virgo liberior Sancta Maria*; quid est liberior Virgo? nisi quia illi à peccatis liberi, sed ab originali, & debito obnoxij tributu persoluerunt: liberior Maria, quia vt terra sacerdotalis, ex qua nasci voluit Deus, talem debuit eligere, imò condere matrem, vt se decere sciebat, sine macula culpæ originalis, & immunem à debito contrahendi: *Nihil enim spureū vbi Deus est*, inquit D. Gregor. Nanz. D. Greg. Nanz. orat. generali, *& cuius beneficio, & opera salus paratur.*

O digna digni, ò formosa pulchri, ò munda incorrupti, ò excelsa altissimi, ò dilecta filia Dei, ò sponsa Regis æterni, ò mater Iesu Dei mei, tu os ex ossibus, tu caro de carne Christi Filij tui, & Dei mei, & vndè in te, & per quas rimas ingredi potuit peccati nebula, culpa tenebræ, vel illud contrahendi debitum? si es amicta Sole? & circumamicta gratiæ lumine te præuenientis, tu ex toto pulchra, pulchra intus, pulchra foris, intus in corde, foris in corpore, intus immaculata, foris candida, intus per innocētiam, foris per puritatem, intus à debito immunis, foris expers maculæ: totū quod est in te pulchrum est, & nihil inest tibi, quod sit sordidum, in toto grata, in nullo ingrata, in toto munda, in nullo immunda, in toto intemerata, in nullo corrupta, in toto places, in nullo displices, tota pulchra vt Luna, quia es electa vt Sol, pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima existis per gloriam.

O Maria si Deus ad gloriam & honorem tuæ puritatis, hanc, & illius figuram non nisi mundis Angelorum reuelauit mentibus, non nisi purissimis Prophetarum præmonstrauit, & depinxit in cordibus, & non nisi creaturis puritate, & munditia inter creata assimilauit, & comparauit, præstantibus.

Et vt testis est Oleaster de ritib. Hebræorum in cap. 13. Exodi; *Verba suæ legis mandauit Israeliticis non exarari nisi in membrana purissima, & mundissima, & omni maculæ nota carente*, numhæc Virginis membrana, in qua non verba legis inscripsit Deus Pater, sed verbum Patris, patietur Deus ipse inscribi, vel concipi in corde non mundo, & in mente non pura: Esto par Angelis, si vis anima mea, hanc Virginem mente concipere, si aues ad palmam ascendere, si optas eius fructus legere, & vmbra potiri: fructus eius fructus sunt puritatis, & honestatis; Puritas mentis, munditia cordis, vitæ integritas, te faciunt Angelum, vt possis Mariæ puritatis suæ degustare fructus, & iubilando eam laudare; & quamuis non sis Angelus, nec apta, nec idonea, nec digna eam tuis vocibus prædicare, ne ingratitudinis vitio crimineris, votis non debes tamen omnibus à laudibus eius cessare, caput ad hoc habet stellarum fulgore redimitum, vt viræ integritatem influat, & donet; pedes Lunæ splendore habet calceatos, vt de cordis tui fonte excutiat nubila, quæque noctis atræ, si tota amicitur Sole, cur hoc? nisi vt illustret, et illuminet aciem mentis tuæ. Oleaster

O Maria, ò Virgo purissima Sole pulchrior, esto tu illuminatio mea, splendor faciei tuæ, candor mentis tuæ, et fulgor gratiæ tuæ refulgeat menti meæ, inebria mentem meam mero tuæ dilectionis, vt dignè ego psallam, psalmum nomini tuo decantem, ne auertas faciē tuam à me, quia speciem tuam, et decorem tuum à iuuentute mea concupiui, te amaui, te exquisiui puritatis candor, misericordiam tuam, et gratiam tuam ne subtrahas à seruo tuo, vt tibi cantet, et confiteatur in nationibus, prædicet tuæ puritatis nitorem, et laudem dicat nomini tuo, quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria Mater Dei, te præcor ò Maria monstra te esse matrem, et miserere mei; Sub vmbra huius ramusculi luce tua irradia tenebras mentis meæ, et protege me nunc, et in hora mortis meæ. Amen.

DE CORPORALI
VIRGINIS CONCEPTIONE in vtero Matris Annæ.

RAMVSCVLVS TERTIVS.

Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circundata varietate. Pſalm. 44.


EN,& humanæ,& angelicæ exultationis læta dies: en vniuerſalis iubilationis hora, in qua omnipotens Deus gratiarum omnium,& cæleſtium donorum theſaurum aperuit mundo; En ò anima mea redemptionis tuæ ſingulare de vicino prænuncium; hodie enim prælecta Virgo illa, quam Deus mente cordis ſui ab æterno conceperat, in matrem filij ſui prædeſtinauerat, in aluo ſterilis Matris Annæ, nouo ordine, nouaque lege concepta, ſtat à deſtris Dei, in veſtitu deaurato, & varietate circumamicta; & quam ſpirituali adoratione ab exordio creationis venerati ſunt ſpiritus cœlorum, hac die in vtero matris, vt Dei genitrici, & eorum Reginæ aſtantes diē feſtum ducunt, lęti aſsiſtūt, iubilantes deſeruiūt, honorant, decantant,& laudare eam non ceſſant.

En ò anima mea, plenitudo temporis,& tuæ ſaluationis exordium, lætare in Domino, cui hodie matris in vtero, mater concipitur: iucundare cum Angelis, quibus hodie Regina generatur, Exulta cum creaturis omnibus, quarū eſſe per Mariā eis præſtatur, vt teſtatur D.Bern.ſer.3.ſup.Sal.Reg. *De hac, & ob hāc, & propter hāc omnis ſcriptura facta eſt: propter hanc mūdus totus factus eſt, & hac gratia Dei plena eſt; & per hanc homo redemptus eſt, Verbum Dei caro factum eſt, Deus humilis, & homo ſublimis.* Meritò hodie, & cœlum ridet, terra lætatur, gaudent Angeli, & exultat Deus ipſe, cum quibus gratulemur, & nos, cum lætitia aſcendamus ad Palmam, vt fructus tertij huius ramuſculi carpere poſsimus. D. Bern.

Huius Conceptionis Virginis inſtans, huius nouæ natiuitatis Virginis horam, huius ſingularem generationis Virginis modum, & ordinem, ſub vmbra virginalis Palmæ vaticinans Pater eius Dauid; *fuit enim Maria (de ſtirpe Dauidica:)* prauidit ſpiritu, & prophetauit tunc, quòd nobis futurum erat; aciei mētis ſuæ verò pręſens,& intentis oculis tertij noſtræ Palmæ Ramuſculi ortum intuens, quò ad modum teſtatus eſt in Pſalmo 44. fore naturale, ſed quò ad ordinem fore miraculoſum, quando ſic cecinit: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circundata varietate.* Dauid Prophet.

Naturalitèr, veluti eſt omnium noſtrum Conceptio naturalique modo Virginem in vtero matris ſuæ, quis dubitare audebit fuiſſe conceptam? Cum ſit vniuerſalis opinio, & omnium Sanctorum traditio, imò de fide; Nam ſi Virginis Conceptio non fuiſſet naturalis, naturalis, & ipſa non eſſet filia Adæ: quòd ſi Virgo non eſſet genita naturali generatione, Chriſti filij ſui redemptione ipſa ſola non indigeret, nec Chriſtus eam redemiſſet, quòd eſt à communi ſenſu totius Eccleſiæ alienum, fatetur Diuus Auguſtinus. *Renera, & ipſa eſt redempta, imò materexiſtit, & primogenita Redemptoris, quam non ſubleuando erexit Chriſtus, vt nos, ſed pręueniendo, & praſeruando, ſurrexit Maria ſicut in primordio diei, hoc eſt, in illa integritate, qua fuit antè tranſgreſsionis delictum.* D.Auguſt. Cum enim Chriſtus eſſet vniuerſalis omnium Redemptor, neceſſe fuit, vt non eſſet peccatorum genus, à quo, vt perfectus Redemptor, hominem non redimeret. Si Ieremiam Prophetam

præ-



præseruauit à mortali, à quo vir ille omni sanctitate prædictus, nunquam maculatus fuit: Ioannem Baptistam à veniali seruanit, vt de eo cantat Ecclesia: *Ne leui saltem maculare vitam famine posset*: decens erat, vt aliquam personam ab originali immunem præseruaret, quæ vtique si præseruanda foret, nulli magis consentaneum erat, quam illi, à qua ipse Redemptor nasci decreuerat, ne materni honoris, ipse filius iacturam fieri pateretur, ab originali præueniendo meritò, & iure præseruauit, vt ipsa de se testatur dicens, *Ab initio, & ante sæcula creata sum.*

Lib. Ecclesiast.

Nonne, Maria filia fuit Annæ, & in eius vtero nuuiter nunc concepta? Nonne ex semine Adæ? De tribu Iuda? Et orta ex stirpe Dauid? à mundi creatione ad hoc nunc tuæ Conceptionis instans nonne præcesserunt quatuor millia anni, & multò plures, qua ratione; & quomodò antè sæcula te fateris esse creatam ò virgo purissima, & Domina mea dilectissima.

Modum suæ creationis, non actum, exprimit per hæc verba Virgo Beata, vt intelligendo intelligas Deum in sua Conceptione seruasse modum, quem in Angelorum, & primorum nostrorum parentum creatione saruauit; fuerunt enim illi creati in gratia, quemadmodum, & cuncta alia in vltimo gradu suę perfectionis. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

Lib. Genes.

In Conceptione Virginis vocauit Deus generatione ab exordio, creando eam in gratia, & in gradu vltimo perfectionis pro illo statu, quem perfectionis modum, & ordinem à Deo seruatum in Conceptione tantæ Virginis, ipsamet Virgo inferre, & attestari volnie, & non temporis creationem, seù sui ipsius generationem, quando inquit *ab initio, & antè sæcula creata sum*, & horum verborum, quod hic sit sensus testatur Rupertus Abbas in Cantic. cap. 2. inducens Virginem de se sic loquentem, *priusquam nascerer, Deo præsens aderam, antequam fierem, benè illi cognita fueram, elegit me antè constitutionem, vt essem sancta, & immaculata in conspectu eius in charitate, si deliciæ eius esse cum filius hominum, quanto magis deliciabatur cum ista ancilla Domini miraculo cunctorum hominum.*

Rupert. Abb.

Et existens per generationem semi-nalem vera filia Adę, naturalis fuit, quò ad generationis modum, eius Conceptio, sed miraculosa, quò ad ordinem. Ità docent D. Epiphan. hæres. 78. & 79. Damascen. lib. 4. cap. 15. Andręas Cretensis oratione de dormitione Virginis, & Nyssenus oratione de Christi natiuitate; fuit enim supranaturalis tùm quia ex senili, & sterili vtero concipitur, tùm quia nascens ex massa illa fermentata, ipsa sola sine originalis culpæ fermento generatur: ipsam solam, fermentum illud, quo tota Adę massa corrupta fuit, suo acri odore non corrupit, non deprauauit, non imbuit, non infecit, non peruasit; Solius enim Virginis conceptionis farinæ massam acore suo, seù corrupto sapore non attinxit, delipidam facere non valuit, sic singularis præueniens gratiæ dono prænenta, & munita à Deo, fermentum illud primi hominis non fœdauit, nec fędare potuit.

D. Epiphan. D. Damascen. Andreas Crescen. Nyssen.

Ità testatur Dauid in Psalm. 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*: vbi lectio hebræa legit, *Vox Domini scindit flammas ignis*. Adeò gnauus, seù celer structor est Deus, quod in ipsa ignis flamma, quæ de sua natura penetrabilis quidem est, sed non diuisibilis, & cartalagines, & venas, & musculos reperit, & iuncturas; quas secat, & scindit, & nullo ignis substantiæ illato detrimento, & eiusdem compaginum dispendio iaculatur, & penetrat, & diuidit.

Dauid Proph. Lectio hebræa.

Separat enim calorem à luce, vt in Babylonis fornace, cuius accensus lucis, ignis, splendorem emittens absque calore tres illos pueros, nec contristauit, nec quidquã molestiæ intulit, quando nec capillum capitis eorum adurere valuit: in inferno, quia ignis ille tartareus datur damnatis in pœnam, separat lucem à calore, absque splendore, & sine luce est ignis ille, sed tenebrosus, & non lucens, sed vehementer ardens, & calore suo adurens æternaliter, cruciabit, & corpora, et animas damnatorum; et in flamma ignis si tantæ virtutis est sola vox Domini, quòd structoris gladij ipsa fungatur officio, profundissimè, et vndique disseptas secans ignis flammas, easque iaculatur.

Quantæ maioris virtutis fuit sermo ille, qui Verbũ est Patris, de quo ad Hebræos

D.Paul. Apostol. bræos cap.4. loquens D.Paulus ait, *Viuus est enim sermo Domini,& efficax,& penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis,* in Conceptione tantæ Virginis.

Quæ cum esset eiusdem massæ primi illius hominis, Mariæ solius farinę massam non audens attingere infermentatam reliquit illud Adæ fermentũ, quòd opus naturę ascribi nullatenus potest, sed voci Domini, sic intercidentis flammam ignis, & sermonis eiusdem virtutis, & efficaciæ in Conceptione matris suæ structoris gladij fungentis officio, dùm vt vera filia Adæ de corrupta eius massa concipi voluit, sed non fermentata illius præuaricatoris corruptionis fermento: imò tàntæ puritatis nitore in illo instanti sua gratia eam pręueniendo irradiauit, quantam decebat illam, quæ in Dei Matrem electa Deum ipsum paritura, & proprio lacte nutritura erat.

O puritas tantæ Virginis, ô illibata innocentia tantæ matris, quam sub vmbra huius ramusculi non prostratam, non curuatam, sed stantem vidit Propheta sanctus: in illo instanti, in quo nos concipitur, quia sub sarcina, & iugo durissimo concepti duræ seruitutis nascimur Dęmonis serui, & vt illius subditi,& subiectis pondus peccati primi hominis in nos per generationem transfusi aggrauat animam, quò grauata pondere curuata, inclinata concipitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, vt fatetur Sanctus Dauid,& littera originalis, sic legit, *Ecce in incuruatione conceptus sum*: quæ curuatio formam quandam adorationis antè Diabolum præfert. O miseriarum omnium vltima miseria, quia nascimur filij iræ, filij gehennæ, filij Diaboli, qui cum dominetur nostri, in illius seruitutis signum hanc à nobis exigit adorationis formam, & figuram. (Dauid. Proph. Ps 50.)

Vndè, ità curuus iacet infans in vtero matris, quòd genua sunt genis apposita & huius figuræ expressio adorationis exprimit tributum, quòd tenetur infans illi, sub cuius imperio seruus nascitur, & mancipium; à quo quum Virgo sola libera fuit, vt Regina,& filia Regis, non curuata stetit, sed erecta, & in illo instanti, in quo sicut nulli fuit vnquam tunc subiecta, sic nec seruitutis tributo fuit vnquam obnoxia; imò coronata stetit, erecta, stabilis, & firma, quòd clarius expressit littera grecæ; Nam vbi nostra vulgata in quinto Canticorum legit; *Crura illius sicut columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*, legit ipsa, *columnizabat instar columnæ*: ac si diceret; erat inflexibilis, & solida: Si Columna nihil firmius, nec rectius, & marmore pario seù candido nihil candidius. ità Maria in sua Conceptione puritatis candore, & rectitudinis, ac firmitatis robore, roborata per gratiam,& per dona Spiritus sancti, hæc enim sunt bases aureæ, super quas illa concepta nõ curuata, nec diabolo subdita, sed vt purissima erecta concipitur, & firmatur. Quando Rex cœlorum veluti alteram Esther ne corrueret festinius in illo instanti exiliuit de solio suo substentans eam, manu protectionis suæ firmans, stabiliens super bases aureas,& sic tota pura, erecta,& nõ diabolo curuata, sed vt Regina coronata stetit. (Cant.)

Quam erectionem contemplans spõsus ille diuinus, vt tibi innotesceret, quanta puritate floruit, pulluit, & excelluit Virgo benedicta in illo suo instanti: hoc ipsum Mariæ formationis instans ob suæ pulchritudinis, & innocentiæ præstantiam emissionibus Paradisi comparuit dicens: *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*. Cant cap.4. (Cant.)

Certè, quod dum Mariæ Conceptionis exordium Paradiso assimilat, & malis comparat punicis; hęc quidem vnius ex duobus, comparatio non potest carere mysterio: siquidem ego arbitror id cõsultò fecisse, quoniam Sanctes Paginus ex hebręo legit, *Plantationes tuę Paradisus*: Et quæ Paradisi plantationes? Nisi illæ, quas protulit terra iussu Domini, quando herbam virentem terre mandauit germinare, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum. Genes. cap. 1. Quæ plantulæ non paulatim creuerunt in arbores, & in tempore suo fructus attulerunt, sed statim, subitò in ipsomet creationis earũ articulo, productæ sunt arbores magnæ, & grandes coronatæ floribus, & deonustæ fructibus, vnaquæque iuxta genus (Sanct.) (Genes.)

genus ſuum : & hoc non vt iubentis duntaxat innoteſceret potentiam, ſed vt, & tibi ſub vmbra pateret Virginis Conceptionis ſacramentum, quo declaratur immunis fuiſſe ab illa originaria labe, dum ſolius Mariæ Conceptio ad priſtinum innocentiæ ſtatum videtur pertinere, & Paradiſi plantulis eſſe ſimilis, quæ non per multa temporis interualla, & incrementa, ſed in ipſomet creationis exordio apparuerunt veſtitæ frondibus, decoratæ floribus, & onuſtæ fructibus, quales ſignanter ſunt, quas Dominus in loco illo deliciarum plantauerat, quæ propter loci amenitatem, & aeris temperamentum ſemper virent, ſemper vernant, ſemper floreſcunt, ſemperq; fructificant, nunquam ſine fructibus, ſicut nunquam ſine floribus.

O Maria, ò Virgo, ò deliciarum hortus, *Emisſiones tuæ Paradiſus*. Si tuæ Conceptionis inſtans contemplatur anima mea, nonnè in orientali plaga, & in oriente gratiæ te intuetur ſitam, & plantatam, ſemper erectam per gratiã, per affectum, & contemplationem ſemper irrigatam aquis gratiarum, & virtutum, arboribus fęcundatam, vt de te meritò tibi cantet: *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*. Cant. cap. 4.

Emisſiones ſunt illi primi arboris botri, & prima Mariæ emisſio fuit ipſiuſmet Virginis Conceptio, quæ in illo primo inſtanti, quia fuit in gratia, Paradiſi botris, ſeù emisſionibus asſimilatur: & benè, & congruè, quum peccato originali non fuit illa obnoxia, ſic nunquam apparuit gratiæ virentibus folijs, nec floribus, nec fructibus ſpoliata, ſemper veſtita, ſemper virens, ſemper vernans, ſemper florida, ſemper fæcunda, quòd indicat ſponſus, dum huius ſuæ ſponſæ Conceptionem comparat malis punicis. Experimento probatur quotidiano, quod plures arborum fructus deguſtamus ſuauiores, dulciores malis punicis; Cur igitur iſtis, & non alijs perdulcioribus eam asſimilauit? Niſi vt intelligas hoc verſari diſcrimen inter Virginem, & alios Sanctos, quòd inter mala punica verſat, & alios fructus.

Num non obſeruaſti, quòd cæteri arborum fructus corona carent, coronis priuantur, ſola mala punica floreſcunt, quum coronis fructus coronatos emittunt, ſemper Virgo, vt malum punicum, vt Regina coronata viſa eſt, & in flore ſuæ Conceptionis, & in fructibus ſuarum operationum. Corona in Virgine, & innocentiæ, & puritatis, & libertatis fuit ſingulare præſagium, præconium, & omen; idcircò non vt nos, curuata, ſed vt Regina coronata ſtetit, erecta ſtetit; eleuans illam Deus dextera ſuæ potentiæ, & quod enim in ea ad omnium ſalutem factum eſt, hoc priuilegio dilectionis, ad eius gloriam ſingulariter eſt ordinatum, vt meritò nos dicere posſimus, *Emisſiones tuæ Paradiſus, ò Maria*.

Quidam profundius ex textu hebręo excauant hoc ſacramenti myſterium; dicunt enim quòd hæc vox Emisſiones in hebræo idem ſonat, quòd alitus: *alitus tuus Paradiſus*, ò Maria, ſingularis Virginis eſt hæc laus, cuius emisſiones ſunt eiuſdem operationes, actus, cordis cogitatus, opera, & facinora cuncta, quæ omnia ſuauisſimum Paradiſi efflabant, & ſpirabant odorem; ſed illarum omnium prima Virginis emisſio fuit eius Conceptio, qua primo ingreſſa eſt ad vitam, & ingreſſa eſt efflans, ſpirans, & emittens halitum Paradiſi.

Pauliſpèr anima mea hic ſiſte cordis tui greſſus, & acuto mentis oculo intuere cunctorum ab Adam naſcentium Conceptiones, iuxta Diui Pauli ſententiam: Omnes naſcuntur mortui, & conſepulti in peccati originalis ſepulchro: Et vt docet D. Chryſoſtomus idem eſt mortuum, quòd malè olens, & ſic tetrũ emittunt odorem. Os enim peccati fœtidum eſſe, non eſt ſanæ mentis hoc ignorare, & peccato nihil tetrius, ſeù putridius: mortua ſunt, quæ vitam non habent, quæ putorem ſpirant, quæ contriſtant appropinquantes, quòd ex Dauid deſumi poteſt in pſalm. 5. nu. 11. & pſalm. 13. nu. 3. Os peccatoris vocat ſepulchrum patens; *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*: Sepulchrum patens, quid eſt niſi inopertum, fætorem, & putredinem efflans; Si omnes naſcimur filij iræ, ſi omnes concepti ſumus in peccatis, omnium ora ſordes, fœtorem, & ſpurcitias ſpirant, ſolius Virginis os halitum efflat Paradiſi.

D. Paul. Apoſt.

D. Chriſ.

Dauid Proph.

Quid Paradiſi halitus? niſi Dei flatus: num non legiſti, quòd formato ex luto primi hominis corpore, vt illud viuificaret Deus, & motus membris præ-

Genes. præberet, & operationes vitales, inquit tex. in Genes. cap. 2. nu. 7. quòd *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, tex. hebræus *spiraculum vitarum*, quia, & corporis, & animæ vitam Adam à Deo accepit: ante transgressionem hunc Dei halitum spirabat ille homo primus post peccatum, factum est guttur eius, & nascentium ab eo sepulchrum patens, & fœtorem emittens.

At quia Virginis Conceptio fuit supra naturam inspirauit in faciem eius Deus spiraculum vitarum, quod spirauit & in primo homine: omnes Adæ filij mundum ingredientes mortis, peccati, & inferni halitum exhalant, & mortis, & putredinis efflant odorem. Tu verò, ò Maria, tu sola Paradisi halitum emittis suauissimi odoris, illius puritatis, & innocentiæ illius pulchritudinis, & candoris, illius suauitatis, & dulcedinis in tuę conceptionis exordio est spiritus, & halitus tuus, qui te vocauit ad vitam, quo viuificatus est Adam, & quo ille homo primò vitam accepit.

Qui, & qualis fuerit, nisi Dei halitus, & flatus, insufflauit in faciem eius &c. ò Deus cordis mei tu qui inspirasti in faciem primi hominis spiritum vitæ, inspira, illumina tua luce mentis meæ aciem, si idem fuit spiritus ex eodem ore emissus, quem in faciem Virginis in sua conceptione inspirasti, quo suauitatis odore? quo dulcedinis sapore? quo puritatis candore? quo pulchritudinis splendore? quo munditiei nitore? emicuit, canduit, splenduit, & efflauit, si Dei spiritu, si Dei halitu viuificata egressa est ad lucem: si Dei halitu concepta, si Dei halitu roborata, si Dei flatu fulta, si Dei halitu erecta, ergò firma stetit, semper erecta, nunquam victa, nunquam curuata, vt nos; de qua firmitate lo-
D. Hier. quens D. Hieronym. in ser. de Assumpt. dicit, *quòd vicit firmitatem Angelorum*, & si mirabilis est Angelorum virtus & firmitas perpetuitatis mirabilior tamē in Maria, quam obumbrauit virtus Altissimi, cuius virtute, & gratia in illo Conceptionis articulo erecta stetit, & coronata à dextris, quò l Mariæ priuilegium est, & non dabitur alteri.

Hinc increpatione digni fuerunt Apostoli, quando à Domino ad dexterā sedere ausi sunt exposcere, cur nescitis,
Mat. cap. 20. n. 22. quid petatis? & vndè tàm dura dilectis increpatio? Nisi, quòd dexteræ locus alij puræ creaturæ non debeti, sit illa meritorum copia grandis, sit virtutum splendore clarissima, sit dilectionis vinculo Deo coniunctissima, vt erāt Ioannes, & Iacobus: quisquis sit, dexteræ Dei locum occupare non tentet, & qui tentare ausus fuerit, stultitia digne carpetur, quia illi soli debetur dexteræ locus, quæ sola in Dei matrem electa est, vt quando concipitur non subiecta, non curuata, vt nos, sed erecta coronata, & in dextera Dei præseruata, & immunis à gladio culpæ originalis, collocatur, et vt Regina puritatis corona coronata cernitur, et cooperta veste candida hæc est in vestitu deaurato quam Dei tabernaculum futurum erat. intus, et foris auro mundissimo linitum, et deauratum, de quo loqui videtur Apostolus Paul. Ap ad Hebræos cap. 9. scribens, *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factum, Idest non huius creationis &c.* Tabernaculum non manu factum designat personam Christi Iesu, in cuius carne, & corpore inhabitat Verbum illud Patris, & omnis Spiritus sancti plenitudo, cuius virtute, & operatione efformata, & concepta fuit caro illa sanctissima, & corpus organizatum, hoc est, non manufactum, hoc est non virili semine, sed Spiritus sancti spiramine, & opera; communis omnium est hæc intelligentia.

Si cum Chaterino dicimus, per tabernaculum hoc, per quòd ad nos redimendos pertransiuit Christus Iesus Dominus noster, esse ipsam Beatam Virginem Mariam, vt intelligit Diuus Dionysius solut. quæstionis 7. *Non in seruo habitat Dominus, sed in Sancto suo tabernaculo non manufacto: non manufacto hoc est non huius creationis, quòd est Deipara in cuius conceptione, nec odor generationis antiqua, nec macula infectæ originis inuenta est.* Cheter. D. Dion.

O verè altissimi Dei tabernaculum non manufactum, non huius creationis, quoniam quidquid habes, diuinæ respondet arti, non humanæ generationi, non induta diploide confusionis nostræ, sed vestita veste deaurata, & vestimento salutis, vestimento Iesu filij tui, cui astitit vt Regina semper à dextris eius erecta, & coronata, & à peccato libera. Recordare Domina, me-

D men-

mento mei ò Regina tot, & tantis irretiti peccatis, in quibus concepit me mater mea, & curuatus naſcor; à quibus ſi Deus dextera ſua eleuauit te, & vt triumphans, & coronata erexit te præſeruando, ne in lubrico miſeriæ humanæ veſtigia figens, in illius ruaris culpam: præſerua me tua gratia ò Puriſsima, ne & anima ſerui tui obruatur malis, moriatur in lubrico, & ne collocetur à ſiniſtris æternæ ſuæ damnationis: ò ſpes pœnitentium, ò leuamen errantium effunde ſuper me miſericordiam cordis tui, accurre, feſtina, adiuua lapſam, libera captiuam, ſalua damnatam, & ex damnata maſſa iam natam. Viuifica emortuam, reuoca errantem, erige curuatam, & erectam tua gratia, in bono, & in dextera virtutis Dei confirma, vt in te, & per te viuat Deo, ſit tui pectoris, & oris halitus hoc munus: halitus enim tuus ò Maria, Paradiſus eſt, & Paradiſum efficit, & efformat. Dominus Ieſus morti iam proximus quando Patri tradidit ſpiritum, & pendebat de cruce inter duos latrones, & locus ſuæ crucifixionis

D. Marc. Eu. c. 15. Golgotha erat: D. Marcus Euangeliſta ſic teſtatur, *& perducunt illum in Golgotha locum*, in quo tot tantiſque erat doloribus vndequaque circundatus, quòd inferni dolores ſibi videbatur pati, & ſuſtinere: ſic à pſalmiſta de

David Pro. P. 67. illo prædictum erat, *Dolores inferni circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis*. Erat tunc Caluariæ mons Chriſto Domino veluti infernus, vallatus tenebris, obuallatus doloribus, plenuſque pœnis inenarrabilibus, inter quas primum locum occupat priuatio viſionis diuinæ, & ſubtractio cœleſtis auxilij; quapropter exclamauit, *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me*,

Dau. Pr. Pſalm. 21. et dum tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, erat tenebroſus, et horribilis quaſi infernus.

O anima mea ſi tunc Golgotha, vt locus tenebrarum, caliginis, confuſionis, lacrymarum, et dolorum, inferni imaginem referebat, quid eſt, quòd vnus ex latronibus, qui à dextris Chriſti pendebat è Cruce, vocat Paradiſum, et appellat locum deliciarum, lucis, et fœlicitatis? dum ſic legimus exclamaſ-

Luc. Eu. c. 23. ſe: *Memento mei Domine dum veneris in Regnum tuum*, videbat Chriſtum pati in corpore dolores inferni, quia à planta pedis, vſque ad verticem capitis non erat in eo ſanitas, ſed liuor, & plaga tumens, & locus ipſe ex circumſtantijs videbatur infernus, vel ſaltem inferni portabat imaginem, quid eſt, quòd latro vocitat Paradiſum? Num dolores mortis, & tenebræ, & vlulatus lugentium efflabant delicias Paradiſi? Num inter opprobria, & paſsionis ludibria potuit, & valuit ipſe ſolus Paradiſi gaudia contemplare, & ſentire, deguſtare, & frui? Imò, & Paradiſi delicijs potiri, & repleri? dum ſic clamat: *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum*.

Quid dicis ò latro, diuinitus ne irradiatus fulgore ſic eloqueris? an doloribus oppreſſus inſciè ſic clamas. D. Arnoldus Carnutenſis in tract. de ſeptem verbis Domini, docet latronis conuerſionem accidiſſe ex luce illa immiſſa ex nomine Ieſu, quòd legerat ipſe reſeratum in titulo Crucis: iam ad hanc ſcripturam pertinebat latro crucifixus, & eum illæ litteræ colligebant intraſſe, ergo diuina luce circumfuſus loquebatur. Abbas Sanzinus in Eccleſ. cap. 24. hoc lumen, quo ſic ſaſſus eſt latro adſcribit halitui Virginis, *reſpexit Dominus ad piæ matris ſuſpirium, reſpexit & latro*, & quia halitus eius Paradiſus eſt, de Paradiſo latro loquitur, & ſaluatur. D. Arnol. Carnut. Ab. Sanz.

Suſpirium, ſeu halitus Virginis Mariæ Golgotham vertit in Paradiſum, & latroni ex Golgotha effecit Paradiſum, quando vidit Virginem matrem Domini iuxtà crucem ſtantem, amarè lugentem, anxiè dolentem, & ſuſpirantem: erat tunc cor B. Virginis ſub prælo paſsionis Chriſti, & præ vehementi dolore lacrymas fundebat ex oculis, & ſuſpiria ex imò pectoris ſui: & qui Virginis halitus? Niſi Paradiſus papæ, Paradiſus Mariæ halitus, quid miraris, ſi inter tenebras, mortiſque dolores, Golgotha, qui præ triſtitia, & mœrore tunc videbatur infernus, viſus eſt latroni Paradiſus, & commutatus in Paradiſum, vndè ſibi inter delicias videbatur Paradiſi verſari & paſci, quapropter exclamat: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*.

Halitus Virginis hæc eſt vis, & efficacia, dū è Virgineo pectore euaporat, & ex perdulciſsimo ore Virginali emittitur Golgothæ tenebras, & inferni dolo-

res in delicias vertit Paradisi: Paradisū efficit, Paradisum efformat: respexit latro ad suspirium Virginis: ô fęlix anima, quæ halitus Mariæ confortata odore surrexit ad vitam, & vitæ, & Paradisi delicijs potitur, perfunditur, perfruitur, & cumulatè repletur, vndè lætus clamat, & rogat: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.*

O fęlix latronis anima, cui Virginis halitu facta sunt Golgotha crucis supplicium, mortis ludibria, cruciatus acerbitas, & dolorum crudelitas, Paradisus: & quidem, quia & viuus pendens de Cruce, & iam mortuus ad Virginis Mariæ suspirium, Paradisum inuenit, & factus sui cordis voti compos, cum Christo meruit Paradisi potiri gaudijs, & frui delicijs, quæ veritas Christi testimonio comprobatur, quando latroni sic respondit: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Ex pendentibus de Cruce, primus omnium Christus mortuus est, sic habes per Ioannem Euangelistam cap. 19. *Ad Iesum autem, cum venissent, vt viderunt eum iam, non fregerunt eius crura*: & sacer ille spiritus, non illicò petijt Paradisum egressus de corpore, sed Patrum Limbum; nec Cœlos conscendit, nisi elapsis, post suam resurrectionem à mortuis, quadraginta diebus, sic tenet fides Catholica: & in ipsa sexta feria, in qua obijt Christus, obdormiuit, & latro. Si Christi anima à corpore separata descendit ad inferos, & non euolauit in Cœlum, cur dixit latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso*, & qui hic Paradisus? in quo Christi anima in eadem sexta feria commoratur, conuersatur, pascitur, & deliciatur, & latronis; dicerem, nisi dixissem, vtique non alius nisi MARIAE halitus.

Ioan. Eu.

Christo enim iam mortuo, corpus eius è Cruce deponitur, & collocatur in suæ matris gremio, quæ corpus illud victa affectu materno rigabat lacrymis, & singula eiusdem vulnera rimando, rimulas quasque perquirendo, quæ strictè, pièque amplexabatur, & dulcitèr deosculabatur, & exosculando dulcia illis figebat oscula, comitata suspirijs; nam vt docet pijssimus Philippus bonæ spei in Cantic. lib. 1. cap. 4. per osculum emittitur spiritus, *Ille*, inquit ipse, *quem diligo, quem præ cunctis eligo mihi mirabilitèr coniungatur suo mihi osculo, suo mihi spiritu inter na suauitas effunditur: & qui osculum alicuius accipit osculantis, spiritum percipit.*

Philipp. bonæ sp.

Latro adhuc viuens, & pendens de cruce non solum mentis oculos, sed, & corporis ità immobilitèr fixerat in Christi vulneribus, & per eosdem, quibus ita fixè Christi intuebatur vulnera, in secreto animæ suæ immisit Deus lucem quandam supercœlestem, qua cor latronis emolliuit ad veniam, dulcorauit ad pœnitentiam, irradiauit ad indulgentiam, inspirauit ad vitam: & abdicatis ab eo primi hominis tenebris, eleuauit ad veritatis cognitionem, & intellexit, quòd vulnera illa erant suæ saluris prætium, peccatorum suorum lauacrum, suæ damnationis remedium, vitæ suæ antidotum, & suæ fęlicitatis præmium, quasi gemebunda columba in illis securè nidificans, reposuit cuncta sui cordis vota, & desideria fidenrèr se conclusit in illis, in quibus quietè obdormiens expirauit.

Et moriens in Christi vulneribus, quæ cum essent plena osculis, suspirijs, seu halitu matris Virginis, dicito, quòd mortuus sit latro moriens ad osculum Virginis; cuius halitus si Paradisus est, quid miraris, si in ipsa sexta feria, quando mortuus est, Paradisum, qui illi promittitur verbis illis: *Hodie mecum eris in Paradiso*, inuenit, & ingreditur cum Christo, Paradiso fruitur, & deliciatur, & inter Paradisi delicias pascitur, & commoratur, *quando Virgo*, inquit Arnoldus de septem verbis Domini, *Christi vulnera intuebatur, & osculabatur, tunc adimpletum est, quòd dictum est latroni: Hodie mecum eris in Paradiso.* D. Arnol.

Cur hoc ô anima mea, nisi quia, qui alicuius osculum accipit, osculantis spiritum percipit: si per Mariæ oscula halitus eiusdem ingrediebatur in filij sui vulnera, in quibus latro moriens, se conclusit, & halitus Virginis paradisus est, Paradisum efficit, & efformat: ad suspirium Virginis respiciens ipse, Paradisum inuenit, & Paradisum in ipsamet die obtinuit, in qua promiserat Dominus: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

En ô anima mea, si Paradisum quæris, & peroptas inuenire, quære, vt latro

in vulneribus Christi Iesu, quæ vacua non sunt, sed plena matris Virginis halitu, & suspirijs. & Mariæ halitus, halitus est Dei, halitus vitæ, halitus salutis, & felicitatis æternæ.

O Maria, ò mater vitæ, en nouus latro, si halitus oris tui Paradisus est, deosculare me osculo oris tui, qui cum sit ad vitam, viuifica me peccatis emortuam, erige me pondere nimio curuatam, dissolue vinculis colligatam mortis, salua morti damnatam, & viuificata halitu oris tui tibi viuat; & scito ò mater viuentium, quia non mortui laudabunt te Domina, neque omnes, qui descendunt in infernum, sed nos, qui viuimus, & benedicimus tibi, & glorificamus nomen tuum, quòd sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei: te præcor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit, et sperat anima mea: sub vmbra huius ramusculi tuæ puritatis recollige me, et protege me, vt illius vestita fructibus, coronata frondibus, adiuta præsidio, te imitetur, te sequatur, te diligat, te benedicat nunc, et in æternum. Amen.



DE

DE PVRISSIMO HOSPITIO VIRGINIS, dum adhuc paruula hospitaretur in vtero Matris suæ Annæ.

RAMVSCVLVS QVARTVS.

Ignis autem in Altari semper ardebit. Leuit.cap.6.



Cce iam venit ad Palmā tuæ puritatis pulchritudine,& tuę innocentiæ candore illecta anima mea, ò purissima puellula, ò dilecta Dei filia,& æterni Regis simul,& mater,& sponsa,ecce iam venit, sed quia misera est,& miserabilis valdè, nondum tamen peruenit, quum nec ascendendi quartum ad hunc ramusculum adest ei virtus, imò deest ei tuta,& vera facultas,potentia,& ingressus.

De longinquo intuetur mētis oculo contemplando, quam pulcherrimus sit visu huius ramusculi fructus,& aspectu quam sit delectabilis, & ad gustandum suauissimus, quo primo expulsa suæ famis inedia cupit,& ad vitam præsentem,& sperare futuram.

Tua interest, vt mater puritatis miseræ tuum præbere auxilium,corroborare lapsam,erigere collapsam,adiuuare inopem, attollere iacentem, & manum præbere pauidæ, & imbecilli, vt possit ascendere ad hunc ramusculum, & eius legere fructus, gustare suauitatem, sentire dulcedinem, attrahere vitam,& reportare salutem.

Qualis, & quantæ suauitatis sint ramusculi huius fructus,hoc illi adaperire,toto cordis affectu, rogo te, sit misericordiæ, & dilectionis tuæ donum, ò Maria fons pietatis vberrimus, tantæ enim sunt suauitatis,&dulcedinis,quos si gustares anima mea,vtique exclamares, nec lingua valet dicere, nec littera exprimere,nisi lingua fuerit amoris,& penna dilectionis, ama, & senties, quæ dico.

Inter tot animas omnium, qui saluantur,vt electa Columba,vna sola est, hæc mater Maria, quæ in vtero concepta,& corpore iam organizato, ac anima illi infusa, quia puritate antecellit ipsos Cherubim, & Seraphim, Aluus ille suæ sanctissimæ Matris Annæ, quia altare illud adumbrat, in quo hic ardebat virginalis ignis, non fuit obscurus, sed perlucidus veluti alter Paradisus, sic eum vocat D. Damascenus orat. 2. inquiens, *Ad hunc Paradisum serpens ille antiquus aditum non habuit, & Paradisi formam præseferens*: perlucidum non sordidum fuisse testatur.idem Sanctus oratione prima de Natiuitate B. Mariæ Virginis; *ò præclaram Annæ vuluam, in qua tacitis incrementis formatus fuit sanctissimus fœtus,quem fuisse gratiæ fructum, non naturæ fatemur*: & addit: *Natura gratiam anteuertere ausa non est,sed tantum expectauit,dùm gratia fructum suum produxisset*.

D.Damascenus.

Idem Sanctus.

En ignis in altare puritate flammescens,en ramusculus nostræ Palmæ in vulua iam progenitus nouiter pullulans, non graui curuatus originalis pondere culpæ,sed & singulari,ac ineffabili modo erectus;rectus progreditur à radice non nudus,nec sterilis,sed gratiæ præuenientis irrigatus rore cœlesti, vireatibus protectionis diuinæ apparuit in ipsomet suę Conceptionis instanti vestitus folijs, puritatis, & innocentiæ coronatus floribus, & onustus fructibus amoris perdulcissimis erga Deum,& nos.

Sede igitur anima mea sub vmbra huius ramusculi, cuius protecta frondibus,& florum allecta odore,vberibus eiusdem vberrimè exatiata fructibus, possis suæ puritatis florum potiri odore, &

re, & suæ dilectionis, & amoris ardere flammis, simul ad laudem eius dicere, & tu *Ignis in altari semper ardebit.*

O ignis, ô flamma diuini amoris semper ardens in pectore Virginali, & quid mirum? si in illo suæ Conceptionis instanti fuit illi gratia collata, itâ intensa, itâ immensa, vt à dextris Dei, & purissima appareret, & erga Deum vehementer, & incessanter semper arderet super ipsos Cherubim, & Seraphim.

Erat enim illa præparata, electa ad dignitatem matris Dei, et propter hoc, in illo instanti habuit vsum liberi arbitrij, qui vt docet D. Bernardinus Senensis serm. de B. V. Maria cap. 2. art. 1. *perdurauit per totam vitam, & operando absq; cessatione, per quemlibet actum ipsa Virgo adæquabat, & aliquando etiam excedebat intentionem gratiæ, & charitatis, quam habebat.*

D. Bern. Senens.

Si illi Spiritus Angelici igne diuinæ dilectionis ardentes toti gratiæ, quam possident, vt docet D. Thomas par. 1. q. 62. art. 6. cooperantur, si Adam, vt idem testatur, par. 1. q. 95. art. 4. ante peccatum toti gratiæ, quam tunc habebat, cooperabatur, quantò magis Virgo Maria, cui perfectiones, habitus, et gratiæ, et virtutum inerant, quibus magis ipsa inclinabatur ad bonum, quam illi, et vehementius à Spiritu sancto impellebatur, et maiori consolatione, et spirituali gustu, et amore ferebatur, nec quidquam habebat, quod illam retardare valeret, quo minus toto conatu operaretur, et intentionem primi principij adæquaret.

D. Tho.

Idem Sanct.

In hoc par erat Angelis, & primo homini in statu innocentiæ, & dum ipsa carnis fomite, & omni motu inordinato, in omnibus alijs eos excedendo, superaret, ac vinceret; cœpit hæc paruula ab ipso sui esse operari, & mereri, qui actus operatorius, & meritorius in ea, nunquam interruptus, sicut, nec actus sui perfecti amoris, quo ab ipso instanti amauit Deum, factorã suum, qui actus non potest esse sine charitate, & gratia, qua & si in illo instãti fuit plena, & per totam vitam durauit, itâ & actus amoris, qui vt ignis ardens, nec per mortem ipsam fuit interpellatus, sed ab actu amoris viæ immediatè sine vlla retardatione Virgo Beata trãsiuit ad actũ amoris patriæ, clarè, & apertè vidẽdo Deum.

Intuere anima mea, si vales, Corculum huius puellulæ, quomodo ab illo instanti suæ Cõceptionis ignescit, flammescit, ardet, & sui amoris erga Deum sine cessatione flammas emittit, nonnè & ipsa Altare Dei animarum tibi repræsentat, in quo ignis de Cœlo descendens, in ipso Conceptionis exordio ardere nunquam destitit, & ardendo: en tota ignita videtur flammis diuini amoris, ex illo igne quòd cælitus venerat super Altare, quem teste Diuo Augustino 937. in Leu. *mandauit semper ardere, & nunquam deficere, & quo custodito, omnia erant accendenda.* D. August.

Heù anima mea nimis frigidum est cor tuum, si hoc ad altare non accedit, si non calefit huius ignis calore? quo alio calefiet? si huius flammæ ardore non incipit ardere: heù penè mortuum illud i dica; immisit enim ignem de Cœlo sancto suo super hoc Virginis altare, & præcepit per totius eiusdem vitæ cursum semper ardere, & à Sacerdote semper nutriri? Quare hoc nisi quia omnia erant eo accendenda: accede, esto & tu Sacerdos, subijce ligna, cordis tui interiores actus, & affectus, mane per singulas horas, & vesperi, & imposito holocausto votorum tuorum desuper adole adipes pacificorum, ignis iste sit perpetuus, qui nunquam deficiet in altari cordis tui, approxima, accede, & ipsa calefaciet te.

O Domina mea confiteor, & erubesco simul, quòd nimis saxeum est cor meum, & vndique clausum, si tu amicta Sole, tui amoris igne non scindis illud, non conteris non aperis claue, seù sagitta dilectionis tuæ, semper durum, semper clausum, semper frigidum, & à te elongatum viuet, imò & morti proximum.

Si cor tuum, ô purissima, vndique diuino ardet amore, & amoris vulnere, vndique conspicitur vulneratum: Rogo Domina, & pietatis mater, vulnera cor meum hoc saxeum, hoc tui amoris vulnere, vt sic vulneratum vulneri cordis tui associetur, incorporetur, copuletur, & iaculo tui amoris eiaculetur, & vulneretur, & ipsam.

O emortua anima mea, si hæc ardens flamma te non accendet, & tui cordis duritiem te non aduret, non emolliat, glaciemque obdurati pectoris tui hic amoris Virginis ignis non liquabit, nũ

dissol-

dissoluet, & ad calorem eius liquatæ non excidunt præ dolore guttatim stillæ, & guttæ, & cor in partes non secet, non diuidet, non dirumpat huius fructus ramusculi, cui seruabitur hæc Victoria? si amoris igni negabitur Mariæ?

In cuius cordis altare duos præcipuè ignis illius globos liceat contemplari, Primus, quo Deum (vt beneficijs grata) plus ipsa sola dilexit, quam omnes Angeli, & Sancti simul, quoniam vbi augentur dona crescere solent etiã & rationes donorum; maius beneficiũ fuit ipsam Virginem eligi in matrem Dei, quam omne totum illud, quòd collatum est omnibus creaturis simul, & ex hoc magis tenebatur Maria Deũ amare, quam cæteri omnes electi, vt ex Diuo Hieronymo serm. de Assumptione colligi potest, & si Christus sit ab omnibus amandus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex tota virtute, maximè, & ardentius super omnes Sanctos à Virgine amandus erat. D. Hier.

Vndè ab ipsomet instanti suæ Conceptionis totam eam incanduerat Diuinus amor ità, vt nihil mundanum eius hunc potuit vnquam violare, seù vitiare affectus amorem, sed ardor continuus, & ebrietas ipsa persusi amoris actualiter, & sine intermissione semper erat ardens, & vehemens, & anima Virginis huius amoris flamma semper succensa, & accensa: adeò quòd non solum vigilando, sed, & dormiendo cogitabat de Deo, & Deum ipsum amabat, ita vt dicat de ea D. Ambrosius lib. 2. de Virginitate, *dum Beata Virgo dormiebat corpore vigilabat animo*, et nouis quotidiè inflammabatur desideriorum affectibus, tantò siquidem validius, quantò diuinis illius animus trahebatur intus amoris incrementis, hic fuit cordis Virginis, et primus ipsius amoris ramusculus, et fructus temporaneus. A. Amb.

Post quem Dei amorem nihil illi iucundius, nihil gratius, nec amabilius, et cordi illius tenacitus infixum, quam tibi ò anima mea semper adesse, semper prodesse, et opem suam, et auxilia tibi semper impendere, ò amoris excessus, ò dilectionis vehementia; ò vera mater pulchræ dilectionis, nondum limina vuluæ matris pedibus triuerat, et ventris illius vix claustra ingressa penetrauerat, et apud Deum de te est sollicita, de tua salute anxia; tuis necessitatibus subuenire, et tua pertractare negotia festina, et curialis.

Hoc amoris ergà te munus demonstrat, dum in vtero matris, non genua genis apposita, vt cæteri omnes, ipsa sola non tenet, sed stantem vidit in illo instanti Sanctus Dauid, et stat erecta, non curuata non solum in suæ puritatis, et innocentiæ testimonium, sed in argumentum tuæ protectionis, vt auxiliatrix, et aduocata, stat erecta negotia tuæ salutis pertractans.

Dominum Iesum post suam Ascensionem, in Cœlo à dextris Patris sui sedentem describit Marc. Euang. c. 1. què et martyr Stephanus stantem à dextris Dei vidit, et non sedentem, *quando vidit Cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*, numquid Christo in Cœlis non vna est positio? et concessio? si sedentem vidit vnus, quomodo stantem alter? si locus vnus, sedes vna, vna sessio, cur non vna corporis positio? Si stat, ergo non sedet, et si sedet vtique simul stare non potest. D. Marc. Euang.

O Dei mei summa bonitas, & clementia, nam quem Marcus Euang. sedentem describit, Iudicem siquidem in die Iudicij fore venturum insinuare nobis voluit, *quia Pater æternus non iudicat quemquam, ait ipsa veritas sed omne iudicium dedit filio*, in die illa in sede Maiestatis suę sedentem testatur se venturum. Ioan. cap. 5.

At Stephanus, dum lapidibus pro eius amore opprimeretur à Iudæis, quia in illo Cœlesti tribunali agebatur eiusdem martyris causa, cuius aduocatus tunc Christus erat, & aduocati fungebatur officio, & quia aduocati est stare, Iudici verò sedere, idcircò Stephanus non sedentem vidit, sed stantem. Astando suo clienti, dum sub sua tutela, & patrocinio se totum ille commiserat, & vt aduocatum interpellabat, rogabat, inuocabat, & præstolabatur indigens primus ille martyr in illo suo cõflictu sua defensione, suo adiutorio, & tutela, ad ipsum exclamauit, qui licet sedeat in dextera Patris vt Iudex, quãdò in Sancti Martyris causam intrauit, vt Aduocatus, surrexit & illius defensorem stantem se demonstrauit, vt præstò esset, & Stephano præberet auxiliũ, qui potius in terris tãti Aduocati adiutorio, tunc in tanto conflictu indigebat, & præstolabatur.

Vt Mater Domini Virgo Maria ſedet à dextris eius, ſed ſi in illo inſtanti, quo in matria ſuæ vulua concepta eſt, non ſedentem, vt matrem, vidit Propheta ſanctus, ſed ſtantem, & erectam, quare hoc? niſi quia illa ab exordio ſui eſſe, quando ingreſſa in mundum aduocatæ, & aduocaris à dextris Dei officium pro te aggreſſa eſt.

Aduocando ſuſcepit onus tuæ ſalutis, & tuæ ſaluationis negotia ſollicita, & ſedula ingreditur pertractando. ò violentia amoris, ò ignis inardeſcens poſt primum Dei amoris actum, tui ſolius eſt ipſa ſollicita.

En Mariæ fructus, & amoris illius effectus, en ò anima mea, tuæ aduocatæ erga te ignitas dilectionis, ac beneuolentiæ primitias; Cui enim ſalutis negotia pertractanda tutò valebis committere? niſi huic puellæ, & ſanctiſſimę Virgini? quæ ſimul, & mater eſt Iudicis, & Regina miſericordiæ, & ſummæ pietatis; quod ſi in te merendi deſunt merita, imò ſuperabundant mala, & demerita, ipſa tuæ inopiæ, & indignitati tuæ ſua gratia ſupplet, ſuo adiutorio, & auxilio ſuppeditat, & pro te ſuppliciter, & efficacitèr rogat, nam ad te protegendum vehementis amoris ſtimulo ſemper pungitur, ſi illius tua negotia protectioni toto corde committis.

Trepidas fortaſſe ad eam accedere, & illi tuæ ſalutis cauſam committere, quia Virgo eſt, *& Virginum*, vt docet

D. Ambr.

D. Ambroſius lib. 2. ſup. Lucam, *eſt trepidare, & omnes viri affatus vereri, & ad omnes viri ingreſſus pauere*; Virginum eſt ſolitaria loca quærere, amare ſolitudinem, & hominum aſpectus declinate.

Paulus Apoſtol.

Sed, & Apoſtolus Paulus, Mariæ aduocationem videtur reddere ſuſpectam cū ſit Virgo; *Mulier innupta, & Virgo*, ait ipſe ſcribens ad Corinthios 1. cap. 7. *cogitat, quæ Domini ſunt*: Tota Virginis intentio tendit ſemper ad Deum, ſoli Deo ſeruire, ipſi Deo adhærere, Deo placere, & Deum toto corde, tota anima ſemper amare, & quæ Dei ſunt duntaxat cogitare, operari, & perficere.

Quòd ſi Virgo, vt non diuiſa animo partem Dei magis tueri tenere, amplecti, & pro Deo magis militare videtur, certè eius aduocatio omnibus redditur ſuſpecta, quomodò ergo, & qua ratione meæ ſalutis negotia pertractanda, & rerum mearum omnium cauſam tutò ei audeam committere? quæ mihi ſpes auxilij, & protectionis? quæ, & qualis mihi erit euadendi fiducia? Si Maria eſt Virgo, & Virgo ſingularis, & vt Virgo, quæ Domini ſunt cogitat, vt ſit ipſa ſancta, & corpore, & ſpiritu? Sancta corpore, per caſtitatem, ſancta ſpiritu propter familiaritatem cum Deo, & propter inhabitationem Spiritus ſancti cuius lumine edocta, cuius igne accenſa, quę Dei ſolum ſunt cogitat, ruminat, meditatur, & penſat.

Virgo eſt, noli tamen timere, noli, ò anima mea, trepidare, & pauere, quia Virgo non nupta, ſed benè tantum deſponſata, ait enim Euang. Matthęus c.

Matth. Euangel.

1. *Cum eſſet deponſata Mater Ieſu Ioſeph*; ò bonitatis diuinæ immenſa pietas, ò diuini amoris pelagus, Virginem elegit Deus, vt cogitet, quæ Dei ſunt, pertractet, quę Domini ſunt, meditetur quomodo placet Deo, ſed voluit deſpõſari, ait. n. idẽ Apoſt. 1. ad Cor. c. 7.

Paulus Apoſtol.

Quę nupta eſt cogitat, quæ ſunt mundi, quomodò placeat Virgo, talem nobis præſtitit Deus aduocatam, vt cum Deo familiaritatem haberet per cordis, & corporis puritatem, & virginitatem, ideò elegit Virginem.

Et vt nupta cogitatet de nobis, & noſtris neceſſitatibus præberet opẽ, & auxilium, quia deſponſata illi fiducialiter tuę ſaluationis cauſam committe, mulier nupta cogitat, quæ ſunt mundi, quumodò placeat viro, vt deſponſata non cogitat, niſi quomodò tibi poteſt prodeſſe, & ſemper tibi adeſſe, audi Diuum Bernardum, ſer. ſignum magnum.

D. Bern.

Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt, omnibus offerens lac, & lanam, reuolue diligentèr Euangelicæ hiſtoriæ ſeriem vniuerſam, & ſi quid fortè increpatorium, ſi quid durum, ſi quid denique ſignum tenuis, vel leuis indignationis occurrerit in Mariam, de cętero ſuſpectam habeas, & accedere verearis.

Animequior igitur eſto anima mea, non quia cogitat, quæ Dei ſunt, vt Virgo, Maria obliuiſcitur tui, aut deſerit, aut abeſt, nec quia tuæ ſalutis negotia pertractat, vt deſponſata; Dei efficitur obliuioſa, ſed & quæ Dei, vt Virgo, & quæ ſunt viri vt deſponſata ſemper cogitat,

D.Io.Ap. gitat, inuigilat, & dat operam: Hunc Virginis nexum counexuit D. Ioannes quando vidit Deiparam Sole vestitam, & coronatam stellis: Soli comparantur Virginis, desponsatæ verò, seù nuptæ D.Isidor. Pelusiot. stellis assimilantur, ità D. Isidorus Pelusiota lib.3.epist.151. *Soli eos, qui Virginitatem amplexi sunt, Lunæ autem qui continentiam, ac deniquè stellis eos qui honorabile connubium amplexi sunt, atque conseruarunt, comparare licet, maximè cùm Paulus calculum sum addat, &* Paul 1. Cor.c.15 *dicat alia claritas Solis, alia Lunæ, & alia stellarum*; hæc ille. Sole vestitur Maria, quia Virgo, stellis coronatur, quia desponsata fuit.

O felicem pro nobis stellarum coronam, ò beata anima, cui hæc stella Maria luæ pulchritudinis aspectu fauet, suæ charitatis calore fouet, suæ lucis radijs irradiat sui patrocinij influxu influit, & fæcundat, protegit, & saluat, *in signum victoriæ, opulentiæ, præstantiæ, & regiæ dignitatis*, quia cum Christo beati regnant in cœlo, capita coronis D. Ioan. habent redimita, sic testatur D. Ioannes cap.4. in Apocal. in quo loco inquit D. D.Andr. Cretens. Andreas Cretensis: *Coronæ signa sunt victoriæ, cuius viriliter agentes compotes euaserunt, sed eorum coronæ non sunt stellarum, sed mediæ Lunæ*.

Cur Sanctorum capita in signum honoris, & gloriæ Lunæ mediæ coronantur coronis, & Mariæ solius caput corona, & serto redimitur stellarum? O mysterio, ò prodigia tantæ Virginis, dum diadema, quòd in signum honoris, virtutis, victoriæ, meriti, & decoris iustorum capitibus imponitur, substernitur, subijcitur, et deprimitur sub pedibus Mariæ, & Virginis fundamentum est aliorum beatorum fastigiū, & quòd ad honorem aliorum inseritur capitibus, hoc idem sub Virginis collocatur pedibus, et vestigijs.

Electorum diadema mediæ Lunæ præsefert figuram, vt in eorum imaginibus patet, quo eorum facinora, vt iustus iudex Deus coronat, vndè et lunulæ vocantur eorum coronæ, at cur Maria sola coronatur stellis, Sancti verò omnes lunulis? nisi vt addiscas, et tu anima mea, quòd isti in vtero matris vix concepti curuati, vt Luna apparuerunt, et iam nati, et hac vita degentes, et incrementa, et decrementa, augmenta, et defectus Lunæ, licèt tandem lucis gratia roborati, et irradiati à Deo peruenerint ad nouilunium, sæpè passi sūt, et experti, quapropter meritò coronātur lunulis, Maria verò stellis, vt eius stabilitatem, et innocentiam intelligas, et sui officij erga te munus agnoscas.

Stella à stabilitate, eò quòd fixè, et firmè stabiliter stat in cœlo nomen sibi vendicat; substantia namque stellarum solida est, et firma; vndè nec vetustate stella corrumpitur, nec putredine remollitur, nec aliquo casu dissipatur, sed fixè stat in firmamento cœli. O Maria, et quæ vnquam stella te solidior? nulli corruptioni tu nunquam obnoxia, nullo tribulationum impetu, tu nunquam concussa, nulloque tentationis turbine, nec obumbrata, nec vnquam corrupta, tu stella matutina in medio nebulę, quę in cœli cardine summo splendore coruscas, orbem animarum tibi subditarum splendioribus radijs incoloras. Verè tu stella ò Maria, quæ Christum radium tui vteri virginalis sine corruptione vlla, et sine tuæ virginitatis diminutione emisisti in mundum, ità de te, tibique psallans D. Bernardus cecinit homil.2. D. Bern. sup. Missus est: *Stella Virgo est, quia sicut sine corruptione sydus emittit radiū, sic absque lesione sui parturijt filium, nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam integritatem*; intuere anima mea stellam hanc in cœlo materni vteri, & videbis eam stabilem, solidam, firmam, erectam, non curuatā, sole innocentiæ amictam, & ad te protegendum, ad te auxiliandum coronatam stellis.

Stellæ in firmamento cœli factæ sunt à Deo ad ornamētū supernorum, & ad regimen inferiorum, Maria effecta est stella, vt sua luce, sua præsentia triumphantem exhornaret Ecclesiam, & militantem regeret sua diffusiua influentia, cum sit ipsa pietate, clementia, bonitate, & misericordia maximè diffusiua, & quòd hoc sit erga nos Virginis munus audi D. Bernardum hom.2. sup. Idem Sanctus. Missus est; *Stella ex Iacob, cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor, & præfulget in supernis, & inferos penetrat, Terras etiam perlustrans calefacit mentes, fouet virtutes, excoquit vitia, vt suis meritis, precibusque curet, & sanet*.

Lepra graui laborabat Naaman Syrus, & sui morbi non inuenit salutem, nisi

4.Reg. c. 5.n. 10. nisi in Samaria per verbum Elisei, qui dixit ei: *Vade lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis*; qui licet esset idolatra ex multis leprosis, qui tunc temporis erant in Israel sub Eliseo, vt dixit Dominus noster Iesus Christus sui Nazarenis: *Nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.* Cur è pluribus hic solus suæ infirmitatis adinuenit medicinam, & mundatus est à lepra? Num quia incolæ, & conciues contempserunt sanctissimum eorum Prophetam, & hic solus agnouit, & credidit, vel quia hic solus procul à Patria peregrinatus est, vt sibi sanitatē compararet, quæ huius solius causa salutis? si tot, & tam multi erant leprosi, cur huic soli à Propheta sic perfectè gratia sanitatis erogatur? quando vt notat tex. iuxta sermonem viri Dei restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli, & mundatus est.

Luc. c.4. n.27.

Attende quid dicat Scriptura diuina lib. 4. Reg. cap. 5. *Quòd egressi de Syria latrunculi captiuam duxerunt de terra Israel puellam paruulam, quæ erat in obsequio vxoris Naaman*, & licet serua, sollicita tamen erat, & anxia de salute Domini sui; vndè quadam die dixit Dominæ suæ, vtinam fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria profectò curasset eum à lepra, quam habet; quid ille? Credidit, & parauit puellæ, venit Samariam, petijt domum Elisei, à quo & mundatus est, non tangens eum manu sua, sed præcipiens vt vadat, & lauet in Iordane, in quoad præceptū Elisei restituitur caro Naaman leprosi, sicut caro paruuli pueri, & leprosus ille vtique non mundaretur, nisi consilio, & verbis puellæ obtemperasset.

4.Reg.

O vehemens huius Israeliticæ puellæ misericordiæ, & pietatis affectus erga leprosum Dominum suum, qui lepra laborabat in corpore, sed infidelitate infirmabatur in corde, & quamuis Idolatra peroptabat puella illum videre mundatum à lepra in corpore, & curatum ab Idolatria in corde. Aetate paruula erat, sed fide grandis, pietate, misericordia, & charitate magna, quæ vbi fidem suam, vt sanaretur ille, ipsa interposuit. Quid accidit? id vtique, quòd puella sic anxiè cupiebat, nemo mundatus est nisi Naaman Syrus, quo merito? qua virtute? nisi fidei seruæ, & heri obedientia, & diuinæ misericordiæ liberalitate; Audi D. Ambrosium: *Sacrata consilio puellæ, à Propheta salutem sperare commonitus, non terreni Regis imperio, sed diuina misericordia liberalitate sanatur.* D. Ambr.

Sancta hæc puella, tam parua, quæ si paruus à puro deriuatur, quæ Maria purior? quæ misericordia, pietate, clementia, dilectione, & charitate beneuolentior vnquam, vt Maria? quæ meritis fœcundior, & qui leprosus huius puellæ meritis, consilio, influxu, & precibus à lepra peccati non conualuit? pro quo ipsa Deipara ad Deum præces fuderit.

Quæ nomine, & re Domina est, sed humilitatis virtutem Ancilla se nominat, non serua pro Domino, sed Domina pro seruis, & vt ancilla, & vt mater Dei filium naturalem, vbi pro adoptiuis deprecauerit, quis non mundabitur à lepra? Quis non restituitur illicò sanitati? si est, vt de se ipsamet loquitur apud D. Damascenum: *Ego quasi officina medicinæ ægrotantibus, ego quasi fons perennis curationum.* D Damascen.

O Maria si me lepra peccati ejecit à Paradiso, si extra castra salutis me constituit, si à societate, & consortio Sanctorum, vt immundum, & contaminatum expulit, & segregauit, vbi meæ curationis spes tuta? Vbi meæ immunditiei, & ablutionis fons, & fluuius, nisi tu ò Virgo? ò mater reconciliationis, & nomen sanctum tuum.

Leprosus sum ò Maria ad te confugio, quia tu sola sufficis ad medendum, & ad me mundandum: Nulla lepra tam efficax, quæ ad tui nominis ò dulcissima Maria non cadat continuò, & illicò non mundetur, vt ergo munder à lepra, & restituar sanitati, cœlo, societati, et consortio Sanctorum, ad hoc coronatā stellis, et erectam te intuetur anima mea in vtero matris tuæ, vt sis mihi stella salutis, tuo aspectu, tua claritate, tuo calore, tuoque influxu dirige me, vt perueniam ad portum quietis æternæ.

Terret me mei lepra peccati, sed confido, quia dulcis es, et suauis, benigna, et misericors clemens, et mater misericordię, si tota ignita, et igne charitatis ardes, vndè in me timoris locus, et non potius fiduciæ? Ignis iste Virginalis iuxta Domini præceptum perpetuus est, nec inundantes aquæ culparum mearū valent extinguere, nec flammas eius in par-

partem remittere, quin ad meæ salutis, et protectionis gratiam præstandam sursum ad Deum semper emittat.

Ascende ergo ad palmam, Intuere ramusculum hunc, et cum spiritibus illis cœlestibus, qui ad eam visendam ascendunt, et certatim descendunt, et venerantur, et adorant, et laudant puellam nouitèr conceptam: congaude, et ei congratulare, et tu anima mea, lauda, et tu quam dulcitèr laudant Angeli, benedic, et tu quam sic deuotè benedicunt illi spiritus cælorum, adora Virginem, ama illam, et illi totam te committe, quia licet paruula, tamen potentissima, plena misericordia, plena gratia, plena amoris igne, plena omni potestate, et nihil ei impossibile, mater Dei est, et Regina Virginum cuius sola potestas resistere valet potestati illius, qui de carne sua carnis traxit originem. Tibi ò Maria, ò beatissima mea puellula data est potestas in cœlo, et in terra. Accede, rogo te, ad illud aureum humanæ reconciliationis altare, et reporta animæ serui tui suæ salutis, suæ reconciliationis antidotum; ò solatium animæ meæ, quantæ sollicitudinis, ac diligentiæ pro me adhuc penè concepta existis, vt nec ad horam à dextris Dei recedis, sed astas, et erecta stas semper orans, semper impetrans.

Multum Domina, et aduocata mea de tua puritate, misericordia, et materna tua pietate præsumo, tua gratia confirma me infirmam, restaura me perditam, suscita mé mortuam, et omnes sensus meos, cogitatus, et actus meos dirige, et guberna ad tui laudem, et gloriā, vt de cætero tibi soli seruiam, tibi soli viuam, cunctis diebus vitæ meæ.

Esto ergo Maria mihi tu Maria, et aduocata vt semper benedicam nomen sanctum tuum, quod sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria mater Iesu Filij Dei, tuis pedibus prouolutos; te præcor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, sub vmbra huius ramusculi protege me, salua me, et fructibus eius inebria me, accende me, vt amem te, et benedicam nomini sancto tuo nunc, et in hora mortis meæ. Amen.



DE FELICISSIMO ORTV BEATÆ MARIÆ VIRGINIS surgenti Auroræ comparato.

RAMVSCVLVS QVINTVS.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens. Cant. cap. 6.



Ouem iam hodie mensium expleto numero, in quo terra illa benedicta sterilis Annæ edidit fructum, quo mundus totus exatiatur, reficitur, saginatur, & impinguatur, hodie namque prędefinito tempore, & die octaua Septembris illucescente mundo nascitur Puerula Maria, quæ Filij Dei mater simul est, & prædilecta filia, quæ Angelorum Regina simul est, & Domina, quæ mundi iam perditi reparatrix simul est, & plenum gaudium, quæ & tui, ò anima mea salus est, & ad tui salutem bellatrix acerrima; quæ in die ortus sui tantis plena nascitur gratiarum cumulis tantis honestata virtutibus, quòd in donorum copia vni tantum cedere videtur filio, qui solus fons gratiarum omnium est & radix & origo.

Vt meritò supernorum spirituum mentes admiratæ exclamant, quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, quorum lętantium, & exultantium voces ciunt, & vrgent tua precordia, vt ex vallibus simul, & tui pectoris rupibus etiam lætissima resonet Echo, quasi aurora consurgens; verè aurora; nam quum mundo tenebris circumfuso cæpit Natiuitatis ortus consurgere Mariæ, tunc verè cæpit, & nobis mortalibus apparere aurora Solis æterni luminis, quo & si irradiantur omnia, quid auroræ huic contulit splẽdoris Sol iste? tanti luminis spendore aurorauit Mariæ auroram, vt de ea dicat D. Bernard. D. Bern. *Rectè quidem ò Maria auroræ officium implesti: ipse enim Sol iustitiæ de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione præueniens, in te lucis suæ radios copiosè transfudit*; Si diuinitatis radijs fulget Mariæ aurora, quid mirum si tantæ nouitatis stupore rapti illi Spiritus Cœlorum exclamant: *quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens.*

Aurora tu prænuncia diei sempiterni; sicut enim aurora finis est noctis prę teritæ, & subsequentis diei initium: sic Natiuitas tua finis fuit dolorum, & consolationis initium, finis tristitiæ, simul, & lætitiæ extitit principium.

Aurora dicitur, quasi aurea hora, sic tua natiuitas, ò Beata, ò fęlix recens nata Infantula, fuit pro nobis aurea hora; dum veluti aurora fuit noctis atræ culpæ deauratus finis, quo exclusa caligine, deaurata illuxit dies splendore gratiæ singularis.

Ortus enim auroræ à lumine incipit, & paulatim crescit quousque Soli, cuius est prænuncia copuletur, iungatur, & incorporatur, & sic luce nunquã ipsa priuata videtur: imò luminis fons, mater, & origo.

Post Cœli, & terræ creationem, & mundi totius productum prima omniũ creata fuit illa lux parua, quando dixit Deus *fiat lux, & facta est lux*, cuius lumine illucescente, tenebræ, quæ tunc erant super faciem terræ excussæ euanuerunt: sed quæ esset lux ista? non modica inter Doctores versatur contrarietas, & contentio; nam omnia, quæ in Cœlo lucere probantur, lumen à Sole mutuantur, si lucet Luna, si splendent astra, & splendescunt Planetæ, à Sole habent quidquid inest eis splendoris; Et si corpus solare quarta die fuisse creatum testatur Sacer text. & illa lux fuit prima omnium, quæ lux hæc fuit? vel à quo lucem ipsa mutuata fuit, vt Genes. cap. 1.

sic clarissimè luceret in mundo?

Lux illa paruula, & nubecula clara, & lucidissima traxit originem, Deo omnium auctore sic disponente, vt illius confusi Chaos vmbras, & tenebras radiantibus eius fulgoribus procul pulsaret, & expelleret: ex qua, & de qua quarta die, idem Deus, & Dominus omnipotens produxit hoc solare corpus; quòd nunc sic clarè nostris oculis intuemur, & cernimus.

Si hoc operatus est Deus in mundi creatione, hoc idem decens erat, vt operaretur in illius inuocatione, & reparatione, à quo, vt peccatorum tenebras, illum innouando foras emitteret.

Primò omnium lucem creare necesse habuit, *Fiat lux, & facta est lux*; lux hęc fuit Virgo Maria, lux verè surgentis auroræ, quæ non solum Solis fuit prænuncia: sed ex eius carne veluti ex nube lucidissima formatum credimus, & confitemur corpus illud æterni luminis, quo clarificata fuit vniuersalis Ecclesia, & illuminaretur quælibet anima fidelis, insuper, & prima illa cœlestis dicente Ioanne, *Et lucerna eius est Agnus*.

D. Ioan. Ap. Apo. c. 21. nu. 23.

Lumine originalis gratiæ, qua in instanti suæ Conceptionis, sic à Deo præuenta, & illustrata cępit, hæc virginalis aurora clarescere tantis fulgoribus, & candescere tantis splendoribus, quo vsque succreuit, & vsque dum Soli illi diuino æterni Patris Filio vniretur, copularetur, & ex ea generatum nascere-tur, vt meritò exclamet D. Hieronym. *Nihil est candoris, nihil est splendoris, nihil est virtutis, quod non resplendeat in Virgine gloriosa*.

D. Hier.

Ortus Virginis hora verè fuit ortus auroræ: Aurora dicitur quasi auium hora: Aues enim in ortu auroræ lætantes ad canendum excitantur, & dulcitèr, ac modulatis vocibus cōtinuè canunt; ò felix hora, ò lætissima mea aurora, nonnè in hora ortus tantę Virginis Aues cęli supernorum spirituum læti exultabundi concinunt, & psallendo canunt, & tympanizando nouis gaudij, nouisque iubilationis replent corda fidelium: ad nos descendunt, nobis appropinquant, nobiscum conueniunt: qui quasi dormitantes à nobis prius elongabantur, & ab eorum officio nos purgandi, illuminandi, atque perficiendi pigritabant, illucescente autem hodie noua hac aurora, quæ nostrę salutis reuera fuit aurora, cęperunt spiritus illi Angelici, aues illæ cœlorum vocibus canendo vigilantius disponere nos ad suscipiendam gratiæ cęlestis illuminationem; purgationem culpæ, & perfectionem immarcescibilis gloriæ; qui singularis effectus auroræ nobis prędemonstrauit petitio illa Angelica, *quùm Angelus cum Iacob luctaretur, & videret, quod eum superare non valeret, dixit; Dimitte me, iam enim ascendit aurora*; at Iacob dicendo: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi: hæc tria beneficia ab Angelo consequi velle signauit, purgationem partis affectiuæ consequutus est in sui fœmoris percussione, cuius neruus ab Angelo immediatè percussus statim emarcuit, illuminationem partis intellectiuæ obtinuit, quum mutato nomine Iacob in Israel in diuina summi boni visione illuminatus, & eleuatus remansit, vt ipsemet de se testatur; *Vidit Deum facie ad faciem*: nam Israel videns Deum interpretatur: in benedictione illa quando benedixit ei in eodem loco Angelus: tunc assequutus est perfectionem gloriæ benedictionibus cœlestibus repletus; *Vidi Deum, & salua facta est anima mea*, cecinit ipse Iacob.

Genes. cap. 32.

O anima mea in ortu huius auroræ, si angelicæ illæ aues canunt Deum laudando, concinunt Virginem iam natam exultando, cantant, cęlum, & terram exhilarando, & nouis mundus totus gaudijs repletus exultat, & lętatur, & iubilando congaudet cum Angelis, & Angeli psallendo cum hominibus ducunt choreas ad nostræ salutis exordium, & profectum, esto, & tu, in ortu huius aurorę auicula cęli eleuans teipsam per contemplationem, vt mens tua à terra subleuata in altum per contemplationis pennam, & tota effecta spiritualis cum Angelis exultes, & lęteris, excita te, & si attentè obserues ipsa aurora te concitat, agit, & pungit ad laudandum Deum, et benedicendum, vox Virginis, vox est surgentis auroræ: Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia, omnes gentes plaudite manibus, et in ortu huius aurorę iubilate Deo in voce exultationis.

Ortus Mariæ, ortus fuit surgentis auroræ, quando velut pulcherrima aurora in sui ortus exordio flores, quos diffundit, et spargit tantæ sunt suauita-

tis

tis diuinæ odore referti, et cordis intima medullitus penetrant, et suauitèr attrahunt linguam, ad eam collaudandam,& cum iubilo ad benedicendum.

Ortus Mariæ, ortus fuit surgentis auroræ,de tenebrosis mōtibus nascens, & de luteis parentibus ipsa cōsurgens, velut aurora percussa à Solis splendore in ipsa nocturna caligine non obscura, non obnubilata illorum fęditate nasci visa est, sed accensa lumine, & gratiæ radijs irradiata,& fulgoribus deaurata aureis, luce sua aurea deaurat illorum lutum,& fęditatem condecorat, & illorum tenebras in lucem candidam vertisse præmonstrant illi spiritus cœlorum, dùm ad huius lucis splendorem, sic admirati exclamant: *Quæ est ista,quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi ex aromatibus Myrræ,Thuris.* Cant.c.3.

Ecce Virginis progenitores, ecce Virginis proauum imagines luto, & fumo culpæ originalis obnubilatæ, sed fumus illorum, & cænosi, ac luculenti eorum gradus,& gressus huius auroræ ortum nihil offendunt,imò ad ortum surgentis auroræ auro illo auroræ huius respersi,et ipsi deaurati cōsurgunt, dùm velut fumus pulueris pigmentarij suauissimum odorem in aureo thuribulo, sub candoris nubecula ascendunt vsque ad cubiculum Regis, & ad thronum Dei viuentis, auro huius auroræ circumamicti,& deaurati.

Satis concinnè hoc expressit D.Ioannes Ierosolymitanus in lib. de institut. Monacorum cap.32. super illa verba 3. Reg.cap.18.vbi ait tex.*Et ecce nubecula parua ascendebat de mari*; quæ nubecula satis expressè adumbrat Virginem Mariam; sic dicit ille;*Licèt nubecula illa esset originaliter eiusdem naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis,alterinsque proprietatis; mare quippè graue & ponderosum est, sed nubecula illa leuis, mare in se salsum, & amarum; sed nubecula illa dulcis fuit, & suauis: Ecce nubes à mari nascitur,& maris aquæ naturam habet, sed ablatis imperfectionibus, impuritatibus leuissima consurgit nubes sine pondere,& sine amaritudine, dulcitèr fundens aquarum guttas,& suauitèr rigans faciem arentis terræ,eamque vberrimè floribus, fructibus fœcundans.* D. Ioan. Ierosol.

Hæc nubecula Mariam adumbrat, quę in suo ortu quasi aurora consurgit de mari suorum progenitorum, sed eorum amaritudinibus, & peccatorum fœditate,& ponderositate denudata, & eorum ab impuritatibus purgata,ac si aurea aurora nascitur.

Solius eius ortus meritò auroræ cōparatur,& nomen auroræ ipsa sola sibi vendicat, quum solius eius natiuitas fuit gratiarum culmine plena,& priuilegio singulari dotata,quia nascens nascitur, vt æterni Solis filia,vt ipsa de se testatur in Ecclesiastico cap. 24. *Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.* Ecclef.

Modus loquendi, hoc explicat mysterium; certum enim est Virginem fuisse progenitam per actum generationis,& non creationis, si fuit generata, & non creata,cur potius in sua generatione non generationis sibi vendicat nomen,sed creationis, cum iure dicere debet, qui generauit me requieuit in tabernaculo meo, & non qui creauit me,&c.

Notum est, quòd creatio fit ex nihilo, & productum ex nihilo, nihil infectionis, seù impuritatis habere potest, cum creatio fit ex puro nihilo,nihil inficere valet; at generatio cum fit ex præsumpta materia,quid mirum,si fœtus, & partus maculatur infectione, & impuritate, qua maculata est ipsa materia, ex qua fœtus ipse trahit sui esse originem.

O purissima aurora cordis mei, ò naturæ miraculum verè tui solius ortus fuit surgentis auroræ,nata est ex semine Abrahæ, horta est ex stirpe Dauid,& ex collibus Ioachim, & Annæ, nocturno peccati originalis fœdati cœno,quorum macula, quia illi nulla adhæsit nec labem illam tenebrosam contraxit suæ generationi,potius creationis nomen dedit, quam generationis, quod clarius se explicans subiunxit; *Ego ex ore Altissimi prodiui.* Ecclef.24. irà purissima prodijt per generationem ab Anna, ac si ex solo Dei ore per actum creationis prodijsset, meritò ad sui ortus puritatem declarandam dixit; *Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.* Ecclef.

Omnes nos quando nascimur, Adæ filij nascimur, Maria verò ortus fuit velut aurora consurgens, quia nascendo hodie, nascitur non vt filia Adæ, sed vt Dei Mater; & Dei Mater, hæc puella,etiam ab ipso suæ Conceptionis instanti, & exordio,ità,docet D.Chrysolo- D.Chryf.

fologus ferm. 146. *An Genitrix, quando non? quæ sæculorum generauit Auctorē: numquid fuit nē tempus, quo Virgo hæc*
Fulbert. *desitit esse mater*; quòd & Fulbertus cōfirmauit de laudibus Mariæ scribens, ait; *Hæc quidem Virgo, mater priusquam nasceretur, diuinis miraculis designata*; hoc priuilegio insignita nascitur, quando Dei mater nascitur.

Matris Dei dignitas in Maria, non compensatur, nec computatur facti exe cutione: sed tantum meritorum pondere, quòd in se congruenter habuit, vt Dei matris munere dignè hoc potiretur: quòd si hæc existens adhuc in vtero matris suæ dignitate hac minimè ipsa carnit, vt ei nunciando prædixit
Luc. Eu. Angelus in illis verbis; *Ecce concipies in vtero, & paries filium*: satis erat dixisse: Ecce concipies, cur addidit in vtero? Christi Conceptio vtique alio in loco efficienda non erat, nisi in vtero ad generationem duntaxat apto.

At vt Nuncius ille diuinus ostenderet. quòd iam ante mente conceperat, & in vulua cordis sui iam conceptum ipsa tenebat ab instanti suæ conceptionis, in quo si eam Deus oppignorauit gratijs, virtutibus: & Spiritus sancti donis, & Charismatibus: quibus si potuit Virginem in altum sic attollere: vt idem Verbum in vtero conciperet; quùm perfectæ esset ætatis, cur non prius in mente: antequam ipsa in mundo nasceretur.

Quid moramur in hoc ô anima mea: en ipsiusmet Virginis indubitatum, & singulare testimonium: dum in Canticis cap. 8. Pectus se habere, & vbera matris testatur; Vbera enim in sacra Scriptura maternam dignitatem solent prę signare: Vt Virgo igitur ostenderet ab ipso instanti conceptionis suæ; potitam fuisse hanc Dei matris dignitatem; satis
Cant. c. 8 apertè fatetur de se dicens: *Ego murus: & duo vbera mea quasi turris*; ô Virgo benedicta, hæc in te dignitas, quando tibi fuit collata? sic respondit: Ex quo facta sum; quid clarius? quid dulcius? si nascens: vt aurora; aurora fuit Solis æterni simul; & mater; & sic primò mater; quam mundo nata.

O consolatio non modica, ô verba lucidissima, murus est, & turris ad te protegendum, mater est ad te nutriendum, quia infirma es ô anima mea: En tibi murus, & turris est tibi Maria, quia paruula, & orphana. En mater, si virium tuarum times imbecillitatem: En tibi murus est, et turris, ascēde ad Palmam, absconde te à facie inimici tui sub vmbra huius ramusculi: si confunderis tua paruitate, et erubescis, et cupis crescere in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi: En mater tibi est, vt suo te lacte lactet, et nutriat.

Murus est, et turris ad tui fortitudinē, sed mater per pietatem, murus: et turris ad tui defensionē, sed mater amabilis ad suū erga te amorē, cuius vbera nō tantum sunt vbera ad lac præbendum, sed murus, & turris ad protegendum, & saluandum, vim non solum habent nutritiuam vt vbera, sed munitiuam, nam quos vberibus nutrit, vt murus, & turris munit, & protegit, saluat, & defendit: vt mater pulchræ dilectionis, & immensæ pietatis vbera habet ad escam, vt nutriat: turris est ad protectionem, vt defendat: Audi Pijssimum Guillelmum: *Vbera mea non tantum sunt vbera, sed etiam turris, non tantum nutriendi, sed, & protegendi vim habent; nullus ergo me putet habere, quo nutriam, & non habere, quo muniam, materna pietas mea, quos nutrit etiam munit, quos nutrit, vt discant, atque grandescant, munit à facie inimici, donec grandes effecti contra eum in campum fiducialitèr exeant.* Guilell.

Esto ô Maria animæ meę tu pietatis, & lucis aurora, vt ab ea noctis tenebræ atræ effugiantur, & oriatur ei lux vera diei, ne eam tenebræ comprehendant; esto ei Maria, & tu aurora, si ad filios Israel manna nōn descendebat, nisi in aurora, vt in Exodo cap. 16. & in lib. Num. Exod. cap. 11. legimus, ità Man hoc est dulcedo gratiæ, tos lætitiæ, & spiritualis consolationis non descendit in animam fidelem, nisi in Aurora in ortu Mariæ. Num.

Nam quum Sol suo appropinquat ortui, finxerunt aliqui, auroram illi fores cœli aperire floribus per multis vndique refertis, & illis apertis flores in terram decidere: non indoctas hic sequuti fabulas, sed potius veritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ hoc munus, vt vera Aurora tribuit Mariæ non solum cœli portas aperiendi, sed ipsammet esse cœli portam, per quam ad Deum securum habemus accessum, dū cantat de ea: *Intrent vt astra flebiles cœli fenestra facta es*: hæc enim porta à quacunque anima pulsata fuerit instar

por-

portarum auroræ cœlestium donorum flagrantes rosas in eam continuò effundit.

O felix aurora, per quam Solis præsentia nunciatur,& proxima dies,quid mirum,si ea surgente,aues cęli iubilāt, & lætantur,nocturnæ verò fugiunt, & obmutescunt; in aurora duxit Deus filios Israel per mare rubrum,ad portum saluationis, in qua & exercitum Pharaonis proiecit in mare, & descenderunt in profundum, quasi plumbum in aquis vehementibus.

O Maria tu vera salutis aurora, esto mihi aurora,& prenuncia diei tuæ gratiæ,vt currus,& equites vitiorum meorum,& exercitus inimicorum meorum demergantur,& suffocentur in profundum,& anima mea vera Israelitica ambulans per siccum, salua perueniat ad portum suæ saluationis, oriatur super eam ille Sol iustitiæ, qui à te nasci ad eiusdem salutem misericorditer complacuit,illumina radijs tuæ gratiæ oculos animæ meæ,vt te amet,te diligat, te benedicat omnibus diebus vitæ suæ.

Euigilare anima mea, & excutere te à somno tuæ ignauię,hoc suo ortu promittit Maria, quæ nascendo consurgit vt aurora; Auroræ munus est, ea exorta,homines excitare, & vrgere ad operationem,ita Psalmus David 103.*Exibit homo ad opus suum: & ad operationē suam, vsque ad vesperam*: Exorta est iam tibi aurora,ne torpeas, nec segnitiei tuæ somno noli amplius obdormiscere,expergiscere à somno; nam & à corpore, & ab otio sua luce te auocat aurora Mariæ: Quòd ante ortum huius auroræ fuerint homines somno,& otio deditì; nec mirum,si tenebris erant circumquaque perfusi,non erat,qui excitaret eos;nec,qui suo exemplo alliceret ad operationem, nunc otio vacare secordiæ, nunc desidiæ torpore torpescere,ingens quidem culpæ; en aurora suæ lucis radijs te excitat, vrget, & allicit; nam non sibi soli nata est,sed & tibi, vt inquit D.Damascenus: *Vitam habebis natura præstantiorem non tibi soli, nec enim tui causa progenita es sed & alijs.*

David. D.Dam.

En & illi conciues cœlorum dulcisono cantu,iubilationibus nunc plaudendo natæ puellæ, nunc iubilando Deo, quem ob hoc nunc glorificant, nunc mirabilem prædicant in formatione tantæ Virginis,hoc idem & Spiritus sāctus in lib.Sapientiæ cap.16.n.28.*Quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, & ad Orientem lucis te adorare.*Et quæ hæc lux,ad cuius ortum oportet Deum laudare,gratias illi agere,& benedicere, nisi hæc Virginis aurora,sic Pijssimus Riccardus lib. 7. de laudibus Virginis: *Oportet*, inquit, *ad ortum lucis adorare te,idest gratias agere de ortu Mariæ, per quam illuminatus est mundus.*

Lib. Sap. Riccar.

Vt tu anima mea à tanta luce huius auroræ merearis illuminari,gratias age Deo,illum lauda,& benedic,excutere de somno,& festinare ad opus laudationis,& benedictionis,nūc gratias agendo,nunc benedicendo Virginem. Diu. Thomas Valentiæ Episcopus serm. 35. de Assumpt.B.Virginis,ità scribit: *Solent fortes operarij, surgente aurora, de somno surgere,& quasi sereno illucescente exire ad opus suum, ne forte veniens Pater familias inueniat eos stantes in foro otiosos; vndè Rex Salomon hac Aurora ponit finem sopori, & exit ad opus suū intuetur speciosam, miratur immaculatam laudat Mariam dicens: Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens.*

D.Tho. Episcop.


Surge & tu anima mea, & exi ad opus; dic ergo illi: Esto tu mihi ò Maria aurora; esto tu Solis prænuncia, vt expergefactus à somno psallam tibi,& benedicam nomē sanctum tuum, quòd sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria mater Iesu Filij Dei, te precor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei;sub vmbra huius ramusculi recollige me,& protege me nunc, & in hora mortis meæ, Amen.

DE

DE FELICISSIMO ORTV MARIÆ VIRGINIS pulchritudini Lunæ persimili.

RAMVSCVLVS SEXTVS.

Quæ est ista, quæ progreditur pulchra, vt Luna. Cant. cap. 6.



Vid tristitiæ potest esse, vbi hodie natalis est Virginis? & dies illucescit ineffabilis gaudij, quid mœroris, & luctus? vbi præclaro natiuitatis suæ ortu hęc puella mœrentia pectora cęlesti quadam dulcedine mulcet? Quid timoris? vbi securitatis, & fęlicitatis hodie læta processit dies? in qua & illa nascitur, quæ virtutum præsidijs aduersus nobis aduersantia, & inimicorum impetus tuetur nos, & protegit? Et quid obscuritatis, vel atræ noctis, si nascitur illa, quæ splendore vultus sui, & oculorum serenitate obnubila cuncta depellit, & reddit serenum?

Gaude & lætare anima mea, & diem solemnem festiuitatis tuę age, quoniam hodiernus dies miro fulgore Virginis natiuitate collustratur: Hodie namque natalis est Virginis, cuius natiuitas Angelorum choros summo affecit gaudio, illius enim hodie mater mundo nascitur, per quem cęlorum portæ erant reserandæ, & ipsorum beatorum spirituū reparandæ ruinæ, & quam paruulam edidit mundus, & infantulam, super omnes Angelorum choros euecta erat, & cęlum ipsum nouo splendore, nouaque lætitia repletura, & illustratura.

Vndè præ nimio gaudio admiratæ illę Angelicæ mentes percontari non cessant: Quæ est ista, quæ progreditur, pulchra vt Luna, quibus è concameratis pectoris tui, & ex abditis cordis tui penetralibus redditiua, & hilari voce fidelissimà resonet echo, vt Luna, quoniā si minus deuotèque attentè, pièque sub hoc ramusculo mediteris hoc Virginis Natalis ortum, Lunam fuisse pulcherrimam hanc puellam, & Lunæ pulchritudini omninò persimilem perspicuè cernes.

Spectare non te pigeat, tres Lunæ proprietates, quarum Prima est esse receptiua superni luminis: Secunda, esse diffusiua interni luminis: Tertia, esse repressiua æterni fulminis; Luna sua diaphaneitate recipit à Sole splendorē, sua luminositate emittit fulgorem, sua humorositate temperat ardorem, & Solis calorem, à quibus non longè abit Maria, imò sunt illius magis propriè, & in ea verius emicant.

Ipsa est receptiua numinis, & luminis filij Dei, qui est lumen de lumine, ipsa est diffusiua interni luminis, dum sua claritate emittit in corda fidelium gratiæ fulgorem, ipsa est, quæ sua pietate, & suę misericordiæ dulcedine minuit & dulcescit Dei sæueritatem. Attende tres has Lunæ conditiones in Virgine, & clarè, perspiciesque verè in ortu natalis sui Maria fuit pulchra vt Luna, & tu cum spiritibus Angelicis iubilando ei, & psallendo dicere posses.

Quæ est ista, quæ progreditur pulchra vt Luna; Luna noua, Luna crescēs, Luna plena, Luna coniuncta nascens Maria, Luna noua innouata in sua natiuitate per Solem, Luna crescens in suæ natiuitatis declaratione; quia tunc noua lux oriri visa est verè crescens per virtutum augmentum, & amplitudinē, & Dei matris dignitatis altitudinem, Luna plena per gratiarum complementum, & plenitudinem, & Spiritus sancti donorum omnium affluentiam, Luna Soli coniuncta in personali assumptione Verbi Dei, cuius effecta est mater, & Deo copulata, & coniuncta: En quam verè, & veracitèr concinunt illi spiritus

cœlorum. Quæ est ista, quæ progreditur pulchra vt Luna.

Si Luna dicitur quasi luminum vna, seu principalis, & æmula Solis, cui & magnitudine, & pulchritudine supra omnes stellas, & Planetas quoad nostrũ aspectum, & ipsa sola simillima; quid mirum, si nostra puella hodie nascens vt Luna, effecta est cęli lumen, Sanctorũ stellis tum triumphantis, tum militantis Ecclesiæ omnibus ipsa sola illustrior, & eminentior, & soli illi diuino, & Patris Dei filio carnis nube obumbrato quò ad eius virtutes per imitationis exemplum est illa omnium simillima.

D. Ambr. D. Basil. Luna, vt D. Ambrosius in exam. & D. Basilius, est decor noctis, mater roris humoris magistra, dominatrix maris, temporum mensura, æmulatrix Solis, maturatrix aeris, lumen à Sole mutuans, ipsumque modo speciali ad nos declinans, & refundens, lumen à Sole accipit, & acceptũ ad nos reddit. Quid nostra Maria? si nascens nascitur vt Luna, ipsa vtique verius est decor noctis vitæ præsentis, dum lucis diuinæ gratiæ, qua plena erat, & repletam vidit, & salutauit Angelus: *Aue gratia plena*, plenitudine illuminauit, & illuminat; imò splendore splendescens diuinæ presentiæ, nubeculam humanæ naturæ obnubilatam Luna ipsa decorauit, & irradiauit, quòd annuit Angelus verbis illis: *Dominus tecum*.

Luce Virginalis pudicitiæ nascitur Maria pulchra vt Luna, quum in sua carne Virginea nihil habuit corruptionis, nihil impuritatis, nihil impugnationis ad similitudinem imaginis filij sui tota pulchra, tota pacifica, & quietissima fuit; ità, vt de ea tu dicere possis: *Candor lucis æternæ, speculum sine macula, & imago bonitatis illius*.

O Luna, ò decor noctis, ò spes mea, & lumen oculorum meorum; tu effecta es Luna ad hoc, vt præsis nocti, luce igitur tuæ gratiæ illumina tenebras mentis meæ, obnubila cordis mei eminùs depelle, & arentia ossa animæ fetui tui, qui humorem æternæ vitæ, æternæ lucis suo vitio amiserunt. Tu mater roris, tu ministra humoris, rore tuæ gratiæ, pinguedine, & adipe internæ deuotionis riga, & fœcunda sterilitatem pectoris mei, inebria, & reple penetralium cordis mei sulcos, vt à te sic madefacta rore anima mea, sic fœcundata deuotione, tibi laudis, tibi dilectionis, tibi benedictionis fructus reddat perdulces, & ope tum poma.

O Luna, ò dominatrix maris, mergo Solis diuini, cuius es æmulatrix lumine tuæ misericordiæ, & pietatis illumina penetralia cordis mei, quòd vtiq; proh dolor non est ò Maria nisi mare feruens, anima, quæ peccatorum fluctibus, vndis, procellisque, & ventis perrapidis est exposita, quid est nisi mare feruens, & fluctuans, quietari à fluctibus, saluari ab vndis, eripi à procellis, & liberare à ventis, ex seipsa, & suis viribus minimè potest, si non amplius fluctuari, nec agitari peroptat, & pacis littora quærit, quietis, & salutis portum vehementer anhelat, & auet: En sacra puella, quæ vt Luna huic dominatur mari, & super illud principatum tenet, ipsa sola est, quę imperat mari, & ventis, & facit trãquillitatem, & pacatam reddit, quum fluctuanti animæ suam misericordiam præstat; Virginis sunt verba illa in Eccles. cap. 24. *In fluctibus maris ambulaui*, ò felix anima, quę calcata Mariæ pedibus, & huic Lunæ Virginali dominationi se committit, subdit, & subijcit, ne mergatur vndis, eripiatur à submersione, & ope Mariæ, reducatur ad portum, quia ipsa est dominatrix maris, & super illius fluctibus perambulat, audi Piissimum Riccardum à S. Laurentio, lib. 4. de laud. Mariæ: *Dulcis Maria incessu*, Ecclef. Riccard. à S. Lau. *vndè dicit, in fluctibus maris ambulaui, scilicet cum familiaribus meis, vt ipsos eriperem à naufragio peccatorum: fluctus maris sunt tentationes sibi inuicem succedentes, quas patimur, quandiù versamur in mari huius sæculi*.

O anima mea, vt vera Israelitica sicco vestigio hoc traijcias mare, fluctus eius, vndasque calces, & ad terram promissionis peruenias; en Luna maris huius dominatrix, ipsius est opus, diuidere mare hoc in diuisiones, tibi porrigere manum, vt Pharaonem cum exercitu suo sepeliat in vndis, & te saluam perducat ad libertatis, & salutis portũ; sicut ait Paraphastes tex. Chald. in cantico Mariæ sororis Moysis: Paraph. *transierunt in medio maris charectosi per siccum propter meritum Abrahæ, & Isaac, & Iacob dilectorum Domini*, si filios Israel eduxit sicco vestigio per mare ob meritum iustorum parentum: cur non magis, & perfectius, celerius, & securius per Mariam,

riam quę maris est dominatrix,& ęmula Solis?

Recordare anima mea, vt Maria esset diffusiua luminis, & repressiua fulminis: fuit primò receptiue numinis, quando Solem æterni luminis in suo vtero carnis nostrę nube contexit, & Sol ipse Virginem suę diuinitatis splendoribus irradiauit,vestiuit, & repleuit: res quidem admirationis digna, vt merito stupeat D. Anselmus in oratione ad Virginem dicens: *Mira res, quùm in sublimi contemplor Virginem locatam omnis natura à Deo est orta, & omnis Dei natura ex Virgine.*

D.Ansel.

Quid de hac luna virginea potest dici sublimius? quid mirabilius? & à nobis quid dulcius contemplari? omnia creata ex nihilo ab illo principio quòd Deus est: trahunt originem, & habent esse,ius est naturę; sed quòd Dei natura nascatur ex Virgine:quid est hoc?mare profundæ vastitatis: quòd oriatur à paruo fonte? Puteus infinitæ profunditatis ab angusto riuulo? vena illa imperscrutabilis ab alueo quasi arenti, Abyssus illa inscrutabilis à paruo flumine?Creator à creatura? si menti humanę liceat aciei suę acumen erigere ad naturam illam diuinam, quid est: omnis Dei natura ex Virgine: nisi totum quod erat Deus, & quidquid in eo erat perfectionis, & virtutis per vnionem hypostaticam totum humanæ nostræ naturę ipsemet,& cômunicauit,et connexit vinculo illo indissolubili.

O Deus cordis mei, ò Dei bonitas erga nos,quia tota essentia erat in verbo,tota & remansit, quùm carne vestitum,& natum legis ex Virgine, ità testatur D. Matthæus cap. 1. *De qua natus est Iesus qui vocatur Christus;*& Dei Patris Verbum, quòd carne vestiuit Maria;hanc vt matrem induit splendoribus suæ diuinitatis, cuius irradiata fulgoribus, & repleta radijs, vt æmula Solis, esset tibi Luna diffusiua luminis, & repressiua fulminis; & vt ad nos refunderet, & deriuaret fluenta gratiarum primò repleuit eam æterno illo numine.

D. Matt.

Si per Lunam hanc visibilem humor generatur in corporibus, mare per ipsam mouetur,& regulatur; Ros in herbis, & floribus deriuatur, lumen per Lunam temporibus nocturnis viatoribus ministratur, & per ipsam suis humidis, & frigidis qualitatibus, & passionibus temperatur, & remittitur rigor,aeris, & ardor Solis, vt in animalibus operaretur effectus; effecta est Maria, vt Luna, receptiua diuini numinis Filij Dei, & more Solis huius lumen, gratiæ suæ continuò funderet, suis meritis, præcibus, & intercessionibus temperaret rigorem,& sęueritatem diuini rigoris.

Huius veritatis præcessit vmbra in throno Salomonis; de quo dicit sacer textus lib.3.Reg.cap. 10. *Rex Salomon fecit thronum grandem de ebore, & vestiuit eum auro;* Et in isto throno erant duæ manus,quę sedile tenebant,& iuxtà manus erant duo Leones; Quid thronus iste,nisi Virgo benedicta, in qua Salomon Christus sedit per incarnationis mysterium; thronus eburneus, & candidus per puritatem, & virginitatem interius, exterius verò vestitus auro, quo fulgebat per honestatem,& castitatem. Fecit ex ebore thronum grandem, de quo loquitur D.Petrus Damianus serm. 1. de Natiuitate; *Quid,*inquit, *grandius Virgine Maria? quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra sui vteri conclusit arcanum, attende Seraphim; & in illius Superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quidquid maius est,minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi;* testatur idem D.Bonauentura in lib. de Ecclesiastica Hierarchia. par.4. *Maria,*inquit, *Deum incomprænsibilem totum, & plenum in se nullatenus suscepisset nisi virtute, & gratia cæli magnitudinem transgredisset;* Et tanti numinis receptiua, effecta est luminis diffusiua,& fulminis repressiua; hos Virginis effectus,ex quo facta est Dei mater, expressit Spiritus sanctus, quando inquit; Et duæ manus hinc atque indè tenentes sedile;sunt manus Virginis ad subueniendum tùm bonis, tùm malis, manus eius sunt misericordia, & pietas, hæ manus, quæ tenent sedili Dei; sunt duo Leones, per quos denotantur peccatores,qui iuxtà manus misericordiæ Marię habitant;vt exindè recipiant veniam,& medelam.

3. Reg.

D. Petr. Damian.

D. Bon.

Manibus suis Virgo tenens sedile Dei,obumbrat nos, protegit,defendit, & rigorem diuinæ iustitiæ vmbram suę protectionis interponens mitigat,temperat,& extinguit. Præceperat Moyses

F 2 Iosue

Iosue, vt pugnaret cōtra Abimelech; & vt certiorem redderet de victoria dixit illi; Cras ego stabo in vertice collis habens Virgam Dei in manu mea; dùm ergo Iosue æquata in acie dimicaret contra Amalecitas, Moyses in monte, ità otiosus desidebat, vt ne manus quidem in sublimè erectas sustentare potuisset: ità vt Aaron, & Hur sustinerent manus eius ex vtraque parte.

O Deus cordis mei cum Amalech acritèr expugnaret Israelitas, Moyses montem petijt, non ad repellendum hostem, sed promptus accurrit ad Deū deprecandum, & expandit manus, quæ cum essent graues, opus erat, vt alieno auxilio sustentarentur apertę, & expansæ; Cur hoc? ait textus; Et factum est quum leuabat Moyses manus inualescebat Israel, vbi autem summiserat inualescebat Amalech; & satis apertè ostendit victoriam illam non Iosue fortissimè præliandi tribuendam esse, sed vni Moysi sanctis præcibus insistenti; D. Greg. Nanz. sic D. Greg. Nanz. orat. 12. *Pugnantibus manum extensio innumerabilium copiarum instar erat, orationis opera trophea erigens*; & D. Chrysost. ser. de Moyse to. D. Chrys. 1. *Fit Moyse orante occulta pugna, manifesta victoria latèter dimicat, vt euidèter deuincat, quis iustorum non orando pugnauit? quis hostem non deuicit? orationibus Danieli visa panduntur, sopiuntur flammæ, feræ bebescunt, cadunt hostes, inimici vincuntur, quantò enim purior, frequentiorque fuerit celebrata oratio, tantò celerior inimica vindicta hostis dum oras præmitur, dum cessas erigitur*. Hæc ille: Expugnabat ergo Iosue hostes in Campo: dum Moyses expēsas, & eleuatas Cęlū versus manus suas haberet, & victi ciciderunt Israelitæ; Moyse manus deorsum remittente: *vincebat Israel*, inquit text. *cum Moyses manus suas leuaret*; super quæ verba in lib. 3. officiorum cap. 1. sic fatur D. Ambrosius: D. Ambr. *Moyses cum otiosus staret præliabatur: nec solum præliabatur, sed etiam de hostibus, quos non contingerat, triumphabat, adeò otiosus, vt manus eius alij sustinerent: nec minus quam cæteri negotiosus, qui otiosis manibus expugnabat hostem, quem non poterat vincere, qui dimicabat*; Cur Moyses sic otiando, & orando, & pro sibi subditis in tanto periculo constitutis depræcando Deū, vincebat? Dicam, quæ sentio, quia Sanctus erat: Propheta erat, & Iudex erat, ad eum pertinebat, ad eum spectabat ex hoc triplici capite: Et sanctitatis, dignitatis propheticæ, & potestatis iudiciariæ Deum adire, & pro populi salute preces multas fundere, vt liberaret ab hostibus: protegeret à periculis, saluaret à morte, & Dei mitigata ira eum eripere: quem & eripuit, & saluauit. & protexit vmbra manum suarum, quibus expensis, & eleuatis Populus victor de hostibus triumphabat.

Victorem contra Abimelech effecit Moyses suum populum, cùm manus eleuaret ad Deum, & pro Populo oraret: cur hoc? Quia Dei erat amicus, & vna Moysis oratio apud Deum plus valebat, quam aliorum arma, & exercitus militum; O anima mea in Campo es certaminis hostium circumquaque vallata insidijs, ira Dei feruet: Dei indignatio fumat, & ad mortem te minitant omnes; quid nunc? En luna æmula Solis, quæ Dei thronus est effecta, ad hoc effecit eam Deus receptiuam, & illius Diuini numinis capacem, vt in te suæ gratiæ lumen effunderet, & illius diuini rigoris ardorem vmbra manuū suarum temperaret: hæ manus sedile Iudicis tenent, & iuxta illas ad hoc sedent leones, hoc est peccatores; vt Maria sua oratione, suis præcibus, sua protectionis vmbra obumbraret eos, defenderet ab Amichalech eriperet à periculis, saluaret à morte, & sæuientis Iudicis iram, & diuinæ iustitiæ furorem tēperaret; audi non me, sed D. Idelphonsum ser. 4. de Assumptione Sanctæ Mariæ, D. Idel. *Quia illa meruit virtute Altissimi obumbrari*; en quomodo fuit receptiua numinis: *nos mereamur eius præcibus adiuuari*: En quomodo est effusiua luluminis, & repressiua fulminis.

Si hoc datum est manibus Moysi, quia Dei erat amicus: Propheta, & Iudex; Cur non magis Mariæ? quæ mater est Dei, mater Iudicis, & mater rei, & illius thronus roboratur clementia: firmatur pietate, & stabilitur misericordia: In throno ius dicitur, & ex lege iudicatur: Thronus Virginis, Thronus est gratiæ, ad quem cum fiducia accedendum est: inquit Apostolus ad Hebræos cap. 4. Paulus Apost. *Adeamus igitur cum fiducia ad Thronum gratiæ: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in tempore opportuno*; *Thronus gratia*

Albert. tia est B. Virgo: inquit Albertus Magnus in serm dedicat. Ecclesiæ: *Aue gratia plena*: dixit Angelus, vnde Apostolus adeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ idest Mariæ, quæ est Thronus Salomonis eburneus; in quo Throno exercetur lex Virginis, & ex lege sua agitantur causæ: lex Virginis est Pietas, Clementia, Charitas, Benignitas, & Misericordia; Iure suo vtitur, quando in suo throno iudicat, & clementiam, & misericordiam exercet in peccatores.

O Maria, ò æmula Solis, ò pietatis Thronus non de proprijs meritis præsumo, nec de viribus meis confido: sed de tuis meritis, præcibus, & manibus; quia mater es Dei, & Thronus es misericordiæ leua puras manus tuas: quarum vmbra obumbrata anima serui tui, & à fulmine diuini furoris, & à calore, & ardore diuinæ iustitiæ erit tuta, & munita à peccatorum tenebris, munda, & illustrata gratia à periculis, & insidijs libera, & à malis omnibus protecta, & huius victoriæ palma tua erit, & huius trophei corona: O æmula Solis æmulare Solem æterni luminis: cuius radijs fulgentibus circumamicta splendes, & fulges: qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos; vt & anima mea cantet tibi cum spiritibus illis cœlestibus.

Quæ est ista, quæ progreditur pulchra vt luna; Lunam esse numinis receptiuã, luminis diffusiuã, & fulminis expressiuã perfectius, eminentiusq; emicant hæ conditiones in Virgine, quę in ipsomet corpori lunari; quoniam ita Virgo fuit æterni illius numinis receptiua, quòd fuit eidem verè identificata; vt verbis vtar Diui Petri Damiani in sermon. de

D. Petr. Damian. Natiuitate Virginis; percurrens, hic sanctus varios modos, quibus Deus dicitur inesse creaturis, de sacra hac puella, sic ait; *Inest Mariæ Virgini identitate, quia idē est cū illa*. & subdit; *hic taceat, & cōtremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tāta dignitatis; & dignationis immensitatem Dominus tecū, inquit Angelus; habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis eiusdem non est essentiæ; habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem*; hæc ille; Quid Dei magis receptiuum; vt Maria? Hinc omnibus sanctis perfectius est luminis ipsa diffusiua, & repressiua indignationis diuinæ, ipsa sola habet vim, & virtutem iram Dei mitigare, furorem extinguere, placatum exorabilem, & nobis reddere misericordem.

Peregrinanti populo per desertum, ex defectu aquæ valdè sitienti prouisurus Deus aquam, licet rebellis esset ille, & incredulus, antequam in portum Israelitarum faceret, vt petra emanaret aquas, dixit Moysi: *En ego stabo coram te ibi supra petram Horeb, percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus*, Exod. 17. Supra petram, ex qua aquam producturus erat Deus, voluit Deus ipse Moysi se exhibere præsentē, & manifestum, vt intelligeret aquæ donum, munus, & opus esse Dei; ità Lyppomanus in sua catena: *Iubetur Moysi adstante Deo percutere petram, ne gratia tanti beneficij homini, & non Deo transcribatur*. Si Dei virtute educta est aqua de petra cur mandatur, vt percutiat virga petram? Quid opus erat percutiendi facultas? & virga pulsandi petram, si non ex percussione, sed ex Dei potentia, & virtute suscepturus erat populus aquam; Dicam, quæ lentio, adstare voluit Deus in conspectu Moysis, sed supra petram, & petram illam, de qua loquitur D. Paulus 1. Corinth. cap. 10. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus*; de cuius latere lancea militis percusso fluxit sanguis, & aqua nostræ concupiscentiæ sitim extinguens, aquas gratiarum effundens incredulis contradictionis, & fidelibus sanctificationis: Hæc petra, quæ typus Christi erat, typicè Christum Dominum repræsentabat, dura, aspera, & rigida erat incredulitatis, & murmurationis peccato, nisi Moyses virga eã percussisset, aquarum fluenta non dedisset, vt biberet populus, & eorum iumenta.

Exod. Lyppo. D. Paul.

O anima mea en quam durus, & seuerus est Deus in peccatores, vt in eos misericordiæ indulgentiæ, & gratiarum vberrima effluat fluenta, necesse est vt duritiem exuat, mitis fiat, & placatus; at cuius est hæc potentia? & hæc victoria, cui seruata est, nisi Mariæ? Quæ est virga typicè Moysis: Audi non me, sed Abbatem Absabonem in serm. 3. de Assumpt. Virg. *Virga quoque Moysi, per quam fecit signa in Aegypto, Maria est*. Deum ex duro mitem facere, ex irato, placatum reddere, ex rigido in miseri-

Abbas Absab.

cor-

cordem commutare, ex seuero dulcem, & benignum, sed aquam reconciliationis, pietatis, & gratiarum non emittit nisi hac virga percussus, ad hoc effecta est receptiua æterni numinis, vt in nos sit diffusiua luminis, & repressiua fulminis.

Aquam non ebibit anima suæ saluationis, suæ reconciliationis ex petra hac, nisi virga eam percussisset Maria, ne ergo flagellis sæuiat in nos Deus, vt seuerus, & durus: sed vt pius, & misericors parcat, indulgeat, & suæ misericordiæ aquas effundat, opus est, vt Virgo, virga suę orationis, & precum tangat, percutiatque; & pro nobis oraueRiccard. à S. Laur. rit; Sistamus hic verba pijssimi Riccardi a Sancto Laurentio lib. 12. de laudibus Virginis. *Hæc est Virga Moysis, qua percussit petram, et fluxerunt aquæ, sitâ vt biberet populus, & iumēta, vt in Exo. 17.* Exod. Num. *& Num.* 20. Petra Christus 1. Corinth. cap. 10. *Petra autem erat Christus*; Duritia huius petræ, rigor, siuè seueritas iustitiæ diuinę, ipse namque, numquam itâ seuerus, aut durus est erga peccatores, quin effundat aquas gratiarum, vel indulgētiæ, si hæc virga ipsum tetigerit pia oratione.

Eleua ò æmula Solis, ò pietatis mater manus tuas, & virga dilectionis tuę tange petram semel, & secundò, vt Moyses, qui bis percusit petram, opus non erit, & à sæuienris Dei salua me, miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quamplurimis Deum meum, & Iudicem offendi, non mihi alia est fiducia, nisi in te ò Virgo, & dilectionis mater, sub tutela tua tutus oro, & securus, quia idem filius tuus, & Dominus meus Iesus Christus procul dubio erit promptissimus, & exaudibilis ad concędendum quidquid voles, rantummodo itaque velis salutem meā & verè nunquam saluus esse pō potero.

Dum tanta polles apud Deum potentia, qui quæ suo iure, & potestate complectitur, tuæ ditioni, & voluntati subijecit; tu sola omnium Regina, tu omnium dominatrix, plus ergo tu sola vales, quam exercitus Angelorum omnium, & Beatorum mentium.

Quòd clariùs apetuit diuina Scriptura. Luctabatur Iacob cum Angelo, qui vt vidit surgere auroram, exclamaGen. 32. uit: *Dimitte me, iam aurora est*, iam nox tenebrosa aufugit; en æmula Solis ortui proxima, & nascens, progreditur pulchra vt Luna, cuius pulchritudo clarissima obscura quæque clarificat, & tenebricosum noctis ante eius aspectum fulget, & splendescit: nocte tota luctatur cum Iacob Angelus, sed adueniente vigilia matutina à palestra illa se cupit abducere, & sedulò exposcit, quid ei noui accidit; quid causæ tantæ formidinis, & timoris.

O potentia, ò virtus pulchritudinis, & splendoris nostræ Lunæ, verè Solis æmula, quæ antequam mundo nascere tur, quasi in palestra erant homines, & Angeli, qui spiritus cœlorum, custodū, & aduocatorum, & intercessorum apud Deum pro hominibus fungebantur officio, at vbi dies ista illuxit, in qua noua lux oriri visa est, quando Angelus exclamauit: Dimitte iam ascendit aurora, ac si dixisset, en æmula Solis, en Luna noctis decor, dominatrix maris, en quæ apud Deum nobis potentior est, & dignior, & ad exoranda, & simul impetranda vobis hominibus bona cuncta, est & Angelis & hominibus efficacior, ipsa sola electa ad reconciliationis arcanum; ipsa sola est, quæ Angelorum ruinas instaurare potest, & vestram humanam naturam restaurare: cur petis à me Iacob benedictionem? Si tecum habes validiorem, nam & gratiarum immensitate, & virtutum fulgore omnes superat, & antecellit; vt Luna cæteris astris, præeminet magnitudine, & splendore: sic testatur Diuus Bonauentura D. Bona. in speculo B. Virg. cap. 6. *Nec dubium est, quia quæ meruit pro liberandis offerre pretium, possit plus omnibus liberatis impendere suffragium*; quia Virgo præ omnibus Sanctis potentissima est. imò tanta est dignitas huius Virginis, cum sit æmula Solis, vt in comparatione ipsius, homines, & Angeli simul, nec possunt, nec apparere debent: Hæc Angelus voluit insinuare Iacob, quando dixit: Dimitte me, iam enim ascēdit aurora, quæ etiam in ortu suo nascendo progreditur vt Luna, & æmula Solis, & mater humoris ad fæcundandum, & irrigandam faciem terræ arentis, obdurati cordis tui sola ipsa potentior præ cæteris imò potentissima.

Portentosas fuisse manus Eliæ diuino satis apertè probatur oraculo, & in portentis peragendis potentissimas, & tantæ virtutis, & efficaciæ, quòd Deus omni-

omnipotentes crediderit fiducialiter sui nominis gloriam, attestationem, & populi Israelitici salutem, tùm in cognitione veri Dei, tùm in confessione veræ fidei; quando restaurato altari ab eodem Propheta, lignisq; superpositis, & victima igne cœlesti cõcremanda, vt clarius cõtra Prophetas Baalim manifestaretur veri Dei maiestas, & omnipotẽtia, fecit aquæductũ in circuitu altaris; iussitque quatuor impleri hydrias aqua, & effundi super holocaustũ, & ligna; vnus autem ex effusoribus erat Eliseus; qui fundens hydriam suam partem aquæ effudit à casu super manus Eliæ, cuius erat minister in oblatione illius sacrificij; quòd cum fecisset tertiò iuxtà verbum Prophetæ, & in ostensionem Sanctissimæ Triadis adorandæ; tunc cœperunt aquæ miraculosè fluere de digitis Eliæ, tamquam de fontibus abundantioribus, propter hoc factum est grãde miraculum, quòd videtur annuere sacra Scriptura; quãdo inquit; *Currebant aquæ circum altare, & fossa aquæductus repleta est.*

Lib. 3. Regum cap. 18.

Et quidem, grande miraculum, quoniam paruæ illæ quatuor hydriæ sufficientes non erant ad replendum fossatum tantæ latitudinis; erat enim eius latitudo ducentorum cubitorum, cùm quodlibet latus eiusdem cubitos habebat quinquaginta, aqua hydriarum ex mandato Prophetæ tribus licet esset vicibus effusa, ex se satis esse non poterat, vt primò altaris lignorum strues madefacta, sic satis quoque abundè repleret aquæductum ducentorum cubitorum: Vndè ego ille aquarum inundatio, & tàm nimis abundans copia, vt curreret tamquam torrens inundans, & spatia aquæductus, tàm larga repleret? Nimirum ex manibus Eliæ, super quas effundens aquam est hydriam suam Eliseus; hoc erat eius munus, inquit sacra Regum historia; *Est Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ*; Et defluens illa per digitos huius sanctissimi Prophetæ; itá miraculosè creuit in augmentum multitudinis aquarum; quòd per aquæductũ currere, & quatuor eiusdem latere tàm longa replere satis abundè valeret, testatur doctissimus Nicolaus de Lyra ex mente Rab. Salomonis; *Quando Eliseus fundebat aquam super manus Eliæ* inquit, *de speciali effusione aquæ à casu super manus Eliæ in Monte Carmeli; quando faciebat effundi aquam super sacrificium, tunc ex digitis Eliæ fluxerunt aquæ abundanter, quasi ex fontibus fœcundis.*

Liber 4. Reg. c. 3.

Nicola. de Lyra

O Dei magna potẽtia, ò prodigium maximè diuinum, si manus Eliæ vim tantam habebat, vt ad earum cõtactum multiplicarentur aquæ, & decurrerent vltrà terminum aquæductus, quam efficientiam, quam potentiam non habebit Maria, noua nostra, hæc æmula Solis, quùm eleuat manus suas ad Deum pro nobis, huius Virginis manibus te commenda ò anima mea, in manibus Mariæ sint sortes tuæ, & in eis tua negotia repone, quia in illis Deus tuæ salutis credidit remedium, & tuæ redemptionis commisit pretium: Diuum Bernardum consule in sermone de Natiuitate B. Mariæ Virginis, & audi quid dicat, *Quidquid illud est, quòd offerre paras, Mariæ commendare memento, vt eodem àlueo ad largiorem gratiæ, gratia redeat: quo influxit fortè manus tua, aut sanguine plenæ, aut infectæ sunt muneribus: quòd non eas ab omni munere excussisti; ideoque modicum illud, quòd offerre desideras gratissimis illis, & omni acceptatione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.*

D. Bern.

Quid enim tibi, ò anima mea, deesse poterit, si te totam Mariæ manibus fidentèr committis? Manus in Scriptura sacra diuinæ protectionis præsidium præfigurant, & symbolum sunt diuini auxilij; quùm Maria in illa sancta sanctorum extendit, & manus suas expandit ad orandum pro te: esto secura, quia potens est, & supra omnes potentissima, nec tibi deesse potest, cum sit mater pietatis, & fons misericordiæ, & gratiarum omnium.

Sub hoc virginali ramusculo te sollicitè confer, & collige te vt dilapsum spiritum recipias, commorare sub eius vmbra, & verificabitur: quòd prædictũ est de luna hac Prouerb. 7. *In die plenæ lunæ reuertetur in terram suam*; non de terra hac nostra corruptibili est sermo: sed de terra illa viuentium, & lætantium in cubilibus suis, ad aquam ille certè, & securè ingreditur, qui perfecta huius Lunæ; hic perfruetur deuotione, & amore, fructus enim huius ramusculi suauissimus est in ore, & in corde diligen-

Prouerb.

ligentis,& quiescentis sub vmbra illius; Ascende ad Palmam, sta meditabunda sub vmbra, carpe poma,& inebriaberis ab vberibus dulcoris eius.

En ad hoc nascendo in ortu Natiuitatis suę progreditur pulchra, vt Luna, cùm sit mater roris,& humoris diuinæ gratiæ, ipsa fœcundare potest arentem terram pectoris tui;à quo & noctis obscuritatem ipsa sola pellere; cùm sit decor noctis,& æmula Solis.

Aemulare, & tu Lunam hanc, quia plena est virtutibus,& meritorũ splendoribus circumamicta, nulla fœdata vmbra defectus; hinc Ioannes vidit Lunam ipsam calcare pedibus, vt annotauit D.Bernardus super sign. magn. ser. 2. *Quoniam ab ea omnis defectus, & quidquid fragilitatis, seù corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cęteris omnibus excedit, & supergreditur creaturis*; hinc meritò Lunam esse sub pedibus eius testatur Euangelista, quia caro Virginis assumpta est ad Adam; Adæ maculas non admisit, sed singularis continentiæ puritas ipsa in candorem lucis æternæ conuersa est;& vt Luna perfecta, & plena semper stetit in ordine suo, hoc est in statu gratiæ, & perfectionis.

D. Bern.

Esto æmula Mariæ, ò anima mea, & ipsa erit tibi Luna te replendo bonis, te coronando floribus, te fœcundando fructibus, te cumulando virtutibus, exclama ad eam nomen sanctum eius benedicendo; Benedictum sit nomen tuum perdulcissimum in æternum, ò humilis Virgo Maria, mater Iesu Filij Dei, te præcor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, sub vmbra hac protege me, & esto mihi Luna diffusiua luminis, & repressiua fulminis; Spes mea tu in nocte afflictionis meæ. Amen.



DE

DE LVCIDISSIMO
VIRGINIS ORTV
Soli persimili.

RAMVSCVLVS SEPTIMVS.

Quæ est ista, quæ progreditur electa vt Sol.
Cant. cap. 6.



POst primi illius hominis lapsum, ab ipsismet mundi natalibus mulierum, natalitia omnibus semper extiterunt summæ tristitię, imo lętitiæ, sollicitudinis, curę, doloris, & pectoris angoris; quoniam progenitorum animus est tantum in filio, hunc suspirant, hunc vehementer exoptant, & optando ardenter expectant, eoque solo iam nato exultant, iubilant, gaudent, lætantur, & diem natiuitatis solemni iubilo cordis concelebrant.

Partus autem fœmineus in parentum cordibus tristitiam parit, anxietates, curasque non paruas, & sollicitudinem generat: vbi filiæ est natalis, ibi dolor non modicus, & tutius domus ruinæ intimus timor, ibi dotis vexatio, & animi angor, & rei familiaris dispendium, vbi parentibus filia nascitur, ab eorum cordibus omnis vera lætitia, & diei læta iucunditas proscribitur, hęc mala præfefert filię partus.

Ar secus est Virginis ortu, quę licet fœmina sit; eius tamen natiuitas felicissima et lętissima fuit canente Ecclesia: Natiuitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annunciauit vniuerso mundo: nouo decore hunc irradiauit, nouo fulgore hunc illuminauit, noua iucunditate hunc impleuit, cuius ortus tanto fuit cohonestatus gaudio: quòd, et ipsos Angelorum choros tanta affecit lętitia, et iucunditate. Quòd eos in stuporem adduxit, sic testatur D. Epiphanius de laud. Marię: *O Virgo Sanctissima quæ exercitus Angelorum in stuporē duxisti.*

D. Epiphan.

Vndè et ipsi præ nimio gaudio, et stupore expostulant: Quę est ista, quę progreditur, electa vt Sol? Quorum vocibus è concameratis cordis tui abditis, plaudendo, & lætabunda, & plena gaudio, ò anima mea, hilari voce resonet echo: *Electa vt Sol?*

Verè Sol fuisti in hac tua natiuitate, ò Maria, in qua duo Dei magnalia, Soli persimilis occultasti, Diuinam illam Dei magnitudinem, & motum; in Sole hæc duo nobis occultantur, magnitudo, cùm sit ipse octies maior terra, & maximæ quantitatis, quæ magnitudo nobis, & nostris sensibus non apparet, & cum sit ipse velocissimus eius motus, hæc sui motus velocitas, nec apprehenditur, nec videtur.

O magnitudo Solis Mariæ, existens ipsa omnibus cœlorum luminaribus, & spiritibus, etiam Angelicis maior, magnitudine, potentia, effectuum multitudine, potestate, claritate, motuum vniformitate, celeritate, luminositate, puritate, altitudine, dignitate, & veluti Sol superiora illustrans, & inferiora illuminans; nostris tamen oculis, en quam par ua in suo ortu nascendo apparet, motus etiam sui amoris, suæ dilectionis, misericordiæ, benignitatis, clementiæ, pietatis, beneuolentiæ, charitatis, operationis, auxilij, præsidij, protectionis, largitatis, & agnitionis erga Deum, & nos, nobis, & occulti, & ignoti, & incogniti, & inuisibiles, ac propter eorum maximam velocitatem, celeritas ipsa non videtur, & parua apparet.

Et vndè in eius ortu anxietates? sollicitudines? mæstitiæ? & dolor? si nascitur electa vt Sol, & vt Sol ipsa sua luce est mundi oculus, Dei iucunditas, cœli pulchritudo, mensura temporum, exemplo suo cuncta ordinans, & nascentium vigor, & virtus; stellarum decor, Sanctorum omnium corona, fons lucis, omnia illuminans, Domina, & Regina Pla-

 ne-

nerarum Paradini, & peccatorum sydus cum veluti Sol oritur ipsa super bonos, & malos, claritatem suæ clementiæ omnibus præbendo; quorum necessitates materno miseretur affectu, & fouet charitatis inextinguibilibus flammis.

Ex hoc dies hæc ortus eius non dies doloris, & mæstitiæ; sed exultationis, & iubilationis, et lætitiæ; quia, vt Sol oritur mundi gaudium: O anima mea ad lucem huius Solis te expone, et nebula peccatorum tuorum dissoluetur; peccatoren enim licet velut Lazarum quatriduanum fœtidum non abhorret, non despicit, non aspernatur, et si suspirauerit ad illam, Ipsi præsidium non denegat, non deserit, quousque illi tremendo Iudici reconciliauerit.

Ipsa namque Virgo, vt Sol vim habet suis radijs peccatorum vetustissima renouare, lacte suarum gratiarum nutrire, præsidio suæ protectionis custodire, sua virtute perficere cursu, & diligentiæ motu cuncta discernere, suæ charitatis calore refouere, humore suæ dilectionis fœcundare, suis cœlestibus donis augere, sua pietate viuificare, suo adiutorio firmiter collocare, & suæ internæ inspirationis influxu plantare, & radicare in fide, fundare in spe, fructificare in gratia, sua fortitudinem conseruare in bono, sua luce purificare, amoris sui igne, & ardore ardere, & calefacere, & æternam vitam præbere, & nomine æterno illum hæreditare, & consumata beatitudine coronare.

O Maria, ò Sol fulgentissimæ animæ meæ, effunde super me lumen tuæ claritatis, & illumina oculos serui tui ne obdormiat in morte, ne dormitet in tenebris, & inimicus, ne præualeat aduersus eum, ad hoc nascendo nata es, vt Sol, vt per te viuat, per te salua fiat, & saluti restituatur anima mea, ò lux oculorum meorum, ô spes vnica cordis mei; Esto mihi Sol ne tenebris obruar ignorantiæ meæ.

Deus enim, qui elegit eam, & prædefiniuit, vt in ortu natiuitatis suæ nascetetur electa, vt Sol: Soli enim dignatus est assimilare, dicens; *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo*; de hoc eodem throno ipsa alloquēs in Ecclesiast. c. 24. ait; *Thronus meus in columna nubis*; & quam Deus Solis fulgoribus assimilauit, ipsa nubi se comparat, in qua, & si ortus sui modū indicare studuit splendorem verò ipsius natiuitatis Deus intimare voluit, lumini Solis illam assimilando, & ipsa seipsam nubi æquiparando. Eccles.

Nubes, est vapor terrestris, eleuatus à terra virtute radiorum Solis, & nubes, licèt nascatur à terra, aqua & humore madefacta, nihil tamē terrestre ei agglutinatur, sed eleuata in aere, & per aerem vecta, genitorem suum conatur sectatari; & consequi; à quo ne nuda per alienas regiones vagari conspiciatur, veste varijs contesta coloribus vestit, induit, pingit, colorat, extollit, coronat, & oculis spectantium pulcherrimam, & gratiosam reddit.

Maria in suo natali, tanta præfulsit puritate, et innocentia, quòd meritò eius ortus Solis natali fuit persimilis, et ortui nubis æqualis, et conformis.

Opus adeò perfectum, et consumatum erat hæc Virgo, quod ad generandam ipsam impotens, et minus apta erat ipsa natura: non enim reperiebatur in mundo potentia tantæ virtutis ad eam producendam: Progenitores eius sterilitatis vinculo allaqueati erant, et obstricti, quo nexu tenebatur mundus totus, nisi ad eius generationē singularis adesset influxus cœlestis, qui singulari dono, virtute, et influentia speciali, quasi nubem eam generando eleuauit à terra: Maria verè fuit Adæ filia, de terra illa nata, de qua, & Deus formauerat Adam, quando formauit illum de limo terræ, Adæ culpa eam non attinxit, non tetigit, veluti nubem sol ille diuinus eleuauit à terra, vestiens illam, et intuens eam tantis gratiarum, et donorum coloribus, quòd cœlū comparatione sui videbatur terra, niuis albedo nigra, pulchritudo deformitas, nec mirum, ò anima mea, si quæ nascebatur, erat, electa, vt Sol, imò amicta Sole, et solaribus radijs circumamicta, insuper et veri, et illius æterni Solis, qui nunquam agnouit occasum, genitrix nascebatur, et mater, de qua natus est Iesus.

Cuius thronus erat sicut Sol in conspectu eius; simul et in columna nubis, super quam et vidit Isaias Dominum ascendisse, et vocat nubem leuem: *Nubes leuis fuit Maria*; ait D. Hieronym. in psalm. 77. *quia nullo semine humano fuit pergrauata*: *Leuis nubes fuit Maria*, ait Procopius, *quia libera erat omni* D. Hier. Procop.

omni passione, & fomite, eleuata super omnes res terrenas: leuis nubes, ait D.
D. Amb. Ambrosius lib. de instit. Virg. c. 13. *quia ipsa leuauit hunc mundũ graui de fœnore peccatorũ, leuis erat, quæ remissionẽ peccatorũ suo gestabat in vtero*: hæc nubes, cuius decore decorantur omnia, cuius splendore perficiuntur omnia, cuius luce restaurantur omnia, cuius pulchritudine reparantur omnia, cuius iubare peccatorum excludũtur nebulæ. quousque venire, & apparere tardauit in mundo hæc leuis nubecula, nihil stabile, nihil firmum, nihil decorum: cuncta quasi in lubrico lapsabantur, donec hęc hodie apparuit nubecula, cuius ortu, quam perlucido absoluuntur, & firmãtur omnia, figuratum hoc habemus in Eliæ illa nubecula.

Puerum misit Propheta Sanctus, vt in vertice montis mare versus prospiciens, specularetur, àn Cœlo sereno aliquod nubis vestigium appareret: qui passim circumcirca rimatus omnia, & cunctas regionis partes perfectè con
3. Reg. cap. 18. templatus ad vatem reuersus nunciauit; Non est quidquam, & per septem vices semper eadem verba pronunciauit, non est quidquam, ò res verè admiratione & stupore maximè dignissima.

Vbi Virginis Mariæ occultatur ortus, & natiuitas non illucescit, omnia quæ in mundo sunt, natiuitate, inanitate, nihilitate repleta videntur, sic interpetratur hæc verba: *Non est quidquam*;
D. Ioan. Euang. D. Ioannes Ierosolimitanus lib. de institut. Monachorum cap. 32. *Cum ascenderet puer, & speculatus esset, ait; Non est quidquã, quia nubecula illa, hoc est Maria, non fuit à puero visa nasci in illa prima mundi ætate; ideò puer dicit non est quidquã: nam vbi nõ adest Maria omnia vergunt in nihilũ, & in nihilum tendunt: omnia sordescunt, & mille subiacent malis.*

O fluctuantis animæ firmamentum, tua gratia sit ipsa munita, vallata, & circundata tua luce, stabilis in tua dilectione, toto corde te diligat, laudet, seruiat & benedicat.

Adam omnium creaturarum fuit formatus formosissimus, & perfectissimus in suo gradu, & statu: nec de illo post suam creationem dictũ est, quemadmodum, & post formationem Euæ: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*; imò è contrario, dixit namque Deus ait tex. in Genes. cap. 1. *Non est bonum hominem esse solum*; Cur non
Genes. erat bonũ creato homine? Et erat bonũ creata muliere? Potest ne mulier, ò Deus infinitæ bonitatis, creata, sua præsentia decorare, perficere, roborare, stabilire, & bona reddere? Quæ sola seminarium fuit peccatorum, totius humanæ naturæ inextricabilis ruina? Imò & tristitiæ doloris, & mœstitiæ, & miseriæ, radix, mater, & origo?

Cuncta namque, quæ Deus bona, & vtilia fecit, ait D. Anselmus de excel- D. Ansel
lentia Virginis cap. 10. *in eo statu, quo condita sunt, esse destiterunt*: ad quæ reparanda, innouanda, & ad pristinum bonitatis, ac perfectionis restauranda statum, prima illa Eua vtique præstare nõ poterat, quia prior illa peccatrix erat, & futura peccatorum origo: docet D. Ambrosius, sed benè hęc secunda, quæ D. Ambr.
Deum nobis paritura erat.

Hæc sola in suo natali de mari veluti nubes consurgens, quasi vestigium hominis, qui in vtero matris simul homo erat, & Deus verus; De mari illo magno, & amaro humanæ naturę hodie consurgens Maria, ò miraculum, ò gaudium nostræ mortalitatis: maris naturam non habet, ablatis enim imperfectionibus, maritima exurget hæc nubecula: ideò sine pondere, sine amaritudine, sine sterilitate, sine infæcunditate; imò fæcundans, & abundans satis superque inundans, cælitus emittit aquas gratiarum, quibus læta fęcundat omnia, suauitèr rigat faciem arentis terrę, mundum replet bonis, suo ortu restaurat, renouat, ornat, decorat, pulchrificat, & quia nubes est non tenebrosa: sed lucida mater Solis æterni luminis, suæ pietatis, suæ dilectionis, & charitatis aqua omnes sitientes reficit, consolatur, fœcundat, replet, & ditat, nec deficit, quũm veri Solis illa perfectè imaginem portat, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.

O anima dum in terra viuis deserta hac, & inaquosa, & sitiens æstuas, ardes, ad hanc nubeculam eleua oculos cordis tui, dirige lachrymas & vota, & voces, dic ergo; en ò Maria, ò fons gratiarum omnium siti morior: Si Sampsoni non defuit asini manipula; Si Populo Israelitico peregrinanti in deserto durissima silex, quę silentẽ intra se ignem

habebat, percussa bis Moysis Virga, non ignem excussit, sed aquam amisit, aquam non denegauit, nec vnquam defuit, tibi denegabit Maria? Tibi deficiat paruula hæc? Quæ hodie nascitur *electa vt Sol.*

Olim Hebræis data fuit aqua miraculo, duobus mensibus ab exitu de Aegypto, nondum completis, vt legitur in Exodo cap. 17. 6. Et miraculo eadem fuit conseruata, fons seù decursus ille aquarum non modò instar fluminis per quadraginta annos, quorum spatio in deserto extiterunt filij Israel, aquas abundè fuderit; sed vt aqua miraculosa miraculo data, miraculo conseruata, miraculosè etiam semper est Hebreos comitata per loca deserta, quocunq; illi demigrabant, siuè ascendentes per accliuia montium, siuè descendentes per decliuia vallium, siuè per æquata camporum perambulantes, semper aqua per transmissionem, & Dei directionem sequebatur eos, & vndè illis hoc celebre miraculū? Et cuius fauore, hoc illis? vt per quadraginta annorum spatia ex durissimo saxo non solum obtinuerunt aquam; sed & aqua passim, & è vestigio sequebatur eos: Nicolaus de Lyra ex mente Hebræ. respondet; *Quod Populus dum Maria Moysis soror vixit inter eos nunquam habuit defectum aquæ, sed ipsa mortua, statim Populus indiguit aqua*; sic expressit Rabbi Isaac; *Hæc petra Oreb nempè puteus Mariæ, qui illos comitatus quadraginta annis sic ductus, quoniam tot annos cum illis fuit Mariæ meritò.*

Quæ cum esset defuncta anno quadragesimo ab egressione populi de Aegypto, mortua Maria, describitur aquæ defectus; ità tex. lib. Num. cap. 20. *Mortuaque est ibi Maria, & sepulta est in eodem loco*: Cum indigeret aqua populus ex meritis Mariæ fluxit aqua de petra, & per tot annos conseruata, quæ subitò defecit, illa deficiente.

O Virgo Maria, non Moysis, & Aaron soror, sed & Dei mater, ò electa vt Sol, ò nubes fæcunditatis, & misericordiæ, ò nubecula securitatis, & protectionis, tu sola Solis æterni imaginem portas, Solem tuum oriri fac super bonos, & malos, pluuiam gratiarum tuarum effunde super iustos, & iniustos, ò verè fons, & puteus aquarum viuentium, nunquam deficiens, migret anima mea ascendendo per cacumina montium, discurrat per alueata vallium descendendo, peregrinetur per camporum planitiem ambulando, eam sequendo semper comitaris, nunquam deseris, nunquam aquam gratiarum tuarum infundere, & super eam pluere cessas, deficis: en vena, en nubecula, quæ hodie quasi vestigium hominis, parua nascendo videtur, immensa virtutum, ac gratiarum flumina semper duratura fluunt, non deficient; quia debitum humanæ naturæ illa soluens, mortis imperio non subijacet, mors illa fuit solius humanæ conditionis, & iam mortua statim tertia die ad vitam surrexit, æternaliter victura in cœlo assumitur; vbi ad dexteram filij sui coronata sedet; & iuxtà illum fontem æternæ vitæ laureata sedet, plena sedet, vt Domina, & Regina sedet, vt electa mater sedet; de quo fonte, si illa semper surgit aquam, non tantum ad sui nominis gloriam: sed vt verè Dei aquęductus, ad tui salutem, beneficium, & gloriam.

Percute lapidem orationis, deuotionis, humiliationis virga, & dabit tibi aquam viuam, ad hoc tibi nascitur electa, vt Sol vt vitam habeas, & abundantius habeas.

Cur Soli similis Maria in sui ortus natiuitate? Respondet Sapiens in Ecclesiast. cap 26. *Sicut Sol oriens mundo in Altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius*; quando oritur Sol iste mundo, oritur ad omnium, quæ sunt in mundo vtilitatem, luce sua illuminans, & calore ad generationem, & conseruationem calefaciens; quòd videtur testari D. Dionysius in lib. de diuin. nominib. cap 4. *Ad generationem*, inquit, *visibilium corporum confert*, ad vitam ipsam mouet, auget, perficit, nutrit, mundat, & renouat; & si quoad effectum præcipuè loquimur, placet ad sensum; nam habetur in primo de anima, in toto vniuerso non est nisi triplex vita, omnis enim vita; aut est vegetatiua, aut sensitiua, aut intellectiua; Sol est causa vitæ vegetatiuæ, quæ est in omnibus arboribus; est causa vitæ sensitiuæ, quæ est in omnibus animalibus & est quodammodo causa vitæ intellectiuæ, quæ est in omnibus hominibus, & hoc quantum ad esse; quantum verò ad cōseruationem causa est non per modum principaliter efficientis; sed per modum habi-

Marginal notes: Exod. — Nicol. de Lyra. — Rab. Isa. — Num. — Ecclesi. — D. Dion.

habilitantis, & disponentis quantum ad esse; quia secundum Philosophum Sol, & homo generant hominem; quantum etiam ad conseruationem Sol dicitur esse causa vitæ intellectualis, & rationalis; quia multum valet ad conseruandū hominis vitam, quæ consistit in inspiratione, & expiratione, vndè si medium esset minus densum ita quòd homo expirare non posset, vtrique moreretur; vt accidit quando est sub terra, vel sub aquis; Sol, & aliæ stellæ ità clarè faciunt aerem sui luminibus, quòd si non essēt syderum lumina aer condensaretur in tantùm, vt non viuere posset homo, & alia viuentia.

Si hoc præstat Sol suo ortu, quando oritur mundo, oritur ad omnia, quæ sunt in mundo vtilitatem, quando spiritus illi cœlorum iubilantes, & cytharizantes psallunt Virgini in mundo hoc nascenti, & eius ortum componunt cū ortu Solis, dicentes: Quæ est ista, quæ progreditur, seù nascitur electa vt Sol: Quid est nasci electa vt Sol, nisi nasci ad nostram salutem, & vtilitatem, & vitam; quia suæ gratiæ lumine, suæ misericordiæ radijs omnes perlustrat, omnes percurrit, in omnes effundit, & spargit; ita vt non sit, qui se abscondat à calore eius; ità præuidit in Spiritu sanctus Malachia Proph. cap. 4. *Orietur vobis timētibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius*, de Sole Christo loquitur. Propheta, qui verè fuit Sol iustitiæ, nō erit à veritate alienum hoc idem oraculum intelligere de Maria, quæ in ortu suo orta est, vt Sol non iustitiæ, sed benè pietatis, & misericordiæ; quia suę lucis radios, suę misericordię calorem spargit, sicut Sol, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, sanitas nostra salus in pennis eius, vt saluet, vt viuificat, vt calefaciat, vt prosit, vt subueniat, & vitam præstet, & salutem velocissima auolat vt Sol, qui ad omnium vtilitatem nascitur. Audi D. Ambrosiū lib. 2. officior. cap. 28. *Magnus itaque iustitiæ splendor, quæ alijs potius nascitur, quam sibi.*

Malach. Proph.

D. Ambr.

Hunc nostri virginalis Solis effectū aperire voluit nobis D. Joannes Euangelista in suis reuelationibus cap. 12. quando testatur se vidisse Mariam in ortu suę natiuitatis nasci Sole amictam, Sole vestita nascitur, non vt te solam Solis lumine induat, vt vestimento, sed vt prosit alijs ad aliorum vitam conseruationem, & vtilitatem; quod adumbrauit Euangelista Sanctus, quando sub pedibus eius Lunam esse descripsit. quòd si amicta Sole, & quidem benè cum tota sit iucunda, & clara, tota coruscans, & micans, tota misericors, & clemens, tota celeris, & velocissima ad peruolandum mundum hunc generis humani; quòd hoc sub pedibus tenebat; vt lunam luce clarificet, mundet, conseruet, perficiat, & saluet; non est absurdum generis humani sub specie Lunæ exprimere imaginem: Luna quippè ex se corpus opacum est, & obscurum, non lucet nisi lumine mutuato à Sole: Quis est homo, qui sæpè non mutetur vt Luna? Et obscurus ex se ipsò non fit? & sæpissimè nigris non immergatur sub vmbris? Proh dolor, dum in parte superna nullum exhibet lumen; sed totus ad terras conuersus est, necesse est vt tenebris offuscatur, & obscuratione Lunæ, & vt hic firmetur in bono, luceat, micet, & splendeat, indiget vt lumine solis Mariæ illuminetur; quæ oritur electa vt Sol: Sol omni parte lucidus est, & sursum, & deorsum suæ lucis mittit radios, vt nesciat terrena illuminare, quin simul cœlestia tegat sua luce, & sui luminis splendore.

D. Io. Eu.

O Maria, ò Sol perlucidus, ò verè amicta Sole, quæ veluti Sol irradias mentes cœlestium spirituum, micas in cœlis, & inferiora hæc cūcta percurris, perlustras, vt lucis radios, & tuæ misericordiæ beneficia impartiaris, & vitam conferas. Audi D. Bernardum qui ab hoc non longè abit, dum in serm. Signum magnum, sic de Virgine hac fatur: *Ea est quæ velut alterum Solem induit sibi, quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita; sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitatibus amplissimo quodam miseratur affectu.*

D. Bern.

Felix anima posita sub pedibus Mariæ, vt Luna illustratur, illuminatur, & calorem huius Solis sentit in se, & ab eo non se eximit, nec abscondit, sed succensa igne illius dilectionis ardet, incalescit, feruet, et ignescit: *Si est à longe*, inquit Idiota ille Pijssimus *eam illuminat radijs suæ misericordiæ, si propè per specialem deuotionem consolationis suauita-*

Idiota.

uitate, si præsens vt sunt Beati in patria excell.ª gloriæ, si per amorem adurit suæ charitatis igne, & sic non est, qui se abscondat à calore suæ dilectionis, & amoris, quia nascitur, vt Sol ad omniũ salutem, lætitiam, & consolationem.

O quàm delectabile est, hunc oculis videre Solem, esto es tu anima mea primò speculum concauum: si contra speculum concauum apponatur stuppa, & Solis radij per illud transeuntes repercutientes in stuppa Soli exposita mediante illo christallo, calor generatur in ea, & ignis accenditur, & ardit, vrit, & fumat.

O Sol veri luminis, cum sis mater pulchræ dilectionis, corda amantium te, tibi deuotè exposita mediantibus puris meditationibus incende, accende, inflamma, adura, luce tuæ charitatis ab eis tenebras pelle, tuis radijs purga, velut specula munda, calore tuæ deuotionis inflamma, vt flammas amoris erumpat, lacrymarum fumum emittat, vt sic ardens incalescat, & calefacta, & ignita ascendere possit ad palmam, carpere fructus huius ramusculi. O gaudium vniuersæ terræ, esto animæ meæ Sol puritatis, & lucis, vt tui amoris igne ignita dilectione dignè valeat te laudare, & non sanctum tuum perdulcissimum collaudare, & semper benedicere; quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu Filij Dei te precor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me nunc, et in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE FORMIDABILI VIRGINIS ORTV; Castrorum aciei benè ordinatæ persimili.

RAMVSCVLVS OCTAVVS.

Quæ est ista, quæ progreditur terribilis, vt castrorum acies benè ordinata.

Cant. cap. 6.



Ositis nobis in vitę pręsentis huius pręlijs armisque spiritualibus pręcinctis, & aduersus aereas, aeraſque potestates, & exercitus earum viriliter dimicantibus nobis, spiritus illi cœlorum hac perdulci simul, & formidabili eorum interrogatione, quæ est ista, quæ progreditur terribilis, vt castrorum acies ordinata? Et armorum resonante fortiter echo, cùm ingenti strepitu more castrorum, ad pugnam iam nobis exeuntibus, atque conflictantibus, ad Virginem, quæ nascens hodie mundo, visa est illis nasci terribilis, vt castrorum acies ordinata; In voce exultationis, & iubilationis, concrepante non tubarum, & acri buccinæ sonitu, sed cordis deuotionis, & dilectionis dulci per sæpè clangore iteratis vicibus consulût feruentius proclamare.

Qui clamor, quò emittitur fortior, & extollitur vehementior, eò cantæ, victricis patrocinio adiutis, de hostibus triumphaturis tutè, & securè spem ingerunt ouantis victoriæ; & vt victores, sic ad Virginem hanc conclamantes: Nos corona certaminis redimitos exhilararent, hostesque nostros prosternerent, & perterrerent, vt reuera perterruerunt, dùm læti, & festiui sic conclamando interrogant; *Quæ est ista, quæ progreditur terribilis, vt castrorum acies ordinata?*

E præcordiorum tuorum abditis, vo:e hilari, & grandi, ò anima mea simul amica conclamet echo, nata, quoniam puella ista non imbellis apparet in suo natali, sed cunctis armis præcincta fortissimis nascitur, & egreditur terribilis, vt castrorum acies benè ordinata.

O miraculum, ò totius orbis terræ singulare prodigium, vos alloquor, ò spiritus angelici, & vndè tanta in corpusculo illo fortitudo? Et strenuitas? Quæ super pedes suos, adhuc stare non didicit, quomodò bellatrix formidabilis? Quæ materno adhuc lactat, & pappat in gremio? Et quæ manus pannis inuolutas, & tremula membra stricta tenet fascijs, valebit ne ordinare milites, terrere hostes triumphis coronare caput? Et certam nobis spem afferre victoriæ, & quæ viræ diem, nondum vixit in mundo, valebit ne ipsa arma capere, ad bellum congredi, & nostrorum aduersariorum fortissimi certaminis dissoluere, & infirmare cornu.

Quæ nouitas hæc? Et nouum prælian di genus? ò cœlorum spiritus, & quæ gaudiorum, quæ, sic læti, & iubilantes nobis nunciatis, origo? Puella inermis, sola & vna est, & aciem. Castrorum ordinatam appellatis? O Virgo, ò bellatrix inexpugnabilis: tu enim

sola cum sis, tantæ puritatis splendore in ipso ortus tui die coruscas, tantæ fortitudinis robore roborata nasceris: quòd aduersus spiritus,& nostræ naturæ aduersarios, & infestissimos hostes; & ad nos patrocinandum velut acies Castrorum benè ordinata.

D. Bern. Sic testatur D. Bernardus. *Non sic timent hostes visibiles quamlibet Castrorum multitudinem copiosam,sicut aereæ potestates Mariæ patrocinium, vocabulum, & exemplum; fluunt enim; & pereunt sicut fluit cera à facie ignis, vbicumque inuenerint crebram ipsius meditationem, deuotam inuocationem, & sedulam imitationem.*

O Iudith fortissima,vnico, quæ ictu caput abstulisti impijssimi Holofernis, & bellatorum eius in primò illò conflictu constriuisti fortitudinem, eneruasti robur exercitus, aciei profligasti copias,& fregisti vires, & qui semel vicit,nunc semper vincitur,& credit Mariæ, & qui gloriabatur sua nos fraude vicisse per fęminam, modò per fęminam semper se sentit prostratum, & victum.

Vicit Maria semel,vt per ipsam semper vincamus, & nos,à quo vinci nullatenus possumus, si vinci nos ipsi nolumus.

In Lib.Num.cap.10.nu.35. legimus Hebręorum ad bellam proficiscētium, vt bellica tutè canerent,& securi de victoria pugnam inirent, fuisse institutum, & morem inualuisse, vt Arcam Domini secum ducerent in aciem,tam quam tutum munimen, & exercitus eorū inexpugnabile propugnaculum;

Num. sic habet textus; *Cumque eleuaretur Area dicebat Moyses,surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te,à facie tua.*

Tanta nè erat eorum fides, & spes in præsentia, vmbra, & præsidio vnius Arcę?vt hac sola pro plena acie habere tur,& ad saluandū eos sufficere posse,&

D. Atha. quidem sola sufficiebat:inquit D. Athanasius in lib. de interpretatione psalmorum;*Si bellum populo ingrueret,area in qua erant tabulæ legis, & manna ante eos praeedebat,& hoc sufficiebat illis pro quauis acie in subsidium.*

Et quæ? ò anima mea: arca hæc tantæ virtutis,& fortitudinis? Nisi Maria? Sic in psalterio Virginis testatur D.Bonauentura,arcam pietatis,& gratiæ:vocat hic Sanctus Virginem, & D. Idelphonsus in serm.de Assumptione. *Re...* D.Bona. *Area sacramentorum Virgo Maria fuit, intus omnis custodia legis, & manna fuit.*

Si nuda figura tantum profuit Hebræis,quantum putas tibi valituram figuratæ per ipsam protectionem, vmbram,& auxilium; in cunctarum tuarū tentationum, pugnarum, & oppugnationum acie præcedat arca hæc virginea,& licet crudelis sit hostis, & durus eius aggressus, & impetus, si aderit huius arcæ præsidium, præsentia; Esto secura de victoria, & Virginis vnius subsidio triumphabis de hostibus: Audi D. Laurentium Iustinian. in serm.de Natiuitate Virginis. *Deum veneremur in matre, matremque honoremus in filio, quatenus filium genitrice interpellante pro nobis,vincamus mundum, Diabolum superemus, renitamur tentationibus, adipiscamur coronam atque in Regnum introeamus æternum.*Hæc ille. D. Laur.

Et vnde tibi.ó Maria hæc victoria,& fortitudo tanta?nisi ex pulchritudine, & splendore tuæ immensæ puritatis: hæc illibata puritas,& lucis innocentia reddebat Mariam hostibus formidabilem, dum arma sua bellica non erant lorica, nec galea, non hasta, vel aliud huius generis: sed acies, & exercitus,& arma, erat lux Solis, & Lunæ: Si ijs armis armatus Iosue triumphauit de Abimelech, & Gabaon:quid mirum,si cum eisdem armis hostes suos prostrauit, vicit,& triumphauit Maria?

Dies omnes vitæ nostræ, dies prœliares vocat Apostolus, & aduersarij nostri, non solum caro nostra, & sanguis: sed Princeps, & potestates tenebrarum harum,contra quos non reperitur exercitus magis formidabilis, & terribilis: & securus de victoria, vt est exercitus lucis, & splendoris: Peccata, tenebras esse: non est qui ignoret, & ad prœliandum contra peccatorum nostrorum exercitus,arma fortiora non habemus, quam lucem bonorum operum, sic nos, docet Apostolus Rom.cap.13. *Abijciamus ergo opera tenebrarum,& induamur arma lucis*; quæ sunt opera virtutum opera gratiæ, quibus velut armis hostes impugnamus, vincimus, & triumphamus. Roman.

Contra Principem tenebrarum non surrexit vnquam exercitus nec poten-

tior

tior, nec fortior quam agmen vitæ, operum, & virtutum Virginis benedictæ, quā meritò illi spiritus Cęlorū luminaribus illis solis, & Lunæ assimilarunt, appellando eam aciem non fortem, nec potentem, sed terribilem: quæ etiam longè distantibus timorem incutit, & fugam parat; quando in suo formidabili ortu cecinerunt, *Quæ est ista, quæ progreditur, vt Castrorum acies ordinata?* Acies enim tunc dicitur ordinata, quùm ei præcedit primum agmen, & postremum sequitur, nec valet inimicus in eam irrumpere.

Totius vitæ Mariæ cursus fuit velut acies benè ordinata, cuius primum agmen fuit eius Conceptio; agmen verò postremum fuit eius mors: hoc postremum agmen, licet verè & realiter fuit in Maria: quia verè & realiter anima fuit separata à corpore; quoniam hæc separatio fuit sine dolore, sine angore, & corpus tertia die fuit assumptum in cœlo, & non vidit corruptionem; Inimicus ex hac parte postremi agminis irrumpere, & irruere non potuit, sic nec in primum, in quo fuit eius Conceptio: Vidit inimicus eam ab Adam descendere, & hasta peccati originalis armatus contra eam cucurrit ad prælium, vt irrumperet in eam, iacularet, feriret, occideret, & sicut de omnibus, sic de ea anhelans triūphare, quia erat munita gratia amicta Sole, calceata Luna, ijs armis circūamicta in illo instāti; adeò apparuit terribilis Principi tenebrarum, quòd timore perterritus, cum toto tenebroso suo exercitu corruit, aufugit, fugam arripiens à facie Mariæ, perfluxit sicut cera à facie ignis.

Mouit Deus arma in illo primò conflictu contra tenebras vt in Genesi legitur, quando *tenebræ erant super faciem abyssi* contra quas, vt exiret ad singulare certamen, pugnam non est ipse aggressus cum militibus Angelorum, non in hasta, & Clypeo, sed Dei exercitus fuit lux; *Fiat lux, & facta est lux*, ac si diceret, ad confligandas tenebras, potentior exercitus non inuenitur, vt ipsius lucis acies, apparente luce dissipatæ, & dissolutæ sunt tenebræ, & quòd erat tenebrosum, luminosum factum est, quando tenebræ peccati originalis erant super faciem terræ, hoc est naturę humanæ, tunc nata est Maria, quæ in (Gen. c. 1.) suo ortu nascendo electa vt Sol; hæc lux suæ puritatis, & innocentiæ contra exercitus tenebrarum illarum, fuit velut acies castrorum benè ordinata, & vndè in ea tenebræ? Quæ erat amicta Sole? Ideò tām terribilis, quòd à longè Principibus tenebrarum timorem, & metum incussit.

Et quò illis effecta est terribilis, eò ad nos saluandum, & protegendum facta est dulcior, & benignissima; cuius patrocinium adeò est efficax, quòd post Christum apud Deum Patrem ipsa sola curam gerit nostræ saluationis, ipsa sola pro peccatoribus pugnat, vincit, rogat, obtinet, & imperat; vndè D. Germanus Patriarcha sic exclamat ad Virginem: *Omnia tua admirabilia sunt ò Deipara, omnia ingentia, & aliorum vires superantia, propterea patrocinium tuum maius est, quam vt intelligentia comprehendi potest.* D.Germ.

Quòd clarius expressit Spiritus sanctus in Cantica, quum eius collum turri Dauid quæ ædificata cum propugnaculis, assimilauit, & quòd *mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.* Cant. c. 4. Verè velut collum est omnibus Maria, dum ad instar, collum se inclinat ad subleuandam cuiuscunque animæ deuotæ necessitatem, & vbi præmit, & vrget necessitas, in ea parte se flectit, & præstò est, nunc ad excelsa se erigens ad filium, qui regnat in cœlis, nunc ad ima se inclinat, vt ea omnia, quæ filius passus est in terris, ad salutem peccatorum eidem eadem repræsentat, nunc ad dexteram, nunc ad sinistram se curuat, vt quem suis vberibus lactauit, nobis placatum reddat. Hoc Virginis collum est vis efficacissima suarum præcum, & orationum, quas piè, & ardentèr fundit, oratio enim Virginis velut turris Dauid erecta super montem Sion, & dum sine intermissione apud Deum interpellat pro nobis, eius orationem dicimus esse ædificatam cum propugnaculis, quibus ædificata, & munita erat illa turris Dauidica, propugnacula sunt merita ipsius, quibus ipsa contra nostros aduersarios viriliter pugnat, & cum Deo, ad ipsum placandum, materno deuotionis affectu dimicat, & vinxit, & vicit.

Hinc D. Ambrosius serm. 4. in psalm. 118. vbi nostra vulgata legit mille clypei pendent ex ea legit ipse: *Mille ostia* D.Ambr.

H pen-

pendent in ea, ac si diceret, ad Virginem mille aditus patent nobis mille nobis ianuæ per Virginem reserantur in cœlo, quòd vno pro mille, probamus exemplo.

Pendebat Christus Iesus de cruce, & cum eo illi duo latrones, ille, qui à dextris eius erat, multis innumerisque (veluti erat qui à sinistris pendebat) scelerum iaculis confossus, & vulneratus, & pendens de cruce, iam illi mors astabat, agebatque animam, & pondere suorum peccatorum trahebatur ad tartara, quæ merito vitæ suæ iure debebatur: Spiritus illi tartarei iam, quem sodalem habuerunt in vita, comitem contendebant habere in tormentis, & socium in illo tenebricoso regno, & cum esset in tali conflictu, audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiso*, & quem iustitia miserissimè damnabat ad tartara; en misericordia reuocat ad cælestia, peccata donat, commissis indulget, prouocat ad pœnitentiam, eleuat ad veniam, pungit ad dolorem, & exclamare docet: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*. O clementia omnipotentis Dei, & subitò cœli aditum aperit, ostia salutis pandit, & ingreditur saluus: *Hodie mecum eris in Paradiso*.

Quo alio clypeo fuit hic latro sic securè, & tam cito protectus? & tam misericorditer saluatus? nisi Virginis clypeo? cuius filius dum pendebat de cruce, testatur Ioannes, quòd, & ipsa *stabat iuxtà crucem Iesus*, quæ Mariæ situs, seù status erat inter crucem filij, & crucem huius latronis, qui si resipiuit, fuit merito orationis Mariæ, quæ filium placauit, & pro ipso latrone deprecata est, & sub clypeo suæ protectionis protexit, & saluauit; ità testimonio D.Petr. D. Petri Damiani probatur: *O gratissima Virgo*, exclamat Sanctus, *ò peccatorũ solamen, & refrigerium, hoc beneficio latronis obsequium compensare voluit*.

Fugiens enim Virgo in Aegyptum iuxtà mandatum Domini, vt Herodis rabiem declinaret, quærebat enim puerum ad perdendum, incidit in latrones hic bonus latro de sociorum suorum manibus eam liberauit, non mihi videtur absurdum, dum D. Dionysius Char- D. Hier. Chart. D. Ansel. tusianus de vita Christi p. 1. c. 13. & D. Anselmus apud Torres de institut. principij lib. 13. cap. 1. in fine, testantur: *Hoc fuit obsequium à latrone Mariæ præstitum, quod & compensare voluit ipsa liberando eum de manibus inimicorum suorum, & de manibus diuinæ iustitiæ, non sua confessione tantum, sed & merito Mariæ, à filio audire meruit*: Hodie mecum eris in Paradiso.

Et quem latronem à faucibus damnationis æternæ potuit liberare, quem suæ orationis, & protectionis clypeo non liberabit? Si caput venenati serpẽtis hæc fortissima bellatrix contriuit, vicit, & portas inferni confregit, & cœlorum ostia reserauit; non est mirum, quia mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium: Principem illum tenebrarum nunc deterret flamma charitatis, nunc incendit orationibus, & deuotionis feruore, nunc flagellat, & vulnerat lancea suæ dilectionis, nunc luce, & splendore suæ puritatis in fugam vertit.

Postquam Iudith illa Hebræa caput Holofernis contriuit, & eius exercitum profugauit, subdit tex. sacer: *In omni* Iud. c. 16 *autem spatio vitæ suæ, non fuit, qui perturbaret Israel, & post mortem eius multis annis*. O fœmina mille laudibus digna, in vno conflictu, in vno certamine in vno ictu, hostibus tam terribilis facta est, quòd in posterum, non solum eam, à qua victi sunt, sed plebem ipsam imbellem, quæ sub illius clypeo protectionis, & patrocinij tenebatur, & viuebat, formidabant, & dum viueret, & iam mortuam multis annis.

Contra Principes tenebrarum, & aereas potestates multò gloriosior fuit Virginis victoria; qua parta in illo primo congressu, tanto timore sunt perterriti, quòd ad solius nominis Mariæ inuocationem fluunt, pereunt, & fugiunt.

En ò anima mea turris Dauid cum propugnaculis ad tui solius defensionem, erecta in illa sancta Sion; en propugnacula argentea ad tui saluationem resonantia ad aures illius Diuini Iudicis; en pro te armata mille clypeis ingreditur ad thronum Maiestatis Diuinæ, quid times? quid paues? cur sic formidolosa incedis? Hostes tui victi sunt, prostrati sunt, & nullius sunt fortitudinis; ad pugnam te aggredientem, confusio, vociferando ingredere, conclamando nomen Mariæ, quo inuocato esto secura de illorum fuga, & tua victoria.

Au-

D.Birgit. Audi Diuam Birgittam ab ipsamet Virgine sic edoctam, lib. 1. reuel. cap. 9. *Nullus in hac vita est tam frigidus ab amore Diuino, qui si inuocauerit nomen meum cum integro proposito pœnitendi, statim Diabolus ab ipso recedat*.

Vt ad perterrendos, & profugandos hostes tuos, anima mea, tu sic protecta à Maria animosior euadas, & ipsa suo te clypeo protegat, & contegat, nulla sit dies, in qua speciali aliquo obsequio Virginem non obserues, colas, & honores; quin ad eam praces tuas deuotè fundas, ad hoc te trahat amor, stimulet deuotio, prouocet affectus, vrgeat necessitas, imò si benè obserues ad hoc præstandum Marię te adhortatur ordo cęlestis naturæ.

In cœlo inter cętera corpora cęlestia tradunt Astrologi septem reperiri planetas, qui à die, cui præsunt in hebdomada, nomina sortiuntur, vt Luna à prima die, Mars à secũda, Mercurius à tertia, Iouis à quarta, Venus à quinta, Saturnus à sexta, Sol à septima, quæ est dies Dominica cui Sol præesse dicunt.

Quæ septem corpora cœlestia cum sint terræ magis proxima, præter motum illum primi mobilis, quo ab ortu ad occasum rapiuntur, motum quemdam habent peculiarem, quo diem, cui præsunt, singulari aspectu, singularique influxu ditiorem reddunt, fœcundiorem effi iunt, vberiori affluentia, iuxtà qualitatem planetæ fæcundane.

Expergefac tua viscera tuæ socordiæ tarda sopore, ò anima mea, ascende ad palmam, contemplare Mariam, & videbis; quia Virgo purissima, est ipsis cœlis capacior, quòm suo gremio continuit illum, quem cœli omnes capere non valuerunt, ex quo ille Magnus

Guarric. Guarricus exclamauit in laudem eius: *O vterum, qui cœlum es, septem circulis constans, & capacior illis existis; ò vterum septem cœlis sublimiorem, atque latiorem; ò vterum, qui es octauum cœlum, septem firmamentis celsiorem; ò vterum habentem inextinguibile lumen gratiæ lucentis, hoc est septem dona Spiritus Sancti, quæ septē Planetis respondent, et eorum vires, & influxus eminentissimè in se continet*.

Vterus enim Mariæ, cùm sit cęlum, quantò Planetis illis erit fœcundior, illis vberior, & illis affluentior, tantò in aspectu, & influxu, in moderari, influere, & fœcundare dissimilior, quantum Creator distat à creatura. Si enim, vt illis capacior, Deum bonorum omnium fontem, & originale principium in se continet, portat & claudit, dum ipsa Planeta singulis præest hebdomadæ diebus, influxus gratiarum Dei ipsa moderatur, & per ipsam illi ad nos descendunt, vt nos fœcundet, donis cœlestibus, ditet, ò anima mea.

Si nulla est dies donis ipsius vacua, nulla sit dies, imò nulla pertranseat hora, quin illam inuoces salutes, diligas, officium, vel obsequium illi præstes, laudes, quin illam cordiali affectu cordis tui colas benedicas, & venereris: in ortu suæ natiuitatis non absque secreto consilio voluit tibi Maria apparere pulchra vt Luna, electa vt Sol, simul, & terribilis, vt castrorum acies ordinata, vt capias, quam ad tui vtilitatem plena sit illa, & affluens donis cęlestibus, & quam ad te saluandum, & ab hostibus ad te protegendum suis armis sit potentissima, & quam tibi sit securum sub tanto duce militare: vt intelligas, quæ dico, velim scias, quam nostrum graue sit bellum, quàm crudelis, & callidissimus noster sit hostis, & eius arma fortissima; hoc ad aperire voluit Apostolus scribens ad Ephesios cap. 5. dicens: Paul.Ap. *Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*.

Ex aduersariorum natura, potentia, fortitudine, nequitia, & armis aperitur nobis, quam grauissima, difficillima, & periculosissima nostra sit pugna, in qua pugnamus, non contra hostes carneos, & visibiles: sed contra spiritus inuisibiles; O anima mea, si hostis naturam quæris, spiritus est: si speciem eius, inuisibilis est, si indolem, nequissimus, & malitiosissimus est si potestatem, est mundi Dominus & Rector, si artem eius, & fraudem, Princeps est tenebrarum, & per insidias, & in tenebris nos aggreditur, si quæris locum, superior est, quoniam ex aere, vel è Cœlo in nos irruit.

Cum hoc hoste est tibi irreconciliabile bellum, audi D. Chrysostomum D.Chry. hom. 22. *Si tales instructæ sunt acies, si incorporales Principatus: Si mundi Domini, si spiritales nequitiæ aduersum nos sunt: quomodo, dic quæso delicias? Quomodo inermes vincere poterimus? Ista*

quisque sibi ipsi singulis diebus dicat, *quando per faustum occupatur*, *quando per concupiscentiam, quando mollem vitam suconsulto, & frustra quarit*, *audiat Paulum dicentem; non est nobis colluctatio aduersus carnē, & sanguinē, sed aduersus Principatus, & aduersus potestates.*

Timendus est talis hostis, qui vt docet D. Hieronymus, quando aggreditur obseruat loca minimè munita, vt in arcem nostri cordis p ea irrumpat? & facilè irrumpit in eum, qui oculos suos, vel aures non custodit, huic species mulierum, & verba lasciua ingerit, vt ad libidinem eius volnntatem alliciat.

Callidus est, & versipellis, semper vtitur ambagibus, inquit D. Chrysosto- D. Chrisostom. mus: *ità nunquam aperta homini obijciat, nec subito irrumpit, sed sensim irrepit, & animæ familiaritatem primò insinuat, ac tandem penitus se immergit in illam*; Est, & alia huius nostri hostis calliditas, antequam aggrediatur, vel adoriatur bellum, scrutatur primò, qua infirmitate; quo vitio, qua proclinitate quisque laborat, & per illam inuadit, & congreditur; hanc huius hostis artem innotuit D.Leo nobis D. Leo serm. 7. de Natiuitate Domini. *Nouit, inquit Diabolus, cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illicebras gulæ ingerat, cui apponat incitamēta luxuriæ: cui infundat virus inuidiæ, nouit, quē mœrore conturbet, quem gladio fallat, quē metu opprimat, quem admiratione seducat, omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, vbi viderit studiosus occupari.*

En quàm graue bellum, si tot, tantisque circumuallati hostibus non vinci volumus, sed vincere: Athleta es anima D. Basil. mea: *Attende tibi ipsi*, inquit D. Basilius in cap. 15. Deuteronomij; *collabora Euang.° milita bonam militiam contra spiritus nequitia, aduersum vitiosas carnis affectiones*, attende tibi, ne quam ex legibus athletico agoni, perscriptis inueniaris transgressa: nam nemo coronatur, nisi qui legitimè certauerit; Esto semper parata ad pugnam: esto vigilās, euigila ne p incuriā vires pbeas aduersario tuo: nam vt docet D. Athanasius D. Atthanasius. in vita Sancti Antonij; *Quales enim nos & nostras repererint cogitationes, talesque nobis præstare consueuerunt, & post multa sic concludit: Vna est ergo ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & animæ dominium, semper cogitantis, iugis recordatio, quæ Dæmonum ludos, quasi fumum expellens, persequetur potius aduersarios, quam timebit.*

Vis nō timere bellum, & hostes tuos fugam arripere? anima mea, militare Mariæ, iugis sit in corde tuo huius Virginis recordatio, memoria, & inuocatio, & tua erit victoria, tua erit corona: Sæuit hic hostis, natus ad nocendum, cuius natura est in omnes sæuire, nō est locus ab eius fraudibus immunis, non tempus vacuum tanti hostis insidijs, vt feriat, pepigit fœdas cum carne, & mundo, hic decipit, & illa seducit, mundus blanditur, & caro palpat, vbique insidiæ, vbique laquei ad mortem.

Quid paues? quid times? anima mea, en nata est tibi puella hæc, Dæmonibus terribilis, vt Castrorum acies ordinata, quæ tanta est virtutis, & fortitudinis: quòd sternit eos, & vincit fugam, cogit arripere, non armis alijs, quam solo aspectu, quo deterret, & deijcit, prosternat, & conculcat. Audi non me, sed D. Amadei verba hom. 8. de laud. Virgin. D. Amadeus. *Omnium de quacunque tribulatione clamantium, illa libens praces suscipit, & nato supplicans omne malum ab eis miseratrix auertit; enim verò sicut ignis attactu cera liquescit, & velut ardore Solis defluit glacies, sic ab eius facie inimicorum deperit acies, eaque iubente nihil aduersi subsistit: O vis magna, ò potentia omnipotens non armis alteruntur Dæmonum acies à Virgine, sed voce sola, eaque iubente, solo, & nudo suo imperio imperat, & prosternuntur, & aufugiunt sicut cera à facie ignis.*

Verè, *terribilis, vt castrorum acies ordinata*; plus valet Maria sola, imbellis, infans, paruula, adhuc ligata fascis in gremio matris, quam omnium Sanctorum exercitus, cur hoc? *Nisi quia puellula hæc*, vt inquit Pijssimus Idiota, Pijssimus Idiota. *habet ipsa sola omnium sanctorum merita in se congesta, & easdem contra hostes, vires, quas habent omnes sancti simul, sumant arma ad te protegendum ordines cuncti Angelici, & militia omnis illa cœlestis, plus potest vna, adeò terribilis, fortis, & formidabilis est, quā beata omnium Sanctorum agmina; nec mirum si omnium superat merita, & omnes præcedit, & præcellit virtutibus, & meritis, ad inuocationem tantum illius dulcissimi nominis debilis est hostis, & bellum ina-*

ne

ne: ad inuocationem Mariæ Tartarei hostes, & aereæ potestates consternatæ aufugiunt à facie eius; D.Bona Audi D.Bonauent. in speculo B. Mariæ Virginis cap. 9. ex Diuo Bernardo, quid dicat; *Non sic timent hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, vbicunque inuenerint crebram huius nominis inuocationem, recordationem, & sedulam imitationem: fluunt, sicut cera a facie ignis.*

Sub hoc Duce militare, præcincta amica mea, nõ alijs armis, quã ore, corde, lingua, & cogitatione inuocare nomen Mariæ; En quã facilè vincitur; prosternitur, & in fugam conuertitur hostis ille, qui aspectu, fortitudine, calliditate, & tentationum armis videbatur inuincibilis, per dulci Mariæ vocabulo deuotè inuocato, consternitur, & corruit, & aufugit, vt imbellis, & inermis.

Dux exercitus Regis Iabin, & Israelitici populi sęuissimus hostis erat Sisara. qui egressus contra Populum Domini, vt dimicaret contra eum; Debora Prophetissa; contra Sisaram constituit Principem Barach, cui prædixit de Sisara victoriam, quæ vtique non sibi adscriberetur, sed à Deo seruata erat Iaheli mulieri; Commisso prælio aufugiens Sisara Iahel recipit eum in domum suam, & petenti potum aquæ, lac dedit, dulcique somni quiete sopitus, obdormientem occidit, & caput eius cum clauo tabernaculi, & malleo perforauit, & quem debellare non potuit Barach cum decem millibus pugnatorum, tantum in fugam vertit, vna mulier oblata lactis potione cum terra confodit, occidit, vicit, & triumphauit.

Quid hæc mulier Iahel? Nisi B. Virgo Maria; Iahel enim ascensio Domini dicitur, & Deus p carnis assumptionem in Deiparam ascendisse probatur oraculo Isaiæ cap. 19. *Ascendit Dominus super nubem leuem*; per hanc nubem D. Ambrosius in exhortatione ad Virgines intelligi B. Virg. Mariam; *Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat leuem: quia Virgo erat, nullis oneribus grauata coniugij;* Virgo hęc mediante lacte suo; quo Christum nutriuit, & aluit, Sisaram, qui interpertatur, recessio à Deo, hic est Diabolus, qui à Deo recessit; Diabolũ superauit Christus, & interemit ligno, & crucis clauis, quibus mediantibus sustinuit mortem, hęc vna mulier fecit confusionem in domo Nabuchodonosor Regis.

Isai.Pro.

D.Ambr.

Sed ad nostrum intentum dicamus, vt figura respondeat figurato, quod Maria sola deiecit hostem humani generis lacte sui dulcissimi nominis, Mariæ nomen dulcedinis nomen est, melleam suauitatem, & miram ingerit dulcedinem in os, Mariæ nomen inuocantis.

Echtbertus Abbas ad Mariam sic alloquitur; *Tu nec nominare quidem potes, quin recrees, tu nunquam sine dulcedine diuinitus tibi insita piæ memoriæ portum ingrederis, & multi huius dulcedinis suauitatem experti sunt; Cordis tui gutture degustare melleam dulcedinem nominis huius, & senties, quæ dico, quoniam nomen hoc super mel dulce, & hæreditas illius super mel, & fauum.* Echtber. Abbas.

Si lacte Iahel Sisaram sopiuit, & caput eius clauo postea terebrauit, hoc instruit in figura quòd in figurata Maria videtur adimpletum, quod vbi non potest acies Sanctorum omnium, valeat vna puella inermis, & imbellis tartareos cuneos effugare suo dulcissimo nomine; satis expressè aperuit hoc nobis Beatus Andreas Eremita in Codice manuscripto. *Iahel Sisaram occidit, hostem populi Dei porrecto lacte, tu quoque inimicum nostrum tua clementia, & nominis dulcedine suffocasti.* Iudic. c. 4 B. Andr. Eremita

O anima mea, quid times bellum? quid paues inimicum? militare sub duce Mariæ, & deuotè inuocato tantum eius nomine in fugam conuertis, tua erit corona, tuaque victoria; si huius ramusculi præoptas carpere fructus deuotè ascende ad palmam amando, laudando, benedicendo, salutando, quotidianas orationes ei offerendo, illam amplexando, ad illam conclamando ipsam sequendo, ad illius vmbram sedendo, eiusque virtutes meditando, ascendas.

Non te pertranseat hora, aut dies, quin ad illius pronoluta pedes humiliter exores, roges, vt saluet te, & ad tui salutem sit inimicis tuis velut acies castrorum ordinata; esto secura, quòd protectionis suæ capies fructum, & tuæ saluationis carpes poma, & triumphum de inimicis: O verè acies castrorum benè ordinata, succurre, defende, protege ani-

animam serui tui, vt hic viuens victrix de inimicis, & in cœlo tecum conregnans, tibi cantet, tibi psallat, & benedicat nomen sanctum tuum.

Sit ô Maria veluti clauus in corde meo infixus per dulcissimum hoc nomen tuum, rogo te ô Maria, sit hoc nomen tuum mihi ad coronam, & sertum capitis mei, meis verò inimicis omnibus ad mortem, & interitum, quo terebrati sint eorum capita, & conquassata prosternatur eorum superbia. Exultet anima serui tui in tuo nomine, cuius etiam dulcedine sopita, & inebriata exultans, & laudans benedicat illud omni tempore vitæ suæ, quòd sit benedictum in æternum ô humilis Virgo Maria mater Iesu Filij Dei, te precor ô Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea: sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE NOMINE MARIÆ Angelis,& hominibus ineffabili.

RAMVSCVLVS NONVS.

Et vocabitur tibi Nomen nouum, quòd os Domini nominabit. Isaias cap. 62.



O Nomen super omne nomen, sanctum, honorabile, bonum, delectabile, gloriosum, venerabile, perdulcissimũ, virtuosum, dulcorosũ, gratiosum, fructuosum, luminosum, benedictum, & exaltatum. O Maria, quis tibi hoc nomen dedit? sic prædixit in spiritu Propheta Sanctus: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quòd os Domini nominabit,* sic testatur Pijssimus Idiota, & refertur tom. 3. bibliothec. Patrum c. 5. Idiota. *Dedit tibi, Maria, nomen tota Trinitas, vt in nomine tuo omne genuflectatur, hoc nomen super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, vngit agonistas, iugum Diaboli excutit, tantæ virtutis est, & excellentiæ, vt cœlum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant.*

Nomen hoc, quia à Deo est datum, non est inane, & vacuum, vt vacua, & inania, vt vana, & fucata sunt nomina, quæ imponuntur ab hominibus, qui bona nominibus congruentia non valent conferre, vt Deus; ad rectam namque nominis rationem, & normam, quæ rerum, quarum sunt, naturam, & essentiã debent exprimere; quia nomen imponitur illi, cui non est nomen, & imponitur ad rem aliquam significandam, ex quo fit, quòd tantò nomen est altius, quantò res per illud significata est altior.

O anima mea, dum audis, dum legis, & vocabitur tibi nomen, nomen hoc Mariæ, non sonum tantum exhibet vocis, sed, & rem præstat excellentiæ, quam significat: inter cæteras huius perdulcissimi nominis significationes. Prima est, & singularis quæ adducitur à Diuo Ambrosio in lib. de institut. Virg. cap. 5. *Deus ex genere meo.* En quam consonum est Mariæ nomen rei; quia Virgo verè Deum genuit, quando vt inquit D. Ioannes cap. 1. in suo vtero Verbum caro factum est; *tunc,* dicit D. Ambrósius, *speciale Maria, Domini hoc nomen inuenit, quòd significat Deus ex genere meo,* quid est ex genere meo, nisi eiusdẽ sanguinis, nobilitatis, prosapiæ, eiusdẽque virtutis, & operationis. O prodigia, ò miracula, quòd Deus ex sua simplicissima natura habet, hoc obtinet nomen Mariæ ex priuilegio muneris singularis; meritò D. Bonauentura in Psalterio Virginis vocat nomen Mariæ, *nomen omnipotens post Deum.* D. Ambr. D. Ioan. D. Bona.

O anima mea si Dei omnipotentiæ attributum reperitur in Maria, reperiũtur, & alia, non per essentiam, sed ex beneplacito donatoris, qui solus potuit nomen consonans rei dignè imponere. O altitudo sapientiæ tuæ Deus meus; nimis profunda; ò abyssus imperscrutabilis scientiæ Dei mei, quę tu creator omnium, omnia cognoscis, præsentia, præterita, futura, & possibilia, ac te ipsum, qui es pelagus rerum omnium, & ea perfectione cognoscis; quæ, & ipsa cognoscibilia sunt, cognoscendo ea non per speciẽm, non per effectum; sed per tuam essentiam, quæ speculum cum sit perlucidissimum in vno tuæ mentis intuitu, cognoscis omnia simul. & tam certitudinaliter; quòd, & ipsa contingentia per seipsa incerta, prænoscis certissimè, & verè, & infallibiliter.

Et sicut non cæpit hæc tuæ rerum cognitio, sic non desinet, existens æterna, innariabilis, infallibilis, simplicissima, ratione tuæ simplicissimæ vnitatis, vnico simul actu teipsum cognoscis, & om-

sta. O Deus Trinitas, & Deus cordis mei, tua enim omnipotentia, sicut tu omnia possides, omnia creas, omnia implesomnia regis, ità tua sapientia simul omnia praenoscis, intelligis, & capis.

Quid mirum? si haec tua scientia, & cognitio tibi Deo meo soli est essentialis, substantialis; imò ipsemet Deus, qui est aeternus, & benedictus in saecula, nobis autem, & Angelis solum accidentaria, quae existens in se lux incomprachēsibilis splendoris, omnibus se diffundit, communicat, & ratione suae huius foecunditatis, se effundit ad Angelos, ad homines, & ad cuncta animantia, & suo lumine ipsa est, quae facit cognosci, & cognoscere omnia, cum sit idea, & causa omnium, quae sunt: ab aeterno in mente tua diuina ideam, & nomen hoc Virginis Mariae scriptum exarasti in libro vitae, secundò post Christum, vt ex nomine mundus tantae Virginis agnosceret dignitatem, & excellentiam.

O anima mea si intuens Dominus Iesus Simonem ad se adductum à fratre, oculis amore plenissimis praedixit, nouo quoque nomine fore vocandum: D. Ioan. sic enim habes apud Ioannem cap. 1. *Intuitus autem eum Iesus*, dixit; *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas; quòd interpetratur Petrus*: quid in Petro tunc intuitus est Iesus; quod nouum illud nomen meruit ex ore Dei obtinere, & appellari? Dicam quae sentio, nomen Petri, Simoni maxima cum ratione, & praecellenti significatione impositum est à Christo; quia in Petro veluti petra solidissima Ecclesiam suam constabiliebat, cum dixit illi: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; ac si dixisset: Nomen tibi impolui significans petram etiam in ipso nomine Ecclesiae meae fundamentum Pastorem, Caput, Principemque te esse demonstratem. Si hanc intuens Iesus in Petro dignitatem, nouo nomine, & ore suo benedicto, vt ex ipso nomine agnosceretur, & personae dignitas, & excellentia censuit appellari; quantò magis Maria, quae lapidem illum, qui solus est Ecclesiae primarium fundamētum in se recepit, genuit, & peperit, & Paul. Ap. educauit; de quo dicit Apostolus scribens ad Corinthios 1. cap. 3. n. 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quòd positum est, quòd est Christus Iesus*; meruit, et digna fuit, vt nomen eius vocaretur, et nominaretur à Deo, vt ex nomine intelligeres eius dignitatem, excellentiam, altitudinem, et merita, proprietates, et effectus, qui sunt saluare periclitantes, recipere ad se confugientes, erigere ad se clamantes, et protegere in se confidentes, ò Maria, ò Maria sit nomen tuum benedictum; quòd os Domini nominauit.

Et vocabitur tibi nomen nouum, quòd os Domini nominabit; nouum dicitur hoc Mariae nomen, non ex impositionis nouitate, sed nouitate proprietatum eius, & prodigiosorū eiusdem effectuū, idem sonat hic nouum, quòd magnum, inusitatum, & mirabile, id apud homines adiudicatur nouum, & mirabile: quando vident Solem eclypsari, terram concuti, & moueri, stellas de Coelo cadere, vel de loco ad locum mutari; O anima mea quidquid gestum est in Maria ab exordio suae aeternae praedestinationis, vsque ad eiusdem Assumptionem in Coelo, totum nouum, magnum, inusitatum, & admirabile: & quid est omnium nouitatum, magis nouum, & menti humanae, etiam, & Angelicae magis admiratione dignum est: quòd illū, quem Pater aeternus ab aeterno in suo vtero genuit, illa in ventro suō plenitudine temporis adueniente concepit, & paternitatis Dei dignitatem, quam solus Deus Pater habet, nulli communicauit nisi Mariae.

Hac nouitate stupet mens Angelorum, & contremiscit omnis creatura, Cur hoc? Respondet Propheta Sanctus Ieremias cap. 31. *Creauit nouum Dominus*, & quid est hoc nouum? *Mulier circumdabit virum*: Tunc Sol Dei filius Ierem. Proph. vmbra terrae humanae naturę, & interpositione Lunae fluxibilis mortalitatis humanę obūbratus est, Eclypsatus est, tūc verè terra quoque humanitatis nostrae ibi fuit spiritualiter mota, quando de sua ignobilitate, & indignitate mutata fuit in nobilitatem illam, etiam super Angelos, quia in Christo fuit deificata, tunc etiam stella, quae ab aeterno fuit in firmamento Coeli, nempè ipsamet Dei ęternitas, aliquo modo cecidit, in quantum per carnis assumptionem fuit aliqualiter; (Saltem quo ad appatentiam) mutata, audi D. Bernardum super missus est hom. 2. quā satis luculentèr ex- D. Bern. pressit, *Sed verto me ad conceptum, partum-*

tumque virginalem, si fortè inter plurima noua, & mira, quæ ibi profectò inspicit, qui diligenter inquirit, etiam hanc, quam de Propheta protuli, reperiam nouitatem; porrò ibi agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana; ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis exuriens, videas, si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem; sed angelos reficientem, vagientem, sed & miseros consolantem, videas; si attendas tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari, sed quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pauor confortans, passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans.

En quam magnum, quam nouum, meritò nomen nouum tribuitur Marię, dum tot, & tanta insolita, mirabilia, & nobis incognita in ea operátur à Deo, cui Soli tantæ Virginis notum erat, & nomen, & meritum, ille solus: vt nomen esset consequens rei: valuit hoc illi nomen imponere: *Vocabitur tibi nomen nonum; quòd os Domini nominabit*; laudent te spiritus Cœlorum ò Bonitas Dei mei: quod hoc Mariæ nomen nobis innotuisti, & sub eius nomine personæ dignitatem, & excellentiam; nam abstractis nominibus pro suis concretis modo actiuè, modo passiuè vti erat cōsuetudo apud Hebræos: & hoc ad excellentiam Sanctorum inquit D. Ambrosius, vt legimus de Moyse: *Noui te ex nomine*; nomen hic ponitur pro eo, cuius est nomen; Hoc Virginis nomen latuit Salomoni: qui si nouisset, & hoc magnum pietatis Sacramentum: quòd manifestatum est in carne Christi agnouisset, non diceret nihil sub Sole nouum, sed admiratione correptus, absque dubio diceret: hoc solum nouum est sub Sole, quòd Deus super Solem absconderat in tempore dignatus est nobis manifestare: vndè satis eleganter dixit D. Cyprianus in serm. de Natiuitate Domini. *Nouum est, & inauditum, quod in materni angustia vteri circumdedit intra se fragilis caro virtutem altissimi, quem nos paruulum, Prophetæ nonnunquam vocauerunt virum insinuantes, ei nunquam defuisse virtutem: sed semper virilis ætatis habuisse fortitudinem, quem infantilis infirmitas occultabat, & fœmina* *superfœminas benedicta*; hæc ille. D. Cypr.

Et benedictum perdulcissimum nomen tuum, quòd os Domini nominauit, vt ex ipso nomine iurè possis dicere, & tu Deus ex genere meo, quid est Deus ex genere Mariæ? Nisi quia pars virginei sanguinis vinculo vnionis hypostaticæ ita copulata, seu coniuncta est cum Verbo Diuino, vt ausus sit D. Petrus Damianus hanc cōiunctionem vocare identitatem: *cum Deus sit in alijs rebus tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo, per identitatem, hic taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem.* D. Petr. Damian.

Enquàm nouum Mariæ nomen, & quàm consequens rei, vt creatura ederet Creatorem, famula Dominum generaret, & per Virginem mundū Deus redimeret per illam illuminaret, & reuocaret ad vitam: si modum quæris, anima mea, attende; in Maria sola videtur quasi euacuata Dei potentia, quæ vt dicit Iob cap. 5. *Facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia absque numero.* Iob.

In cunctarum creatione creaturarū, quia sunt, vt testat Isaias cap. 40. *quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt; ecce insulæ quasi puluis exiguus, omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei*: quòad effectum, Dei potentia non tota se manifestauit, sed tantum in modo; quia omnia creauit ex nihilo, cum sit Deus ex sua natura summè communicabilis, quando ad effectum suam voluit ostentare potentiā, patefecit non in fabricatione mundi; sed in creatione Mariæ: *Ipsa est*, inquit D. Bonauentura in speculo B. Mariæ Virg. cap. 8. *qua maiorem Deus facere non posset, maiorem mundum posset facere Deus, maius cœlum posset facere Deus, maiorē matrem, quā matrem Dei non posset facere Deus.* Isaias Proph. D. Bona.

Exemplo ex ipsomet Isaia vtamur adducto, quælibet libra duas habet lances, ponatur in vna Dei potentia, & in altera tota mundi machina, & totum quòd creatum est collibrare simul, quid ad pondus diuinæ potentiæ præponderat mundus? Respondet Propheta Sanctus: ecce quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ, quasi puluis exiguus, qui nec ligulam vim habet flectere

ctere steræ quasi nihilum, & inane; ponatur verò Maria, sola hæc videtur esse illius diuinę potentiæ, ęquilibrium, quæ æquat, æquiparat, & librat in trutina lances, & æquipendet diuinæ potentiæ.

Dicam, quantum fas est dicere, Potentia, Sapientia, & Bonitas; sunt attributa personis diuinis communia, & appropriare aliqua personis diuinis, est, ipsa communia omnibus personis diuinis ad notitiam propriorum personalium facientia alicui personæ attribuere, vt Patri Potentia, Filio Sapientia, & Spiritui sancto Bonitas, & fiunt incommunicabilia, vt ipsa persona, quæ vt quòd, & vt quò incommunicabilis est, quando datum est Marię, vt in suo vtero conciperet, & generaret Deum, non fuit potentia, vt personale attributum; sed vt personis diuinis commune, ad extra namque Trinitatis opera sunt indiuisa.

D.Tho. Quòd Maria sit effecta mater Dei, & quòd sit mater simul, & Virgo, potentia Dei effecta est, ex mente Diui Augustini respondet D. Thomas in sua catena: *Virgo non per suam virtutem se beatam prædicandam, sed causam assignat dicens, quia fecit mihi magna, qui potens est;* quæ tibi magna fecit? credo, vt creatura ederes Creatorem, famula Dominum generaret.

Ergo qui dedit tibi nomen, dedit, vt simul esset, & consequens rei, vt posset Maria iure dicere Deus ex genere meo: Potentia generatiua in diuinis incommunicabilis est, licet eadem sit, quæ in Patre generante actiuè, & in filio genito passiuè; quia ille solus generat, & hic solus generatur, quæ generatiua potentia essentiam dicit, & Patris intellectus fęcunditatem, hoc sonat fundamentaliter loquendo, memoria fęcunda Dei Patris, vt generet, & in filio, vt generetur, quæ vt ipsa persona est incommunicabilis, & est in Patre, ratione primi-

D.Bonauentura. tatis, inquit D. Bonauentura, in quantū est principium, non de principio, & ita Patris est actiuè, quòd neque communicatur Filio, qui generatur, sed non generat.

O Deus cordis mei, ò summæ potens, qui facis mirabilia solus; Hæc actiua potentia ad posse generare; non vt personalis; sed vt tribus personis communis, soli Mariæ communicatur à Deo, qui elegit eā, & agnouit eā ex nomine; nomē dedit cōsequēs rei, vt filius sicut in cęlo habet patrē sine matre, sic in terris haberet matrem sine patre, & sicut pater dicit; Hic est filius meus dilectus, sic & Maria, hic est filius meus dilectus; & qui est Filius Dei in diuinis, filius factus est Virginis in humanis; vt Virgo possit verè, & iurè dicere iuxtà illius nominis Ethymologiam; *Deus ex genere meo.*

Ac si diceret, si Deus mecum est eiusdem massæ, nobilitatis, & sanguinis, est etiam, & eiusdem virtutis, & potentiæ, nam iuxtà Diui Thomæ sententiam in Epistol. ad Romanos lect. 1. *Nomina diuinitus imponuntur quibusdam à principio natiuitatis ad designandam gratiam, quam à principio consequuntur,* eò magis nomen Mariæ, quod non ab hominibus, sed ab ipsomet Deo impositum est, signat gratiam illam in Virgine, ad quā elegerat, & prædestinauerat Deus, vt Deum posset in suo vtero concipere, generare, parturire, & alere, & enutrire; Vndè Diuus Bonauentura in psalterio Virginis, in Cantico Moysis, vocat omnipotentem; *Domina nostra omnipotens post Deum nomen eius,* & quòd in Deo est per essentiam, in Virgine adest priuilegio singulari, & huius veritatis testes sunt admirabiles; qui hoc perdulcissimum nomen passim operantur. D.Tho. D.Bonauentura.

Et si qualibet res nomen habet à suo complemento, vt docet Angelicus Doctor p. 3. q. 6 art. 2. quòd maius, & perfectius est in Virgine, est, quod Deus sit ex genere Mariæ, sit factus homo ex sanguine tantæ Virginis; Diui Bernardini est hoc, tom 1. serm. 51. *Maius est hoc donum, quòd sit Mater Dei, quam quod sit Domina creaturarum.* D.Tho. D. Bern.

Quando Diuus Ambrosius docet nos nomen Mariæ interpetrari; *Deus ex genere meo;* certum est, hoc nomen Virginem accepisse à Deo, non à minori sua appellatione, sed à maiori parte, & suo complemento, à qualitate, virtute, excellentia, & dignitate Matris Dei, quid miraris, anima mea; si iuxtà eiusdem nominis intelligentiam, & ad eiusdem maiorem nominis gloriam diuina sua attributa Deus diuino, quodam glutino compaginauit, & consertim conclutinauit; Benedictum sit gloriosum nomen tuum, ò Maria, quòd os Domini mira-

mirabilitèe nominauit, non deficiat laus tua de labijs meis, nec dulcedo nominis tui à pręcordijs meis.

Metito nomen nouum Mariæ, toe magna, mea, & mirabilia opeeatur; Sed intee tot millia millium, vnum est, quod mens mea, nec capit, sed stupet, & miratur; quando enim Deus nasci voluit ex genere tuo, & homo fieri, legationem misit pee Gabrielem Aechangelum, qui

D. Hyer. foetitudo Dei exponitue, ità D. Hieeonymus lib. 1. in Danielem cap. 8. ità D. Gregoeius hom. 34. & rationem assignaut, quia veniebat inducturus bellum Dæmonibus, & triumphaturus de mundo, & ad debellandas aeeeas potestates; sed clarius ad meam sententiam

B. Alber. Magnus. B. Albeetus Magnus cap. 1. in Luc. *Gabriel foetitudo Dei interpretatur, fortitudine enim Dei opus erat; vt legibus occurreret naturę, vt vltima primis coninngenda nunciaret, vt fęmina ex Adę massa generet Deum, vt pariat sine doloee, vt sit mater, & Virgo; vt creatura concipiat Deum; non hominum; non Angelorum sufficit foetitudo, sed diuina requiritur.*

Vt Virgo sit apta, idonea, & capax

D. Bern. tanti mysterij, inquit D. Bernardus supee missus est; *opus est Dei roboee, vt Virginem natura pauidam, & verecundam ne miraculi nouitates expauesceeet tota Dei fortitudo, & virtus eonfortaret, ne humana feagilitas sub oneee tanti ponderis diuinæ pręsentiæ & maiestatis Dei succumberet*, ne Virgo ad opus tam arduum trepidaret, tabesceret, vel deficeret, Dei robore; Dei fortitudine eoboratur ex nomine nunciantis arcanum: Audi non me, sed Diuum Petrum

D. Petr. Chrysol. Chrysologum; *Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totam Dei gloriam Angelica exortatione roborari*; Gabriel, qui fortitudo Dei interpettatue, eligitue, & mittitur à Deo; sed quæ maior foetitudo Gabrielis Aechangeli? An nominis Mariæ? Siquidem iste mittitur, vt conceptus, naturam, effectus, seù operationes, & facinora sub eius nomine aperieet Maeiæ; mittitur; vt & pauidam roboraret, animaret, confortaret, sed obserùasti sub qua fortitudine; sui nominis, an Maeiæ eam vendicauit à turbatione? auocauit à trepidatione? liberauit à sollicitudine? leuauit, refecit à timore, abduxit à cura, erexit peostratam, excitauie affectû sui cordis, quando vidit illam turbatam in sermone ipsius, & suspensam in cogitatione suæ legationis.

Tanta erat in corde Virginis mentis turbatio, quòd tranquillare nouit Angelus satis non esse sui nominis Ethymologiam, quæ foetitudo Dei, dicitur animum Virginis eelaxare à turbatione, reficeee, receeare, vel parumper acquiesceee, & afficere gaudio, peefundere lætitia, & iubilo cnmulare cœlesti, quid fecit? Ingressus ad Virginem, salutauit eam; *Aue gratia plena*, legationem exposuit, conceptum, & concipiendi modum, nomen partus, & vitam aperuit; at Vieginis nomen sub silentio semper illud inuoluens; cue hoc? Quia non vacat mysterio, nullam tanti peedulcissimi nominis facere mentionem; sic eespondet B. Albertus Magnus in Lucam cap. 1. *Omittit Angelus interponere nomen, Maria, quia in aliud tempus nominandum, postquam gratiæ eius fuerunt explanatæ, sine quibus tam plenæ significationis nomen non intelligeretue.* B. Alber. Magnus.

Quid vel quale fuit hoc tempus? In quo opportunius nomê, Maeia, erat ab Angelo nominandum? Vtique quando vidit eam turbatam, & tanta turbatione, vidit eam commotam, quod sui nominis vires (quamuis interpetretur fortitudo Dei) satis nôn erant ad eam placandam, confortandam, subleuandam, nec alio vtitue medio, quam nomine, Maria; *Ne timeas Maeia*, vt sui nominis Virgo experiretue efficaciam, potentiam, foetitudinem, & virtutem; supee fortitudinem Gabrielis nominis, qui fortitudo etiam Dei dicitur; Nomen Mariæ affeet in medium, vt ex nomine, Maria; Mariam erigeret, vt potentius, fortius, & efficacius ante causam dignitas Virginis annunciatur ex munere, inquit D. Chrysologus, vbi supra; *Maria latinè Domina nuncupatur; vocat ergo Angelus Dominam, vt dominatoris genitricem trepidatio deseeat seruitutis*: Vt Virginem natura pauidam, & verecundam, ne miraculi nouitate expauesceret tota Dei fortitudo, & virtus confortauit, nec mirum, qnod ad eeigendam, consolandamqne Virginem virtuosius sit nomen Mariæ, quam Gabrielis, quia non Angelus: sed Maeia sola potest dicere; Deus ex genere meo, ille ceeatuea, & seruus, nuncius, & minister, hæc Virgo, & mater, nam nunquam Angelos appręhendit, sed D.Chrysologus.

Paul Ap. apprehendit semen Abrahæ, ad Hebræ. cap. 2. idcirco plus valuit suo nomine Mariæ, quam Gabriel suo; benedictum sit gloriosum nomen tuum, ò Maria, quod os Domini mirabiliter nominauit, non deficiat laus tua de ore meo, nec laudabile nomen tuum de præcordijs meis, vt benedicam tibi, & qui tam dulcissimo nomine te insigniuit.

Nomen, Maria, ò anima mea, os Domini nominauit, & ipsemet Deus spiritu Diui Ambrosij interpetrantis illud, Deus ex genere meo, etiam declarauit, tunc enim Deus ascriptus est de domo, de familia, & stemmate Virginis, quando in eius vtero veluti tegumento carne amictus, factus est homo, ita docet D. Zeno in serm. de Natiuitate; D. Zeno. *In hominem co ptatus*, inquit Sanctus, *in tegumento carnis includitur Deus, humanamque vitam mutatur de tempore, qui præstat temporibus æternitatem*: Vt igitur tibi innotesceret Deus sanctitatis altitudinem, dignitatis sublimitatē, & diuitiarum supercœlestium Virginis aperiret thesaurum, nondum nomen ille dedit, sed nomen suum diuinissimum Virginis nomini attexuit, coaptauit, communicauit, & præsticit, ac per hoc præmonstrauit nullum sibi honorem tribui, qui Mariæ paritèr non tribueretur; hinc Mariæ nomen non hominibus dedit imponendum, sed voluit ore suo ipse imponere.

Scitè in primo lib. Genes. cap. 28. Rup. Ab. quærit Ruper. Abb. Cur Deus ab ipso mundi exordio Adamo adduxit cuncta animantia, vt ab homine vnumquodque eorum suum proprium nomen acciperet, sibi verò, quinque tantum de vniuersis creatis reseruauit nomina imponenda, vt fuit firmamentum, quòd vocauit cœlum, lux quam vocauit diem, tenebræ quas vocauit noctem, arida, & vocauit terram, & aquarum congregationes, quas in vnum collectas, vocauit maria. De hac tua dignatiua bonitate, & clementia quod tu Deus cordis mei propria tuo ore, & benedicta lingua tua dignatus es nomen imponere cœlo, terræ, aquæ, diei, & nocti; laudo te, benedico te, & glorifico nomen tuum.

Sed quòd mens mea miratur, & stupet, & præ admirationis excessu non capit abyssum profundæ tuæ sapientiæ, & scientiæ, est præcipis aquis, vt congregentur in locum vnum, & ad tui iussionis imperium, iam congregatas, non mare; sed maria appellare dignatus es, fortasse quia illæ multæ erant, & hoc non? Nam plures aquæ diuersorum fontium, & venarum confluunt in vno flumine, & tamen non flumina, sed flumen vocatur, ita et illæ aquæ in vnum iam collectæ, mare possunt appellari, et non maria. Cur ergo ò Deus meus congregationes aquarum maria appellasti, et non mare?

Hæc fuit tuæ sapientiæ profunditas, & Abyssus, & altitudo æternæ tuæ dilectionis ad Mariam tetendit, & spectauit tuæ scientiæ, & cognitionis amor: Nam expressio illa maria, & non mare; sonus fuit linguæ proferentis, & resonantis in ore: quod tunc Deus sentiebat in corde, & ante oculos mentis suæ versabatur in pectore, vt innotesceret: quanto amore ipse Deus prosequeretur nomen Mariæ, & quod simul erat innominabile, & ineffabile ad extra creaturis omnibus, voluit in signum sui amoris, & in argumentum ineffabilis magnitudinis dignitatum illius dulcissimi nominis, proprio ore illud nominare, & Mariæ ille solus nomen imponere.

Quod clarius elucet, si attendamus, quid suo quæsito respondeat Rupertus Rup. Ab. Abbas, sic habes: *Quia illa sine dubio preterennt, hæc autem dubium non est, quin præteriri, vel mutari non possint*, Si in illis, quibus Deus nomen imponit quædam peculiaris reperitur nobilitas, vt est durationis, & perpetuitatis: quanta erit nobilitas, sanctitas, excellentia, & dignitas illius Virginis, a qua nomē ipse Deus mutuatur: dum ex ea nascitur; Interrogatus Deus à Moyse, quòd esset nomen eius, in lib. Exod. cap. 3. sic Exod. legimus respondisse: *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*: Si Deus à seruis suis mutuatur nomen, vt illos summo afficeret honore, vt testis est D. D. Basil. Basilius in Isai. cap. 2. *Vt, hosce Sanctos honore afficeret*, inquit *perpetuo, & memorabili eorumdem seruorum nomina suo ipsius nomine attexuit vt quoties Dei memoria celebraretur, horum quoque toties commemorarentur nomina*.

Quantò maior fuit gloria Virginis, cum qua Deus nomen, attributa proprietates communicauit, & naturam, quùm in eius ventre virginali factus est homo, quam ineffabilem dignitatem, vt innotesceret mundo, inquit Prophe-

ta

ta Sanctus, quòd ore suo benedicto dedit ei nomen nouum. quòd os Domini nominauit, & hoc nomen nouum Deus ex genere meo interpretatur, & natus Deus ex genere Virginis, ipsa Virgo migrauit, & ascripta fuit in familiam Dei: quòd expressit in Epistola prima D.Ignar. D. Ignatius martyr, quando dixit: *Sunt & hic multæ de mulieribus nostris Mariam Iesu videre cupientes*, hoc est Virginis stemma Maria Iesu, tum quia mater erat, tum quia eius erat, quidquid erat: O sublimitas, ô altitudo ineffabilis dignitatis, nominetur, intituletur Maria Iesu, Virgo benedicta: nam quando in vtero eius Verbum Patris factus est homo, effectus est ex genere Virginis, tunc Virgo ipsa omnium, quæ Dei sunt bonorum, possessionem accæpit.

Velim scias anima mea, quòd nomẽ Dei benedicti ita bonis omnibus est grauidum, & repletum: quòd non nisi magna parturit, & ingentia enititur; vt sui nominis potentiam, & bonorum omnium vbertatem amico suo Abrahamo ostenderet, inter multa beneficia, quæ illi collata recenset scriptura diuina: hoc vnum non videtur ex paruo deno minimum, sed immensum, & ineffabile: Nam vbi seruo huic nomen erat Abram, vna littera aucto nomine dedit vt vocaretur Abraham: sic habet tex. in Genes. lib. Genes. cap. 17. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham*; O Sacramentum ineffabile, ô profunditas diuinæ sapientiæ: ex vnius litterulæ additione ex Abram factus est Abraham; hoc Patriarchę nomen interpretatur Philo in lib. de Gigantibus; Philo. *Mutatio nominis ex Abrã in Abraham significat eum mutatum fuisse ex homine philosopho in hominem sapientem, & planè diuinum*; Spirabat, olebat quid Diuinitatis factus est homo insignis, & tot tantisq; bonis cælestibus repletus, quòd videbatur homo planè diuinus; & vndè illi tanta dignitatis, & sanctitatis altitudo? Vndè illi. & ex quo fonte tot bonorum supercælestium scatebant thesauri, ex vna litterula, h, quam addidit Deus illius nomini, nec mirandum, si effectus erat Abram ex illa litterula, h, planè diuinus: quoniam si attendamus ad ea, quæ obseruauit D. Hieronymus D. Hier. *illa littera nomini Abram inserta, fuit vna ex litteris nominis Dei Thetagrammaton, quam litterã*, inquit Sãctus, *de suo nomine communicari voluit Deus cum nomine Abrahami: vt ostenderet, nõ modo se bona sua impertiturum ei: verum etiã seipsum*, hæc Hieronymus impertiuit se Deus Abrahamo seipsum, per promissionem vt inquit Apostolus ad Galatas Paul.Ap. cap. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius*, & habetur in Gene. cap. 22. Genes. Quia in oblatione filij, Deo obediuit, ex hac obedientia, & filij victima meruit, vt ex sua stirpe, & semine nasceretur Christus, per quem impletas videmus benedictiones, & promissiones Abrahæ factas.

O Deus cordis mei, si vna littera ex tuo diuino nomine desumpta, & Abrahæ nomini apposita, sic eum replenit bonis, sic eum locupletauit benedictionibus, sic ditauit promissionibus, sic exaltauit, sic magnificauit, & extulit, vt videretur diuinus sepositus hominibus & appositus Deo. Quando bonitas tua eduxit hoc Mariæ nomen de thesauro diuinitatis tuæ, vt satis expressè docet D. Petrus Damianus serm. de Annunciat. B. Mariæ Virg. Statim, vt illis verbis vtar, D.Petr. Damian. *de thesauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, vt per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, vt sicut sine illo nihil factum est, ita sine illa nihil refertum est.* En quam plenum benedictionibus, quã refertum gratijs, & donis omnibus nomen accępit Maria ex ore Dei, & de thesauro diuinitatis suæ, non vnã litteram, vt Abraham; non nudum nomen accępit Virgo, sed Deum ipsum: *Benè sola gratia plena*, inquit D. Ambros. in D. Amb. Luc. cap. 1. *quæ solam gratiam quam nulla alia meruerat, consequuta est, vt gratiæ repleretur auctore*; qui carne Virginis indutus, effectus est ex genere Virginis, & Virgo demigrauit in Dei familiam, & effecta est tota diuina: Si valuit hoc Abrahæ vna præstare littera nominis Dei: cur non Deus ipse Virgini? non per repromissionem, vt Abrahæ; sed per hypostaticam vnionem, factus est Virginis filius, & ipsa repleta benedictionibus diuinis; hoc sonat nomen Mariæ à Deo impositum, non vacuum; sed tot plenum mysterijs, quot in se retinet significationes.

..*Et vocabitur tibi nomen nouum, quòd os Domini*, &c. Quum Sacratissimæ Virgini nomẽ imponitur, ad explicandam ipsiusmet Virginis maximam dignitatem,

tem, & ineffabilem excellentiam, quæ tantæ altitudinis erat in se, quòd nomē ipsum reddebat ineffabile, non quod pronunciari non posset; sed solum quia nulli licitum erat illud pronunciare; vt erat nomen Dei, quòd soli Sacerdoti nominare concessum erat, & duntaxat in benedictionibus, quæ fiebant in templo.

Si excellentia perfectionis, & magnitudinis diuinæ nomen Dei reddebat ineffabile: cur non nomen Mariæ, quæ in suo vtero continet continentem omnia; hæc erat dignitas illius, & excellentia, quæ eius nomen, & Angelis, & hominibus reddebat ineffabile, & à Deo solo nominari dignum.

Mittitur Angelus ad Mariam, & à Deo fuit missus, ad quam alloquuturus ingreditur, conscius iam de eius nomine, & dignitate, & ingressus ad eam, cur tacuit nomen iam sibi notum, sic salutando: *Aue gratia plena, Dominus tecū*, & non dixit, Aue Maria, non tacuit, nisi tanquam illi ineffabile, & si nomine proprio posteà eam nominauit, quando subiunxit: *Ne timeas Maria*, non vt Angelus, seù creatura, sed Dei fungens legatione, suo nomine appellando, quòd os Domini primò nominauit, & Angelo posse pronunciare dedit, quando cōgregationes aquarum appellauit maria, deinde dedit Angelis nominandum, vt intelligas tantæ esse dignitatis, & excellentiæ nomen Mariæ, quòd illud non potest nominari, nisi à Deo, vel ab Angelo, vel ab eo qui vita viuit Angelica. Et licet ò Maria, non sim Angelus, nec Angelicè viuo, benedicam tamen nomen tuum omni tempore vitæ meæ; nō deficiet ò salus animæ meæ, dum vixero, laus tua de ore meo, magnificabo, & glorificabo nomen tuum, ò iubilum cordis mei, quòd os Domini ab æterno, & in tempore nominauit.

Benedictum sit nomen tuum ò Maria in sæcula, ante Solem, hoc est, in Dei cognitione permanet nomen tuum, & laudabile in sæcula.

Verè in æternum laudabile est nomē tuum ò Maria, à mari iam nata, tu sola omnes nos, quando nascimur, à terra nascimur, hæc est mater nostra, de qua loquens sacer tex. in Genes. cap. 1. ait: *Terra autem erat inanis, & vacua*; Si mater generans vacua dicitur, & inanis, ò infelix miseria, cur non filij inanes & vacui omni gratia? Sola Maria plena gratia nascitur plena bonis omnibus, quia à mari nascitur. Genes.

Quid aliud est mare, nisi aquarum omnium in locum vnum congregatio: *Congregationes aquarum appellauit maria*, & Virginem, quæ est gratiarum abyssus, virtutum, ac perfectionum omnium congregatio appellauit Mariam, in ea congregans omne, quòd in Sanctis omnibus sparsim fuit collatum.

Omnia flumina intrant in mare, ait Salomon sapientissimus, quæ verba nō de mari elementari verificari possunt; nam, & si omnes aquarum fontes, fluminum riuuli, fluuiorum impetus, & quæ per subterraneos méatus decurrunt celeri cursu ad mare tendunt, tamen omnes non, quia multi ex illis, antequam ad mare perueniant, vel consumantur, vel absorbentur, vel exiccantur: *Sed benè illa Sapientis verba*, ait noster D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis cap. 3. *verificantur de Virgine sola, in qua velut mare magnum omnia Charismata Sanctorum intrant in Mariam*. Eccles. D. Bona.

Flumen gratiæ Angelorum intrat in Mariam; flumen gratiæ Prophetarum, & Patriarcharum intrat in Mariam, flumen gratiæ Martyrum, flumen gratiæ Doctorum, flumen gratiæ Confessorum, Virginum intrat in Mariam, quid enim puritatis, quid sanctitatis, & innocentiæ reperitur in cœlis, quid perfectionis, & extimationis dignum reperitur in mundo? quòd totum, & in perfectiori gradu non inueniatur in Maria? Vndè meritò D. Petrus Chrysologus vocat eam *Collegium sanctitatis*; D. Petrus Damianus; *Conuentus virtutum*, D. Damascenus: *Abyssus gratiarum*. D. Petr. Chrysol. D. Petrus Damian. D. Damascen.

De Virgine sola verificatur, omnia flumina intrant in mare, quoniam flumen æternæ dilectionis Seraphim; fluuius profundæ sapientiæ Cherubim; fluuius firmissimæ stabilitatis Thronorum, fluuius admirandæ auctoritatis Principatum, fluuius amplissimi dominij Dominationum fluuius supremæ potestatis Potestatum, fluuius portentosę facultatis Virtutum, fluuius excelsę dignitatis Archangelorum; fluuius amantissimę, & diligentis custodię Angelorum, fluuius Integerrimæ fidei Patriarcharum, fluuius clarissimæ cognitionis

tionis Prophetarum, fluuius Apostolatus, & mysterij Apostolorum, fluuius inuictæ fortitudinis, & tolerantiæ martyrum, fluuius incorruptæ castitatis Virginum, fluuius fęcunditatis coniugatorum, fluuius perseuerantiæ Confessorum, omnia, omnia, flumina intrant in Mariam, ò verè laudabile nomen Mariæ, & admiratione plenum, quoniam tantæ est capacitatis, tantæ latitudinis, tantæ immensitatis, tantęque profunditatis, quòd non flumina tantum, sed & Oceanum illum immensum in se capiat, & sui vteri terminis claudat, concludat, & restringat, & breuiet.

O capacitas infinitæ immensitatis, quando, & in ipsomet Virginis nomine, Deus præsignauit ei nomen idem, quòd aquarum congregationi dederit, imposuit maris nomen, maria; Mariæ verò maria, illud abbreuiatum, hoc verò productum, illud angustum, hoc verò latum, & profundum, congregationes aquarum appellauit maria, nomen vero Virginis appellauit Mariam.

Producitur nomen Virginis, quia ipsa sola caret termino, & mensura, dùm adeò dilatatur; quòd continet continentem omnia; vt & intelligas, ò anima mea, quòd hoc mare, quod Dauid vocat magnum & spatiosum manibus Psalm. 103. respectu Virginis breue, & paruum: Hoc mare, quod profunditatis gaudet titulo, descenderunt in profundum quasi lapis, docet Moyses Exod. 15. Hoc mare, quòd immensitatis insignia gestare videtur in fronte, immensumque gelu, dixit Poetà Lucanus, regitur mare respectu Virginis, nec immensitas videtur immensa, nec profunditas profunda.

Quòm sola Mariæ immensitas immensitatem illam, quam nec ipse cœlorum finus capere potuit in se abbreuiatam contulit, & retinuit; vnde D. Bernardus serm. 4. de Assumptione ad laudem eius, sic exclamat: *Quis ergo misericordiæ tuæ; ò benedictam longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum queat inuestigare? quis in naturali scientia est tam expergefactus, quis in Geometria, tam exercitatus, quis in prospectiuæ scientiæ vsu tā eruditus, vt illius Virginis dimensiones valeat expendere, & dimetire?* Quis ò anima mea, Mariæ misericordię latitudinem valeat attingere? & ad certum numerum altitudinem ducere? vel profunditatem eiusdem exhaurire, & ad summam redigere? dum effectus Virginis misericordię sola æternitatis mensura mensuratur, dum altitudo, & suæ dignitatis, ac capacitatis profundum diuina commensuratur mensura? & totum, quòd reperitur in Virgine, diuinum est, & æternum.

Dauid.

Lib. Exo.

D. Bern.

Longitudo amoris, & pietatis, ac misericordiæ Mariæ vsque in diem nonissimum perdurabit, & prolungabitur, qua subuenit omnibus inuocātibus eā.

Latitudo eius replet orbem terrarum: cuius finus, cùm illi amplitudini sit angustus, & tota illa se diffundat, immensurabilis redditur: vt & ipsa sublimitas, quæ sic se extollit, quòd cœli altitudinem pertingit, imò cœli restaurattrix facta est ianua, & clauis ad gloriam.

Mariæ misericordia tam profunda: vt qui erant in profundo tenebrarum, & sedebant in vmbra mortis, vbi facta est mater Dei, facta est illorū ductrix, educēdo illos in lucem æternæ saluationis.

Si hoc mare est illo materiali magis latum, magis diffentum magis profundum, & maioris capacitatis, producatur etiā, & eius nomē, & cūctorū alia breniā tur, quòm respectu Virginis magnitudinis, latitudinis, sublimitatis, & profunditatis breuiora sunt, & angusta; hinc congregationes aquarum appellantur maria, congregationes verò, virtutum, & gratiarum supercęlestium appellauit idem Deus, Mariam.

Et quia soli Deo nota erat hæc tam sublimis, & profunda dignitas Mariæ: ipse solus in eius profundum descendit, quando in ea factus est homo: ipse solus, qui perfectè nouerat Virginis excellentiam, & sublimitatem, latitudinē dignitatis, altitudinem mensus est, & capacitatem adimpleuit, & ipse solus potuit tantæ Virginis nomen imponere: quia vt docet D. Thomas: *Nomina ex proprietatibus rerum imponuntur*; Et dum nominis impositio procedit ex perfecta rei cognitione: ideò nomen Virginis illi imponendum sibi soli reseruauit Deus, & si ex mari, & Oceano diuinæ cognitionis ex profundo illarū gratiarum ortum haberi voluit: quis dimetire, & mensurare, & inuestigare valebit eius profunditatem, latitudinē, subli-

D. Tho.

sublimitatem, & longitudinem, nisi solus Deus, qui dedit ei nomen.

Idiota. Audi anima mea de hoc Idiotam in lib suar. contemplat. cap. 5. *Dedit tibi ô Maria tota Trinitas nomen, quòd post nomen filij tui, est super omne nomen: vt etiam in nomine tuo omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: nomen Mariæ super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, vngit agonistas, iugum Diaboli excutit: tantæ virtutis est, & ad excellentiæ, vt ad eius inuocationem cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, Dæmones contremiscunt, & infernus conturbatur.*

O nomen super omnia nomina benedictum, si audito Mariæ nomine Angeli gaudent, & lætantur, & læti Deo gratias agunt, & iustis magis appropinquant, & congratulantur de eorum pro fectu, ad quorum custodiam sunt deputati: Cur non gaudebit cor meum hoc in eius auribus resonante nomine? Cur in tuo nomine ô Maria non lætabitur anima mea, non te amabit, non te diliget, non te laudabit? Et toto corde tibi non famuletur? non tibi tota adhærebit? quando pèr te habet, quòd in sua natura videt, videt Deum hominem, & hominem Deum factum, dum se se videt in persona filij Dei glorificatam, & vnitam.

Confiteor ô Maria & verè confiteor indignitatem meam, simul & altitudinem nominis tui, hoc laudando, confiteor sicut me accusando, quoniam indignus sum, confiteor prauitatem meam: sed indignitas mea non erit potentior pietate, & misericordia nominis tui, quòd vtique nominare certè non tum dignus, sed & non sum dignus propter me, saltem sim dignus propter te, quia tu es digna nominari, & ab omnibus amari, revereri, confiteri, laudari; quia per te gratiam acquirimus, & gloriam impetramus.

Nonne per te ô Maria, franguntur vincula, soluuntur debita, vincuntur vitia, superantur tentationes, solidantur confracta, recuperantur perdita, renouantur vetera, roborantur infirma, magnificantur minima, exaltantur infima, incepta promouentur, infecta perficiuntur, perfecta conseruantur, Dæmones effugantur, purgantur corda, mentes nouo lumine illustrantur, inflammatur animus, mollescit pectus, decoratur aspectus, dulcoratur gustus, & totus homo glorificatur, & collocatur in tuto.

In omnibus huius vitæ necessitatibus, non est animæ locus tutior, vt nomen hoc perdulcissimum, Maria, vndè D. Epiphanius inter varias huius sacratissimi nominis significationes censet significare spem; *Mariam*, inquit ipse, *solemus interpretari Dominam, atque etiam spem, peperit enim Dominum, qui spes est totius mundi*, vndè ipsa dicit ego mater pulchræ dilectionis, timoris, magnitudinis, & sanctæ spei; fortassè hæc nominis Ethymologia ortum habere, quia Virgo spes tuta est in se sperantibus, & præsidium ad se confugientibus; quòd videtur annuere D. Andreas Cretensis de dormitione Virginis. *O omnis sanctitatis sanctissima thesaure, ô Christianorum propugnaculum, & propugnatrix eorum, qui in ea spem collocarunt.* D. Epiphan. D. Andr. Creten.

Sed si attēdamus ad ea, quę scribit D. Chrisostomus explicans verba illa psalmi 124. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion*, apparet, quòd vocari, seù interpretari nomen Mariæ, spem, ortum habet ex vi ipsiusmet nominis; ait enim D. Chrys. in psal. 124. *Montē dixit spem in Deum immutabilem, inconcussam, firmam, & cōstantem: quemadmodum enim, & si quis innumerabiles adhibeat machinas, montem nec conuellere, nec labefactare poterlt: ita etiam qui eum aggreditur, qui spem in Deum collocauit, non reuertetur domum vacuis manibus, monte enim longè est tutior spes in Deum*, hæc ille. Psal. D. Chry.

Spes enim, quia fiduciam affert, & securitatem animæ speranti in ea, meritò monti comparatur à Diuo Chrisostomo, quia veluti mons nullis tentationum machinis mouetur, nullis aduersis concutitur, seù labefactatur, firma, & immobilis est, vt mons; Mariæ nomen à Prophetis mons appellatur, & signanter à Daniele, de quo monte abscissus est lapis ille paruus sine manibus, hoc est Christus sine nuptiali complexu, sine nuptiali opere prodijt, & præcisus est, cuius partus munere gloriatur Virgo, Deus ex genere meo. Si Maria, vt canit Ecclesia, spes nostra est; quia peperit Dominum, qui est spes totius mundi, & est mons, de quo sine manibus, hoc est sine opere nuptiarum natus est Christus. Et nasci Deus ex Vir-

D.Ambr Virgine,inquit D.Ambrosius, speciale Maria Domini, hoc nomen inuenit, quod significat *Deus ex genere meo*, ex vi nominis Maria. Maria mons,& spes; etiam interpetratur: Spes,& mons iure sui nominis dicitur, quùm spes ob sui firmitatem,& stabilitatem monti assimulatur.

Hoc non minus scite, quam deuotè Virginem alloquens D. Andreas Cretensis serm.de Annunciatione Virgin. cecinit: *Sola tu vera benedicta es, quam montem magnum vir ille desiderabilis Daniel vidit, & montem vmbrosum, Abacuch ille admirabilis,montem praterea Dei, & montem pinguem, montem quoque iucundum,montem,inquam,quem Deo inhabitare placuit*, & D. Atthanas. q.117 sic interrogat: *Quid mons Sion iste? in quo inhabitasti in eo*;sic & respondet ipse: *Diuina Scriptura montem propriè vocat Sanctissimam Deiparam Virginem*,veluti quum inquit: *Mons Deo placuit ad habitandum in eo,Deus à The man veniet,& sanctus de monte opaco,et denso*. Mons autem ibi dicitur Sancta Virgo Maria,ex cohabitatione, & conceptione,& ex natiuitate filij Dei. Iurè mons nominatur Maria, & si dico mõtem,dico etiam,& spem.

D.Andr. Cret.

D. Atth.

Effecta est mons inumbratus vmbra Spiritus sancti ad te protegendum, ad te saluandum;vt capias,quæ dico,velim scias,& annotauit Phil.in lib. de mirabilibus naturæ; quòd natura montes edidit in refugium, & præsidium feræ, quando insectatur à canibus, in suæ vitæ,suæ salutis asilum montem habet,effugij spem in montem locatam tenet, vt venatorum effugiat manus,vt canum latratus non pauescat montem adijt, quo conscenso in tuto ponitur, & secura viuit.

Phili.

O Deus amor, ò Deus animæ meę; quando de thesauro diuinitatis tuę montem euoluisti Marię; montem ad habitandum tibi pręparasti, & ad me saluandum effecisti,et meę salutis spem erexisti, in hoc monte Virginali solius Dei est venatus,sagaces illi Tartarei venatores, nec tentationum canes montem hunc audent adire,nec accedere: si aper de silua; hoc est anima fidelis,licet vitijs oppleta vbi hunc montem ascenderit conuertetur, et in tuto erit; quia nec eam venari,nec insequi, nec expellere,nec extrahere,nec prędam facere audent inuidi venatores,locus Dei venatorius est; nec valent,nec possunt accedere: nec vllam iacturam facere, erit anima tuta,secura,et indemnis: Iussio Regis est per Isaiam cap. 65. *Lupus & Agnus pascentur simul, Leo, & Bos comedent paleas, & Serpenti puluis panis eius,non nocebunt, neque occident in omni monte Sancto meo*. O mons defensionis,et securitatis, ò mons habitationis, saluationis,dilectionis,et refectionis;in hoc Marię monte iustus et impius; bonus, et peccator saluabitur; et salutis consolationis pascua inueniet. Montes enim propter sui concauitatem aquam attrahunt; quam per fontes, et flumina mox emittunt: per sui humilitatem mons Marię aquas cœlestium donorũ, et gratiarum attraxit sibi: *Aue gratia plena*,dixit Angelus,et nomen Virginis quòd sonat congregationes aquarum, et gratiarum appellauit Maria, vt per aqueductum sui cordis in nos effluat, et emittat. Audi anima mea quid dicit: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me,& à generationibus meis implemini: qui bibunt me adhuc sitient, qui operantur in me non peccabunt, qui elucidant me vitam æternam habebunt*. En quam verum est,quòd monte longè tutior est spes in Mariam.

Isaia.

Eccles.

Quę mons est saluationis; quia ibi est effugium, et refugium contra hostes: Vis vitam tuam in tuto locare, et Dęmonem non timere,Maria est mons tutus,qui non potest expugnari; est clarus, qui non potest obscurari; est mundus, qui non potest maculari est secretus, qui non potest conturbari, est firmus, qui non potest dissipari, & quietus,qui non potest infestari; in monte hoc saluum te fac, & esto secura, quia de monte hoc scriptum est; *Bestia si montem tetigerit lapidabitur*, Heb.c.12. hac de causa Diabolus aufugit à monte hoc Christus Iesus vt tentaretur à diabolo ductus est in desertum: Cur in deserto tentari voluit, & non in propria domo?

Hebr.

O virtus insuperabilis nominis Mariæ;ita terribile erat,& est nomen Mariæ Dæmonibus,quòd nec pręsentiam, nec tanti nominis vocabulum audire possunt, sed fugiunt sicut cera à facie ignis;Si Christus non petijsset antra deserti, sed fuisset in domo in qua erat & Maria eius mater, vtique non accessit

adeum diabolus, vt tentaret illum, vt tentaretur à diabolo,& suis tentationibus nostras vinceret à Spiritu sancto auulsus est,& ductus est in desertum.

Si canis hic contra te latrat, te insequitur, vt perpat. & mactet salua te in monte hoc, quem effecit Deus ad tui conflictus præsidium, ad tuæ salutis refugium.

Mons est Maria, & spes nostra, quia peperit Dominum Iesum, qui spes est totius mundi.

Mons est Maria suæ humilitatis eminentia.

Mons est Maria coagulatus suæ Virginitatis integritate.

Mons est Maria pinguis pinguedine suæ charitatis, adipe deuotionis, vbertate suæ fœcunditatis, oleo suæ misericordiæ, butyro suæ pietatis, & mansuetudinis melle,& dulcedine suæ contemplationis, & plenitudine gratiæ singularis.

Mons pinguefactus sibi,& nobis, sibi plena fuit gratia, nobis superplena.

Mons est Maria, in quo adoratur Deus.

Mons in cuius cacumine stetit nostræ salutis arca.

Mons est Maria visionis, in quo Abraham mactare ductus est filium.

Mons Galaad Maria, vbi compaginata sunt duo illa Dei testamenta.

Mons Oreb Maria, vbi Deus sub pallio carnis velatus visus est.

Mons Thabor Maria, vbi Deus figuratus est caro.

Mons Oliueti Maria vbertate misericordiæ,& gratiæ.

Mons Maria, in quo nouem mensibus complacuit habitare Verbum Dei Patris.

Mns Selmon Maria, cuius puritate Virginali dealbantur animæ nostræ.

Mons Maria, de cuius vtero sine manibus abscissus est lapis Christus, qui percussit in pedibus statuam Nabuchodonosor.

Mons Maria, de quo dicitur Deus ab austro veniet,& Sanctus de monte vmbroso,& condenso.

Mons Maria erectus altitudine suæ dignitatis super verticem montium.

Verè mons Maria dilatatus radice humilitatis, paratus in vertice mysterio suæ maternitatis, nobis incomprehensibilis: mons eleuatus quia altitudo Maria super omnes Sanctos effulsit. *Nihil æquale Mariæ, nihil, nisi Deus, maius Maria*: exclamat Anselmus. D. Ansel.

Mons Maria, & mons protectionis omnes protegens,& saluans, veluti mons primum omnium recipit in se rorem cœlestis gratiæ, vt effundat in nos,& de plenitudine eius accipiant vniuersi: Mons autem ibi dicitur, inquit D. Athanasius vbi supra: *Sancta Virgo Maria, quia quemadmodū ij, qui campo aberrantes,& calore æstuant. si montem subeant, velut rore conspersi in vmbra subter arbores montis, vel aqua sedant æstum flammæ, ad eundem modum hominibus quoque facta est sancta Virgo, quæ rore quodam sui partus, animas hominum æstu peccati confectas in vitam reuocauit.* D. Ath.

En mons præparatus tibi in vertice montium, saluum te fac in monte hoc à flammis Gomorrhæ, à Venatoribus, & Canibus huius mundi: sit spes tua in Virgine, dic illi cum D. Bonauentura in Psalterio Virginis. *Ad te leuaui oculos meos Regina Cœli, quia te duce in domum Domini ibimus, adiutorium nostrū sit in virtute nominis, per te omnia nostra dirigantur.* D. Bona.

Leuaui oculos meos ad te mater, Christi, per quam venit solatiū omni carni, auxilium tuum, & gratiam tuam mihi impende in omni tribulatione mea: Esto tu mihi Maria, spes mea tu in die afflictionis meæ, rore tuæ gratiæ infunde,& fœcunda cor meum, vt non dormiat pupilla oculi mei, te contemplare, te laudare, & benedicere nomen sanctū tuum, quod sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria mater Iesu Filij Dei, te precor ò Maria monstra te esse matrem,& miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea, sub vmbra huius Ramusculi recollige me, & protege me nunc,& in hora mortis meæ. Amen.

DE

DE DVLCEDINE NOMINIS Virginis Mariæ.

RAMVSCVLVS DECIMVS.

Memoria Iosiæ in compositione odoris facta, opus Pigmentarij in omni ore, quasi mel dulcorabitur.
Ecclef. 49. num. 1.



Vlcedine tanta, qui tibi dulcedinis nomen dedit, adimpleuit ò pia, ò dulcis, ò multum amabilis, & superdulcissima Virgo Maria, tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectus omnes diligentium te; nomen tuum, ò Virgo sine dulcedine tibi diuinitus insita; cordis claustra penetrare nescit, vt iam expertus de se dicebat D. Damascenus in oratione prima de dormitione Virginis; *iis, qui tui memoriam piè vsurpant, pretiosissimum memorię tuę donum quippè, quæ eiusdem lætitiam pariat, quam nullus eripere posfit. quanam voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem suam sanctissimæ tui memorię promptuarium effecerit.*

D.Damascenus.

Esto apis argumentosa, tu anima mea, & volatu celerrimo euola, ac pedibus tuorum affectuum siste super hunc florem Mariæ nominis, & sitienti ore deliba dulcissimos illius liquores, vt eiusdē sētias dulcedinē, & gustes suauitatem, & dulcedine memoriæ nominis Mariæ, quam ex sola Virginis recordatione percipere solet diligentis animus, inferebat D. Petrus Damianus dulcedinem, quam ipsa Virginis præsentia affert illis cœlorum spiritibus; *Fœlices Angelici Spiritus*, dicit iste Sanctus, *qui Beatæ Virginis habent præsentiam, nos interim memoriam abundantiæ suauitatis eius eructamus* Si sic dulcis est memoria? quid erit eius præsentia? de ea dicere licet, quòd Ecclef. testatur de Iosia in cap. 49 *Memoria Iosia in compositione odoris facta opus Pigmentarij in ore dulcorabitur, quasi mel eius memoria, vt musica in conuiuio vini.*

D.Petr. Damian.

Ecclef.

Odoris suauissimo mellis dulcedini, & suauissimæ musicorum harmoniæ comparando Spiritus sanctus memoriam nominis Mariæ, nihil aliud nobis innotescere voluit; nisi quòd frequens nominis eius recordatio, & memoria, quasi odor Pigmentarij delectat olfactum, quasi fauus mellis oblectat gustum, & auditum lætificat, quasi dulcis harmonia psallentium, vt addiscas, Mariæ memoriam in corde esse suauissimam, in ore perdulcissimam, & in aure super iucundissimam.

Si Mariæ nomen in aure est dulce canticum in ore mel mirificum, in corde nectar cœlicum, ò Maria tu sitienti animæ nouum conuiuium, qui te gustant, esuriunt, qui te bibunt adhuc sitiunt, desiderare nesciunt, nisi Mariæ nomen, quòd ipsi ardentèr diligunt, eius nomen ò anima mea, non recedat à corde, non recedat à memoria tua, non recedat ab ore.

Sed in alueario cordis tui, quasi apis solers, & læta cellulas velim distendas, quas dulci hoc nectare, & liquenti melle si stipare, replere, & ornare cupis, non ex diuersi huius mundi floribus mella legas, vt conficias, sed ex flore nominis Mariæ, huic soli insìde, in hoc alueari sede, & ab hoc suge mel, & mellis dulcedinem; quia memoria eius in compositione odoris facta, opus pigmentarij, quasi mel dulcorabitur, quasi mel eius memoria, vt musica in conuiuio vini.

Ex recordatione, & Mariæ nominis memoria, eam salutando tale mel, &

tantæ suauitatis carpitur, quòd repletur cor salutantis noua dulcedine, & cor Virginis salutatæ nouo gaudio, nouaque accidentali lætitia, vt ipsamet Virgo testata fuit cuidam animæ sibi deuotæ. Scias me tale gaudium ex Angelica tua salutatione percipere, quòd nullus homo explicare valet; rogo te fili mi, vt quia tu fuisti mihi dulcissimus, fiant, & alij participes meæ dulcedinis. Sic orantem quadam die audiuit
B.Birgit. B.Birgitta Mariam ad filium, cui filius sic respondit: *Benedicta sis tu carissima mater mea, verba tua sunt dulcia, & charitate plena; ideò quicunque de tua dulcedine in os suum receperit, & perfectè tenuerit, proficiet ei, qui autem receperit, & rejecerit, tantò maius supplicium habebit.*

Memoria Mariæ in compositione odoris facta. Flos nominis Mariæ tanta dulcedine exuberabat, quòd ab eo excussa amaritudine, acerbitas, & tristitia locum in eo nullum habebat; nec mirum si ejus Pigmentarius fuit Spiritus sanctus, qui florem hunc Virginalem, ex ipsius charismatibus, & abundantia diuinæ gratiæ ex dulcedine suæ dilectionis non solum formauit; sed, & capacem reddidit illius summæ Diuinitatis, dulcedinis; quam in suo vtero veluti in dulcissimo alueari reclusit; & ex præsentia filij Dei, qui flos est paterni pectoris, & ex cohabitatione, & conuersatione non solum nouorum mensium; sed, & cursu triginta trium annorum, quo simul vitam vnanimitèr duxerunt, tanta dulcedine fuit repleta, quòd, & ipsa dulcissima effecta est, cujus dulcedine dulcorantur omnia.

Tantæ dulcedinis est nomen, Maria, quòd non est amaritudo tam grandis, quæ in dulcedinem non conuertatur per suauitatem huius perdulcissimi nominis, vbicunque inuocatum insonuerit: leuatur omne, quòd triste est, lenitur omne, quòd amarum est, dulcoratur omne, quòd asperitatis saporem affert. Huius Virginis diuinitus sponsus effectus Sanctus Ioseph, cum sponsam vidisset grauidam, quam ipse non tetigerat, ignarus etiam mysterij, excruciabatur non modica mœroris, & doloris mæstitia; erat mens illius cogitationum fluctibus vehementèr agitata, grauissima sollicitudo angebat, & præmebat cor illius, vt cogitaret occultè eam dimittere, & crebrescentibus, & intumescentibus afflictionis suæ, & cogitationum vndis; ecce Angelus Domini, qui vt sedaret mentis Ioseph tumultus, serenum redderet pectus illius, leuaret, & erigeret animum doloribus pressum. Quid fecit? vt timorem expelleret, & dubitationes sedaret commotiones. Et quidem satis erat, suæ prægnantis vxoris illi aperire mysterium, quòd erat opus Spiritus sancti, & non hominis; quemadmodum & subtexuit, quod in ea natum est de Spiritu sancto est. Verum cur ò anima mea primò præmittere voluit nomen
Mariæ, dicens: *Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: Matt.Eu. cap.1.
quam tanti conceptus arcanum aperire, & indicare modum; nisi, vt ex nomine Mariæ, Ioseph solaretur timorem, & à pectore sponsi arceret prægrandem illum animi angorem, & eiusdem mentis illam sedaret turbationem.

Hunc enim Angelum, qui in somnis ad hoc apparuit Ioseph, & conceptus vxoris suæ aperuit secretum, quod vtique non erat hominis, sed Dei omnipotentis; eundem fuisse Angelum, qui missus à Deo, Verbi Dei incarnationem nunciauit, & Virgini; quam cum videret cœlestis nuncius sic turbaram in sermone legationis suæ, vt tot intimis sic suspensam cogitationibus, vt ab illa cogitationum vexatione, agitatione, & turbine erigeret, redderetque pacatam, medicinali vnguento alio non est vsus, vt mœrens, & mæstum mulceret Virginis pectus; quam & eiusdem Virginis Mariæ nomine. Quiquidem spiritus cœlestis, cum sit de numero Archangelorum, et conscius mysteriorum diuinorum, non mittitur à Deo, nisi summa
nunciare: ità docet nos D. Bernardus D. Bern.
lib.5. de consideratione, quando sic habet: *Putamus Angelis præesse Archangelos, qui non nisi ob præcipuas, & maximas causas mittuntur in terras; e quibus magnus ille Archangelus missus legitur ad Mariam, ob causam, vtique qua maior esse non potuit*: ex hac D. Bernardi doctrina sumimus argumentum, hunc, et eundem fuisse Angelum, qui apparuit Zachariæ in templo dum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum. Stans à dextris altaris incensi, prædixit filij et illius filij qui secundum non habet, et solus inter natos mulierũ

na-

nascebatur maior, conceptum, ortum, vitæ ordinem, munus, & officium: Hunc & eundem fuisse Angelum, qui venit ad Annam Dominum in hortulo suo obsecrantem, cui conceptionem annunciauit illius infantulæ, quæ sola inter Virgines, & super Virgines futura Dei mater nascebatur, & Virgo; ad quam, & dũ concipitur in vtero, & dum ipsa Dei filium concepit, non alius mittitur Angelus nisi hic Gabriel Archangelus, sic

Luc. Eu. habes in Euangelio: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph*: Qui vt, & ipse consocius esset tanti mysterij dispensationi diuinæ congruè visum est, vt idem Angelus, qui Verbi conceptionem, modum, & ordinem Virgini nunciauit matri, aperiret & sponso, cum ipse eiusdem Verbi incarnati electus erat in patrem; à cuius pectore, vt dimoueret angorem, secerneret turbationem, flecteret mæstitudinem, & aboleret omnem suspicionem, medicina eadem, qua vsus est quando, & Virginis deliniuit pauorem, sedauit mentis suspensionem, & motus; quibus nimirum angebatur cor eius, demulsit & Ioseph animi motus, mitigauit, & placauit mæstarum illarum cogitationum tumultum, & tempestatem.

Conscius erat hic nuncius mysteriorum Dei; sicut, & dulcedinis nominis Mariæ, & experientia iam explorauerat, quanta dulcedine ad animos mira vexatione, & dira turbatione vexatos subleuandos pollebat, & affluebat nomen Virginis; nam quando in sermone suæ salutationis vidit eam turbatam, vt subleuaret, vt sedaret, hoc eam compellans nomine, effecit pacatam, & miserem: *Ne timeas Maria*. Audi Diuum

D. Bern. Bernardum homil. 3. super missus est: *Tunc Angelus intuitus Virginem, & varias secum eam voluere cogitationes, facillimè deprehendens, pauidam consolatur, confirmat dubiam, & familiariter eã vocans ex nomine benignè ne timeat persuadet Ne timeas Maria.*

Hoc cœlesti nunc vsus est Pharmaco, vt consuleret timori, & turbationi Ioseph, qui videndo grauidam sponsam in conturbationem incidit maximam, sed repentè adfuit Angelus timorem prorsus extinguens, non alio modo, quam in auribus sponsi insonare nomen Maria; Ne timeas Ioseph, filij Dauid accipere Mariam coniugem tuam: quòd perdulcissimum nomen, quam melleam in se latentem habebat suauitatem, & dulcedinem, purè, pieque, dulciter sanctèque illud inuocantibus, vel audientibus illam effundens, & communicans: En vt hoc intonuit nomen ex ore Gabrielis in auribus Ioseph tanta dulcedine fuit affectus, & refertus, tanta suauitate repletus, & cumulatus, quòd tota illa mæstitudinis amaritudo in dulcedinem tam suauissimam conuersa est, vt dulcedine mellis longè transcenderet ipsa dulcedo. Si de seruis Dei dicebat D. Bernardinus Senens. tom. 4. serm. 4. *Serui Dei quantò magis sunt in gratia, tantò maiorem deuotionem, & dulcorem sentiunt in nomine Mariæ*: quid sensit tunc Ioseph, quando ex ore Angeli audiuit vocabulum illud, Maria, excussa in prolatione tam perdulcissimi nominis suæ mentis turbatione, & caligine, & in eius corde dulcorata super mel, & fauum illa nimis anxia amaritudine, & conuerso illarum cogitationum sui pectoris in serenum nubilo. Credo quòd tanti non inis dulcedine allectus, simul, & de veritate illuminatus, ad eã conuersus, audio dicentẽ: Tu mærentium solamen, tu dolentium leuamen, tu afflictorum consolatio, tu tempestatis tranquillitas ô Maria, ô Sponsa, tu nec nominari quidem potes, quin recrees: tu nunquam sine dulcedine diuinitus tibi insita piæ memoriæ portum ingrederis: vndè de hoc dulcissimo nomine dicebat pijssimus Richardus de Sancto Laurentio lib. 1. cap. 2. *Tristatur aliquis, continuò ad nomen Mariæ cedit nubilum, serenum reddit; ecce quomodò illuminat Iosephum, dicens, Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam*; &c. En quomodò ex ore Angelico ad Mariæ nominis prolationem, quòd erat nubilum in pectore Ioseph, subitò factum est serenum; & quòd erat amarum conuersum est in dulcedinem ineffabilis suauitatis.

D. Bern. Senens.

Richar. de S. Lau.

Perdulcissimi Mariæ nominis, nec sentire, nec degustare meretur dulcedinem, qui mundissimo cordis affectu illud non diligit, puro corde non meditatur, mundis labijs, mundisque vocibus ex ore non promit, & mundissimis auribus non percipit. Audiamus, quid

de

Cantic. de hoc nomine dicat cœlestis ille sponsus in Canticis cap. 4. *Fauus distillans labia eius*.

Et vt ex prolatione nominis, Maria, elicias dulcedinis saporem percurramus singula: Fauus est illa materia cerea, quæ diuersis cellulis distinguitur, in qua apes veluti in proprijs domicilijs hospitantur, & fœtus suos partu virgineo parturiunt, & mella conficiunt; ex qua postmodum distillatur mel, & eliquatur: Est enim fauus res sapidissima, & dulcissima. *Comede fili mi*, inquit

Prouerb. Sapiens 24. prouerb. num. 13. *mel quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi*

Septuag. *tuo* Septuaginta *comede mel fili, bonus est enim fauus; vt dulcescat guttur tuum*.

Fauus hic est B. Virgo Maria quæ ad modum faui intra cellulas vteri sui mel; hoc est, Dei filium genuit, portauit, & nobis in lucem edidit. Audi piissimum

Richard. à S.Laur. Richardum à S. Laurentio lib. 1. cap. 8. *Ipsa est fauus melleus*, cui dicitur in Cant. cap. 4. *Fauus distillans labia eius, qui si benè compressus fuerit tactu labiorum deuotè orantis dulcedinem melleam, facilè distillabit*: O anima mea aues degustare mel deuotionis; en fauus, quem meditationis, contemplationis labijs premens anima deuotè meditando actus, gesta, facinora, verba, gressus, opera, et huius Virginis Angelicam vitam facilè suget mel deuotionis erga Deum, et Virginem ipsam, qua prægustata dulcedine potest, et ipsa dicere: *Comedi fa-*

Cantic. *uum cum melle meo*. Cant. cap. 5. Suget mel compassionis, et miserationis; et ad hæc mella sugenda nos inuitat: *Comedite amici, & inebriamini charissimi*. Amici quia multum amant: Charissimi quia multum amantur, hos ad mella degustanda, et dulcedinis Epulas inuitat: *Hoc mel, quo ipsa plena est distillat in nos* inquit piissimus Richardus Vic-

Richard. Victorin. torinus in Cant. cap. 4. *si misericordiam affluentissimè ipsam misericordiam peperisti*.

Hunc ô anima mea millies in die deuotè comprime fauum, et suge mel, et dulcorem, gustu suauissimæ locutionis suæ dulcedinem, lingua eius, melleal lingua fuit: *In ore Mariæ*, inquit D. Bo-

D. Bona. nauentura in speculo cap. 11. *non fuit fel, & venenum Diaboli; sed mel, & lac Spiritus sancti iuxta illud Canticorum mel, & lac sub lingua tua*.

Preme in tua meditatione fauum Mariæ nominis & suges mel, & dulcorem suæ perfectæ dilectionis, qua te diligit, fouet, & fauet; vndè gloriatur ipsa in Eccles. cap. 24. *Spiritus meus super mel & fauum*, fauus hic Virgineus per- Ecclesiastici. cuncta sui corporis membra, illam in nos distillat dulcedinem, qua ipsa plena erat.

Cur non tota dulcis, & suauis, si, vt inquit Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. expendens hæc verba Canticorum, mel, & lac sub lingua tua: huius Virginis, mel, & lac erat ipsemet sponsus, qui totam suæ diuinitatis dulcedinem communicauit matri, & eius labia quantum capere poterant supra suauitatem, & melleam dulcedinem perfundebat; vndè vox eius non poterat non esse dulcissima, quæ ab ipso fontis dulcedine diuinitatis scatebat: audiamus, quid dicat D. Rup.Ab. hic Abbas, adducens Christum sic alloquentem matri. *Fauus tuus ego sum, mel tuum, & lac tuum ego sum, quia Deus tuus, & filius tuus ego sum, hoc tua sentit anima, hoc tua sonant labra, aliud loqui non potes, quam id, quod in pectore habes, ex abundantia cordis labia tua loquuntur*. hæc ille. Huius veritatis testis est ipsemet Iesus, qui matrem alloquens sic reuelauit B. Birgittæ lib. 1. reuelat. B.Birgit. cap. 6. *Verba tua sunt mihi suauia, & delectant intima cordis, tamquam potus suauissimus, preme fauum, & capies, quæ dicuntur: fauus est cuius materia cerea est delicata, & mollis: duo tibi offert, & mellis dulcedinem, & cera lumen ad lucem*.

Valdè manè surrexit Dominus Iesus de Sepulchro, & cum inuenisset Magdalenam plorantem pro defuncto, nimio mœrore confectam, ex eo quia corpus, quod quærebat, non inuenisset, & furatum credidit, cui Christus sic in- Io.Euan. terpellat; *Mulier quid ploras?* Ioan. cap. 20. illa tamen, & alio se diuertens, & simul interrogans de thesauro sublato. Si tu sustulisti, dicito mihi: non attendebat loquentem, quem certè putabat hortulanum esse: allabat ei, loquebatur, videbat, audiebat interrogantem, nec agnouit; nec mirum, quia ipsa venerat ad monumentum: cum adhuc tenebræ essent quas, vt ex meris mulieris oculis expelleret, & clara suæ cognitionis luce irradiaret: quid tūc Iesus? Adijecit Mariæ nomen, quando dixit; *Maria conuersa illa*, vtique de tenebris ad lucem, *dicit ei, Rabboni*.

Qui

Qui secunda hac vice vocauit eam, Maria, nonne idem Iesus, qui primò simul loquutus est ei: si idem, cur modò agnoscitur, modò admittitur, modò adoratur, qui antea quasi hortulanus relinquitur, & despicitur: *quàm dixit, Maria*, inquit D. Chrysostomus hom. 85. in Ioan. *tunc cognouit, ita non visus, sed vocis fuit cognitio*: quæ vox? nisi quia Mariæ nomen prolatum est; dum hæc vox, & nomen hoc velatur sub silentio, tenebris obuoluta mens, & mentis oculus erat Magdalenæ, adhuc tenebræ erãt; at vbi insonuit, & in auribus eius intonuit nomen hoc, Maria, excussis tenebris, abijt caligo, abijt mæror, abijt error, abijt omne nubilum, & cælesti ex toto perfusa luce agnouit, confessa est Rabboni; cucurrit, oculos aperuit, procubuit ad pedes eius, & lambẽs eius vestigia, sugebat mel de petra, oleumque de saxo durissimo: vbi per os Christi enunciatum, & prolatum audiuit Mariæ nomen, dissipatæ sunt tenebræ, & mellis degustauit dulcedinem: quia hoc nomen fauus est, ceram continens, & mel; quid mirum si per os Christi mundissimum expressum, & compressum in auribus cordis mundissimis tantę Sanctæ mulieris, si illi lucem præstitit, & dulcedinem mellis fecit degustare, & sentire ex fauo. Non est nomen, ò anima mea tibi datum dulcius, nec suauius vt nomen Mariæ, cuius dulcedinem si cupis sentire, & eius degustare dulcorem, fauus est dulcissimus, & cera mollis, mundare labia cordis tui, & oris linguam, & senties quæ dico.

Si enim res amaræ, & asperæ opere Pigmentarii, dulcedine conditæ, seù cõfictæ suauitèr dulcescunt, & gustui suaues efficiuntur: ita cor, mentem, animã, nomẽ, & totũ quòd erat in Virgine præ dulcedine diuini amoris, adeò erat perdulcissimũ effectũ, quòd & motus corporis gestus, & verba, & actus animi, & omnia quæ Virgo operabatur, loquebatur, meditabatur, non nisi summa dulcedine redolebant, & dulcedine cœlesti, & diuina, quæ & mortis amaritudinem in suaui dulcedine potuit, & ipsam conuertere, & transformare.

In terrestri illo deliciarum loco, Serpentis persuasione decepta mater Eua; promissione illecta, & pulchritudine pomi; quòd cum fixis oculis contemplaretur decore ipsius capta est, & pulchrum existimauit visui, & gustui suaue, & delectabile: Sitiens & famelica extendit manus, tulit de ligno, & comedit, & gustauit; & illicò post primum illum bolum potressit, deditque viro suo; vt ad esum pomi Adam induceret Eua, non alium pomum tulit ipsa ex ligno: sed ipsummet primum, in quo & dentes fixerat, & labijs suis tetigerat, & lingua & bolũ primò ipsa tulerat, & gustauerat, & hoc idem dedit viro suo, & comedit.

Quòd Eua tot blanditijs seducta, de ligno sic libentèr comedat, et ei à Deo iam vetito verbis Diaboli delusa, et fructus pulchritudine irrisa, mirum non est: sed valdè mirandum, quòd comedat homo nulla alia persuasione præcedente, nulla promissione facta, nulla alia pomi suauitate attenta: sed sola mulieris oblatione, dedit viro suo, qui comedit immemor diuini præcepti, et minate mortis amaritudinis.

Cor illius primi hominis ad hoc, quis captiuauit? vt nõ pomi amaritudines, asperitates, dolores, et mala cuncta, quæ nunc experimur sentiret, sed dulcedinem, et suauitatem sensit se degustare? Non fructus pulchritudo, non venustas aspectus, non color, non dulcedo: non denique falsa promittentis persuasio: sed mulieris labia, dentes lingua, et oris: ac pectoris flatus; dentibus suis Eua pomo primò bolum dedit, et mordendo, premendo dentibus: tangendo labijs in pomo illo, et in illo bolo: alito suo inspirauit, et pulchritudinem quãdam dulcedinem, et suauitatem impressam effigiatam reliquit tantæ pulchritudinis: quòd et cor ad se traxit Adami, qui omnium oblitus amaritudinum clausis oculis de fructu comedit, et adiudicauit dulce: quòd erat amarum; Et vndè hoc iudicium? Non aliundè nisi quia illud primò morsicatim labijs: lingua, et dentibus suis tetigit Eua; et hic tactus oris mulieris: quæ erat caro de carne sua, et os de ossibus suis, et hæc boli morsiuncula tantæ fuit virtutis, tantæque efficaciæ: vt oculos furaretur Adami; cor eiusdem ad se traheret, et amaritudinem verteret in dulcedinem tantæ suauitatis, quod dulcorauit amaritudinẽ mortis sibi iã cominatę *In quacunq; hora comederis ex eo morte morieris.* Genes. cap. 2.

O Deus cordis mei quid est hoc? Si amaritudo labiorum Euæ, et asperitas dentium eiusdem spiritum vitæ: coloris

pul-

pulchritudinem morsum insigens in pomo illo amaritudinem vertit in dulcedinem.

Quid operentur labia Mariæ, quæ totius Cœli continet dulcedinem: ex cuius ore, & pectore veluti ex fonte diuinæ dulcedinis emanat, surgit, oritur, decurrit spiritus ille suauitatis: qui dulcorat, & ad se rapit cor ipsiusmet Dei; ita testatur ipsa. *Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.* Eccles. cap. 24.

Præsentis vitæ mala, necessitates, & vita ipsa amaritudinibus plena est: poma nostrarum necessitatum, fructus nostrarum operationum: poma miseriarũ nostrarum, quæ nimis amara, & asperitate plena ..... velimus, quòd & Deo, & nobis reddantur dulcia: suaui odoris, miræ pulchritudinis, gustui delectabilia, tangantur primò à Maria: imprimat illa dentes, figat labia, inspiret flatum dulcedinis pectoris sui: mordeat ipsa primum: prin us pomi nostri bolus sit Mariæ, quæ cum sit opus spiritus Sancti Pigmentarij, cœlesti, & diuina illa dulcedine confectum: ipsa sola dulcorat omnia, & saccharo suarum viscerum dulcescit amaritudinem, et in dulcedinem vertit: comedat, vt Eua ipsa de ligno nostrarum operationum primum, et postea offeramus poma nostra Deo: vt necessitatibus nostris occurrat, saluet, et custodiat.

In adiutorium hominis facta fuit mulier, quæ nihilominus ipsi homini facta est perditionis occasio, hæc de latere dormientis fuit educta; Maria verò, quia facta fuit in adiutorium nostrę salutis, & redemptionis, formauit eam Deus de corde ipsiusmet vigilantis; ità docet Albertus Magnus; En cur Maria tota dulcis, & suauis est; quoniam ex corde illo diuino, qui fons est omnis suauitatis, & origo omnis boni, & dulcedinis; vnde de ea cœlestis sponsus in Cant. c. 4. *Fauus distillās labia eius, mel, & lac sub lingua eius:* Si tātæ dulcedinis est sola memoria nominis Virginis, quam amaritudinem non dulcorabit. *Hæc est* ait D. Petrus Damianus serm. de Annunciat. *quæ vestris affectibus suauiter induleescit, in qua dulcis Iesus cum omni sua dulcedine superuenit.* Albertus Magnus. Cant. D. Petr. Dam.

Antequàm, antiqui illi Patres terram à Deo illis promissam ingredrrentur, exploratores iuxtà Domini præceptum miserunt, vt in lib. Num. legimus cap. 13. considerare terram, qualis sit; bona an mala, pinguis an sterilis, nemorosa, an absq; arboribus; qui regressi secum portauerunt palmitem cum vua sua, & narrantes dixerunt: *Venimus in terram ad quam misistis nos, quæ reuera bona est & fluit lacte, & melle, vt ex his fructibus cognosci potest:* Vua illa Christum Iesum figurare, qui vitem æternæ vitæ se esse testatur, nemo ignorat; Terra verò de qua fructus illos suauissimos illi asportantes attulerunt esse Virginem Mariam, Diui Augustini testimonio comprobatur: *Ipsa enim,* ait ipse, *est terra promissionis eum per Prophetas toties fuerit illa promissa.* Num. D. Aug.

Terra hæc virginalis, qualis sit, pinguis, an sterilis, nemorosa, an absque arboribus, accede, ingredere, explora, lege flores, carpe poma, lege fructus, & explorabis, & senties; imò Dei testimonio reperies, quòd bona reuera est, & fluit lac, & mel: vt ex fructibus cognosci potest, de qua quando eam promiserat Patribus nostris Deus; sic testatus est. *Educam vos de afflictione Egypti ad terram fluentem lac, & mel.* quòd tota suauis, & dulcis sit Maria, & memoria nominis eius dulcedine exuberans sit, quis audebit dubitare: si os Dei lac, & mel manare confitetur. Audi D. Bernardum serm. 3. in Salue Regina. *Ipsa est terra promissionis lacte; & melle manans:* & nos cū Ecclesia Catholica; *ò spes nostra salue; ò vita dulcedo, ò clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria:* Tota dulcis, & suauis, quia nata ex corde Dei, quòd fons est diuinæ dulcedinis, vt dulcis dat dulcedinem, & fructus suauissimos, quos non gustat, qui non amat, non accedit ad eam, & Virgini ipsi non associatur assidua meditatione nominis eiusdem. D. Bern.

Hoc priuilegium quomodò negabitur gratiæ, si non negatur naturæ, de qua scribit Alexander ab Alexandro lib 4. suarum historiarum, quòd in partibus Danubij vites sub niuium gelu diù iacent humatæ, niue calore Solis iā resoluta apparent palmites, & folia, & ipsi fructus fuluo colore, quasi auro amicti, quòd donum habent ex terra illa aureis venis minerata; & dum vites mittunt radices in humo deaurata, quæ radicatę & fundatę humore aureo nutriuntur, & quidquid humoris eift terrę illius, exigunt, & ex succo aureo nutritę. Alex.

deau-

deaurātas producūnt folia, poma, & fructus.

Aqua ipsa indifferens est ad colores, & sapores; cum ipsa colore, & sapore careat; quos recipit iuxtà meatus terræ qualitates, per quos ipsa transit; hinc est, quòd nunc dulcis, nunc amara, nunc subtilis, nunc grauis. Si aqua à terræ qualitatibus saporem recipit, & colorem.

Cur non possumus contemplari in Maria, quæ si à corde Dei, qui fons est dulcedinis, si per occultos Diuinitatis meatus ipsa transiuit, si radices fundatas, & radicatas habet in corde Dei in terra illa Diuinitatis auro mineratā: quid mirū si palmites, si folia, si flores, si poma, si fructus sunt dulcedinis auro perlucidi, suaues, & dulciores super mel, & fauum?

Opus nostræ redemptionis fuit decretum debere fieri per Filij Dei incarnationē, cui Pater, vt tantò Deo digna matrem daret ignis diuini amoris instigator existens, pectus paternum vrgens stimulabat, instigabat, vt quòd mente conceperat opere iam compleret: & sic ait Petrus Damianus serm. de Annunciatione: *Statim de thesauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decerneretur*; si nomen Mariæ euoluitur de thesauro Diuinitatis, ibi primò generatur, educatur, posteà educitur, & euoluitur, qui cum fons sit dulcedinis, quid mirum, si tota dulcis est, & suauis. — D. Petr. Damian

Quando altitudine mysterij hebescit acies nostri intellectus, vt surgat ad illius spiritualem intelligētiam vti oportet similitudine corporali: vt capias, quomodò nomen Mariæ sic eductum de thesauro Diuinitatis in cœlesti Curia illa de nominibus versari distinctio, quæ in regali palatio versatur de vestibus, & ornamentis.

Apud Reges est duplex penu, seù vestimentorum locus, vnus communis dicitur, in quo vestes omnium ministrorum, quibus illis vti licet, asseruantur: alter peculiaris, qui Regi duntaxat est in vsu, vel homini illi, quem Rex vult honorare, vt Aman suggessit Assuero in lib. Esth. cap. 6. — Esther.

Habet Deus in cœlesti illo palatio communem thesaurum, in quo gloriosissima Sanctorum suorum nomina scripta asseruantur, vt ipse per Lucam Euangelistam testatus est dicens: Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis: in illo communi penu, habet, & suum peculiarem, in quo propria nomina diuinarum personarum duntaxat occultantur, vt Deus ipse indicauit per Moysen in lib. Exodi: Et nomen meum Adonai non indicaui eis: quòd Adonai nomen, & vni Deo proprium in illo Diuinitatis, & thesauro occultabatur. — Luc. Eu. — Exod. c. 6.

Quid miraris ò anima mea, si nomen Mariæ diuinam illam dulcedinem æmulatur, quùm non de communi, vt aliorum Dei seruorum penu; sed de singulari, ac diuino illo dulcedinis fonte, & diuinitatis thesauro à Deo solo educitur; & quòd cæteris omnibus denegatur, Mariæ nomini, quæ materna dignitate supra cæteros pollebat, veste suauitatis, dulcoris, dulcedinis; qua solus Deus vtitur induere conceditur; vndè si tanta dulcedine plena fuit, vt tota dulcissima fuerit; quòd, & mortis amaritudinem vertit in dulcedinem, ex diuinitatis flore hoc habet.

Morti addictus erat Christus, & mortis doloribus præoccupatus, & nostræ redemptionis iam completis mysterijs omnibus, pendebat de cruce morti iam vicinus, quum vltimum vale matri suæ dare voluit; vt liniret materni pectoris dolorem, loco sui illi relinquens Ioan. quando dixit: *Mulier, ecce filius tuus*; Cur non proprio nomine eam compellans Maria; sed, *mulier ecce filius tuus*. — Io. Eu. c. 19.

Conqueritur, quando se derelictum cognoscit à Patre in illa mortis hora: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Si aliquid leuaminis, seù consolationis à Deo optabat, sperabat, & expectabat; cur hoc potius à Patre, quam à matre: nonne ipsa ad hoc stabat iuxtà crucem? & consolationem, quam sibi à patre negatam non obtinuit, vtiq; obtinuisset à matre: si quando mulierē appellauit, Mariam appellasset. — Matt. Eu. c. 27.

Sed qua ratione tacuit? dicam cum Diuo Epiphanio serm. de laud. Mariæ: *Maria interpetratur myrrha maris*: tene hoc: & scire te velim, quòd mos erat apud Hebræos, omnibus morti addictis potatione myrrhata potari, seù propinari, vt virtute myrrhæ sopiti sensus omnes mortis acerbitate minus afficerentur, & tormentorum dolores minus sentirent. — D. Epiph

L Chri-

Christus Iesus, qui patiendi amore satius famã nũquã expleuerat, hoc erat desiderium sui cordis, hæc fames, & animæ suæ hæc sitis pati pro nobis, & tanta æstuabat patiendi charitate, tanto flagrabat ardore, vt nec ipsamet Passio patiendi satiauit amorem, nec vnquam expleuit ardorem, & ardentis sui pectoris charitatem.

Hæc vt famelica semper patiendi, vrgebat ad pati, instigabat ad pati, stimulabat, & ad noua pati semper compellebat, & comprimebat, & coarctabat; vndè, & si matrem interpellando non proprio nomine, sed communi mulieris nomenclatura eam appellauit, hoc non fuit passionis acerbitate, non mortis amaritudine, non dolorum, quibus vexabatur immensitate, non obliuione; sed charitatis ardore, quo pro nobis tunc magis, & duriora, absque consolationis mixtura pati satagebat, & ardebat: quantæ virtutis, quantæ efficaciæ, quantæ dulcedinis, quantæque suauitatis pollebat Mariæ nomen, ipse solus benè agnoscebat; quòd, & ipsius mirrhæ virtutem præferebat; si tunc eius nomen tacuit, non fuit obliuio materni nominis sed charitas, & illius perfecta cognitio: sciebat enim tantam esse Mariæ nominis dulcedinem, & adeò efficacem; quòd si nominasset, & sua lingua protulisset, virtute illius membra sui totius corporis tanta dulcedine sopirentur, quòd dolorum cruciatus non sentiret, nec mortis, nec passionis amaritudinem prægustaret, dulcedine nominis Mariæ dulceratos, & in dulcedinem, & suauitatem iam conuersos; vt magis pati posset, nomen Mariæ tacuit, vt vota sui cordis pro nobis pati ostenderet, & dulcedinem materni nominis demonstraret, mulierem, non Mariam appellauit.

O anima mea, ò cor meum, si dulcedine tanta repletum est nomen Mariæ, non recedat à corde, non recedat ab ore: Diuinum saccharum est, quo dulcorantur omnia, in quacunque angustia, tribulatione, in quibuscunque necessitatibus inuoca Mariam, eius nomẽ sonet in lingua, resonet in corde laudando, eam benedicendo, inuocando, imitando, amando, diligendo, glorifica illud.

Gloriosum est enim, & admirabile hoc nomen tuum perdulcissimum ò Maria. sit in ore meo perdulce super mel, et fauum; et qui deuotionis affectu in corde retinent, laudent, et inuocent; non expauescant in hora mortis; quoniam ad huius nominis inuocationem Dæmones expauescunt, verentur, et timent, et animam derelinquunt, et mors ipsa perdulcescit.

Benedic anima mea nomen Mariæ; vt te reconcilier Christo; benedic nomen Mariæ; vt amaritudines vitæ tuæ sua dulcedine indulcescat; et vt dulcissima mater te protegat, et in hora mortis te custodiat; et dulcedinem sui suauissimi nominis tuo cordi in illa hora infundat.

Non ergo recedat ab ore hoc suaue canticum, benedictum sit gloriosum nomen tuum, quòd os Domini nominauit, & quòd de thesauro suæ diuinitatis mirabiliter eduxit.

O benedicta in æternum dignare me, laudare te, non deficiat laus tua ab ore meo, nec nominis tui suauitas, & dulcedo à præcordijs meis: qui te benedicunt sint, & ipsi benedicti à Domino, & qui te volunt diligere, & tui dulcissimi nominis in se sentire dulcedinem; ò Maria, ò Maria non defraudentur ab optatis, & à fide.

Sit ergo nomen tuum benedictum in æternum, in æternum, in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei mei; te præcor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei; quoniam in te sola confidit anima mea. Sub vmbra alarum tuarum protege me in omnibus necessitatibus meis, nunc, et in hora mortis meæ; spes mea tu in die afflictionis meæ. Amen.

HIC

HIC VIRGINIS MARIÆ

deſcribitur nomen perdulciſsimum ſub typo Roſæ pulcherrimæ quinque folijs vernantis iuxtà numerum litterarum eiuſdem; quarum prima eſt, M, in primo folio ſculpta cum ſua inſcriptione, MATERNITAS.

RAMVSCVLVS VNDECIMVS.

Ego flos Campi,& lilium conuallium.
Cant.cap.2.



FLagrans nimis, ò Maria, eſt hoc tuum perdulciſsimum nomen, & tanta dulcedinę refertum; quòd, & à te ſic edoctus, Roſam odoram non dubito appellare ſymbolicè, quando ore tuo benedicto idipſum ſub nomine Roſæ, quinque folijs veluti quinque prætioſiſsimis gemmis redimere dignata es, & gratiosè cohoneſtare; nam vbi vulgata lectio in Canticis cap.2. habet *Ego flos campi, & lilium conuallium*: in perſona Virginis ſic legit Hebræa: *Ego ſum Roſa Saron*, & quidem. Roſa Saron Mariæ nomen, & Roſa per quam pulchra, & odorifera nimis: Saron enim eſt campus inter Ioppen, & Cæſaræam, cuius Roſas tum pulchritudinis decore, tum odoris fragantia, tum varietate colorum; quædam enim candidiſsimæ ſunt, quædam purpureæ, quædam autem aureo apparenter rutilare colore, reliquas omnes traditur antecellere.

Cant.

Maria fuit Roſa candida per virginitatem, purpurea per dilectionem, aurea per pietatē, & charitatem: vt anima ſerui tui, ò Virgo clemens, ò Roſa capitis mei odorem, quo hæc tui perdulciſsimi nominis Roſa redolet, addiſcat odorare, delectari pulchritudine, deliciari ſuauiolentia; imò, & ſui pectoris lingua, velut apis argumentoſa valeat mel ſugere dulcedinis; cuius ſuccum tuæ iam gratiæ dono cæpit elicere internæ deuotionis, tua multum refert applicare olfatui; ſed, & eiuſdem perſæpè perfricare naribus, vt ſic tua capta pulchritudine exterius, & interius ſic illecta odore poſsit in illius contemplatione diutius, & feruentius immorari.

Verè in totius vitæ ſuo curriculo Roſa miræ pulchritudinis, & ſuauiolentia Maria; Roſam enim inter ſpinas naſci cernimus; aſpice virginalem hanc Roſam, cuius vitæ curſus non fuit abſque ſpinis, ſi ſine peccati labe concipitur, en Roſa pulcherrima; ſi Patre orbatur, & matre en ſpina; ſi Deo in templo conſecrata offertur, en Roſa; ſi vigilijs, ſi ieiunijs, ſi corporalibus ibique vacat afflictionibus, en ſpinæ; ſi ab Angelo ſalutatur, en Roſa; ſi deſponſata Ioſeph, ſponſum nunc ex nouo, & inuſitato modo ſui vteri conceptus turbatum, nunc mæſtarum turbine cogitationum exagitatum videt, en ſpinę; ſi ſeruata virginitate enititur, quem Gabriel prædixerat, en Roſa candidiſsima; ſi pannis in-

uolutum reclinat filium in Præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio, en spinę; si Reges conspicit Orientales, partum sui Virginei ventris adorare,& muneribus Deum confiteri,en Rosa; si in Aegyptum cogitur occultè fugere, en spinæ; si hunc videt tot, tantaque miracula facientem,en Rosa, si ipsummet cernit tot insidijs, tantisque odijs infestari,dolebat vt mater en spinę.quæ eò crescebant,& multiplicabantur.quò crescebant filij sui passiones,& pœnalitates, & licet hę spinæ durę, acutiores, validiores,& densiores essent, Rosa tamen cœlestis roris influxu enutrita,firma,& immobilis stabat iuxta crucem Iesu: dicat igitur: ego sum Rosa miræ pulchritudinis,& suauissimę fragantię; Rosa fuit Maria circumdata varijs tribulationum, & afflictionum spinis, sed non tacta,nec lacerata spinis peccatorum,imò ipsa sola purpurata sanguine Christi filij sui eam preseruante caruit omni spina. Testis est D. Damascenus orat. 1. de Natiuitate Virg. Marię. *O Rosa,quæ ex spinis, hoc est Iudæis orta es,& diuina fragantia cuncta perfudisti*: at Rosa sine spina, inquit Sedulius lib. 2. operis Paschæ, *& veluti è spinis mollis Rosa surgit acutis, nihil quòd lædat habens,matremque obscurat honore*, sic & Adamus de S. Victore ad laudem Virginis cecinit: *Salue sacra parens flos de spina,spina carens.*

D Damascenus.

Sedulius.

Adamus de Sanct. Victore.

Si flos Rosę inter flores obtinet principatum,& floribus pręstat, & supereminet cunctis,quantò verius Rosa Maria,quid dulcius, & gloriosius animę, quam huius Rosę Virgineę frondibus suum coronari caput,nunc eam contēplando candidam suę virginitatis candore, nunc purpuream suę dilectionis feruore,nunc auream suę charitatis, & pietatis ardore: O quam delectabilis est candore virginitatis oculo contemplātis, ò quam suauis olfatui, & confortatiua naribus fragantia suæ dilectionis;ò quam medicinalis est infirmo,& suarum necessitatum curatiua suę pietatis ardore,& suæ ebrietatis virtute.

Attende, anima,mea, & ne te pigeat huius Virginis Rosæ primi folij stēma, in quo Dei digito sculptum inuenies, MATERNITAS;Dei est mater, & tua, Deum genuit, ex virginitate, & dilectione,sic habet D.Epiphanius in serm. de laudibus Mariæ; *Rosa est Maria,quæ Rosam immarcescibilem genuit Christum*; reque vero adoptauit in filiam pietatis amore, & charitatis virtute, & facta est tibi quoque mater,& Rosa miræ pulchritudinis, miræ dulcedinis, & perfectæ curationis; vt tua sanescant vulnera licet insanabilia,& sanitati donerís;En Maria, quæ tibi facta est Rosa medicinalis, quæ te ad salutem inuitat; dum exclamat: *Ego sum Rosa Salon.*

D.Epiphan.

Meritò nomen Mariæ,Rosa dicitur, in cuius primò folio, quòd contemplandum habemus præ manibus, impressa diuinitus prima illius nominis littera cernitur, quæ est,M, cum sua inscriptione, MATERNITAS, facta est mater omnium nostrum, quùm effecta est illius hominis, qui simul est Deus,& homo.

Hæc est dignitas tantæ sublimitatis, quòd nec verbis explicari potest, nec mente, etiam illa angelica, concipi, & excogitari. Audi D.Bernardum hom. 2. super missus est: *Est tamen maius aliquid,quod mireris in Maria? quod si, & cuius est mater attendas,quò te tua super eius mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonnè ad hoc,vt te videas,nec satis posse mirari*; Dignitatis altitudo maternæ adeò Mariam subleuauit: quod vbi spiritus cœlorum, & omnes electi sunt in illo Regno beatitudinis velut astra,ipsa sola est velut Sol,ait D.Basilius serm. de Annunciatione;*Virgo vniuersos martyres suo splendore tantùm excedit, quantum sol vniuersa astra, ipsa sola capacior fuit cœlo: quia quem cœli capere non poterant suo gremio contulit* ipsa sola capacior fuit mundo; *quia quem totus non capit orbis,in sua se clausit viscera factus homo*;& hic homo,est etiam, & Deus.

D. Bern.

D.Basil.

O Dignitas,ò excellentia tantæ Virginis,cuius partus,cum sit Deus,& homo,hac dignitate coronata Maria, potius videbatur deitas quedam occulta, quam creatura aliqua creata:vndè Propheta Sanctus in Psal.88 sic interrogat: *Nunquid Sion dicet homo*; & est sensus, dicat aliquis nonquid Sion est homo, si Virgo illum habuit filium, quem Deus Pater sibi consubstantialem genuit, & & vnicum,& omnibus modis sibi çqualem, quem non est passus remanere solummodo suum, sed eum ipsum in rei veritate esse B.Mariæ vnicum, & naturalem filium:hæc contemplans Sanctus Dauid meritò admiratus interrogat:

Dauid Proph.

Num-

Numquid Sion est homo, num hęc Virgo generans Deum: est ne persona diuina, an humana? Est ne creator, an creatura? Est mulier; an Deus ipse.

Numquid Sion est homo? Ex massa humanæ naturæ? Numquid talis potuit nasci persona? ex vena tam humili? Numquid tam pretiosa margarita exoriri valuit? Ex terrea apotheca? Numquid vas cęleste potuit elaborari? Ex orto tam sterili, & spinoso creari potuit plantula tam fęcũda, quòd pariat Deũ?

Numquid Sion est homo; & licèt, quem genuit Virgo, esset Deus, vt intelligas, agnoscas, capias, & confitearis Mariam generantem Deum, non esse Deam, nec deitatem aliquam occultam, sed mulierem ex semine Abrahæ. non respondit, & Deus natus est in ea, sed benè homo natus est in ea, fęminam esse, quæ hominem genuit, voluit præmonstrare Propheta Sanctus, & non Deam, ideò respondit, homo, & non Deus natus est in ea.

Timuit nonnullis ansam præbere, existimare Beatam Mariam Deum esse, cum Deum pareret; ad hanc falsam existimationem propulsandam consultò respondit, homo natus est in ea, & non Deus licet sola inter cæteras matres Sacra Virgo Christifera, & Deipara, & & esse dignoscatur: quandoquidem vna hæc mulier non purum hominem: & solum hominem, vt cæterę solent mulieres hominem parere, sed Dei Patris Verbum incarnatum, & hominem factum peperit.

Ex hac hominis replicatione, *numquid dicet homo, & homo natus est in ea*, &c. in primò hoc Virginis nominis folio, contemplare si vales, ò anima, & maternæ dignitatis diuinæ altitudinem simul, & diuinæ miserationis erga te dignatiuam dilectionẽ, qua te dilexit; & diligit; En dilectionis diuinę maximum argumẽtum. siquidẽ; quã sibi prælegerat Deus in matrem corporalem eandem effecit, vt tibi esset mater spiritualis: vt & quæ caput nostrum concepit secundum carnem, nos omnes, qui sumus membra eius voluit: vt & lacte pietatis Mariæ Maria susciperet alendos: & quæ habet vnicum, quem pro tempore lacte corporeo nutriuit habeat, & gemellos ex vtroque sexu addoptatos, quos lacte pietatis non desinat enutrire.

Hoc materni pectoris munus est singulare: quos genuit, & peperit filios mammis lactari proprio lacte, alere, nutrire, fouere, & educare: ò quam pulchrè primum Mariæ nominis Rosæ folium huius nostræ educationis perflat odorem, cuius stemma est MATERNITAS.

Quùm Virgo affecta est Christi mater vera, iuxta Diui Augustini sententiam, mater facta est membrorum eius, sic habet Sanctus in lib. de Sancta Virginitate. *Fuit mater spiritu non capitis nostri, quòd est ipse Saluator, à quo magis illa spiritualiter nata est: sed planè mater mẽbrorũ eius: quòd nos sumus, quia cooperata est charitate sua: vt fideles in Ecclesia nascerentur.* D.Aug.

Dum Mariam intelligis matrem esse mebmrorum Christi: quæ nos vtiq; sumus; en quam suauis est odor, quem efflat ergà nos Rosa nominis Mariæ, quæ si sic nos respicit, quasi quædam membra filio suo veluti capiti per omnem iuncturam coagmentata, quanta nos cura, sollecitudine, diligentia, & amore credis fouere pijssima hæc mater; Et quidem, quanta adhibuit in fouendo Dei filium, quem gestauit in vtero, & suis aluit mammis.

Dicat cui datum est experiri, quo amore Dei filium, quem ipsa peperit in carne, dilexit Maria? qua feruenti charitate amauit? quo studio seruiuit? qua cura lactauit? nutriuit? aluit, educauit, qua sollicitudine ministrauit? & in necessitatibus necessaria cuncta viribus totis suppeditauit? vt filij sui membra nos eadem dilectione amat, diligit, eadem diligentia, & cura lactat, alit, fouet, curat, & elaborat, donec ad virum perfectum nos omnes perducat in mensuram ætatis plenitudinis Christi filij sui.

Hoc innotescere voluit Propheta Sanctus in illa hominis reduplicatione, quando inquit. *Numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea*; quæ verba pijssimus Helychius hom. de Sancta Deipara. intelligit de Sancta Maria, quę Virgo est, & mater, & post partum filij, qui ipsam fundauit, & creauit. sigillum Virginitatis in ea permansit, et hoc geminatum hominis nomẽ indicat, quòd ex Virgine matre, non vnus homo, qui est Christus, natus est; Christus enim vnus est homo, et vnum corpus politicum, cuius nos omnes membra sumus: Hesych.

ergo

ergo quando Christus natus est ex Maria, non vnus homo, sed geminatus homo, hoc est totum genus humanum per Virginem procreatum est ad vitam.

Ac si hanc hominis conduplicationem: homo, & homo natus est in ea ad Christum referas, licebis dicere, Christum, quem Virgo semel suo effudit aluo: & in se peperit: iterum atque iterũ, & millies parturit in nobis, lactat nutrit, fouet, & alit in nobis, vt crescamus & nos, quemadmodum affirmat Apostolus ad Ephes. cap 4. *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*: En nominis Mariæ Rosæ mira suauiolentia: en illius primi folij suauitas, & nimis perdulcis fragantia; vt mater nostra Maria non deserit suo nos lacte lactare, alere, fouere, nutrire, & educare: donec ad perfectam nos perducat ætatem. Audiamus, quid de hac re dicat piissimus Guarricus Abbas: *Hoc ipsum, & Maria sapere videtur, quę dilectum votorum suorum insinuare cupiens affectibus hominum, cupit formare iterum vnigenitum suum in omnibus filijs adoptionis, qui & si geniti sunt verbo veritatis, nihilominus parturit eos quotidie desiderio, & cura pietatis, donec formetur in illis Christus: donec occurrat in virum perfectum in mensuram plenitudinis ætatis filij sui*; quem semel parturiuit, & peperit: imò, vt ait Isaias antequam parturiret, peperit: quia sine dolore peperit, & quos peperit, vt pia mater sollicita cura, ac diligentia alit, & fouet, & in eorum necessitatibus præstò est: vt succurrat, vt adiuuet, protegat, & defendat, hic est flos, hic est odor nostræ Rosæ, hic fructus primi illius folij, quem sic obumbrat maternitatis stemma, vt ipsa dicere possit: *Ego sum Rosa Saron.*

Paul. Ap.

Guarric. Abbas.

Hominem Christum sine dolore peperit Maria in Præsepio, at hominem perditum cũ maximo sui cordis dolore peperit sub arbore Crucis iuxta oraculũ in Cant. c.8. *Sub arbore malo suscitaui te, ibi te peperit mater tua, ibi parturiuit te Genitrix tua*: ita legunt septuaginta, & Theodotetus.

Cant.

Quæ est mater tua? ò anima mea, & quæ hæc genitrix tua? quæ sub illo crucis ligno parturiuit te? & maximo dolorum nixu, & angustiarum conatu edidit te? ò consolatio, ò lætitia cordis mei, alia non fuit, nisi sola Maria, soli huic Virgini dictum est, *Mulier ecce filius tuus*, & adoptato filio: *ecce mater tua*.

In lecto crucis morti proximus iacebat Christus Dominus; cui non satis visum fuit, nos æterni Patris sui filios effecisse, nisi etiam in Ioanne matris suę faceret adoptatos, vt ex vtraque parte patris ac matris sibi nos redderet coniunctissimos, & amabiles, vt esset ipse primogenitus in multis fratribus.

Volens igitur Virginem matrem omnium constituere, Ioannem elegit, & non alium, non erat ibi Petrus, non erat ibi Andreas, non erat ibi Iacobus, non erant ibi alij Apostoli, & dilecti discipuli; cur Ioanni hoc legale donum?

Arbitror non aliunde, nisi quia tunc constituebat Mariam matrem omnium nostrum: elegerat Deus Abraham in patrem omnium gentium; sed vt talis euaderet, vnus fit primò Patrem effecit: *Abraham genuit Isaac*, sic legimus in Genesim, & in Matthæo cap.1. & in hoc solo promiserat ei Deus semen suũ multiplicare velut arenam, quę est in littore maris, & facere eum in gentem magnam, & immensitatem, & filiorum multitudinem acquisiuit Abraham, immensitate, & cordis dolorum multitudine, quando præcepit ei Deus, vt illum vnum, & primogenitum, & vnigenitũ, qui suæ nobilitatis hæres, & domus suæ successor, & propagator futurus erat, ei in holocaustum offerret, & immolaret. Gen. cap. 22. Genes.

Non legisti quòd veniens ad locum, quem ostenderat ei Deus, quomodo ædificauit altare desuper ligna compo suit, alligauit Isaac filium suum, linteo velauit oculos eius, ponens illum in altare super struem lignorum, extendit manum, euaginauit gladium, vt immolaret filium, quibus doloribus angebatur cor eius, quibus angustijs torquebatur; quas lacrymas emittebat, quæ suspiria non est, qui exprimat. Dicam, quæ sentio, quòd, vt esset Abraham pater multarum gentium multitudine grauitate, immensitate dolorum, & lacrymarum, & cordis & viscerum suorũ torsionibus, & cruciatibus factus est pater, et pater multarum gentium; Dei testimonium est, qui non mentitur: *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas,* Genes. cap. 22.

stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris. Genes. cap. 22.

Elegerat Deus Mariam, vt esset mater omnium credentium, qui si gratia filij Dei efficiuntur; vt, & filij adoptiui Virginis efficiantur, adoptentur in Ioanne; qui interpetratur, in quo est gratia; cuilibet etiam, qui Ioannes dicitur, & existit, in quo est gratia gratum faciens, datur Virgo Maria in matrem.

In Ioanne adoptantur omnes, quia in ipso, quasi in breui compendio redactas videmus cūctas Ecclesiasticas Hierarchias, percurramus singulas, si Virginum attendis ò anima mea Hierarchiam & ex illis vnus est Ioannes, qui virginitatis flore florescit, & vernat; si Apostolorum, & ipse de duodecim vnus est, si Euangelistarum non solum vnus ex quatuor, sed primum super eos locū occupat, & præeminet, si martyrum, & ipse martyrio non caruit: imò inter martyres laureatus exultat: si coniugatorum, & Ioannes sponsus fuit, & nuptiarum sponsarum in Cana Galileæ celebratarum, sed ex consilio Domini, qui ex corporali coniugio ad spiritualem matrimonium elegerat, & assumpserat ad altiores nuptias, vt docet D. Bonauentura lib. meditat. vitę Christi cap. 20. ex mente D. Hieronymi ad nuptias non peruenit, sed Virgo in ęuum permansit. Si Discipulos, & de hoc, & ipse prælectus, & principalis. Si Confessores, & ipse Confessor extitit; non est in Ecclesia status, quo Ioannes non fuerit coronatus. D. Bona.

Detur ergo Ioannes in filium Mariæ, quæ cum esset futura mater, non solum illius vnigeniti filij Dei, sed, & Virginum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Discipulorum, Confessorū, & Prophetarum in persona non Petri, non Andreæ, non Iacobi, sed tantum Ioannis, qui status omnes illos continebat, possidebat, & fruebatur.

Et tantorum filiorum effecta est mater Maria, non in alio loco, nisi sub ligno crucis, in quo, & si Christus genuit nos verbo veritatis ad esse gratiæ spirituale, tot, & tanta patiendo.

Ità, & Beata Virgo stans iuxta crucem compatiendo filio patienti pro nobis immensas pœnas, & veluti alter Abraham maximis doloribus, & anxietatibus genuit nos, quando pertransiuit animam eius gladius doloris. Si tūc peperit te hæc mater tua, ò anima mea, & ex immensitate doloris extimatur vehementia amoris, quantum Virgo te dilexit, quanti te fecit conijce ex partu, quando te genuit, & quando te peperit, & te in filium adoptauit, & vt sedula mater, nunc te alit, pascit, lactat, nutrit, fouet, & hæredem bonorum suorū te efficere cupit.

Inter mundanos seruatur hæc lex, quòd primogenitus iure primogenituræ paternam hæreditatem solet hęreditare, & hæres constituitur, minores verò maternam dotem duntaxat sortiuntur, quæ cum sit pars minima, & illa angustior, tenuem etiam inter se portionem ferunt.

Christus Iesus, vt primogenitus in multis fratribus paterna hæreditate contentus, & illius Regni corona positus sua immensa charitate fratres suos ad illam admittit dicente Paulo ad Roman. cap. 8. *Si filij, & hæredes, hęredes quidem Dei, cohæredes autem Christi,* & effectus paternæ hęreditatis hęres, maternam dotem nobis legauit verbis illis: *Ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam discipulus in sua,* non dicit in suam, hoc est in matrem suam, sed accepit eam in sua, compendiosè expressit, quæ sit tantæ matris dos, et hęreditas. Audiamus D. Ambrosium in lib. exhortat. ad Virgines: *Quid est in sua, cum reliquerit patrem, & Christum sequutus sit, quæ sua habet Ioannes, qui mundana, & sæcularia non habebat, bonus verbi sapientiaque possessor, bonus receptor gratiæ, audite quæ Apostoli à Christo receperunt: Accipite,* inquit, *Spiritum sanctum, neque enim migraret mater Domini, nisi ad possessionem gratiæ.* Paul. Ap. D. Amb.

Si vis, anima mea, scire dotem huius Virginis matris, dicam vnico verbo, est plenitudo omnium gratiarum, est consumata fides, qua, et ipsa credens effecta est Beata, est thesaurus omnium perfectionum, est cœlum, est Paradisus est Spiritus sanctus, et omnia eius charismata; testis est D. Idelphonsus serm. 2. de Assumpt. Virginis: *Hodie,* ait Sanctus, *peruenit ad thalamum æterni Regis, ad easdem nuptias, quæ in æterno sunt dedicatæ, pro quibus Arrhas accepit sponsa Christi in dotis titulo, & pignus hæreditatis æternæ Spiritum sanctum,* hoc idem testatur D. Petrus Chrysologus serm. 140. *Ad Virginem Deus aligerum portrio-* D. Idelp.

titorem mittit, nam dat arrham, dotem suscipit, qui fert gratiam, fidem refert, & tradidit munera, virtutes, quibus mox virginei consensus resoluit sponsionem; hoc idem affirmat D. Epiphan. serm. de laud. Virg. *Quomodo Virgo inuenitur esse cælestis sponsa, & mater, quæ donorũ antenuptialium nomine, Spiritum sanctũ accepit, dotis verò, gratiam, Cælum, & Paradisum:* quid diutius, quid locupletius hac dote, quæ omnia tua erunt, et huium hæres eris, si filiam tantæ matris te exhibebis.

D. Epiph

O fœlix pro te anima mea, Rosa nomen Mariæ, cuius primum folium si deuotè, si ardenter, et amorosè obseruabis; en in eo inscripta digito Dei, MATERNITAS, quæ non solum est mater Christi singularis; sed, & mater omnium hominum vniuersalis: vnde D. Ambrosius ait: *Si Christus est credentium frater; cur non ipsa, quæ genuit Christum, credentium sit mater?* eia anima mea, gaude nunc, et gaudendo ex cordis tui præcordijs; benedicendo dic: benedictus frater per quem Maria est nostra mater, benedicta talis mater per quam Christus est noster frater: et si Maria Christi est mater, & nutrix, vtero suo secundũ carnem illum concipiendo, et vberibus suis lactando; ita non contenta nos secundum spiritum concepisse, nisi spiritualibus suis vberibus materna cura nutriat, et lactet: vndè D. Bonauentura vocat eam mammillam orphanorum, et consolationem afflictorum.

D. Amb.

D. Bona.

Duo hæc Mariæ vbera sunt affectus pietatis, et deuotionis, et affectus misericordiæ; de quibus dulcedo piæ deuotionis velut lac sugitur; vbera hæc Deiparæ tota præsenti vita lac suum animę infantulæ sitienti propinare non cessant, donec ad perfectum perduxerint, et quæ verè genuit nos, verè peperit, et parturiuit nos; sic verè nutrit, educat, lactat, et materno affectu protegit, et saluat; vndè de hoc ipsa gloriatur: *Ego murus, & duo vbera mea sicut turris.*

Murus est propugnationis ad nos protegendum nomen Marię, et dulcissima mater ad nos lactandum, et nutriendum; ò Maria, ò mater pietatis super omnia creaturarum nomina; quid tuo dulcissimo nomine resonat dulcius? quid illo fortius?

Paret Diabolus insidias, suis aggrauatur cursoribus, persequatur, irruat, adoriatur, inuadat, insidietur, si ad matrem contugis, anima mea, esto secura, murus est cum propugnaculis argenteis ad tui protectionem, et defentionem; ideò argentea dicuntur eius propugnacula, vt præcibus suis benesonantibus depellat inimicum paret victoriam, hoc signatur in argento, quod cæteris metallis dulcius: ità nomen Mariæ dulcedine superat vniuersa.

Si prunas tentationum in te accendit, quibus & te exurere, pungere, stimulare, tintillare, prouocare, suffocare, & interimere quærit inimicus: esto secura, ò anima mea, si pasta lacte, si nutrita amore, si educata misericordia, si protecta muro, in apertura tui cordis, si in concauo tui pectoris, si in foramine oris tui sonuerit nomen matris tuæ Mariæ.

O Virgo benedicta, ò mater pię consolationis in omnibus tentationibus meis, in omnibus prælioru m conflictibus tám animæ, quàm corporis, sit nomen tuum perdulcissimum. Rosa vernans animæ meæ, cuius color pulcherrimus eius delectet visum, cuius odor mirificus oblectet olfatum, cuius sapor dulcissimus delectet gustum, cuius lenitas cor medullitus lætificet, & mel dulcedinis administret; Et quia medicinalis est; curatiua est omnium vulnerum tuorum: hæc nominis Mariæ pulcherrima Rosa, cuius folia sunt ad sanitatem gentium, & fructus eiusdem ad vitam; *Qui me inuenerit,* inquit ipsa Maria, *inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino:* Salus hæc peccatori peccatorum suorum vulnerato sagittis, & etiam morti addicto non præstatur à Domino, nisi huius Virgineæ Rosæ electuario confortato, & vnguentis inunctio ex eiusdem Rosæ folijs confecto.

Prouerb cap. 8.

Summus Sacerdos tunc temporis erat Abiatar, & Sacerdotio cum fungeretur officio erat etiam rebellionis, & ambitionis pessimus Consiliarius Adoniæ: qui, & Regis Dauid erat filius, & Absalonis non duntaxat frater sanguine; sed, & in pulchritudinis, & corporeæ venustatis decore multum persimilis, & in ambitione eiusdem æmulator accerrimus, qui velut alter Absalon contra voluntatem patris arma parauit ad bellum, vt fieret Rex, & Regnum vi, & conspiratione omni conatu studuit occu-

pare

pare; ad quòd cum de mandato Patris, & Regis Dauid, & Dei ordinatione assumptus esset Salomon, & Diademate Regni iam coronatus defuncto Dauid patre eorum; vt nouus hic Rex, Abiatar, & pessimi sui Consilij vlcisceretur iniuriam, statim reum mortis adiudicauit, quam, & minatus est, dicens ei: *Et quidem vir mortis es*: sic habet Sacer text. lib. 3. Regum cap. 2. quem vtique damnaret capitis sententia, vt iustissimus, & tanti sui sceleris loeret pessimus hic Consiliarius meritas pœnas, cum esset omni venia indignus, quid est, quòd vitæ condixit inducias? quis Abiatar saluauit à Regis furore? & à mortis periculo, quam sua facinora iustissimè merebantur, quis reddidit immunem?

3. Reg.

Attende, quid ipsemet Rex Salomon, & sapientissimus Iudex subtexuit: *Sed hodie non interficiam te, quia portasti Arcam Domini Dei mei*; mortis sententiam merentur tua facinora, at, Arca Dei, non ego, quam portasti, & ab actione intentata, & à mortis sententia liberum te iudico: Et quidem, quid Arca Dei ad Salomonem? Ne damnaret Abiatar capitis? Et hic ne damnaretur mortis supplicio? dicam quæ sentio.

3. Reg.

Arca illa præfigurabat Mariam; inquit D. Hildelphonsus in serm. B. Virginis: *Rectè Arca Sacramentorum Virgo Maria fuit intus omni custodia legis; & Manna fuit*; ac si diceret, totà mellea, tota suauis, tota misericordia referta, benignitatem spirans, vt nullus locus, hac misericordia sit vacuus nulli, hæc Virginis misericordia desit, quia arca pietatis, & gratiæ Maria fuit; sic eam in psalt. B. Virginis appellat D. Bonauent. *In Arca illa Virga erat, & manna, illa iustitiam, & seueritatem sonat, hoc verò misericordiam; & pietatem, & claudens in se Virgo misericordiam, iustitiæ Virgam non videtur habere*: Hoc pietatis manna, & Regis sedauit furorem, & Abiatar posuit in tuto, ne interficeretur: sed hodie non interficiam te, quia portasti Arcam Domini Dei mei: quid est Arcã portare, & illi humeros submittere? nisi ad Mariam accedere, illi humiliare, & illibus inniti, & confidere auxilio.

D. Idelphonsus. D. Bona.

Quicunque ergo peccator se sentit peccatorum sagittis vulneratum, & etiam morti addictum, & meretur audire, & quidem vir mortis es, quid timės, quid paues? Si portas arcam Domini Dei tui: potuit ne figura illa in tuto ponere Abiatar, & te non saluare figurata Maria, illa vmbra fuit, hæc veritas, cuius nomen Rosa, ad hoc interpretatur, & in illius primo folio ad hoc inscriptum, & insculptum gestat stemma illud, MATERNITAS.

Vt scias anima mea, tua non curari vulnera, nisi vnguentis vngaris, nec mortis euadere sententiam, nisi electuario conforteris ex hoc primo folio Rosæ nominis Mariæ contectis: Sisto hic verba pijssimi Cæsarij in lib. illustrium miraculorum B. Mariæ cap. 1. *Nomen eius, & memoriale eius morbos sanat, dæmones fugat, vincula soluit, tentationes compescit, & eiecti reuocantur ad vitam, quia apud ipsam electuaria sunt confortatiua, & vnguenta sanatiua*; hæc ille; & hoc est manna, quòd in se continet arca nostra Virginea compactum ex salubribus nostræ Rosæ folijs, quæ cum sint ad sanitatem languentium, & ad vitam capite damnatorum, qui si hisce fuerint vnguẽtis inuncti, & vitali hoc electuario confortati facilè reuiuiscunt ad vitam, & seruantur ad salutem; inquit D. Bonauentura par. 3. stimuli amoris cap. 19. *Non est (Mater misericordiæ) in hac vita quis adeò desperatus adeò miser, cui non impetret misericordiam salutarem; si ad tuum declinauerit regimen*.

Cesarius. D. Bona.

Quem ergo Virgo tegit, quem Mater respicit, quem hæc pietatis mater vnguento maternitatis primi folij inungit, et fouet, et electuario sui perdulcissimi nominis confortat, et roborat, & sanari necesse est: & non reuocari ad vitam impossibile; elicitur hæc veritas à D. Anselmo, qui Virginem sic alloquitur: *Sicut ò beatissima, omnis à te auersus, & à te despectus necesse est, vt intereat: ità ad te omnis conuersus, & à te respectus, impossibile est, vt pereat*; Cur hoc? nisi quia apud Mariam tantummodo sunt vnguenta sanatiua, & electuaria confortatiua ad vitam: cui veritati astipulatur ipsamet Virgo, *qui me inuenerit vitam, & hauriet salutem à Domino*, cum sit ipsa Rosa medicinalis ad vitam, & nimis efficax ad salutem.

D. Ansel.

Quàm efficax? vnico dicam verbo, & quidem omnipotens, quia videtur diuina; probatur hoc testimonio Diui Bernardini Senensis, qui de hac Virginis effica-

D. Bern. Senensis.

efficacia. *Sic fatetur, Maria plus potest de Deo, quā potest Deus de seipso*: & verborum eius hæc est ratio, quia ve vulnera peccatorum sanet Deus, & de peccatorum sepulchro peccatorem reuocet ad vitam: rogari necesse est, et multas præces fundere, et lacrymas; at si non rogatur, non sanat, non viuificat: imò ex iustitia morte duplici damnat; vbi verò ingreditur Virgo ad interpellandum, et enixè rogat pro quolibet peccatore, de ipsamet iustitia triumphat, et peccatori de Deo parat victoriam, illi noua auxilia impetrando: vulnera cuncta curando, dissoluendo eius vincula, et saluando etiam morti addictum.

Quandoquidem triumphus non datur, nisi deuictis primò in bello inimicis, nec vnquam bellum gerit Deus, nisi contra eos, qui illi resistere contendūt, et Deo soli debetur Triumphus, et palma victoriæ, cum scriptum sit in lib. Esther cap. 13. *Tu fecisti cœlum, & terram, & quidquid cœli ambitu continetur, Deus omnium tu es: nec est, qui resistat voluntati tuæ*: Virginis autem intercessio tantæ virtutis est, quòd sola diuinæ valet se opponere iustitiæ, et triumphare de Deo; Sisto hic verba pijssimi Vgonis Victorini in libello de charitate. *Pudeat hominem tibi resistere, ò Maria, cum te videat etiam in Deo triumphare.*

Esther.

Vgo Victorini.

En in Virgine quam clarè elucet, et radiat omnipotentiæ, et diuinitatis radius; vita enim eius licet tota fuerit portentosa, tamen innumerabilium tot portentorum, quòd sit maximum, fatetur idem se ignorare, dum subnotauit, nescio an forte maius sit, te Deum dicere, aut Deum superasse.

Duo quippè hisce verbis conatur nobis præmonstrare, omnipotentiam Mariæ, et lacrymabilem, et miserum statū peccatoris; Peccator enim peccatorum suorum culpa fit Deo odibilis, Angelis execrabilis: Sanctis inimicus, et creaturis omnibus detestabilis: quoniam miser peccatis suis cuncta lacessit; quid mirum si cælestia, & terrestria armantur contra eum? Offensa enim opponitur gratiæ, et gratia priuatus cælesti dispensatione: sic flagitante inimicus cōstituitur, non vnius tantum in quem peccat: sed omnium electorum Dei, omniumque creaturarum etiam insensibilium; peccatoris offensam, quam ipse infert Deo, suam, et propriam [existi]mant, tum illi spiritus Cœlorum, tum cuncta creata.

Percurramus singula; quod ad hominem debellandum, cùm contra Deum suum peccare conspiciunt illa agmina Angelorum: testis est Filius ille prodigus, qui dissipata omnium bonorum suorum substantia, pęnitentia ductus dixit, *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in Cœlum, & coram te*: cur in Cœlum se peccasse confitetur, nonnè ei satis erat dicere in Patrem peccasse? *Non quidem*, respondit D. Titus Episcopus Botrensis, *quia tunc vidit Choros Angelorum lanceatos, armisque præcinctos contra se paratos ad bellum, & ad faciendam vindictam peccatorum suorum; idcircò timore perterritus exclamauit, Peccaui in Cœlum, hoc est contra Angelos: Heu secus firmamenti faciem metuit*, inquit Sanctus, *atque accusatoris cuiuspiam voces; ac si diceret nō accusatoris duntaxat funguntur officio illi spiritus Cœlorum, sed tamquam bellatores fortissimi armisque præcincti ad vltionem insurgunt inimicorum Dei.*

Luc. 15. cap. 15.

D. Titus Episcop. Botrens.

Et quòd accidit Angelis, hoc idem Sanctis omnibus, inquit D. Chrysostomus in psal. 48. admirans, cur prudentes illæ quinque Virgines, fatuas à Regno Dei, & cęlesti illo Sponsalitio exclusas antequam excluderentur non adiuuarunt? Non intercesserunt, & sponsum ipsūm non pro eis interpellauerūnt? Sed clausa eis salutis ianua, absque vllo adiutorio foras fuerunt eiectæ? et à sanctis Virginibus, Virginibus negatum est oleum auxilij, & intercessionis: *Notæ erant*, inquit Sanctus, *Virgines Virginibus, sed nihil eis iuuit ea familiaritas*: Cur hoc, ò anima mea? Nisi quia Dei offensa, Sanctorum est iniuria, & Dei iam constitutæ inimicæ, ad faciendam vindictam: & non in eorum auxilium prudentes Virgines insurrexerunt.

D. Chry. psal. 48.

O infelix, et lacrymabilis peccatoris status, dum contra eum, et Cœlum armatur, simul et terra; hoc annotauit sacer tex. in Sap. cap. 5. *Et accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum*; quòd facto probat Isaias Proph. cap. 37. Rex erat Sennacherib sed Idolatra, blasphemus, et Dei inimicus, et dum Idolo suæ deuotionis thura offert in templo, à filijs gladio percussus interijt. *Factum est*, inquit

Sap.

inquit

Isaias. Proph. inquit Proph. *cum adoraret in templo Nesroch Deum suum, Adramelech, & Sarasàr filij eius percusserunt eum gladio*; insurrexerunt filij contra patrem, eorũ manus armauerunt, et mouerunt ad vindictam, vt occiderent eum gladio; Si cuncta creata, Creator ipse, Angeli eius et Sancti omnes armis validis bellantur, & armantur ad vindictam contra peccatorem: quis ei effugij locus? Et quæ spes salutis relinquitur? vt possit saluari? Quæ Apotheca aromatum, & vnguentorum officina, vt à peccatorũ suorum vulneribus valeat curari? sanari, & ad vitam resurgere? sola hæc nostra Rosa Virginea, sic respondere mihi videtur D. Petrus Damianus in serm. de
D. Petr. Damian. Natiuitate Virginis Mariæ, quando sic Virginem alloquitur: *Scio benignissima Domina, quia amas nos amore tuo inuincibili.*

Humanus amor facilè vincitur nunc elongatione, vel absentia: quæ obliuionem sæpè inducit in corde amantis, nũc superatur iniuria, quæ vt plurimum amorem mutat in odium ad vltionem: nunc retunditur zelotypia, quæ non patitur, vt alter potiatur eo, quòd ipse concupiuerit; Solius Virginis amor inuincibilis est, non euincitur absentia, quia licet peccator proficiscatur in regionem longinqnam, & dissipet cuncta bona sua spiritualia, ita vt deuotionis suæ, quam habebat in Virginem oblinisca tur: Virgo tamen semper benedicta peccatoris non obliuiscitur, quin apud Deum pro ipso interpellet.

Zelotypia laborare cor Mariæ quis ignorat? quæ neminem sustinet in partem amoris admitti, at quando peccat homo, amorem, quem vni Deo, & soli referre debet, transfert ad creaturas, hanc offensam, qua Deus offenditur, præ amore, quo plusquam seipsam Virgo Deum amat, stans ipsa à Deo, vt propriam, & suam adiudicat, & quasi pari affici iniuria: O cor amabile, ò pietatis viscera tantæ Virginis, damna, quę peccata inferunt peccatori, ac si essent sua, contorquent præcordia tantæ matris; idcircò non deserit, vt sua facinora merentur, ne damnetur, sed ei patrocinatur, non derelinquit ne intereat ipse; & sanguinis prætium filij sui, quo redemit ad salutem, & vitam, mederi potius curat, vt sanet, viuificat, vt saluet, Sanctis, & creaturis omnibus se opponit, nec cedit Creatori, imò gloriatur triũphare de Deo.

Nocte integra luctabatur Iacob cum Angelo, qui Dei Verbum erat in persona, & nocturna perseuerante palestra, hic victor erat, ille victus claudicabat, at vbi aurora cæpit illucescere, illucescere visa est in adiutorium victi hominis, quem sua luce de victo fecit victorem, & victorem Deum reddidit victũ ab homine claudo, cui vt victus Deus vincenti homini se commisit, & pacisci postulauit inducias, quando rogauit; *Dimitte me iam enim ascendit aurora:* Genes. cap. 32.
O Deus omnipotens, ò Deus animæ meę, vincebas in nocte, & nunc vinceris in aurora? quid est hoc? D. Thomas in D.Tho.
Genes. & Oleaster in Pentateuc. c. 32. Oleast. in Pent.
respondent, quòd hæc palestra præsignabat bellum, quod peccati nocte perseuerante geritur inter Deum & hominẽ, & istius belli triumphus non ascribitur Deo: non homini peccatori, sed Mariæ, quæ veluti aurora consurgit in auxilium hominis victi, cui non cedit Deus, vt suo victori: sed auroræ victrici; Certus erat Deus de victoria, at vbi in auxiliũ hominis consurgere vidit aurorã Virginis, symbolum exclamare cœpit: *dimitte me*, respondet D. Bernardus.
Scimus, & credimus ò Domina, quoniam te pro nobis orante, filium tuum: cæteri omnes Sancti; Te verò tacente nullus orabit, nullus iuuabit; Si deficeret Mariæ intercessio, & auxilium, quis saluabitur? D. Bern.
quũm ipsa sola omnibus præualet Sanctis, imò triumphat de Deo, quia amat nos amore suo inuincibili; hinc est, quòd hominem à Deo in mortem damnatum, ab Angelis desertum, à Sanctis derelictum, & à creaturis omnibus insectatum ad interemptionem sola Maria protegit, defendit, & saluat confortum electuarijs ex primo folio sui perdulcissimi nominis Rosæ, & vngnentis ex eodem folio confectis medetur, curat vulnera, & sanat, ò vis quasi diuina, ò efficacia omnipotens nostræ Rosę virginei nominis: hoc attendens D. Damascenus D. Dam.
in serm. de dormit. Virginis eam salutando dicebat: *Aue vnicum mœstorum leuamen, Aue omnium dolorum cordium medicamentum.*

Si in te ò Maria sunt electuaria confortatina, & vnguenta sanatina: sana me Domina mea, & sanabor; saluum me fac, & saluus ero, quoniam tu sola salus

mea es, & totius orbis terræ conſerua- trix, tribulatorum tu ſola conſolatrix, fida tibi famulantium defenſatrix, per te peccatores illuminantur, deſperati ad confesſionem reparantur, Apoſtatæ à Deo ò pietatis mater mirabilitèr con ciliantur: iuſti conſolationibus replentur, & conſolantur; Nomen tuum, & me moriale tuum morbos ſanat, vulnera curat, vincula ſoluit, timores pellit, dæmones fugat, & vincit; tentationes com peſcit, puſillanimes confortantur, torpentes excitantur, eiecti miſericorditèr reuocantur, tu diligentes te diligis, & honoras, & coronas, mortuos ad vitam vocas, totum hoc, quia amas nos amore tuo inuincibili.

Si tot, & talia beneficia proueniunt nobis ò Maria ex Roſa tui perdulcisſimi nominis, ſit nomen tuum mihi protectionis murus; ſint, & ad mei ſalutem duo vbera tua turris ad nutriendum, lactandum, & protegẽdum: Sentiat anima mea eius dulcedinem qua dulcorata ſit filia, & hæres: guſtet eius fructum, quem ſub maternitatis nomine in hoc primo folio legit: ſapiat, nihil aliud legat, nihil ailud in corde, pectore, & ore portet, nihil aliud intelligat, niſi hoc donum, & matris priuilegium.

Quòd et vt ſcriptum legit in folio tui nominis, ſic reſeratũ ſemper habeat in corde ſuo: vt hoc tuum nomen nũquam laudare ceſſet.

Benedictum ſit ergo nomen tuum in æternum ò humilis Virgo Maria, mater Ieſu filij Dei mei: te pręcor ò Maria monſtra te eſſe matrem, et miſerere mei: quoniam in te ſola confidit anima mea; vt ſic tuo protecta muro, tuis enutrita vberibus, in hora mortis mereatur cum Angelis te laudare, et benedicere. Amen.



DE

DE SECVNDA LITTERA, A, inſcripta in ſecundo folio Roſæ nominis Mariæ cum ſua inſcriptione ARCA FOEDERIS.

RAMVSCVLVS DVODECIMVS.

Poſt velamentum autem ſecundum Tabernaculum, quòd dicitur Sancta Sanctorum aureum habens thuribulum, & Arcam teſtamenti circumamictam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti.

Diuus Paulus ad Hebræos cap. 9.



Eſperè, manè, & meridiè, & quòd meditationi quidem aptius eſt atque dulcius in ipſomet noctis ſilentio ſenſibilibus cunctis vndequaque ſenſuum exteriorum intercluſis foribus, tota in re ipſa collecta, & ſurſum agitata ſpiritu: contemplare, ò anima mea, hanc nominis Mariæ pulcherrimam Roſam ſuauiſsimi odoris, in cuius folio poſt primum; en quam perbellè digito Dei exculpta emicat littera, A, cum ſua inſcriptione ARCA FOEDERIS, non illa quidem in qua, vt docet Apoſtolus Paulus; vrna erat aurea, habens manna, virga Aaron, & tabulæ teſtamenti; ſed concinnè Virginis arca, cuius vetus illa præceſſerat, vt typus, & vmbra.

Vmbra ſua ligno imputribili, quo erat compacta, eratque incredibilis leuitatis, & pulchritudinis, arcæ Virgineę obumbrans impeccabilitatem, & incorruptibilitatem, hanc impertiens Deus corpori, quòd communem pulueris nũquam ſenſit corruptionem, illam animę diuino munere, & priuilegio ſingulari. Nec mirum ò anima mea, quoniam ſi veteri arcæ, & inanimatæ, ex eò, quia ſeruari debebant tabulæ legis, virga Moyſis, & manna, quòd pluit de cœlo filijs Iſrael, donata fuit immunitas à corruptione, multò magis referri hæc à putredine libertas par erat ad arcam noui teſtamenti, quę intra ſui vteri clauſtra virginea ferre debebat non legis tabulas, ſed Deum legiſlatorem, non portentoſam Aaronis virgam, ſed omnipotentis Dei fortiſsimum brachium, non manna è Cœlo delapſum, ſed Verbum deſcendens à regalibus ſedibus.

O Maria, ò verè ARCA FOEDERIS tantò veteri illa ſanctior, locupletior, ſublimior, capacior, & altior, quanto in aluo tuo virginali concluſiſti, & conſeruaſti illum Diuinitatis theſaurum; vndè canit Sancta mater Eccleſia: *Beata mater munere, Cuius ſupernus artifex, Mundum pugillo continens, Ventris ſub arca clauſus eſt.*

O verè ſacra mei ARCA FOEDERIS, te adoro, te benedico, te qua poſsũ deuotione ſpiritus intimè veneror, teque toto cordis affectu ſaluto. AVE ARCA in qua Dominus Ieſus cùm figmentum manuum ſuarum per te à lapſu reparaſſet (ob cuius ruinam intimis viſceribus angebatur) & hinc etiam erexiſſet requieſcens, in ſuam ſurrexit requiem: hinc meritò vnanimes cuncti Sancti Patres veteri illa cum Arca te com-

componentes sub Arcæ nomine dininis laudibus te prædicant, & extollũt. Arcam quid? inquit D. Ambrosius serm. 80. *Nisi Sanctam Mariam dixerimus*: siquidem intrinsecus portabat illa testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti gestabat hæredem, illa intra semetipsam legem, hæc Euangelium retinebat, illa Dei vocem habebat, hæc Verbum: verumtamen Arca intus, forisque auri nitore radiabat; sed, & Sancta Maria intus, forisque Virginitatis splendore fulgebat, illa terreno ornabatur auro, ista Cœlesti. D.Ambr.

D. Greg. Thauma. Diuus Gregorius Thaumat. orat. de Annunciat. B. M. Virg. *Verè Arca est Sanctissima Virgo Maria intrinsecus, & extrinsecus deaurata, quæ vniuersum sanctificationis thesaurum suscepit.*

Illa vetus Arca figura fuit hæc vero veritas; sic testatur D. Hieronym. scribens ad Eustoch. Virg. epist. 22. *O za Arcam, quam non licebat tangere, attingens, subita morte prostratus est, neque enim vas aureum, vel argenteum tam charum Deo fuit, quam templum corporis Virginis, præcessit vmbra, nunc veritas.* D.Hiero.

Præcessit illa, vt vmbra tum in lignorum materia imputrabilium, & figura, tum in contentis in ea, in gloria, honore, veneratione, sanctitate, & decore, tum in portentis, prodigijs, & factis, tũ opitulatione, & auxilio; nam, vt testatur D. Athanasius in lib. de interpetratione psalmorum ad Marcellinum: Populo Hebræo data fuit Arca fœderis in auxilium, & patrocinium in cunctis necessitatibus, & rebus difficilibus, & arduis, & sic dicit Sanctus: *Si bellum populo ingruebat, ARCA, in qua erant tabulæ legis ante omnes præcedebat, hoc sufficiebat illis pro quauis acie in subsidium, nisi in Baiulis, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis hæreret*, & addidit Sanctus, *sed fide, & sana affectione opus esse, vt lex nostris operibus componetur, legis enim transgressores nec legis Arca turbatur*. Victo enim prius populo ab alienigenis captam quandoque legimus Arcam, quæ amabilis lætitiæ, & victoriæ causa erat Hebræis, qui erga Arcam magna religione affecti erant, & in eam spem, & præsidium collocabant, Philistijm & hostibus terribilis atque formidabilis; præsente Arca Deum sibi propitium populus Israeliticus arbitrabatur, sicut ea absente existimabat sibi D. Ath.

habere iratum, erat illi Arca fœderis omnium bonorum thesaurus, dum ex illa diuina oracula capiebat, diuina auxilia ex illa illi procedebant, & ex illa illi diuina misericordia fulgurabat. O anima mea, ARCA, quæ vmbra, & figura erat, sufficiebat illis pro quauis necessitate in subsidium, & auxilium, quanto magis erit tibi Maria, quæ huius figuræ veritas est: eius sua præsentia, & meritis, & præcibus potentior, & efficacior ad tibi patrocinandum, & subueniendum in omni tua necessitate?

Si vt dicit D. Bernard. in serm. de verb. Apocal. *Maria omnibus omnia facta, sapientibus, & insipientibus copiosissima, charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi*; itaque non est in cœlo, neque in terra, neque subtus terra creatura aliqua misericordiæ huius Virginis manna perguftatura ad illam non accedat, non confugiat. Audiamus eundem Sanctum in sermon. in die Pentecostes, sic habet: *Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad Arcam Dei sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis: illi qui sunt in cælo, vt resarciantur, & qui in inferno, vt eripiantur, qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur, qui sequuntur, vt glorificentur ex hoc ergo beatam te dicunt omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam, & gloriam genuisti: in te enim Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum; meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te, benigna manus omnipotentis quidquid creauit, recreauit*: hæc D. Bernardus. D. Bern. D. Bern.

Ad te ò spes vnica cordis mei, ò mystica FOEDERIS ARCA confugit misera anima serui tui, vt huius folij Rosæ perdulcissimi nominis tui odore perfusa, sentiat eiusdem suauiolentiam, & eiusdem perguftet dulcedinis manna, quòd contines, & es, manna, inquam, tuæ pietatis, tuæ misericordiæ, tui auxilij, protectionis, & salutaris patrocinij: ò misericordiæ, ò benignitatis mater, charitatem, & tuę misericordiæ manna, veluti alumnas tuas tuis foue vlnis: de te sic fatur D. Anselmus: *Maria non solum* D. Ansel.

lum misericordia mater;sed & nutrix,& altrix misericordiæ , & pietatis semper extitit; in cuius corde semper viguit amor,benignitatem,& beneficentiam in nos per seipsam exercere, iuxta illud
D. Bern. Diui Bernardi : *Nihil nos Deus voluit habere, quod per manus Mariæ non transiret*; ad hoc effecta est Arca fœderis, vt tibi prestò esset in auxilium, & protectionem,& tu libares suæ subuentionis, & suæ misericordiæ manna dulcissimū, præmonstrat tibi Apostolus,quòd Deus in secundo folio sui perdulcissimi nominis Cęlo digiti sui cęlauit admirabili cęlatura sub figura, A,cum sua inscriptione

ARCA FOEDERIS in qua est vrna aurea habens manna,virga Aaron,& tabulæ testamenti : Beata Virgo Maria ab Arca veteris testamenti nomenclaturam sortita est, proprietates, & effectus, & quam merito nomen Arcæ fœderis sibi dignè vendicat , velim anima mea,vt & tu primò attendas ad illam , quæ hanc præcesserat vt vmbra, de qua
Ioseph. differens Iosephus in lib. 3. antiquit. cap.6.& perquirens; quare in pluribus locis Sacræ Scripturæ dicatur illa Arca fœderis,vt in ea seruarentur duæ tabulæ legis,quas Dominus dedit Moysi, & inde dicta est Arca fœderis, quòd in ea esset lex per quam Dominus fœdus pepigerat cum Hebræis , se fore eorum Deum,& eis benefacturum,si legem ser-
Exod. uarent,sic legimus in Exodo cap. 24. *Scribe tibi verba hæc,præcepit Dominus Moysi,quibus tecum & cum Israel pepigi fœdus.*

Est ergo fœdus pactum , promissio, seù obligatio,qua duo licet diuersi contrarijque sint ita simul,& ad inuicem confœderantur,quòd vnum & idem afficiuntur, & hoc signantèr perficitur per communia matrimonia : Deus benedictus , & homò peccato contrarij sunt,& diuersissimi conclamante Sacra
Ecclesia. Scriptura in cap.12.Eccles.nu.8. *Quoniam, & Altissimus odio habet peccatores,& impijs reddet vindictam*:vt exploratum est tempore Noè,in quo postquā Deus ob peccata totius massæ corruptę mundum, & totum genus humanum sepelisset aquis diluuij . O Deus amor, & ineffabilis bonitatis, pepigit fœdus cum homine,& in signum fœderis sempiterni arcum posuit inter ipsum, & terram ; quòd non amplius , vt seuerus

Iudex vlcisceretur, nec iterum seuiret , vel aquis deleret hominem,vel puniret vt vindex,& corrector;sed parceret potius,& misericordiam effunderet,vt mitis,& misericors ; vndè dixit : *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me,& inter terram,cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit Arcus meus in nubibus,& recordabor fœderis mei vobiscum , & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuersam carnem.* Genes. cap.9.

Cur, qui paulò ante iratus in homines rebelles,& sibi inimicos ; ità seuerè perdidit diluuio sic vniuersali , modò mansuescit,pacificitur, & omnia bona sua dat pignori , ac si nasciturì non essent futuri tantæ maiestatis,& suæ diuinæ bonitatis hostes , & rebelles , pacto decernit , & conuenit ; quando enim fiunt pactiones , solet quilibet contrahentium manum alterius tangere , vel percutere in signum confœderationis , & quod fœdus iam contractum debet firmitèr teneri,& obseruari ; Deus, qui verax, & fidelis in omnibus verbis suis misericordiam pollicens, et benedictionem præstans,fœderis firmitate firmare complacuit : dicens : *Arcum meum ponam in nubibus , & erit signum fœderis inter me & terram.*

Quòd tunc quidem factum est,quando Arcum Dei,qui est Verbum patris, in nubibus auli Virginalis, & viscerum Mariæ Virginis posuit Deus Pater,celebrans cum natura humana diuinum illud connubium; quo Deus , et homo hypostatica illa vnione ità simul sunt ad inuicem confederati; tunc percussetunr manum ad manum, manus etiam nomine in scriptura sibi vendicat Verbum Patris.

O Dei mei mira circa nos tuæ bonitatis dignatio;quòd Deus factus est homo;vt faceret hominem, Deum:perbellè cecinit hoc D.Gregorius Nanzianz. D. Greg.
orat. 40. *In sancto baptisma et Virgine Maria progressum totum hominem , eundem & Deum pro toto homine læso , vt tota peccati condemnatione rescissa , tibi toti saluti afferat,impatibilem diuinitate, patibilem assumpta humanitatis ratione , tantum hominem propter te effectum , quantum tu propter illum Deum efficieris*: hæc ille : et fędus hoc adeò perpetuum inter Deum,et hominem ligatum est, et amor adeò perpetuò combina- Nanz.

tus,

tus, et obligatio mutua interiecta; quod nusquam dissolui potest.

O indissolubilis confederatio Dei, et hominis; ò fędus verè diuinum, vt confederati eadem gauderet communione bonorum, et æqualitate attributorum, quam æqualitatem adstruere voluit Deus ipse, quando dixit: *Hoc erit signum fœderis inter me, & inter te*, ly, inter, est propositio, quæ ligat duos diuersos terminos, et ad æqualitatē reducit; et ità ligat, et obligat; quòd si vnus est pauper, sit et alter, si vnus diues, sit & alter, cōfęderationis lex, hęc est, vt inter confęderatos sit ęqualitas, et bonorū D. Bern. cōmunitas: audi de hoc D. Bern. serm. ad milites templi c. 11. de sepulchro. *Diues cum esses propter nos egenus factus est, de magno paruus, de excelso humilis, infirmus de potente, quòd esuryt, quòd sityt, quòd fatigatus est in itinere.*

D. Greg. Nanz. Et D. Gregor. Nanzianz, orat. 1. in Pascha: *Pauper*, inquit, *factus est Christus, vt nos illius paupertate ditescamus, serui formam accepit; vt nos libertatem recipiamus; descendit, vt euehamur, tentatus est, vt vincamus; contemptus est, vt nos gloria afficiat; mortuus est, vt seruet; ascendit, vt ad seipsum trahat humi pro-* Paul. Ap. *uolutos in peccati lapsu*: quod paucis illis verbis expresit Paulus 2. Corinth. cap. 8. n. 9. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi; quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.*

O verè fęlix confederatio, ò fędus verè cęleste, & diuinum inter nos contractum, & Deum in abaco vteri Virginalis: si vetus Arca illa, quæ fuit huius noui testamenti vmbra, dici meruit, & appellari ARCA FOEDERIS, eò quia in illa erat lex, per quam Dominus cū Hebræis pepigerat fędus, se fore eorum Deum, & eis benefacturum; quantò magis, & verius hoc fęderis Arcæ nomen adscribitur Mariæ, quæ non tabulas legis, & in vmbra; sed in veritate portauit ipsum Verbum Patris, ipsummet legislatorem qui, vt docet ipse est pax nostra, qui facit vtraque vnum inimicitias soluens in carne sua factus homo, & mortuus pro hominibus inimicitias & peccata dissoluit, aboleuit, & de medio tulit: ò quoties Deus seuiret in nos, & suæ diuinæ iustitiæ aquis absorberet nos qui toties fœdus confregimus cum Deo iam contractum, iustè seuiret, meritò deleret nos, atque puniret, nisi præstò adesset Maria, quæ vt ARCA FOEDERIS data est nobis in signum reconciliationis, pacis, clementiæ, & misericordiæ: in signum fœderis iam initi cum Deo, & genere humano, in suo vtero, hoc fœderis signum, vbi apparuerit, misericordiam obtinet, & effundit: *Erit* Genes. *Arcus in nubibus*, dixit Deus ipse, *& videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni quòd pactum est inter Deum, & omnem animam viuentem vniuersæ carnis*: Genes. c. 9.

Vis anima esse secura à diluuio æternæ damnationis, & quod te non inuoluet Diuina iustitia aquis diluuij: en ARCA FOEDERIS pralibati, in cuius brachijs posuit Deus velut in nubibus benedictum filium suum, imò Pijsimus Bernardinus de Busto p. 9. serm.: de exempl. 10. Virginem ipsam vocat Arcum: *Ipsa Beata Virgo est Ar-* Bernard. de Busto. *cus fœderis sempiterni positus in nubibus cœli, ne interficiatur omnis caro, nam illa nobis illum genuit, qui facit vtraque vnū.*

Vbi malorum ingruet inundatio & tentationum inundauerit diluuium; en anima mea ARCA FOEDERIS in cœlo iam euecta, & exposita in nubibus cœli, in conspectu Dei locata est, & in Throno Maiestatis Diuinæ, vt recordetur Deus testamenti sui, & Fœderis, quòd pepigit tecum, vt vltrà non sit diluuium dissipans terram, sed Arca Fœderis præstans misericordiam; esto tu memor Fęderis, quòd in baptismo, & in tua professione cum Deo, & ipsamet Virgine pepegisti, quando dixit; Ego Frater Bernardus voueo, & promitto Deo omnipotenti, & B. Mariæ Virgini, B. Patri Francisco, & omnibus Sanctis toto tempore vitæ meæ seruare regulam, & vitam Fratrum minorum. Tene firmitèr Bernarde fędus, quòd pepegisti, serua quòd vouisti, inhære promissis, quæ iurasti, exequere, quæ promisisti, solue debitum tuæ confederationis, noli irrumpere, ne li lacerare, ne, & tibi iure frangatur, & fides rumpatur, & fœdus, noli denique fallere fidem; si vis huius Arcæ Virgineæ degustare dulcedinis misericordiæ, & sui patrocinij manna: serua fidelitèr, quæ vouisti si vis Mariæ frui manna: nam ij soli perfunduntur dulcedine, & satiantur manna, qui Dei seruant mandata; in Arca erat manna, & lex, non enim manna fine lege,

ge: nec eris tu anima mea vera, nec fidelis Mariæ serua, si ab ea tantum manna quæris, & tabulas legis non tenere, non custodire, nec viuere, tene per custodiam in corde vitæ huius Virginis tabulas legis, & manna pergustabis suæ pietatis, & misericordiæ.

Idcircò, ô pietatis mater, ô viscera misericordiæ ad te, qua potest sollicitudine, affectu, & timore recurrit, & confugit misera anima mea, heu mater, eia fons pietatis, tua hac misericordia peccatrici animæ serui tui peccatorum suorum impetra veniam, infirmæ medelam, pusillanimæ robur, afflictæ consolationem, naufraganti adiutorium, periclitanti salutem, dùm tanta misericordia affluis, & redundas, nec mirum, si ipsammet misericordiam peperisti, & tuis vberibus lactasti, & lactando ab eo, qui Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis est, misericordiæ vbera accepisti, hinc non potes miserias miseræ animæ scire, & tuis misericordiæ vberibus eam non subuenire, & lactare, nutrire, & subleuare; huius veritatis: En Ioannis Euangelistæ testimonium, scribendo nobis nuptiarum illud lautè conuiuium: ad quòd fuit vocatus Iesus, & discipuli eius, aderat simul, & Maria, & in celebritate tam solemni inter deliciarum copias, & noui illius spõsalitij fœlicitatem, quia huius mundi erant, subitò se immiscuit infœlicitas, & & inopia, & amaritudo ex vini defectu: ait Euangelista: *Deficiente vino dicit Mater Iesu, vinum non habent;* Conuiua sedebat, & aduocatæ officio fungitur: quis te prior, ô Beata ad orandum exorauit, & ad impetrandum, & ad miserandum impulit? quis te ad illas miserias subleuandas induxit, ô Benedicta.

D. Bern. Respondit D. Bernardus serm. 1. in Dominica post Octauam Epiphaniæ. *Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas: quid mirum si pietatem exhibent viscera pietatis intus Maria habet miserrordiæ affectũ: quòad subleuandas miserorum miserias impellebatur; non indigebat externa præcatione ad misericordiam præstandam: ideò non rogata erogat, non præcata præstat; non exorata subuenit, quia non potest miserorum miserias videre, & scire & non subuenire.*

Præsentem habebat filium, præter quem, præ nimio amore, quo ardentius amabat, in illum solus Virginis animus ferebatur, delectabatur, iucundabatur, intuebatur, & solo fruebatur; at vbi in arca cordis sui ingressa fuit Columba, deferens ramum oliuæ, virentibus folijs: & inundantibus miseriarum vndis, tota ad illorum miserias subleuandas conuersa est mater misericordiæ, filium obstriuxit precibus suis, & ministris pia, & præceptiua exhortatione, quodcunque dixerit vobis facite: *mos hic erat Virginis;* ait D. Ambrosius lib. 2. de Virginibus; *Eos solos cœtus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret; neque præteriret verecundia:* Et subdit Diuus Germanus homilia de Zona Virginis? *Quis post filium tuum curam gerit generis humani? Sicut tu? Quis ità nos defendit in nostris afflictionibus, sicut tu?* Et Diuus Idiota in prologo suarum contemplationum; hunc Virginis Mariæ mentis gressibus ingrediens misericordiæ thesaurum: sic ait; *Sæpè, quos iustitia filij potest damnare, matris misericordia liberat; quia thesaurus Domini est; & thesauraria gratiarum ipsius.* D. Ambr. D. Germ. D. Idiot.

Quę doctrina clarius apparebit si attente attendamus ad Virgines illas: quę exierunt obuiam sponso, & sponsæ; scribit enim Euangelista Matth. cap. 25. *Quòd moram faciente sponso; dormitauerunt: & dormierunt omnes;* si illarum occursus fuit obuiam ire sponso, & sponsæ; si sponsus & sponsa simul & pariter expectabantur; cur de solo sponso facit mentionem; quòd moram faceret: sponsæ verò nec festinationem; nec tarditatem ascribit, nec meminit, *Distinguamus:* ait Idiota Sanctus *Christi; & matris Mariæ munus; & officium:* Filij munus est, & solius ipsius singulare, iustitiam exercere, & iudicium facere: ipse enim constitutus est Iudex viuorum, & mortuorum: & vt suo fungatur officio, tamquam Iudex aliquando tardat: & meritò moram facit, vt iustè iudicet: at Mariæ quæ Christi vera sponsa est, & mater, vt matris misericordię fungatur, & ipsa officio, non expectat, non moram interponit, vt anima citò illi occurrat, & obuiam procedat, sed illa potius semper præoccupat, præuenit, præcurrit illos, qui se desiderant, ipsa obuiat illis, qui eam inquirunt: de Maria Virgine sunt verba illa Sapientiæ cap. 6. *Præoccupat, qui concupiscunt, vt illis se prior ostendat:* Nemo tanta celeritate, nec animo sic sitienti ad illam aspirat Matt. Eu. D. Idiot. Sap.

N

pirat,& anhelat, quanta festinatione, sollicitudine, & amore ipsa velocior præcurrit ad audiendum, ad miserendum, ad subleuandum, sui muneris est, cum sit mater misericordiæ misericorditer misereri; vbi filij est iudicare, & punire, quia Iudex.

Si Virgines illæ fatuæ errauerunt à portu salutis æternæ, & à consortio cæterarum exclusæ, & ab æterna sponsi mansione repulsæ, & ab ipso sponso cognitione approbationis minimè cognitæ, & salutis ianua illis fuit æternaliter clausa, damnationis earum exordium ex hoc quia non sumpserunt oleū secū.

Proh dolor, & lacrymabilis miseria tot virginitatis laboribus, Virginis enim erant, & salutis lumen; vt, & sponsi ingrederentur thalamum retinere non valuerunt, solum quia oleum misericordiæ contempserunt sibi parare, & quærere, quando necesse erat, & tempus opportunum expostulabat, non sumpserunt oleum secum.

Oleum in Scriptura sacra idem sonat, quòd misericordia: *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti*, ait Sapiens in Prou. cap. 21. hic misericordiæ thesaurus, Maria est, in qua veluti in Arca fœderis, hoc Deus seruat manna: dum Virgines illæ non sumpserunt oleum secum, lacrymantibus illis, & orantibus: *Domine Domine aperi nobis*, sponsum alloquuntur: ideò *nescio vos*, sponsi fuit responsio: verè fatuæ, ad Iudicem inclamauerunt cuius est omnia strictè rimari, & iudicare iustè, si quādo inclamauerunt Domine Domine, inclamassent Domina Domina aperi nobis.

Prouerb

Nec repulsam illam passæ essent, nec vocem illam asperitatis audissent, nec illis ianua fuisset clausa, quia misericordiæ mater est, & non potest miseris non commisereri, & quos iustitia filij non saluat, matris misericordia, & Virginis pietas, vtique saluaret: audi anima mea D. Anselmum lib. de excell. Virg. cap. 6. *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariæ, quam inuocato nomine Iesu filij eius.*

D. Ansel.

Si Dominam inuocassent, quando viderunt ianuam Regni Cœlestis clausā, & non Dominum, vtique filij iustitiam matris misericordia temperasset, & ipsæ saluæ, & à Regno sponsi non exclusæ. Addisce ex his anima mea esse & tu, vna de numero prudentum; en tempus opportunum, sume tecum oleum, & si ianua videtur tibi clausa, inclama ad matrem misericordiæ, quia ipsa est thesaurus misericordiæ Dei, & thesauraria gratiarum illius.

O salus animæ meæ, ò verè thesaure desiderabilis cordis mei; esto mihi tu Maria; esto tu Rosa pietatis, & fragantia, & odore huius secundi folij fiat mihi aperta, propatula via ad saluandum, & ianua aperta ad salutem.

Quæ anima fidelis ad hanc pulcherrimam Rosam nominis Mariæ quantocius non aduolaret, vt mel dulcoris eliciat, & dulcedinem gustet ex hoc secundo folio; quòd si figuram in illo figuratæ litteræ attentè, & deuotè inspiciēdo contemplaris, ò anima mea, omniū cœlestium gratiarum colore coloratā, figuratam, exornatam, refertam eam reperies, dum omnia diuinæ pietatis dona in se continet, & seruat, vt in te effundat, vt te repleat, vt te saluet; si ergo Dei amore repleri desideras, si Dei gratiam habere, si salutis viam aberrare times, ad Virginem propera, ad ipsam accede ad folium Rosæ huius nominis euolare festina, & mannæ dulcedinem, & saporem suauitatis pergustabis, cum sit mater misericordiæ, simul, & Dei genitrix apud Iudicem Deum, quem aduocatum efficaciorem potest tua mortalis infirmitas mittere, quàm matrem?

Rege Dauid iam defuncto, & in Regem post ipsum coronatus Rex Salomon, dum sederet hic in folio patris sui, Adonias captus amore Abisag Sunamitidis hanc in vxorem habere ardentèr flagrabat, & licet fraterno amore (erat enim Regis frater) ad Regem haberet ingressum, nec Regem adire ausus est, nec hanc suam petitionem illi aperire; sed vt securius, & certius pertingeret ad quòd peroptabat, ingressus est ad Bersabeam matrem Salomonis; & sic rogauit eam: *Precor te, vt dicas Salomoni; neque enim negare quidquam tibi potest, vt det mihi Abisag Sunamitidem vxorem.* 3. Reg. c. 2. n. 17.

Amicos, & seruos fidelissimos, et intimos habebat apud se Rex Salomon, et ad nullum illorum adindicauit adire Adonias; nisi ad matrem: apud filium enim nullius intercessio tam efficax; nullius petitio ita potentior; vt petitio materna.

Maria Virgo mater est Regis Chri-

fti: quid mirũ, si Abisag Dei gratię copulari, et desponsari ardẽter cupiẽtes præoptantes; vt securè, et certisimè absque repulsę timore copulentur, non ad quẽlibet seruorum in cęlesti illa curia Deo adhærentium, et cui deseruiunt millia millium, adire seu confugere: vt petitionis suæ consequãtur effectum; videmus sed solum ad Mariam; vt ad matrem Regis, neque enim illi quodcunque rogauerit, negare poterit. En D. Bernardi testimonium serm. 4. de Assumption. *Sileat misericordiam tuam Virgo Beata; si quis est, qui inuocantem in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse: nullu vnquã defuit, omnibus sinum misericordiæ suæ aperuit; quia mater est misericordiæ, & pietatis.*

D. Bern.

Verè tu ARCA FOEDERIS, ò Maria, ad quam pro reconciliatione totus mundus accurrit misericordiæ manna imploraturus, quo si dum inter homines viueres plena eras, quantò magis nunc regnans super Angelos. Nunquid, quia ita deificata, ò Virgo mater, ideò fortasse nostræ humilitatis oblita es? nequaquam Domina mea, spes mea tu in die afflictionis meæ, scis enim in quo discrimine me dereliquisti, vbi versatur anima serui tui, & quantum deliquerit, nec conuenit tuæ misericordiæ tantam miseriam obliuisci, si te ab oculis meis subtraxit gloria, reuocet te natura, non enim ita memoraris iustitię Dei solius, vt misericordiam tuam in ipsomet tuo sinu contineas, neque ita es impassibilis, vt sis omninò incompassibilis, misericordia enim tua ò Maria exaltata est super cœlos, & adeò sublimis, vt esuperet misericordiam exercitam in via; quia potentior nunc in cœlo es, quam non eras, dum viueres in terra, semper infirmis stimulata affectibus, apud Deũ nostræ salutis efficaciter pertractas negotia, & remedia.

Dum in regno beatitudinis postulat cum tanto ardore, & pietatis affectu pro communi omnium salute, non potest non exaudiri, & quòd rogat non obtinere; quando Deipara stabat iuxtà crucem filij sui docet D. Ambrosius epist. 28. ad Eccles. Vercell. *quòd spectabat attentissimè morientis filij vulnera pijs oculis*, & non dicit lacrymis madefacta, nec doloris imbre immersa, quaratione, pijs oculis?

D. Amb.

Stans iuxtà crucem filij; duo tunc concurrebant in pectore Virginis, vnũ erat, amor maternus, quo ferebatur in filium, quem morti proximum, & ita vulneratum, intuebatur intentis oculis; sed intuitu externo, ex figura illa, quam sic disfiguratam cernebat externis oculis, & ipsa excruciabatur in corde, & amarissimè compatiebatur morientẽ: alterum erat, materna compassio, quæ ferebatur ad salutem totius mundi, cui ipsa maximè consulebat, & hanc internis oculis, quùm ex illa morte damnare videbat, attentissimè considerabat: erat in illa hora cor Virginis, quasi cardo totius orbis, super quem salus vertebatur omnium nostrum: saluti totius mundi tunc pia mater inuigilabat: ò pietas, & Mariæ ineffabilis misericordia, quando cor eius præ amore, & nimio dolore premebatur, angebatur, excruciabatur, & adeò strictè, quasi in torculari positum torquebatur, ita vt carnem cum spiritu totam in lacrymas dissolui putabant ex affluentia lacrymarum, qui aderant.

Tanta fuit Virginis copia lacrymarum, & tam amarè fleuit, docet D. Germanus Patriarcha de compassione Virginis: *quod exiccato humore aqueo, lacrymas sanguineas fleuisse.*

D. Germ

Et cum tantus, & sic immensus esset dolor sui cordis, oblita sui, non quòd suum erat, quærebat; sed pijs oculis in corde suo nostram salutem attendebat, pro qua rogans non potuit non exaudiri, & quòd nobis prodest ad salutem non obtinere.

Si Zachariæ ab Angelo dictum fuit: *Exaudita est deprecatio tua*, qua de causa? ait D. Augustinus de quæst. Euang. cap. 1. & D. Chrysostomus hom. 2. de incomprehensibili Dei natura: *Solum quia ingressus templum, vt pro cunctis Deo preces offerret, factus quasi mediator Dei, & hominis.*

D. Aug. D. Chrys.

Quando Christus Lazarum vocauit ad vitam, inter alia dixit: *Gratias tibi ago, quia semper me audis.* Cur semper exauditus in sua oratione, solum quia mundi erat saluator; si mundi saluator, ergo de aliorum salute sollicitus, & anxius: si Pater de cęlo lacrymis filij sui flexus, non potuit non exaudire eum, qui motus sororum lacrymis, pro mortuo fratre deprecatus est.

Cur de cœlo, & in cœlo Deus non exaudiet Virginem illam: quæ, vt pie-

tatis mater nobis omnibus potius attendit: quam ſibi, ſi mediatrix facta eſt Dei, & hominum: & noſtræ ſalutis autrix,& origo; Cur non flectetur ad miſericordiam Pater miſericordiarum, tot lacrymis, tot precibus exoratus à matre miſericordiæ? Si Deus ipſe miſericordia eſt: ità cantat Dauid: *Deus meus miſericordia mea*, & viſcera miſericordiæ huius Dei ſunt viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt nobis Filium Dei,non poteſt ipſa noſtri non miſereri, ſicut non poteſt, & ipſa à Deo non exaudiri,quòd pijs oculis,& tantò cordis affectu rogat,& expoſtulat.

Nos Mariæ erga nos miſericordię affectus fluentes ex pijs Virgineis oculis, quibus mentalibus oculis;& etiã externis tunc,ſub arbore Crucis, à qua pendebat noſtræ ſalutis vbertimus ille, & ſui veteri fructus, noſtræ materno affectu ipſa Virgo ſaluti attendebat, nobis Sancta Mater Eccleſia reuocans ad memoriam, ſalutans Deiparam, quaſi præſentem ſemper alloquitur; *Salue Regina mater miſericordiæ*: quaſi antè oculos præſentem deprecatur: *Eia ergo aduocata noſtra*: Cur nulla interpoſita mora ad præteritum tempus ſe conuertens,quaſi abſentem rogat dicens: *Illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte*: Cur ad illos confugit? Memorat, & orat:vt reſpiciat quid eſt, *illos oculos ad nos conuerte tuos*? O Maria,num Virgo mutauit lumina? innouauit oculos, quos nunc habet in cœlo,num, nonnè, & illi ſunt ijdem, quibus vtebatur, & videbat, & intuebatur, dùm viuebat in hac lacrymarum valle? Eoſdem,& non alios quidem poſſidet in patria:quos,& in hac peregrinatione.

Quid eſt illos tuos oculos? Niſi cordis ſui affectus, & ſuæ voluntatis actus commemorare: quibus tunc Virgo noſtram ſalutem anhælabat,ſollicitabat,& peroptabat; & adeò ardenter quærebat, vt mori cum filio, & vnum cum eodem offerre ſacrificium cupiebat ad hæc ſpectant verba Diui Arnoldi: *Chriſtus carnem, Maria animam immolabat, optabat quidem ipſa ad ſanguinem animæ,& carnis ſuæ adolere ſanguinem, & eleuatis in Cruce manibus celebrare cum filio ſacrificium veſpertinum, & cum Domino Ieſu corporali morte redemptionis noſtræ co ſumare myſterium:ſed hoc ſolius ſummi Sacerdotis priuilegium erat*. hæc ille; at hoc Virginis cordis ſacrificium gratiſſimum fuit Deo,& ſuauiſſimi odoris quot ergo actus pro noſtra ſalute patiendi: quod tunc ſuper altare ſuis cordis Maria offerebat vota, & ſacrificia, quot promebat de pectore ſuo virginali amoris affectus, qui per lacrymas emanat, tot erant oculorum illius effectus: hos reuocat illi Sancta Mater Eccleſia: dicendo *illos tuos oculos ad nos conuerte*, ac ſi diceret, illis nos nunc, ò Virgo oculis intuere; quibus ſtans iuxtà Crucem filij tui noſtram ſalutem intuebaris,& curabas illis pietatis,compaſſionis, miſericordiæ, benignitatis, clementię;dilectionis nos nunc intuere, vt tuta,& certa ſit noſtra ſalus,quæ fluctuari non poteſt hac ſub arca Fœderis repoſita.

O anima mea accede ad Roſam nominis Marię;aſcende hunc ramuſculum cuius ſecundum folium non decidat à corde, non ab ore, oſculare pluries labij contemplationis eius fragantiam fit ſculpta dilectionis,& deuotionis cęlo illius Inſcriptio, vt ſentias mannæ illius dulcedinem, & accellentem; ò Maria non recuſes, ſentiat anima ſerui tui huius ſuauiſſimi folij odorem, quo viuificata,& illecta amet te, eius inebriata liquore laudet te,& laus tua nõ deficiat ab ore meo,nec amor tuus,& manna nominis tui à precordijs meis;quòd ſit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria Mater Ieſu Filij Dei te præcor ò Maria mõſtra te eſſe matrem, & miſerere mei,ſub vmbra huius ramuſculi recollige mè, & protege me nunc & in hora mortis meæ. Amen.

DE TERTIA LITTERA, R; ſculpta in tertio folio Roſæ nominis Mariæ cum ſua inſcriptione REGINA OMNIVM.

RAMVSCVLVS DECIMVSTERTIVS.

Ducta eſt Eſther ad cubiculum Regis Aſſueri, qui poſuit Diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vaſthi.

Lib. Eſth. cap. 2. num. 16.



Onſurge, conſurge, excutere de puluere ſeruitutis tuæ duriſsimæ, diſſolue colligationes impietatis tuæ, obrumpe faſciculos iniquitatum tuarum: ò anima mea captiua filia Sion: conſurge, & ſub vmbra pulcherrimæ nimis vernantis Roſæ nominis Mariæ ſede ſecura, & lætabunda exulta; quoniam iam hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit, & flores tuæ redemptionis, tuæ libertatis, tuæ ſaluationis, defenſionis tuæ, & protectionis apparuerunt in terra captiuitatis noſtræ; en Regina Cœlorum, in cuius capite poſuit Deus diadema Regni ſui, ſtat prompta, & parata à dextris tuis in veſtitu deaurato charitatis ſuæ, vt tibi proſpera, & ſalubria impetret, opem tibi ferat, & præſtò ſit, & auxilio ad te adiuuandum, circumamicta varietate gratiarum, quas obtinet, & ſibi dulcitèr, pièque ſeruientibus elargitur fusè, & largitèr.

Quibus & floreſcens, & vernans, tertium dum hoc emittit folium nouo ſtemmate decoratum, figura inſculptū regali, nouaque inſcriptione incisum, ac Regijs ſub littera, R, coronatum auſpicijs, vt ſcias, quòd tibi ſoli vernat, & purpurat, tibique ſoli floreſcit, & rutilat præmonſtrando Mariam creaturarū omnium eſſe Reginam; & à Deo Regni ſui ſerto coronatam, non, vt ſibi ſubiectos faciat vectigales, nec ſub vectigalium pondere, vt durè premat, ſed vt tuis ab humeris ſeruitutis antiquæ iugum tollat, & à fronte obliteret caracterem captiuitatis tuæ.

Nam & ſi regit, & mandat, vt Regina, vt pia mater compatitur, & miſeretur; poteſtate regia pollet, vt Regina; ſed vt mater pietatis, maternum habet velle, purpurat, vt Regina auctoritate regali; ſed vt benignitatis mater, charitatem præſtat, & dilectionem: honora igitur tu illam, cuius es ſerua, vt Reginam, ſed & ama illam, vt matrem, cuius etiam es filia; Regina eſt, non ſeuera, & dura, ſed pia, & miſericors, à qua ſola tibi omne bonum, tum libertatis, tum defenſionis, tum protectionis tum ſaluationis, audi non me, ſed Diu. Germanum de zona Virg. *Non eſt reuera finis, ò Virgo, tuæ magnitudinis, non eſt ſatietas tua defenſionis, non eſt numerus tuorum beneficiorum; nullus enim eſt, qui ſaluus fiat, ò ſanctiſſima, niſi per te, non eſt, qui liberetur à malo niſi per te, ò puriſſima, nemo eſt cui donum concedatur niſi per te ò caſtiſſima*, & rationem affert D. Bernardus ſerm. de aquæductu dicens: *Deus totius boni plenitudinem poſuit in Maria, vt proinde, ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis ab ea nouerimus redundare, quæ aſcendit delicijs affluens.* D. Ger. D. Bern.

Et quid mirum? ſi poſuit Deus diadema

dema

dema Regni sui in capite eius, & eam regnare fecit in omni ditione Dominationis suæ; vndè potestas Regia Virginis,& imperium æquiparatur principatui diuino, & sic tot creaturæ subduntur,& deseruiunt Virgini gloriosæ,quot parent,& seruiunt illi Triadæ sanctissimæ: est enim hæc doctrina Diui Bernardini Senensis serm.61.art.3. cap.6. ex qua elicitur hæc vera propositio: *Diuino imperio omnia famulantur,etiam Virgo*,sicut est verissima hęc alia: *Imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus: nam ipse, qui Deus erat, & Dei Patris filius,matri famulabatur in terra*, Euangelista teste: *Et erat subditus illis*: Quid ni? si Virginis capiti datum est diadema Regni Dei, vt esset illa creaturarum omnium Regina, quæ illius est mater,qui in femore suo habet Rex Regum, & Dominus Dominantium: ità docet D. Damasc. lib.4. de fide orthod. cap.15. *Verè rerum omnium conditarum Domina effecta est Maria,cum Creatoris mater extitit*;quòd clarius expressit D. Bernardus serm.1.super Salue Regina: *Iustè Regina mundi,& Regina cœlorum Maria dicitur,per quam vtriusque creator,& rector generatur, & dum iurè maternitatis vno,eodemque cum filio potitur regno,Ius habet Maria, & imperium in Angelis,& Sanctis omnibus, qui vt ministri omni suo nutui obtemperant,& obediunt: Ius habet, & dominium in hominibus seruando bonos in gratia, intepescentes calefaciendo, & peccatores reuocando ad pœnitentiam.*

D. Bern. Senens.

D. Dam.

D. Bern.

Est etiam illi ius imperandi in dæmones, damnarosque eorum facinora castigando,comprimendo audaciam,& deprimendo superbiam: vt Regina Maria regnat in Cœlis per gloriam,in terra per gratiam, in Inferno per iustitiã, in Cęlo per honorem,in terra per amorem,in Inferno per terrorem: In Cœlo tota est gloriosa maiestas, in terra tota est pietas,in Inferno tota terribilis, in Cœlo exercet potentiam,in terra charitatem, in Inferno seueritatem, in Cœlo pro sui imperij stemmata Sceptrum regale gestat in dextera, in terra virgam, vt regat, & omnia suo moderantur arbitrio,in Inferno flagellum vt puniat,& flagellet.

O anima mea non te terreat nomen Maiestatis, sed delectat potius nomen maternæ pietatis: quoniam non coronatur Regina, vt te sub duræ seruitutis iugo premat; sed vt te à seruitute liberet, non vt tuæ captiuitatis tributa exigat: sed vt te ab illius censibus eximat; vt sua impartiat beneficia, vt te captiuam ducat in libertatem filiorum Dei, à pressuris te protegat, defendat, in necessitatibus subueniat, opituletur, & saluet; Sede igitur sub vmbra huius Ramusculi, cuius pulchritudine odore illecta,& dulcedine tuæ protectionis,tuæ defensionis,libertatis,& saluationis carpas perdulcissimos fructus, ad hoc.

Ducta est Maria in cubiculo Regis Dei sui, qui posuit Diadema Regni sui in capite eius, & eam regnare fecit. O quam perbellè folium hoc Rosæ pulcherrimę nominis Marię;quòd ex quinque est tertium in ordine, à sui ortus aurora semper purpurauit amictu, & Diademate: quo coronauit illud Deus omnipotens,semper apparuit coronatum; hoc siquidem voluit nobis innotescere Spiritus sanctus in Cãticis,dum primordia Virginis; quando ducta est in cubiculum Regis tum mentis diuinæ,tum ventris matris Annę,vocat Paradisum malorum punicorum, dicens: *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum*: & quidem præclara illa Virginis initia seu natalitia meritò malis punicis comparantur; quia inter omnia arborum poma, quæ nascuntur in hortis,mala punica duntaxat: etiam cùm florescunt, seu ergeminant balaustia: coronis donata apparent, & sertis eorum initia consecrata.

O Maria,ò Regina Cęlorum tui hoc tertium Rosæ nominis folium, nonnè etiam in illo primo flore ideali, & reali corona hac,& planè diuina redimitum, & circumamictum regio amictu se præbuit intuentibus: ac piè deuotèque illud contemplantibus?Ita vt omnis lingua ad tui coronati nominis gloriam possit cum Propheta cantare,& dicere: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*: seu vt ex Hebræo legit D. Hieronymus; *Astitit coronata triumphans*. & non alio Diademate,nisi Regni ipsiusmet Dei;quapropter Virginis corona omnibus linguis ob suæ sublimitatis,& altitudinis excellentiam redditur inesplicabilis, sicut & omni intellectui etiam Angelico inintelligibilis: audi non me, sed Diuum Bonauẽturam in speculo Virginis c. 6. in

David Proph. psal.44.

D.Bona.

in calce: *Reuera in capite eius Rex Regum Diadema Regni sui posuit; Diadema certè tam impretiabile, Diadema tam delectabile, Diadema tam mirabile: quòd hoc omni linguæ inenarrabile, & omni ingenio inscrutabile est.*

Quæ quidem inscrutabilitas, & ineffabilitas stat penes opus Dei Diadema plectentis simul, & coronantis; nam si attendamus ad ea, quę docent nos Ven. Beda in Luc. & D. Epiphanius de laud. Mariæ, & D. Petrus Chrysologus serm. 141. inuenimus, quòd Reginæ titulus debetur Mariæ ex nomine, quòd vt alias probatum est, euoluit Deus de thesauro Diuinitatis suæ; Maria enim Dominam sonat, ineffabile nomen inscrutabile, & Diadema: Si ad ea, quæ scribit D. Anselmus in lib. de excellent. Virginis cap. 4. habet ibi Sanctus: *quòd titulus Reginæ debetur Virginis Mariæ: ex eo quia est sponsa Spiritus sancti, cuius dona antenuptialia ineffabilia sunt, & à nobis inscrutabilia; impretiabilitas verò, & mirabilitas, seù magnificentia stat penes Virginis coronati capitis dignitatē.* Si attendamus ad ea, quæ dicunt Rupertus Abbas in Canticis cap. 4. & D. Athanasius in serm. de Deipara, quòd Reginæ titulus debetur Mariæ ex dignitate matris: *quandoquidem ipse Rex est, qui natus est ex Virgine: idemque Dominus est, & Deus: ea propter, & mater: quæ genuit eum, & Regina, & Domina, & Deipara peperit, & verè censetur, semper Christi mater Maria semper, & Regina;* Impretiabilis illa, & mirabilis, mirabilis, & impretiabilis & ista.

Ven. Beda in Luc. D. Epiphan. D. Petr. Chryso.

D. Ansel.

Ruper. Abbas. D. Atha.

Delectabilitas autem, & suauitas illius Diadematis nos respicit: nos complectitur, quos sua dulcedine exatiatè replet; qui tantæ Reginæ famulamur, & deseruimus; quia Diadema Regni sui non posuit Deus in capite Virginis ad eiusdem tantummodo concinnitatem, & honorem; sed vt ipsa à purpura addisceret, & corona: nos sibi subiectos fouere, & fauere, nos miseros protegere, & obumbrare, nos captiuos defendere, & saluare, vt Regina; de cuius titulo audiat quid dicat D. Bernard. serm. 1. super Salue Regina: *Regina est nomen gloriæ, nomen honoris, magnificentiæ, & decoris, nomen dulcedinis, ac pietatis, amoris, & honorificentiæ, sublimitatis, & potentiæ gubernationis, & iustitiæ, defensionis, & gratiæ:* en anima mea quam delectabile diadema, en quam omni suauitate ad nostram salutem repletum est hoc regale Virginis nomen, consolationis tibi nomen est ò anima mea, nā à tanta Regina quid aliud nisi regalia bona, & ingentia dona expectare potes, & expetere, quando sub eadem mensura ponderatur, & Regia potestas, & Regalis beneficentia: sic enim scriptum est cap. 11. Sapientię: *Misereris omniū, quia omnia potes;* & quo animus regio ornatu regalior, eò est ad largiendum, & donandum promptior, et liberalior.

D. Bern.

Sap.

Quo regali ornatu in illa regia, et Cœlesti gloria circumamictam vidit Propheta Sanctus Mariam, vndè exclamat ad Deum: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato:* cur Reginam appellat? nisi quia facta est omnibus nobis salutaris, et ad nostram salutem est Maria tali corona coronata.

Regio ornatu fulgens, et circumamicta ingressa est quadam die Regina Esther ad sponsum Assuerum, qua die Rex ipse ira, et furore excādescens ferruebat, et contra populum Hebręum magis, ac magis seuiebat; at ipsa, vt populum suum liberaret à morte, cui ille iam addictus erat, se periculo Regina exposuit, periculo illi opponens, quam cum vidisset Rex timore perterritam, inclinatus ad eam ait: *Quid vis Esther Regina?* nullibi melius nomen Reginæ insonare potuit, quam vbi etiam cum tanto periculo sui nitebatur populum saluum facere à morte: *in se pro suis periculis opponit,* ait D. Prosper p. 2. de permissione cap. 38. *sic datis in mortem, suis laboribus vitam conferēdo ministrat;* & vndè illis morte addictis, vitam? Nisi, quia Esther pro illis periculo se opponit: & illa cur hoc? vt potè Regina, qui titulus honoris, nomen est defensionis, et gratiæ.

Esther cap. 5.

D. Prosp.

Hoc titulo honora anima mea Mariam salutando: *Salue Regina:* et dum sic honoras, et salutas, tuam salutem protestaris, et in tuto locas: nam Regis est alios saluos facere, et in tuto ponere: Christus Iesus pendens de Cruce, super caput titulum habere voluit: cuius inscriptio erat: *Iesus Nazarenus Rex Iudęorum;* nomen Iesu, qui, et Saluator, nomen Regis, qui, et defensionis est; et gratiæ, vt Saluator in Cruce hominum salutem operabatur: vt Rex signum suæ miserationis, defensionis, et gra-

gratiæ omnibus tunc vberius aperuit.

Et vt hæc omnia tibi magis innotescant, reuertere anima mea ad Caluariæ locum, intentis oculis cordis tui intuere Dominum Iesum in Cruce affixum, obserua, et Latronem illum; qui diù ? luce irradiatus, obseruata forma illa humana Regio titulo coronata, ad Iesum conuersus exclamauit: *Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum*; quem sic alloquitur D.Bernard. serm. 2. de Epiphania: *Ergo ne per ille supplicium vadit ad Regnum? Quis indicauit tibi ò latro, quantum oportebat sic pati Christum? & ità intrare in gloriam suam?* D. Bern.

Pendebat, & ipse de Cruce; et ante Crucem Iesu vidit Scribas, et Pharisæos stantes, & blasphemantes Dominum verbis illis: *Alios saluos fecit seipsum non potest saluum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce*. Verba caliginis, et tenebrarum verba blasphemiæ erant, verba hæc: ait Euangelista Sanctus: *Prætereuntes blasphemabant illudentes ei, cum Scribis, & Senioribus*: sed, et latroni ex illorum verbis lux orta est veritatis, & Christi agnouit diuinitatem, & Regnum.

Si alios saluos fecit, & non seipsum; imò se perdidit, vt alios saluos faceret, hoc munus propriè Regis est; ergo hic, qui pendet ex cruce pro aliorum salute, & non sua Rex est, & vt Regi adhæret, confitetur, et salutem illi securè cōmittit, exclamat: *Memento mei Domine dum veneris in Regnum tuum*: non præcatur, vt nunc sui, et suæ salutis recordetur, quia nunc non nisi formam serui intuebatur, sed quando veneris in Regnum tuum, hoc est cum à Patre acceperis diadema Regni, et ascenderis ad Thronum potestatis Regiæ, vt Rex tunc memento mei; quoniam quò regalior est animus, eò ad dandum, et donandū est promptior: sic Latronis verba interpretatur D. Cyrillus Hierosolymitan. Chat. 13. D. Ciryl. Hierol.

Non dico aliter, vt mei memineris: quam cùm veneris in Regnum tuum, quæ te virtus illuminauit ò latro? Et ideò iustè audit: confide; non quòd opera tua digna sint confidentia; sed quia Rex adest, qui gratiam confert, & defensionem, non enim potest à Rege Deo, homini sic perdito, & misero non largiri gratiam, misericordiam, & beneficentiā en effectus: quando ei sic respondit; *Hodie mecum eris in Paradiso*, & salutem præstitit vt Iesus, & Saluator: & vt Rex Coronam, & Regnum.

Si Regina, est nomen defensionis: & gratiæ, & ijs, vt salueris anima mea, indiges, en tibi, & ad tuam salutem inscriptus est hic Reginæ titulus in ternò folio pulcherrimæ Rosæ nominis Mariæ; Rosa hæc non decidat à corde non recedat ab ore millies in die eam salutando, dic: *Salue Regina*; qui titulus cum sit defensionis, & gratiæ, defensionem in te senties, & mille emanabunt ad tui salutem ab oculis tantæ Reginæ dona, & gratiarum munera; nam Virgo Maria: vt Regina benignitatem, & libertatem illam diuinam æmulatur, dando largiendo, omnibus affluentèr, simpliciter, & ex animo, & non improperat: potest Virgo mater iure optimo dicere, quòd dictabat Rex Theodoricus, vt annotauit Cassiodorus lib. 3. Epist. 11. *Optamus cunctum diem plenum beneficijs nostris excurrere; optamus vbique nostra præstita radiare, quia in anum viuit, quòd magnificentia principalis indulsit; Regium est semper benefacere subiectis*. Cassiod.

Si defensionis nomen sonat Reginæ: quid mirum? Si Maria vt Regina nobis sibi subiectis, nunquam cessat benefacere: tùm quia illi non deest potentia, quia mater est omnipotentiæ, non deest voluntas, cum sit mater misericordiæ, non deest impetrandi industria, cum mater sit sapientiæ; testimonio probatur Diui Germani, qui sic Virginem alloquitur in orat. de oblat. Deiparæ: *Habet enim (sat scio) cum tua voluntate concurrentem potentiam, vt quæ sis mater Altissimi*; propterea audeo, & huic Virginis voluntati, cum addatur sapientia: qua vt Deo benedicto omnibus sanctis est magis coniuncta, in illo diuinitatis speculo, quo repræsentantur omnia: clarè videt, clarè cognoscit nostras miserias, & necessitates; prout idem Sanctissimus Patriarcha testatur in ser. de Assumptione Virginis: *Tuus spiritus ò Maria, inquir ipse: viuit in æternum, omnia obseruas, omnia contueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit, quòd ei datum est: vt nos defendat in nostris afflictionibus, quia Regina vt cito præueniens nos ab irruptib: s liberet tentationibus, vt pro nobis oret, & pro peccatoribus pugnet*: Idem Sanctus.

bine

hinc est ; quòd omnibus sese exorabilem omnibus Clementissimum præbet, inquit D.Bernardus in serm.de Virgine : *omnium denique necessitates amplissimo quodam miseretur affectu*. D. Bern.

Si Deus ne suæ indignationis flagello nos flagellet , vel ne percutiendo damnet, & suæ omnipotentiæ continee manum, & dexteram,ò anima mea, cuius est hæc vis,& fortitudo ? Nisi solius Mariæ ? vt puta & Regina.

Vniuerso orbe aquis diluuij iam sepulto;& viuentibus cunctis, iam extinctis in signum fœderis , & pacis , quòd non percuteret amplius Deus terram flagello aquarum sic inundantium dedit arcum in nubibus: *Arcum meum ponam in nubibus : & erit signum fœderis inter me,& inter terram*;vt totum genus humanum in posterum poneret Deus in tuto , & à pectoribus viuentium , vt omnem pelleret timorem, Arcum Fœderis dedit in signum , quæ pactio, seù Dei promissio, tunc præsens non erat , sed futura : ac si Arcus cœlestis vsque tunc apparuisset in nubibus : Iridem hanc in nubibus etiam à natalibus mūdi apparuisse non est,qui ignoret: experientia enim iam exploratum erat,cùm causæ naturalis sit effectus ; corpori solari opponitur nubes , quam suis flammigeris sol percutiens radijs, veluti pictor sua luce : suisque radijs , ac coloribus varijs gratiosum intuentium oculis depingit Arcum : curergo in futurum promittit arcum : ac si retrò temporibus non fuisset : sed nouitèr esse creandus,& in cœlo nouitèr conspiciendus ?

O prodigia diuinæ bonitatis, ò diuina mysteria, non formatus cœlestis arcus: nisi in densissima nube aquarum humore pergrauata, & grauida nimis , & datur nihilominus à Deo in signum fęderis,& serenitatis,quòd non operiet amplius terram aquis diluuij; Est enim arcus pluuiæ signum,non tranquillitatis prodigium : & quòd est vindicta, & mortis instrumentum vertit Dominus in fœderis signum,et pacis, et indulgentię portentum.

Quid est hoc,ò anima mea: Arcus siquidem emissa sagitta percutit,et ferit, et sicut ipse est indignationis symbolum:ità et nubes, quæ cęlum versus eleuata emittit pluuias,quarum irrigatione,vbi fęcundat terram:sic et vmbra sua nos protegit,et defendit ab æstu solis,et à nociuis radijs eiusdem ; ò Deus Charitas, ò immensa bonitas Dei mei, ne feriret;ne percuteret et ne deinceps amplius occideret,audi dicentem:*Statuam pactum meum vobiscum : & nequaquam vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuiū dissipans omnem terram* : ne dissiparet terram sagitta suæ indignationis: Arcum iræ suæ posuit in Maria:hæc est nubes illa leuis. gratiarum omnium supercœlestium plena sibi , et super plena nobis , super hanc nubem teste Isaia Propheta ascendit Deus sic habet tex. cap. 30. *Ascendam super nubem leuem . Nubes leuis Maria*,inquit D.Ambrosius lib.de institutione Virginum : *quia coniugy onera nesciuit,& leuauit hunc mūdum de graui fœnore peccatorum*. Isai.Pro. D.Ambr.

Præsens non erat Maria , quando Noe facta est hæc promissio,sed futura: quid miraris ? si futuro in pactione vtitur Verbo : *Arcum meum ponam* : in Maria veluti in nube leui tunc Deus posuit Arcum suum,quando eiusdem Dei facta est mater, & nostra effecta est Regina,quòd nomen est defensionis, et salutis; nam reginam est benefacere subiectis,eosdemque saluare,protegere, et defendere: ex quo facta est Maria Dei mater,quieuit ira Dei,et indignatio,furor ille diuinus , qui contra nos sæuiebat,mutatus est in dulcedinem pietatis, et clementiæ, Arcus, quem contra nos tetendit,et sagittæ,quas contra nos parauit ; audi ipsum sic exclamantem in Deutoron.cap.32. *Ignis incensus est in furore meo , & ardebit vsque ad inferni nouissima,deuorabitque terram cum germine suo,& montium fundamenta comburet: Congregabo super eos mala,& sagittas meas complebo in eis* . Hæc omnia nunc non minitant mortem,sed vitam, non immittit aquarum inundationem ad interitum,sed gratiarum ad salutem, serenitatis nunc præstant signa , non vindictæ,non indignationis; cur hoc ? nisi quia,ex quo Dei Arcus est in manibus Mariæ,sagittas, vt feriat , et vulneret non habet,et licet tetendat ex iustitia,et sagittas ignitas ex calore iræ suæ emittat,terram non percutit,nec offendit , sed aerem tantummodo verberat ; quia cœlum respicit,non terram ; imò ausim dicere,quòd veluti Iris Cœlestis paulatim deficit,et euanescit, et in ictu Deutor.

D. Fulg. oculi resoluitur in nebulam; non mea est sententia, sed D.Fulgentij lib. 4. mitholog. *Iam dudum cælum, & terram ruisset, si non Maria suis præcibus sustentasset*: cur hoc? nisi quia Maria vt Regi-
D.Bona na, inquit D.Bonauentura in speculo B. Virg. cap. 3. *Est nobis columna nubis, quia tanquam nubes protegit ab æstu diuinæ indignationis: ipsa detinet Dæmones ne noceant, detinet filium ne peccatores percutiat, ante Mariam non fuit, qui sic Deum detinere posset, vel auderet.*

Audebat nemo, quia Arcus indignationis diuinæ erat in manu Dei; idcircò minabatur, inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes; at postea quam illum posuit in nube Virginis Mariæ, qui erat Arcus vindictæ, factus est Arcus fœderis, Arcus defensionis non occisionis, Arcus pacis non belli, Arcus tranquillitatis non turbinis, Arcus serenitatis non inundationis, & diluuij terram dissipantis, Arcus non mortis, sed vitæ, Arcus non perditionis, sed salutis, & recôciliationis; ideò stat Maria à dextris Dei vt Regina, interpellans pro peccatoribus; quos non deserit nisi Deo re-
D. Bern. conciliet; inquit D.Bernardus: *O Maria tu peccatorem toto mundo despectum materno affectu amplecteris foues nec deseris quousque horrendo Iudici miserum reconciliat*.

Quòd Maria sit Dei mater dignitatis, & excellentiæ donum est, quod verò sit Regina, pietatis, & protectionis est nomen, & spes vnica tuæ salutis, vt hoc nomen insonet tuis auribus, & spê erigas ad salutem, hoc addiscere potes ex illis tribus Regibus Orientalibus.

In Regiam Ciuitatem ductu stellæ ducuntur illi tres Magi, & ingressi statim interrogant: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum*? cur potius Regem inquirunt, & non Deum? puer ille nonnè Deus erat, & Rex? nonnè, & munere quòd ferebant, Deum fatebantur, vt canit Ecclesia, et Deum silentio tacent, et Regem exquirunt: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* quòd Regium est lumine cœlesti ducti agnoscentes in puero, potius de Rege interrogant, quã de
D.Chrys. Deo: audiamus de hoc D. Chrysostomum hom. 7. in Matth. *Magi quidem non vbi est, qui natus est filius Dei, sed natus est, inquiunt, Rex Iudæorum; oportebat enim condescensorio, & humiliore* *interim sermones ingressu institui prædicationis exordia*, et idcircò eò magis, quæ ad salutem eorum pertinent prædicantur, vt ad suscipiendum interim Regem beneficio sibi blandientem concurrant, quidquid Regium est, hominibus est beneficium, et salutare; inde de Regio nomine sunt solliciti, vt tali titulo inescati homines Deitatis maiestatẽ vereantur; sed, et Regijs beneficijs allecti, et deliniti magis accedant.

Vt ad Mariam accedere ne verearis anima mea, non solum Dei mater est, sed & Regina, hoc stemmate coronatur tertium folium nominis eius: si hæc Virgo regio animo callet, quid ad eam accedere trepidas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est, & benigna, tota dulcedo, & misericordia, ad hoc eam Deus insigniuit titulo, vt per Mariam, vt Reginam suscipiamus misericordiam, benignitatem, & clementiã: pietas, & clementia in subditos sunt insignia regalia, accede ad Mariam, & esto secura de tua salute, ò anima mea.

Saulus, antequam Paulus, cum adhuc esset Christiani nominis ferus persecutor, & in eiusdem ruinas spirans, vt in actibus Apost. legitur cap. 9. *Ibat enim spirans, & anhelans*, & cum esset in via Act. Ap. inopinato ictu, cæcitate percussus, primo, ab equo deiectus ad terram, deinde prostratus est. & in faucibus mortis, cũ sibi se esse videbatur positum à percussore illo occulto, exclamauit: *Quis es Domine?* si sic durissimè percussum, si sic à manu potenti se sentiebat vulneratum? si sic inopinatæ neci se videbat addictum, cur non potius quæsiuit, quis esset ille eius vltor? quis ille eius carnifex? quis ille eius percussor? qui sic eum perdere, flagellare, punire, & occidere conabatur? cur ò Paule non exclamasti, quis est iste Satanas, qui sic me duriter colaphizat? Quis est iste vindex? qui in me iniuriam sic potenter vlciscitur sibi illatam?

Sed ait: *quis es Domine*, ad hæc sic respondet D.Chrysostom. hom. de repræhens. D.Chris. *Agnoscit Dominum, virtutem didicit ab indulgentia, in cæcitate confitetur potestatem*: ac si diceret, quando Paulus sensit in se flagellum misericordia plenum, quando vulnus aduertit non esse læthale, sed medicinale. & percussionem illam esse ad vitam, & non ad mortem agnouit, nescio quid, Regale, in percussore:

fore: si regiæ manus est cum clementia, misericordia, benignitate, & summa pietate punire tibi subiectos, & cum lenitate se vindicare de inimicis, non potuit non confiteri, se à regia manu fuisse deiectum, & sic percussum, hinc in percussore non crudelis vltoris, sed Regis, & Domini meminit potestatem, & munus, quando exclamauit: *Domine quis es? & quid vis, vt faciam?*

O mater misericordiæ, ò Regina cœlorum, si à Deo sic misericorditèr castigamur si vitio est, ad vitam, medicinalis, & non læthalis ad mortem; si tanta pietate, & clementia de nobis vlciscitur Deus, gladio iræ Dei, & vltionis diuinæ, quæ manus est hæc? quæ sic potentèr se opponit? cuius est hæc virtus? potestas? & efficacia? calicem irę Dei, quo inebriatus feruet, & ad nos puniendos ebullit ipse Deus mutat, & conuertit in vinum remissionis, & indulgentię.

Nullius sanè alterius ex creaturis, etiam Angelicis, nisi manus tua, & brachium fortitudinis tuæ ò Domina, ò Regina pietatis, per quam in terris primò suscepimus misericordiam Dei nostri, qui visitauit nos oriens ex alto.

Cum D. Damasceno contemplare ò anima mea, & intuere in illo throno maiestatis filij Dei matrem Mariam, vt Reginam assistentem à dextris eius, & videbis, quòd Maria ascendit ad illud Diuinæ seueritatis tribunal, non rogans, sed imperans, vt Domina, non vt ancilla: quomodo enim potestati tuæ obuiare poterit potestas illa, quæ de tuis visceribus traxit originem: potestati illi, quam materno iure in illum obtinet non resistet illi, qui parentibus obtemperandum esse rectè docuit, & nouit, quum fuit in hac vita subditus illis.

Si huic Reginæ, & Dominæ se subdidit, qui Rex Cœli, & terræ Dominus est; cur non nos, qui non solum ratione imperij, & dominij; sed, & ratione potestatis, quia hæra nostra effecta est, & nos serui, & mancipij erimus; in cœlo enim, & in regijs sedibus sic Regina, & Domina, hæra ac verè mater, & genitrix Dei deposita est.

Per peccatum primi hominis miserabili seruituti nos fuimus addicti, & veluti mancipia sub potestate durissimi tenebrarum Principis mancipati, vsque dum ab hac seruitute, & dura captiuitate per Virginem fuimus erepti, & eruti; ita testatur D. Damasceuus orat. 1. in Assumpt. B. Virginis: *Hæc omni profuit creaturæ, quam veluti coemptam à seruitute in libertatem asseruit, & suo obsequio addixit, ac suo dominio ex soluto pratio subiecit. & in nos potestatem regiæ iurisdictionis habere cœpit, & ius dominij, ratione cuius verè, & propriè serui illi mancipati, vel mancipia sub eius ditione constituti appellari debemus.* D. Dam.

Et esse huius Reginæ serui, & mancipia magni est honoris, & glorię titulus, sic docet D. Ambrosius. *Dignitas est seruum esse potentis:* hinc D. Anselmus subdit: *seruire huic Reginæ regnare est, & inter illius mancipia numerari plusquam regnum:* Addiscamus, & nos ab ipsa mundi Regina, quæ cum audisset ab Angelo, quod Deus pater elegerit eam in matrem filij sui, quando nuncians ei dixit: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur:* ipsa se tanti Regis ancillam se nominat, & profitetur: in qua confessione, & in quo actu fatetur D. Epiphanius: *Totam Trinitatem tùc eam accepisse in sponsam:* nam tres illæ diuinæ personæ, prolatis à Virgine illis verbis; *Ecce Anc...a Domini, fiat mihi secun..um verbum tuum:* in eius vtero, & ex illis sanguinibus in instanti formauerunt Christi Iesu humanitatem; ex qua operatione vocat Doctor Sanctus Mariam sanctissimæ Trinitatis sponsam; ò dignitas, ò altitudo supereminentis maiestatis, & celebrans cum Deo nuptias, quùm in Spiritus sancti sponsam, & in filij Dei matrem ipsa assumitur, tunc Dei seruitio se totam mancipatam confitetur, & Domini ancillam se nominat. D. Ambr. D. Ansel. D. Epiph

O lux veri luminis, qua irradiata, & illustrata anima Virginis perspicuè interris oculis cognouit, & apertè vidit, quòd in domo Dei gradus ascendendi ad culmen honoris, dignitatis, sublimitatis, excellentiæ, & spiritus libertatis vsque ad Dei visionem, imò & vnionem est gradus seruitutis Dei; audi de hoc D. Arnoldum apud patres c. 1. biblioth. patrum, sic ait ipse: *Maria Domina, & licet se Christi profiteatur Ancillam, hoc seruitutis genus omni regno sublimius esse intelligit:* & D. Bernard. in psal. qui habitat serm. 7. sic habet ipse: *Egregius planè titulus dignitatis, & commendatio* D. Arnol. D. Bern.

honoris immensi nempè, cui seruire regnare est, & gestare hunc seruitutis titulum non onerari est, sed ornari.

Sedem in Cœlo positam vidit Ioan. & in circuitu eius vidit sedere vigintiquatuor seniores circumamictos vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ, & dum quatuor illa animalia dabant gloriam sedenti in Throno in Cantico illo nouo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens*: vidit vigintiquatuor illos seniores surgere de sedibus, & procedere ante sedentem in Thono, & extractis de eorũ capitibus coronis mittere ante pedes sedentis, illum adorando, collaudando, & benedicendo.

Cur coronas de capitibus extractas submittũt sub pedibus sedentis? & quæ honoris, dignitatis, potentiæ, & splendoris erant eorum capitibus, in argumentum subiectionis, & seruitutis pedibus magni Dei calcandis subijciunt? ô seruitus regalis, ô Diadema imperij, & libertatis, dum Deo inseruiunt, & & voluntati eius se summittunt: seruitus illa, & illa humilitas suscepta pro Christo, regiam præfert dignitatem, Reges creat, coronas intexit; qui Christi seruitutem profitentur, magno sunt in honore, seruitus illa seruilis non est, sed regalis, & libera.

Videns Maria, quia gradus seruitutis Dei erant purpurei, coronam illam maternæ dignitatis, quam ei promittebat Angelus: quasi extraxit de capite, & ante pedes Dñi summisit, quando tota humilis, & mancipata Deo respondit; *Ecce Ancilla Domini*, descendens ascendit ipsa ad dignitatem illam, & ad illam Dei vnionem.

Ascende, & tu anima mea ad palmã contemplare Rosę pulchritudinem nominis Mariæ, intuere illius tertium folium, hoc stemmate vernans, quòd si tibi præmonstrat esse Reginam, mancipare seruitiọ eius, cui seruire regnare est, leua ad eam oculos tuos, summitte te pedibus eius: verna illi, vt sentias in te Rosæ nominis eius dulcedinem, pergustes suauitatem, & quia flos est, & & florifer non solum floribus consectũt sed & flores creat, vt floreas, & florescas anima mea, & flores laudis, & benedictionis emittas de præcordijs tuis, & fructus defensionis eius in te sentias; sit Rosa hæc in corde, sit in ore dic, benedictum sit sacratissimum nomen tuũ in æternum, in ęternum ô humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te precor ô Maria monstra te esse matrem, & miserere mei: quoniam in te sola confidit anima mea, sub vmbra alarum tuarum protege me in omnibus necessitatibus meis, spes mea tu in die afflictionis meæ. Nunc & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE QVARTA LITTERA, I, insculpta in quarto folio Rosæ nominis Mariæ, cum sua inscriptione, IANVA COELI.

RAMVSCVLVS DECIMVS QVARTVS.

Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.

Ezechiel. cap. 44.



Tantæ pulchritudinis, tantæ odoris fragantiæ, simul, & dulcedinis, est pulcherrima Rosa nominis Mariæ, in cuius odore, & suauiolentia: si vt decet, ô anima mea tantisper oblectare velis, oculos tuos pascere, cor tuum enutrire: pectus quoque recreare, non decidat è manibus tuis, non cadat à corde; non recedat ab ore, imò locata in pectore, radicata in præcordijs, & in naribus cordis perfricata suspirijs, lacrymis, & præcibus, vt odorata Rosa ex se odorem suauissimum emittit, diffundit, spargit, & omnia replet.

O Rosa cordis mei, in pręcordijs suis te plantatam, & radicatam habere cupit anima mea, ô Rosa niue candidior, tu nectare suauior, tu melle dulcior, & lacte amabilior, tu gemmis pretiosior, tu cunctis floribus, tu mihi charior, tu desiderabilior; ô Maria aperi tu labia cordis mei, vt benedicant nomen sanctum tuum in omni tempore, & eius intima repleantur odore, & suauitate huius pulcherrimæ Rosæ.

Cuius quartū folium cū quarta sua littera, quę est, I, & ipsius inscriptione, si te, ô spes vnica anima meę Ianuā Cęli, prædemonstrat, quo titulo te etiam sancta laudat Mater Ecclesia, laudat, & hoc titulo te anima mea cum Ezechiele, qui in contemplatione pulcherrimæ Rosæ nominis Mariæ positus, ac fixis oculis in quarto eius folio, in quo insculptam videns illius quartam litteram cum eiusdem inscriptione, præ magnitudine mysterij simul, & dignitatis, præ dulcedine suauitatis simul odoris, & fragantiæ, factus in eo mentis excessus, exclamauit: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam*; Et quam clausam, vidit Proph. Sanct. Ioannes Euangelista vidit apertam: vt ipse testatur in 4. suarum reuelationum; *Et ecce ostium apertum in cælo*; Clausam vidit ille per Virginitatem, & nunquam apertam per fractionem; fuit enim semper incognita viro; audi ipsam; *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et vir non transibit per eam.* Ioannes Euangel.

Et si Deus homo ingressus est per eam: ait D. Hieronymus: *Sic ingressus est hospitium ventris, vt corporis claustrum nesciret, sicque gestatus, vt totus Deus in eo esset; & sic exiuit indè, vt esset porta om-* D. Hiero.

omninò clausa; hoc idem annuit Ezechiel dicens; *eritque clausa Principi*: ac si diceret, tantæ dignitatis, ac reuerentiæ erit ista porta; quòd non erit in communem vsum hominum, sed in speciale solius Principis, qui nascendo ex Virgine virginitatis claustra non violauit, sed roborauit, sed confortauit, vt notauit Dauid Propheta in psalmo: *Quoniã confortauit seras portarum tuarum*; ac si diceret, eo conceptu, & partu, quo Virgo Deum hominem concepit, & peperit, quando Deus ingressus est per eam: si virginis illa perfectiora, & maiora incrementa admitteret, fuisset vtique magis Virgo hac noua, & diuina confortatione, ideò clausa ostenditur Ezechieli, & adeò clausa, quòd non aperietur, & hanc ipsam vidit Ioannes apertam; hęc portę aperitio refertur ad Charitatem, & ad pietatem Virginis: aperitur enim in die Sabbati; vt cunctis præstetur ingressus ad adorandum, & orandum in templum Maiestatis Diuinæ.

Dauid Proph.

Contemplare ergo, ô anima mea, & assiduè meditare hanc pulcherrimam Rosam nominis Mariæ, & singulariter quartum hoc folium, in quo sub littera, I, inuenies, lætam hanc ad tuæ salutis, & consolationis inscriptionẽ, Ianua Cœli, & porta lucis fulgida, tibi non clausa; sed ad opem ferendam semper aperta: quòd si clausa, & non aperta tibi esset, qua ratione exclamares ad eam: *Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.*

Vt te adiuuet, vt te protegat, vt pro te oret, intercedat, vt pro te impetret, & misereatur tui, & suam misericordiam tibi largiatur: imò vt, & omnibus subueniat; Est porta patens, & aperta, & ostium suę pietatis ad salutem omnium tenet reseratum: vt ad salutem omnes perducat.

In liberando ipsa est clemens, in donando ipsa est pia, in salutando ipsa est dulcis, in consolando ipsa est clemens: Contemplatiuis ipsa est dulcis, contritis, & mæstibus ipsa est pia, pænitentibus ipsa est clemens, deuotis, & amantibus ipsa est dulcis, esurientibus, & sitientibus ipsa est pia: afflictis, & miseris ipsa est clemens; amore eius feruentibus ipsa est dulcis: tepidis ipsa est pia, omninò frigidis ipsa tamen est clemẽs: Beatis in Cœlo ipsa est dulcis, degentibus in Purgatorio ipsa est pia, & in mundo positis ipsa est clemens, & vt clemens, dulcis, & pia nunquam hæc porta sancta pulsatur ab inuocantibus eam, à verè sperantibus in ea, à confidentibus in vmbra suæ protectionis, à seruientibus illi in simplicitate cordis, quòd clausa remaneat, & non subitò aperiatur; licèt ad miserandum semper aperta, quò ad mysteriorum suæ pulchritudinis, suæ magnitudinis, suæ excellentiæ, & dignitatis semper clausa, *Clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam.*

Viri nomen, vt testatur Scriptura sacra, est commune hominibus, & Angelis, & viri dicuntur, qui alia virtute alios excellunt; Viri nomen tribuitur Iob, quia magnus, & excellens in sanctitate, *Vir erat in terra Hus nomine Iob*, cap. 1. viri nomen dedit Dauid filio Salomoni, qui cæteros in sapientia excelluit; Veruntamen esto vir 3. Reg. cap. 2. Viri nomen præstitit Angelis Daniel cap. 9. De Gabriele Archangelo sic ait: cui vir Gabriel: ô Porta omninò clausa, ô Ianua semper conclusa, & vir non transit per eam.

Iob.

3. Reg. Daniel Proph.

Istis Herois in sanctitate, in sapientia, & in magnitudine diuinæ præsentiæ, clausa est hæc Ianua: dum nec illi sanctitudinis lumine, & sapientiæ luce, nec isti claritate æterni luminis ad Virginis, & huius portæ donorum, ac meritorum meram possunt peruenire, nec illius gratiarum merita demetiri, nec illius virtutum cacumina pertingere, nec illius dignitatis apicem attingere, nec illius perfectionum pelagus appellare: *clausa, & non aperietur, & vir non transibit per eam.*

Mirarıs anima mea, quod humanæ, & Angelicæ capacitati clausa sit hæc Virginis Ianua? quid mirum si tantæ dignitatis est eius altitudo, & sic super excellens copia suarum gratiarum, quòd clausa est etiam ipsi Principi, dũ silentio tantum illa predicat, & laudat: nam vbi in Canticis nostra vulgata legit; *Oculi tui columbarum, absque eo, quòd intrinsecus latet*, Septuaginta, & Simmacus legunt, *extra silentium, seù taciturnitatem.*

Cant. cap. 4. Septuaginta. Simmac.

Quæ deforis sunt, & extra apparent, huius portæ mensurentur, cognoscantur, magnificentur, laudentur, predicentur; sed eorum, quæ intus latent, soli

Deo

Deo cognoscenda, & silentio per creaturas prædicanda relinquuntur, & reseruantur.

Quòd vt clarius elucescat, notandum, quòd hæc porta, quam vidit Propheta Sanctus, vt ferunt aliqui, vocabatur, Elan, quòd in hebræo idem est: *ac porta muti*; Si porta illa Mariam Virginem præfigurabat, & hæc; si interrogemus Ecclesiam, cuius est porta? respondet, *Tu Regis alti Ianua, & porta lucis fulgida*; Porta hæc, porta est Regis, & Verbi Dei, & si porta est Dei, quomodo ô anima mea, porta vocatur muti?

Numquid mutus est ille, qui Verbū est Dei Patris? quo facta sunt omnia? numquid mutus est ille, qui linguas infantium facit esse disertas? numquid mutus ille, quo apud ipsum omnia loquuntur, etiam insensibilia? quodlibet creatum suam habet linguam, qua Deū laudat, & glorificat: quomodo ergo porta muti Maria? si porta est Verbi Dei, & Janua Regis altissimi.

Dicam quæ sentio, ad laudem huius Virginis, quòd idē est obmutescere, seu tacere, & mutè loqui; quòd & quiescere, & cessare ab aliqua re; quando artifex consumatum opus perfecit, ea perfectione, qua, illo nihil perfectius, & plus vltra progredi minimè potest, licèt non cesset alia per multa operari, quia minus perfecta sunt, respectu primi, non dicitur operari, sed quiescere, sed tacere, sed silentium tenere, sed cessare: consumata primi operis perfectio, posteribus operibus silentium indicit, et vt minus perfectæ videntur silere.

In principio rerum omnium, *creauit Deus Cælum & terram*; Sidera, Planetas, Lunam et Solem, mare, fontes aquarum, arbores, flores, et animalia cuncta, formato tamen homine, dicitur: quòd requieuit, et cessauit ab omni opere; hominem iam formato, animalium generationes, multiplicatio indiuiduorū, & rerum omnium conseruatio in sua qualibet specie de nouo non erant, & nunc non sunt, ab eodem Deo operata? Si non cessat operari, cur legimus quòd cessauit? quod requieuit? quòd siluit? Dicam quæ capio, & quæ sentio perferam.

Opus tale consumatum, & tantę perfectionis fuit homo: quòd creata omnia hominis formationi, & perfectioni, nec possunt componi, nec assimilari, nec coęquari valent, & habita ratione ad hominis consumatam perfectionem, cuncta alia, vt minus perfecta videntur silere, tacere, obmutescere, & quiescere.

Et quòd præstat homo cunctis rebus à Deo primò creatis, de sensibilibus loquor, hoc præstat B. Virgo; Angelis, & hominibus: hoc enim in Ecclesia sua posuit Deus velut cęlum, & astra cęli, vt enarrarent gloriam Dei: ita fuerunt Apostoli, & Euangelistæ in mundi conuersatione; martyres velut mare rubrū in fidei constantia. Confessores, & Doctores velut Sol splendentes lumine doctrinæ, Virgines, velut lilia virginitatis odore candentia: Angeli micant in firmamento Cœli velut astra Dei, quos in Ecclesia posuit Deus, vt serui deseruirent hominibus, qui facit Angelos suos ministros; Virgo verò Maria, vt esset mater Verbi, mater Dei altissimi; cuius dignitatis altitudo adeò opus perfectum, & consumatum reddidit, vt omnes Angeli, & omnes spiritus beati obmutescunt, & silent; & Deus ipse in his tacere, & cessare videtur, quòd admirationis silentium ipsamet porta indicare videtur, donec porta muti intitulatur; clausa est nobis, & soli Deo, quo ad dignitatis suæ mysterium, aperta, qui de ea nasci dignatus est, & clausa sibi reseruata, & ad sui honorem, & gloriā, cui relinquamus dimetienda, quę intus in Virgine latēt; Tu vero anima mea siste gradum, ad ea, quæ deforis sunt, & extra apparent, ad hæc tibi aperta, vt mediteris, & circa eam contemplationi vaces, & vacando, & contemplando attendas: quòd ad tui vtilitatem, et ad tuas necessitates subueniendas, ad tua vota exaudienda, et ad tuas infirmitates curandas, est aperta.

Porta vna inter cæteras, erat in templo Salomonis; quæ et nobilitate materiæ, et artificis arte erat pulcherrima, et hoc ei nomen tribuit Sanctus Lucas Euang. ad cuius postes positum, et iacentem describit ipse claudum illum, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus; *quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ vocabatur speciosa*; hoc est pulcherrima, in cuius foribus stans ille miser meruit ab Apostolo Petro curari, *Surge & ambula in nomine Iesu, & statim consolidata sunt bases eius, & plantæ,* Acta Apost. lib. 3. nu. 2.

ta, & exiliens stetis, & ambulabat laudãs Deum.

Nobilitate materiæ, si attendamus portæ Virginis Mariæ in porta illa Salomonis præfiguratam, ò quàm pulcher rima, ò quàm speciosa tibi apparebit anima mea; Est enim porta lucis fulgida, de qua mysticè loquens Tobia Sanctus cap. 13. *Porta Ierusalem ex Sapphyro, & Smaragdo ædificabitur;* Ex duo bus ijs tantum lapidibus cælator ille diuinus Cęlo omnipotentis manus suę, et gratiæ nobilissima cælatura elaborauit, cælauit, sculpsit, et sic sculptam, et elaboratam tum nobilitate materiæ, tum arte, et opere artificis sic speciosam reddidit, vt meritò vocaretur speciosa. Tobiæ.

Sapphyrus collucet punctis aureis, et emittit fulgorem, quando à solis radijs percussus conspicitur, et sereno Cœlo semper est persimilis, et habet hic lapis quamdam in se virtutem medicã, qua mirabiliter morbos curat.

Smaragdus est gemma præstantissima viridis coloris, quo & vestit cuncta, quibus ipse admouetur, & applicatur, dum hæc Virginis porta ex ijs est elaborata; quid mirum, si speciosa appareret, & appellatur? in Smaragdo qui est viridis coloris, spem salutis, fidei, confidentiæ, si ad eam approximabis tibi ingerit: color viridis semper fuit spei symbolum; in Saphiro, qui aureo colore collucet, & fulgorem emittit, & fere no cœlo assimilatur, quid pulchrius videri, & desiderari potest, demonstrat pulchritudinem, & speciositatem Virginis, quę à radijs Solis Diuini, non solum emittebat fulgorem; sed & virtutem medicam ad tuã salutem in se habere describitur.

O Fœlix anima illa, quæ meditando, contemplando sedet ad portam templi; quoniam si cęca, & vsum visionis amisit; si misera, si debilis, si clauda, cui pedum motus natura ademit, sedet, & humilis; sedet vt à Virgine accipiat sanitatis, & gratiæ eleemosynam; en smaragdus, quo cœlata, & elaborata ipsius porta, qui spem salutis ingerit, & erigit, & cum sapphiro virtutem medicam præstat; in hac porta pedum bases solidantur, & plantæ; in hac porta ora mutorum laxantur ad Deum laudandum; in hac porta ministratur lumen cæcis; quoniam porta est lucis fulgida; hæc est porta Naim, cui appropinquans Dominus suscitat à morte adolescentuiũ, vt legitur in Luc. cap. 7. Hæc est porta, in qua sponsalia cum Deo celebrantur, Ruth cap. 4. Hæc est porta iuxtà quam sedens anima vincit aduersarios suos, lib. 1. Reg. cap. 18. Sta ergo in porta Domini ò anima mea; quia per eam tibi patet aditus ad salutem, & qui per eã nõ intrat; procuIdubio imò certè claudicat eius salus; cui hæc ostiaria non aperit, salus illi nullatenus esse potest. Luc. Ruth. 1. Reg.

Quinque illis fatuis Virginibus in occursum Cœlestis sponsi exeuntibus, oleum legimus defecisse in via, et euntibus illis ad venditores, venit sponsus, et domum nuptiarum introgressus, subito clausa est ianua, reuertentibus et ostia manu pulsantibus, et clara voce exclamantibus: *Domine, Domine aperi nobis*, fuit responsũ: *Nescio vos, clausa est ianua*: seù portæ clausuræ fuit causa, vt à sponso non agnoscerentur, & exclusæ à nuptijs foras eijcerentur, licèt fatuæ nonnè Virgines erant? & vt Virginitatis thesaurum seruarent, nonnè multa opera pœnalia, vt sunt vigiliæ, ciborum parsimoniæ, seù ieiunia, asperæ vestes, cilicia, carnis macerationes, orationes continuæ, & alia multa, sine quibus virginitas difficile seruari potest, illis necessa fuit enixè emoliri, & maximo conatu in illis seipsas exercere.

Quæ causa exclusionis, repulsæ, & ignorantiæ? Numquid sola fatuitas? quæ earum stultitia? & stoliditas? numquid earum insipientia, clausuræ ianuæ fuit in causa? certè quòd non? sed operando, & talibus operibus insistendo nõ sumpserunt secum oleum, hoc est earũ opera, & virginitatis meritum nec oleo fouerunt, nec linerunt, & manibus Mariæ non commendauerunt; quæ Deo opera nostra & vota, præces, & orationes gratas reddunt; audi D. Bernardum serm. de Natiuit. Mariæ: *Quidquid illud est, quòd offerre paras, Mariæ comendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia reddatur, & redeat, quò influxit, fortè manus tuæ plenæ sunt sanguine, aut sunt infectæ muneribus, quòd non eas ab omni munere excussisti, ideoque modicum istud, quòd offerre desideras gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsã* D. Bern.

quam

quam meritò reportarunt fatuæ illæ Virgines, quando non sumpserunt secū hoc oleum Virginis Deiparæ in auxilium,& protectionem.

Hoc timore percussa soror Mariæ Martha, Virgo vna de prudentibus; tota erat intenta, quomodo pasceret Christum, quomodo Domino pararet conuiuium; vt non sustineret repulsam, & ministerium suæ seruitutis esset Deo gratum, ad cuius pedes quietè sedentē, vt vidit Mariam sororem suam, ad Dominum conuersam sic exclamasse legimus: *Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet*: tam opiperè erat conuiuium? tam numerosa dapum copia? & opulenta commestio, quòd solius eius ministratio non satis esset? ad ministrandum ipsa sola videbatur insufficiens: si in domo non deerant famulæ,& seruæ; quæ ei,& deseruire,& in opere conuiuij adiuuare poterant, cur de sorore conquæritur,& adiutricem in ministerio expostulat? *Dic ergo illi, vt me adiuuet.*

Marthæ querimonia non erat ex defectu ministrorum, non ex manuum suarum insufficientia, sed oriebatur ex zelo,& desiderio,quo ardebat, quo flagrabat, vt dapes Domino paratas venustè delibaret gratum conuiuium, & opus acceptum; vt Virgo prudens ne sustinere repulsam, sciens,& pręnoscens quòd hoc solum operabantur manus Mariæ, hæ quasi sal sapidas Domini gustui reddunt,& gratas,& acceptas, non adiutorium exposcit,sed tantum, vt manus admoueat, suis manibus tangat: *Dic illi, vt me adiuuet*; non vt paret, interpellat, sed vt suis manibus offerat,& ante Dominum apponat.

O anima mea cum D. Bernardo te alloquor: *Quidquid est illud, quòd Domino offerendum paras, si cum fatuis non vis sustinere repulsam, Mariæ manibus commendare memento*: per fores huius Ianuæ primò transeant vota tui cordis, orationes,petitiones,desideria, & quidquid operari tentas, commenda manibus Mariæ,hoc est oleum, quo lampas nostræ salutis viuit, accenditur, nutritur,ornatur anima, sponsatur Christo, & Cœlos penetrat, quo deficiente deficit salus,& claustra salutis recluduntur; ne vt Virgo fatua salutis tibi claudatuř hæc ianua, ò anima mea non deficiat à lecytho cordis tui hoc oleum misericordiæ,& deuotionis affectus, & amoris erga Mariam. Rosa dulcissimi nominis sui non decidat a corde,ab ore, à pectore,à manibus; contemplare quartum eiusdem hoc folium; intentis oculis intuere litteræ figuram; & inscriptionem,& dum legis IANVA COELI, Regis alti ianua,& porta lucis fulgida; recordare, quòd dum Dominus Deus Israel solus ingressus est per eam,& per eam venit in mundum: quidquid boni habet mundus per hanc portam asportauit; venit de cœlo,& quidquid possidet cœlum,per hanc portam importauit intrauit in cœlum.

Hinc ipsa dicere potest: *Per me si quis introierit ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet*: ly,ingredi,& egredi est, ac si diceret, anima, quæ cum Maria in omni sua actione, siue stando, siue sedendo deuotè, & familiaritèr versatur salutis pascua semper inueniet.

Intret peccator,& pascua iustitiæ inueniet,& erit iustus, intret infirmus, & salutis pascua inueniet, & saluabitur, intret homo,& puritatis,& innocentię pascua inuenier, & erit Angelus, intret frigidus,& amoris pascua inueniet, & erit seruidus,& deuotus,intret insipiēs, & scientiæ pascua inueniet, & erit prudens,intret captiuus,& suæ redemptionis pascua inueniet, & erit liber, intret reus, & pascua contritionis lacrymarum, gratiarum, & indulgentiæ inueniet,& erit iustificatus; quid spei? quid salutis? deesse potest peccatori; si Mariæ domus, in qua tribunal misericordiæ à Deo locatum est, n ille ad Illius ingressum habet ostia,& cuncta semper aperta: nam vbi nostra vulgata legit in Canticis cap.4. *Collum tuum sicut turris Dauid,quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea*: habet Diuus Ambrosius: *Mille ostia pendent ex ea*; vt si peccator à iustissima Iudicis Dei sententia damnatus, ad misericordiæ Mariæ vult tribunal appellare, ne morula quidem vna temporis præpediatur, mille ad illud ingrediendum panduntur illi ostia,& hæc semper aperta, & nunquam clausa: cur hoc? dicerem, quia Mariæ oculi, qui oculi sunt misericordiæ, claues sunt ostiorum mille ad aperiendum.

Cant.

D. Ambr.

Hoc singulare Sacramentum adaperire tibi voluit scriptura diuina lib.3.

3.Reg. Reg.cap.6. quando ædificato templo à Rege Salomone ex auro, lapidibus, et lignis pretiosissimis, narrat, quòd in medio domus in interiori parte, in qua posuit Arcam fœderis Domini, ædificauit oraculum, ob cuius ingressum duo fecit ostiola de lignis oliuarum, sic enim habet tex. *Et in ingressu oraculi fecit duo ostiola de lignis oliuarum.*

Cuncta domus illius auro contexit mundissimo, et ornauit lapidibus pretiosis, atque lignis cedrinis, et abiegnis, tantummodo hæc duo ostia oraculi, in quo Arca fœderis erat Sancta Sanctorum, et Propitiatorium, fecit de lignis oliuarum: quid est hoc? ò anima mea, nisi quia in sacris litteris semper oliua, et spei, et pacis, et misericordiæ, atq. salutis typus fuit. idcircò duo illa ostiola erant sêper aperta, quia portæ et claues carû, claues erant misericordiæ in oliua obumbratæ, quæ quidem ostiola oculorum Virginis præseferebant figuram, sicut, et Arca, Sancta Sanctorum, et Propitiatorium, ipsamet Virginem præfigurabant; quoniam testatur Nicephorus: *Mariam oculos habuisse oliuæ colore depictos*, quòd clarè conspicitur in Virginis imagine à S.Luca depicta, et Romæ conseruata in Ecclesia Sanctæ Mariæ maioris: *Acribus oculis*, inquit Niceph. Nicephorus, *subflauas tamquam oliuæ colore pupillas in eis habens*: perspicacitas oculorum est ad intuendas miserorum miserias, ad sciendas indigentium necessitates, ad cognoscendas afflictorum afflictiones: color autem pupillarum viridis instar oliuæ, est ad spem in nobis viuificandam, et ad nostri miserendum: huius veritatis testis est ipsa Sancta Mater Ecclesia, quæ filiorum suo rum Virginis auxilio, et protectioni commendans suspiria, gemitus, et necessitates, oculos eiusdem interpellando appellat misericordes: *Eia ergo aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.*

O vis, ò virtus vehemens oculorum Virginis, quando vnus eorum duntaxat intuitus spem veniæ, salutis, et fiduciæ excitat, et ingerit peccatoribus sperantibus in ea, veluti vernans oliua, de Plinius qua scribit Plinius, quòd omni tempore etiam hyemali folia virentia seruat, fructum præbet, et affert: *Oliua, inquit, nunquam virentibus folijs spoliatur*, quid oculi Mariæ, qui oculi sunt misericordiæ, et claues; quibus Virginis ostia referantur, et semper seruantur aperta, vt quilibet peccator ingredi possit ad Tribunal misericordiæ, et veniam obtinere suorum delictorum: sic nos docet Diu. D. Aug. August. serm. de Annunciat. *Tu es spes vnica peccatorum, quia per te speramus veniam omnium delictorum, & in te est expectatio meritorum.*

D. Greg. Nissen. Si oliua habet, vt testatur D.Gregor. Nissenus hom. 9. in Cant. vt fiat leuis materiæ, recreat lassitudinem, relaxat laborem, caput exhilarat, et ad certamê opem affert: quantò magis hæc in nobis, et fortius operatur Maria? cuius oculi misericordia pleni sunt ad hoc; vt sitientibus, et famelicis opem ferat, vt ijs qui in necessitate sunt positi auxilientur, vt manum porrigat, qui in manifesto periculo versantur, et sua dextera protegat, vt oppressos à miseria sublenet, vt saluet ab angustijs, vt dona cœlestia nobis miseris obtineat, vt peccatoribus veniam impetret, vt Dei iram, et iustam indignationem sedet, et Deû ipsum ad nobis ignoscendum inclinet, et misericordiam præstet, et ne ad cœlum itinera errantes illuminet, vt laxatos in virtutum itinere reficiat, et reerect, vt contra Dæmonum certamina certantes reddat fortiores, et victores efficiat, et tandem, vt omnes errantes ad portum salutis ducat, et reducat; mille Virgo Maria habet ostia, et cuncta semper aperta, oculorum suorum claue, et pupilla misericordię; quam non natura, sed Dei gratia oliuę colore colorauit, et effecta mater misericordię miserorum non potest videre, et non succurrere; ità Pijssimus Riccardus à Riccar. à S. Vict. Sancto Victore testatur: *Duo vbera tua à Deo pietate replentur, vt alicuius notitia tacta, hoc fundunt misericordiæ: non enim potes miserias videre, & non subleuare.* Hoc attendens deuotus Eu- Euseb. sebius Gallicanus in quodam sermone exclamauit; *O quanta pietate polles, ò Virgo Christi, quos enim Deus saluare non potest per iustitiam: tu per tuam salvas misericordiam infinitam: claudicat mea salus, si tua non me saluat misericordia: vt tua me saluet misericordia, ò Maria respice in me, & saluus ero.*

O Maria, ò Rosa cordis mei, ò ianua salutis meæ, recordare pia mater: quia vna ancilla, vt Petro accidit, clausit mihi

hi

hi miseræ ostium,& ego foras expulsa fui de Paradiso: illa fuit Mater Eua; ò verè tu mater viuentiū,quę cęli es porta, & Regis Christi ianua: Ecce sto ad ostium,& pulso,aperi mihi,salue me,introduc me: vt pascua saluationis inueniam:quæ sic promisisti; Beata anima; *quæ vigilat ad fores meas quotidiè,& obseruat ad postes ostij mei, qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino*: serua promissa,vt saluetur,cui promisisti, ò Maria saluationem; vt sic saluata cum spiritibus illis cœlestibus adorem te,prædicē te,amem te,laudem te, & benedicam nomini tuo;Quòd sit benedictum in æternum,ò humilis Virgo Maria Mater Iesu Filij Dei:& huius Regis ianua monstra te esse matrem, & miserere mei,quoniam in te sola confidit anima mea; Sub vmbra huius Ramusculi recollige me, & protege me: nunc & in hora mortis meæ. Amen.



DE QVINTA LITTERA, A; exſculpta in quinto folio Roſæ nominis Mariæ cum ſua inſcriptione ADVOCATA OMNIVM.

RAMVSCVLVS DECIMVSQVINTVS.

Iuxtà Portam Ciuitatis in ipſis foribus loquitur Maria: Prou. cap. 8.



EN, ò Maria, quintum delectabile pulcherrinæ Roſæ tui perdulciſsimi nominis foliũ, cuius color, coccineus, cuius odoris fragantia, cuius dulcedinis mira ſuauitas, & cuius emicans ſtemma, decorant, oblectãt, replent & coronant penetralia cordis mei, & intima animæ meæ; quæ meritò lætabunda exultat, iubilat, congaudet, dum huius folij purpureo colore ſe decoratam, fragantia odoris exhalantem, ſuauitate dulcedinis refertam, & ſtellante ſtemmate ſub littera, A, vbi ſe cognoſcit protectam, & patrocinatam; talis enim eſt illius ſtemmatis inſcriptio ADVOCATA OMNIVM, ſub vmbra huius ramuſculi de ſua ſalute ſecura, tuta ſedens meditabunda, præ nimia lætitia, nec ſe continere valens, & Deo exultans, exclamat.

O laudabilis clementia Saluatoris Dei mei, qui ſic mihi miſeræ, pauperæ, pupillæ, & orphanæ, tam notabile ſubſidium dignatus eſt miſericorditèr elargiri? vt Maria eſſet aduocata, & pro mea cauſa iuxtà portam Ciuitatis Ieruſalem in ipſis foribus loqueretur, & apud Deum efficacitèr mihi patrocinaretur: *Aduocatam habere vis ad Deum*, ait D.
D. Bern. Bernardus ſerm. de Natiuit. Virginis, *ad Mariam recurre, exaudietur, & ipſa pro ſua reuerentia*, & anima ſecura de ſua ſalute, vbi Maria ingreditur ad ei patrocinandum, & ad cauſam ſalutis ipſius peragendam, quòd Aduocatæ munus ... ſsit Spiritus ſanctus, dum dicit: *Iuxtà portam Ciuitatis, & in ipſis foribus pro nobis eloqui Mariam.*

Meritò hæc verba ad Virginẽ tranſferimus; nam porta Ciuitatis hic ſumitur pro ſubſellijs Iudicum, in portis enim Vrbium erant tribunalia, vbi cauſæ, litesque agitabantur, & dum in illis portis dicitur eloqui Maria, idem eſt, ac dicere; quia in Porta Cœleſtis Ieruſalem, vbi Dei iudicantis tribunal ſupremum conſtitutum eſt, ad omnes hominum cauſas dirimendas, Maria liberè, & efficacitèr loquitur, & patronæ, ſeù aduocatæ in morem, litem noſtram tuetur, ac defendit; propter hoc huius quinti folij ſtemma cum ſua inſcriptione, ADVOCATA OMNIVM ipſam eſſe prædemonſtrat.

Quòd vt clarius tibi innoteſcat, audi Idiotam deuotiſsimum in prologo ſuæ contemplationis, ipſa eſt aduocata noſtra apud filium, ſicut filius, apud pa- Idiota.
trem; imò apud patrem, & filium procurat negotia, & petitiones noſtras; cæteri Sancti iure quodam patrocinij pro ſibi ſpecialitèr commiſsis plus poſſunt prodeſſe in curia cœleſti, quam pro alienis; Beatiſsima Virgo ſicut eſt omnium Regina, ſic & omnium patrona, & Aduocata, & cura illi eſt de omnibus.

In iudicijs, & in munere forenſi, ſeù in tractandis cauſis, & in cauſarum patrocinijs, par Mariæ, nec ſimilis, nec æqualis, nemo: nam vbi filius in throno Iudex ſedet in noſtris forenſibus cauſis in foribus Vrbis illius cœleſtis, dum ipſa loquitur, vt patrona, vt procuratrix, & Aduocata, anima mea, eſto de tua ſa-

lu-

tute fecura; quia Mariæ patronus conferendus eſt nemo,eloquentia, poteſtate,ſcientia,prudentia,voluntate,& erga amore,& charitate; vt verè dicere poſſis iuxta portam.

Aduocatus,vt aduocandi,& intercedendi ſuo ritè fungatur officio, tria deſiderantur,poteſtas,prudentia, & pia voluntas: intuere,anima mea, in illa cœleſti curia Mariam,& videbis, quod habet ibi maximum poſſe,tum propter cognitionem; quia mater eſt Dei,& Iudicis,qui ei nihil poteſt denegare: Pete mater,quòd vis,dixit Rex Salomon, vt

3.Reg.

3.Reg.cap.2.neque enim fas eſt,vt auertam faciem meam; tum propter complacentiam,ſeu dilectionem; quia Maria præ omnibus Sanctis,& electis Dei, à Deo fuit dilecta; tum propter obſequia exhibita Chriſto, dum vixit in mundo; vndè dicit D. Anſelmus de

D.Anſel.

Conceptione Virginis cap. 12. *Scimus Beatam Virginem eſſe tanti meriti, & gratiæ apud Deum,vt nihil eorum, quæ velit efficere,poſſit aliquatenus ſuo carere effectu.*

Si Maria habet ſcire placandi Deum, habet & poſſe,habet & velle: quid anima mea trepidas? quid times? eſto læta,eſto ſecura; ait D. Bernardus: *Non*

D. Bern.

deeſt Mariæ poteſtas,quia mater eſt omnipotentiæ, nec impetrandi induſtria, quia mater ſapientiæ,nec voluntas, quia mater eſt miſericordiæ: ſi hoc capis, & intelligis,ſit hæc tua ad Virg.frequens oratio.

Ex vlnis equidem maternis tibi,Domina mea,dedita ſum, miſera, & pauper,& miſerabilis,& cliens tuus vocata ſum: ne maleuolus Satanas ad inferni portas me adducat: tu enim meus portus,ò Virgo inmolata,& preſes,auxiliatrix. denique ſub tutela. & protectione tua ſum: Eſto tu mihi Maria,Maria,ſalus mea,ſpes mea, aduocata mea: tibi enim non deeſt poteſtas mihi patrocinandi: quia mater es omnipotentis:nō prudentia,cum mater ſis ſapientiæ: nō voluntas,cum mater ſis miſericordiæ: & aduocandi munus,et in noſtræ ſalutis cauſis peragendis, cui vtilius, cui melius conferri, aſcribi, et committi potuit,niſi Mariæ,quæ pietatis, clementiæ,et miſericordiæ eſt mater. Audi D.

D. Anſel,

Anſelmum de excell.Virginis cap. 12. *Benigniſſimus filius tuus ad concedēdum quidquid voles, promptiſſimus erit, & exaudibilis,tantummodo itaque velis ſalutem noſtram,& reuera nequaquam ſalui eſſe non poterimus.*

Huic Virgini committe tuam ſalutis cauſam,et ſalua eris, et ſecura, illi ſoli,ipſam, ipſe Deus et homo commiſit: pendebat Chriſtus de cruce,et mortis proximus,antequam animam Patris manibus commendaret, conuerſus ad matrem dixit illi: *Mulier ecce filius tuus*,quæ verba, vt tenacius Virgo in

Ioa.c.19. n.26.

ſuo corde haberet impreſſa,in illo mortis articulo maiori cura,ſtudio, et animi ſollicitudine,qua potuit,vt Ioannē, et in Ioanne omnes homines haberet in filios,commendauit,hic ſui teſtamēti codicillus: *Mulier ecce filius tuus*: ò res,ò factum omni admiratione dignū.

Nonne Chriſtus Ieſus ſalutis noſtræ cauſarum conſtitutus eſt noſter aduocatus, et patronus? ſi apud quem pro nobis intercedendum eſt, eſt ipſemet Deus,et homo: cuius cor, et voluntas, vt ſaluet nos,vt dona largiatur,exardeſcit,et ardet,quæ neceſsitas eum impulit? coegit,et vim intulit? Virginem in illo mortis articulo ſuper ſe adiutoriū, patronam,mediatricem, et aduocatam conſtituere? Audi de hoc ò anima mea D. Bernard. ſic reſpondentem in ſerm.

D. Bern.

de B. Virgine: *Fidelis planè, & potens mediator Dei,& hominum Chriſtus, ſed diuinam in eo verentur homines maieſtatem; opus eſt mediatore ad mediatorem iſtum,nec alter nobis vtilior, quam Maria,vt opus noſtræ ſalutis ſit in tuto, ingrediatur Maria ad nos patrocinandum, nobis vtilior non eſt, vt eſt Maria.* O Virgo ſemper benedicta, cuius calamus,vel lingua exprimere valeat,quæ, & quantum vales apud eum, qui omnia poteſt.

Ipſe Deus omnipotens, ipſe Redemptor,ipſe noſtrę ſalutis amator,Zelotes, & riualem,non fert in amore,nihilominus noſtram aduocatam te eſſe voluit, noſtræ ſaluationis tibi curam delegauit, ò Virgo,ò Maria,quæ altitudo myſterij hæc? fidenter dicam, in noſtræ ſalutis cauſis Deus pertractandis ferè magis Virginis credidit,confidit,quam ſibi:& in Virgine magis noſtras rationes ſitas, locatas, & ſpem habere, quam in ſe ipſo, valet ratio.

Cum quotidiè; & paſſim crimina contra Deum multiplicentur, peccata augentur,licèt Deus hominem ſalutem zelet, zelator eſt etiam ſuæ iuſtitiæ, & quaſi

quasi rimet, quòd exardescens ignis suę iræ, de homine vlciscarur, vt tanto damno occurrat, quid remedij? ò anima mea, auidi quæ dico.

Cum iam morti esset vicinus, & contra te voces peccatorũ multiplicarẽtur antè Tribunal Diuinæ Iustitiæ, ad vindictam, & pro te in tua causa non adesset aduocatus, imò aduersarij multi, ò Charitas immensa, ò Pietas diuina, in illo mortis articulo dicit matri suę; vt te in Ioan. pro filio habeat; & vt mater te protegat, tibi patrocinetur, tuæ salutis causam agat; & vbi sua intercessio intercesserie; secura est nostra salus; Philippus Abbas in Cant. lib. 3. *Tenet, quòd tota damnationis Iudæ causa, seù ratio: ex hoc traxit ille ruinam ex eo, quia laqueo præoccupatus non peruenit ad hoc tẽpus, quo filius posset esse tantæ matris*, Cęteri Apostoli peccauerunt in Christum, quando derelinquentes eum, fugerunt, cum Ioanne ij omnes, & astabant Cruci licèt à longè pro quibus dixit Iesus Ioanni: *Ecce mater tua*, & cum versarentur sub tutela tantæ matris, saluari potuerunt, quòd non Iudas, qui solus perijt, qui morte suspẽdij præuentus, nõ potuit esse sub tutela Virginis.

Philipp. Abbas.

Cuius sola vox, voces præoccupat peccatorum nostrorum: & quia indigna eras cui donaretur: *datum est Mariæ*: ait D. Bernardus serm. 3. in Vigilia Natiuitatis Domini: *vt per illam acciperes; quidquid haberes, quæ per hoc, quòd mater est, genuit tibi Dominum: per hoc quòd Virgo est, exaudita est pro reuerentia sua in causa tua*; quæ dum delegata est tutelæ adiutorio, & patrocinio tantæ matris; Est secura de tua salute, & in eius causa inuoca Mariã matrẽ tuã; adiutricẽ tuã, illi. n. nõ solũ non deest, imò inest sũma potestas, & sapiẽtia, quia Dei mater est, & Virgo: inest recta voluntas, cum mater sit pietatis, & misericordiæ, & vt mater misericordiæ quid aliud potest nisi misericordiam peccatoribus exhibere? Et apud Deum patrocinium.

D. Bern

Ad hoc nobis innotescendum suus sponsus in Canticis Turri Dauid, quæ ædificata erat cum propugnaculis, assimilauit: & quòd mille Clypei pendent ex ea omnis armatura fortium: vt Turris bellatrix Maria gladijs armatur, & cingitur: sed vt pacificatrix ornatur, & vestitur Clypeis; sic vestitam vidit eam Propheta Dauid: nam vbi nostra vulgata legit in Psalm. 44. *Circumamicta varietatibus: scutulatis*; legit D. Hieronymus; Virgo Maria, vt rectè suo aduocatæ fungatur officio, scutulatas vestes se induit, ad piam, & maternam suorum detentionem, & protectionem, vt feriat, vt vulneret, vt puniat; vt vlciscatur, arma non habet, sed Clypea vt protegat, saluet, defendat, patrocinetur.

Cant. cap. 4.

D. Hier.

Euolaturus Dominus Iesus, ex hoc mundo ad Patrem, associatus latronibus in Cruce, vni eorum dixit; *Hodie mecum eris in Paradiso*: erat enim tunc latro ille multis humanæ iustitiæ iaculis confossus, multis criminibus vulneratus & cum vno: *Memento mei*, purgatur à sceleribus, iustificatur à vitijs, & protegitur à diuinæ iustitiæ ictibus, & salutis regnum promittitur & corona.

Vndè peccator hic, & latro, adeò scelestis, vinculorum suorum sine vlla mora statim accipit salutionem, & salutem? Et ad eum saluandum Christus Iesus nullam moram fecit: sed illicò respondit, *Hodie mecum eris in Paradiso*: si tot, & tantis erat vulneribus peccatorum sanciatus: erat enim publicus latro, & malefactor, cur non differtur illius cura, si verè sanari desiderat, si verba illa erant ex corde: ità & eius pœnitentia, sed statim absque vlla mora; *Hodie mecum eris in Paradiso*?

Quò Clypeo fuit ille à diuina ira protectus? & immunis à pœna? quo Clypeo tutus, & tuitus? nisi hoc Virginis patrocinio: ait enim Euangelista Ioannes: *stabat iuxtà Crucem Iesu mater eius*: erat tunc Beata Virgo: non solùm iuxtà Crucem morientis Filij, sed inter Crucem Iesu, & huius latronis; & sic inter Christum, & latronem posita erat Maria, quæ vtique pro latrone ipso Filium intentis oculis depræcabatur, qui ad vocem illa latronis, memento mei, se vertens, vt mater erat sita in medio, primò ad illam offendit, & occurrit, & faciem illam lacrymis plenã intuens, et oculos illius lacrymis, et dolore vehementi eclypsatos, et cor pectoris eius charitate, & amore flagrans, quo pro omnium salute ardebat, & feruidè pro latrone illo præsente deprecantem: vt vidit pijssimus filius matri petitioni annuit, peccata latroni donauit, Paradisum aperuit: & absque mora respondit; *Hodie mecum mecum eris in Paradiso*.

Io: c. 19.

Fęlix anima, quæ sub clypeo Mariæ protegitur; hęc sola de salute sua erit tuta, & damnari non potest: quid tibi negabit

gabit Deus o Maria, cui negatum non est: latronem sic tamolum de ipsis perditionis faucibus reuocare? Infęlicem animam illam ad Tartara, iam labentem de luto fęcis, & miserę damnationis, ò Virgo tu subleuasti, nihil tibi impossibile, cui possibile est etiam desperatos in ipsam beatitudinem releuare; si nihil resistit tuæ potentiæ, si nihil repugnet tuæ voluntati, & tuis viribus omnia cedunt, tuo iussui omnia obediunt, tuo imperio omnia seruiunt, tuæ potestati cuncta creata colla summittunt, & subdunt; Iube ergo, & salua ero, pete salutē animæ meę, & de salute erit secura sub clypeo tuæ protectionis; sub vmbra huius ramusculi confuge, en ò Maria anima serui tui in clientulam tuam se commendat, tuo patrocinio se donat, & committit.

Tu enim ò Beata, cum habeas maternam apud filium fiduciam, & potentiam, me tuis interpellationibus, & intercessionibus effice familiarem, & gratam tanto Deo, dona salutem, & me libera ab æterno illo damnationis supplicio, ad hoc effecta es mea aduocata, & refugij Domus.

Peccatricis animæ locus vtique non est ad salutem securior, vt vmbra huius palmæ Virgineæ, & eiusdem sub ea patrocinio frui, & protectione: non mea est sententia, sed Sancti Martyris Ignatij doctrina, sic scribentis ad Virginem: *Impossibile est aliquem saluari peccatorem nisi per tuum, ò Virgo, auxilium, & fauorem*; vt capias, quæ intendit Sanctus, velim scias, quòd non sit, qui ignoret, cuniculos naturam habere, quam maximè pauidam; hinc est, quòd hoc animalium genus semper solet ad salutem montes incolere, & inter montium saxa sibi construere domos, & fossa excauare antra: quæ & quietis solent præstare solatium, & eisdem esse præsidia, quibus se à laqueis tutè defendunt, à canibus saluantur, & à manibus venatorum liberantur, qui cum multi sint, & multas contra eos parant insidias; si natura eosdem fecit pauidos, ipsamet reddidit prouidos, dum non vnum tantum sibi construunt antrum, sed plura, ad hoc.

D. Igna. Mart.

Quòd si venator os vnius vel obstruit nexibus ad capturam, vel insidiatur canibus ad prædam venatorem, qui de præda est ita securus, sic persæpè deludit: vbi cuniculus antri ostium vnius conspicit ab inimicis obstrusum, & obsexum, vt vitam suam ponat in tutò fugit ad aliud, in quo vel absconditur, vel ab eo abscondite aufugit.

Christus Iesus à Psalmista psal. 103. petra refugij vocatur. *Herodij domus Dux est eorum montes excelsi ceruis petra refugium Herinacijs petra refugij cuniculis*: habet alia lectio; Cuniculorum natura pauida nimis peccatricis animæ consciētia adumbrat, quæ peccatorum pondere pauida: si ad Christi quinque vulnera confugit, sunt petra refugij cuniculis; At sæpè accidit ita talibus pergrauari, quòd diuina iustitia reserat, & claudit illa quinque vulnerum ostia, ne talis anima tot, tantisque pergrauata sceleribus ingressa protegatur, & saluetur; quid tunc? sic allaqueata nexibus erit in combustionem, & cibum ignis æterni? præda canum rugientium ad mortem, animæ huius? numquid non erit locus refugij, & salutis? Non inquit Diu. Ignatius: *Impossibile est aliquem saluari peccatorem, nisi per tuum ò Virgo, auxilium, & fauorem*; quàm meritò D. Epiphanius in serm. de laud. B. Virginis vocat Mariam speluncam: Virgo siquidem est spelunca, os huius speluncæ: ostium virginalis huius antri, non est qui obstruat, semper apertū ad protegendū, semper reseratū ad saluādum.

Psalm.

D. Epiphan.

Sit miserabilis, sit pergrauata criminibus anima peccatrix, sit rebellis, & quasi exclusa à domo Dei, habet quò fugiat, vt possit saluari, habet vbi possit esse in tuto: En Mariæ spelunca, en salutis antrum, & Virginis domus: ad cuius ostium si confugissent illæ quinque Virgines fatuæ, nec verbum asperum illud audissent nescio vos; nec à nuptijs filij Dei fuissent exclusæ, & in æternum damnatæ; quia Maria est cunctis cuniculis petra refugij, & spelunca salutis, audi non me, sed D. Bernard. in lib. de dulcedine animæ: *Nescirem, quo nam refugerem? quo nam sperarem? quomodo me saluarem: nisi me totum Mariæ gratiæ committerem*; sub vmbra huius palmæ virgineæ anima sede, quiesce: quia ad hoc effecta est tua aduocata, vt saluet te, protegat te, & te ponat in tutò, & tibi patrocinari, & aduocare pro te summoperè gloriari videtur ipsamet Virgo in Ecclesiast. cap. 24. volēs hanc suam erga nos præmonstrare protectionem: Platano assimilatur dicens: *Ego quasi platanus exaltata sum iuxta*

D. Bern.

Eccles.

aquas, vel gratiarum dum in mundo traduxit vitam, vel gloriæ, quando exaltata est in illo regno beatitudinis, semper pro nobis platanus, semper ad nos protegendum vmbram protectionis extendit; numquid, quia ista deificata ideò nostræ humilitatis oblita es, nequaquā tu scis Domina mea, mater pietatis; in quo discrimine me relinqueris, vbi iacet, & quantum deliquit anima serui tui; Scio ò Maria quòd non conuenit tantæ misericordiæ tantam miseriam obliuisci: quia & si subtrahit gloria, reuocat natura, non enim memoratis iustitiæ Dei solius, vt misericordiam non habeas, neque ita es impassibilis: vt effecta sis incompassibilis, non potest mater misericordiæ misericordiæ non recordare, & misericordiam non effundere, hæc est platani natura, quæ sola vmbræ gratia peroptatur.

Etenim platani folia, quia clypei figuram portendunt, symbolum exibent protectionis, & quot folia tot scuta habere videtur; fructus huius arboris est ipsamet vmbra; nam æstiuo tempore hominibus patrocinatur, & à solarium radiorum infestatione, seù calore illos protegit, quos hyeme admittit, & locū præbet; Est enim platanus vmbrosa, onusta frondibus latis, & connexis: vt sub vmbra illius quiescentes homines tempore maximi caloris; à quibus ne offendantur, seù percutiantur, protegit, & defendit; accedente verò hyeme folia illa inter se intexta adinuicē separantur, vt folijs sic inter se explicatis, & disiunctis, solaribus radijs pateat aditus, & ingressus ad radices solis calore fæcundandas; Huius arboris proprietas figurat munus Virginis nostræ aduocatæ; ita explicat Sancta mater Ecclesia Deum alloquens: *Idcircò Virginem de præsenti sæculo transtulisti Domine, vt pro peccatis nostris apud te fiducialitèr intercedat*; Si clarius hoc peroptas audi D. Bernard. serm. 1. de Assumptione: *Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis mater, & mater misericordiæ supplicitèr, & efficacitèr salutis nostræ negotia pertractabit*; en platanus exaltata iuxtà aquas gratiarum, & gloriæ.

S. Mater Eccles.

D. Bern.

Ipsa enim sola æstatis tempore diuinæ iracundiæ, & indignationis, velut platanus se interponit, ne te ò anima mea vulnerata peccatis, radij diuinę vindictæ offendant, & perdant, iuxtà tuorū delictorum mensuram, ipsa folijs perdulcissimi nominis sui, te protegit, te obumbrat, saluat, & fructibus suæ protectionis, & dulcedinis te satiat: dulcis platanus, dulcissima Rosa, quæ amaritudinem peccati à te expellit, impetrādo gratiam, quæ tibi gratiæ dulcorem acquirit, quæ ad suauitatem patriæ cęlestis in meditatione sui nominis introducit: sede sub ūbra, & experire, q̄ dico.

Accedente hyemis tempore, quo peccatorum tuorum glacie tota frigescis, vt in Dei amore, & ipsiulmet Virginis dilectione incalescas, emollias, liquescas, ipsa pandit iter, & viam parat: qua radijs solaribus diuinæ misericordiæ radiantibus repercussa velut ceram emollias, & fructus amoris producas, ò frigida, ò glacies nimis dura; En platanus, en Rosa, en stemma quinti folij: quo manna cordis Mariæ, & dulcedinis nominis eius tibi præmonstratur sub typo aduocatæ, sub hoc ramusculo sede, quiesce & cito secura de tua salute: ipsa aduocata, ipsa Ianua cœli, ipsa Regina, ipsa Arca fœderis: ipsa & tibi mater est, quid times, quid trepidas ascendere ad palmam, cuius fructus dulcis est gutturi, & guttur eius suauissimum.

Esto mihi aduocata ò Maria, vt sub palma, & vmbra huius ramusculi securè dormiam de mea salute; in te ò Maria in pace dormiam, & requiescam, quoniam tu es spes mea: quæ anima nō sperabit in te; quæ etiam adiuuas desperatos; in te speret qui desperat, qui deficit ad te recurrat, & erit securus de salute; ergo anima mea noli metuere, quòd si ascendis ad palmam, & sedes sub vmbra huius ramusculi, sub qua inuoces ad tui salutem nomen Virginis, vt suo adiutorio, sua protectione te protegat, tibi patrocinetur, dic Mariæ.

O Maria cor meum obduratum, & frigidum, & peccatorum absynthio ramaricatum, corde tuo feruido emollire dignare, vt tuo amore incalescat, tua dulcedine inebriatur, vt sic inebriatum tibi cantet dulce canticum: Auę spes mea, Virgo pia, Virgo sacra, Virgo Maria; cuius nomem sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei mei, te precor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

DE

DE VMBRA PRIMÆ PALMÆ VIRGINEÆ.

Sub Vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.
Cant. Cap. 2.



VNa ex quinque Palmis, en ò anima mea nostrę Palmæ Virgineæ vmbra prima, non inanis, & fluxibilis, non opaca, & vacua, non obscura, & tenebrosa, sed perlucida, & clara cœlesti lumine perfusa; nec mirum, cum solaris sit ipsa, & Spiritus sancti Vmbra diuinitus obumbrata; Cuilibet namque vmbræ innatum est hoc, & insitum à natura, semper se conformari corpori, cuius est vmbra: si nostram Palmam Virgineam lucis æternę claritate, innocentiæ fulgore, puritatis lumine, claritatis splendore, & iubare diuini luminis, Spiritus sancti condecorati, & circumplectitur vmbra, ad tanti solis, & luminis radios, quàm aliam potest illa efformare, & emittere vmbram? Nisi vtique perlucidam? Et ex toto summè clarissimam: Vmbra non est corpus, sed corporis imago: Vmbra autem nostræ Palmæ vmbra est Dei, & si vmbræ est conformari se corpori, cuius est vmbra. O Deus cordis mei, ò lumen oculorum meorum; sub qua dulcius vmbra commorari, suauius deliciari, securius quiescere, quietius pausare, tutius protegi, & satius exatiari somno dulcissimæ dulcedinis; quā sub vmbra hac Palmæ Virgineę: quę dum à Spiritu sancto; qui fons est luminis, quietis, & consolationis, dulcedinis, & satietatis origo, fuit vberius ab ipsomet suę Conceptionis exordio diuinitus, & dulcirèr obumbrata? Vndè illi obnubilum, & opacitas, si solis ęterni, qui nescit occasum perfunditur lumine; & non tota perlucida? clara? & splendens? Meritò piissimus Chrysippus presbyter sub hac Virginis vmbra contemplando degens, eam salutans in sermon. de laud. Mariæ, vocat fontem luminis; *Aue fons lucis. Aue solis ortus; qui nullum ferre potest occasum.*

Chrysip. Presbit.

Siquidem quid claritatis, quid lucis potuit vnquam deesse vmbræ nostræ Palmæ Virginęę; cuius radices Lunæ splendore condecoratas; corporis verò candacem Sole circumquaq; amictum, ramusculorum comam, & folia, micanti Diademate stellarum duodecim redimitam; vidit D. Ioan. Euangelista; ò quàm pulchra, ò quàm decora; & perlucida erat; hæc Virginis vmbra, tantò claritudinis fulgore prælucebat, & obradiabat; quòd eius pulchritudine, & puritate illectus ille ęterni patris filius, qui est lumen de lumine, & qui sui ortus, suæ quietis; suarumque deliciarum omnium lectulum alium non agnouit, nisi ipsius patris sinum omnis obumbrationis expertem, quando per Incarnationis mysterium; vmbram sub qua dulciter requiesceret, & quietè reclinaret, auidè quæsiuit, ne defereret, quòd descendens non relinquebat, quam Matri Virgini ipse mutuans, illam obumbrando luminis vmbra, hanc eamdem nunc mutuatur ab ipsa, transiens de corde virgineo, ad cor virginale, de sinu splendoris in sinum puritatis, de pectore luminis, in ventrem candoris, de habitaculo æternitatis, in tabernaculum integritatis, de solis nidulo, in vmbram lucis perlucidę.

O felix mutuatio Filij Dei: & matris Virginis, ò viua imago candoris æternis quid est hoc? ò anima mea; quid est hoc? quòd Dei Patris pectus fons luminis, & claritatis eructauerat Verbum; hoc idem excipitur, & obumbratur ab vmbra perlucida nostræ Palmæ virgineæ: ad quam vt perueniret, & sub qua vt sederet, quiesceret, & fructus illius per-

dulcissimos dulcitèr degustaret per carnis obumbrationem,quam celeri cursu festinauerit, ibique quam deliciosè, & quietè requieuerit, dicat Pijssimus Anonymus qui vt legitur apud Patres in Bibliotheca, ad laudem ipsius,sic cecinit; *Sicut ceruus ad vmbram properat, sic Messias ad vmbram desiderat carnis virgineæ.*

Anonymus.

O quàm fęlix, ò quàm iucunda palma nostra virginea,quam luce diuina obumbratam video, & obumbrantem lego sedens sub eius vmbra Dei Filius, & sedendo obumbrat,& obumbratur à Virgine;quid ergo moraris, & tu, anima mea, ascendere ad palmam? Quæ cum quindecim onusta sit ramusculis, iuxtà quos frondescit, florescit, & fructificat; suauis est illius vmbra, & perou.cisìimi fructus eius:si aues florum illius sentire odorem, foliorum quiete illius frui vmbra, & fructus degustare dulcedinis, consolationis, & satietatis, quid cunctaris? accelera,festina,propera ascende pennis desideriorum, & peruola alis contemplationis, & dulcitèr cane:*Sub vmbra illius,quem desiderauerant; sedi,& fructus eius*, &c. Vmbram nostræ palmæ virgineæ; vmbram esse Dei, in se clarissimam, ò anima mea, dubitare non licet; cùm Virginis vmbra, non sit inanis speciei; nec vacuæ imaginis vmbra: sed perlucida,& Spiritus sancti lumine tota perfusa:illa enim Idealis Virginis imago, & æterna in mente diuina Conceptio,quam aliam exhibere potuit vmbram, nisi diuino totam lumine circumfusam? Cum non astaret corpus, quod lumini illi tam claro opponeretur.

Si Dei Filius, qui est lumen de lumine, & fons totius claritatis diuinæ, in illa generatione æterna,dùm generatur à Patre, momentum nullum intercesserat originis,quin genito diuini Solis,& genitoris sui claritas non occurreret: Vndè Spiritus sanctus per Salomonem Sapientia cap.7.vocat verbi generationem emanationem claritatis omnipotentis Dei sinceram: cui nihil tenebrarum, aut maculatæ originis aspergi queat, nec punctum aliquod, sitè processionis modus obuius fieret, in quo illi totius luminis fons non effunderetur. Huic æternę Verbi generationi, vt tēporalis eiusdemque plenè perfectéque responderet;qua homo natus est ex Virgine matre, necesse fuit: vt esset tantæ puritatis,& innocentiæ:vt nec momenti obumbratio in ea vnquam fuerit, quin semper luce perfusa, semper pura, semperque perlucida extiterit: num in mente illa diuina valuit, aliquid se opponere tenebrosum?vt non perlucidam nobis hæc palma virginea exhiberet vmbram: sed maculatæ originis fumo obfuscatam? Absit hoc,quoniam apud Deum,vt inquit Diuus Iacobus c.1.suę Epistolæ:*Non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.*

Sapient.

D.Iacob.

Virginis vmbra vmbræ nomen sibi vendicat, dùm ad tui protectionem: & defensionem officio fungitur vmbræ: Est autem vmbra perlucida, quia claritatis suæ radijs,ad intuendum etiā quæ sensibus non subiacent,mentis nostræ oculos irradiat, illuminat, clarificat,& eleuat.

Ergo si Deum videre,si Dei vocem audire, si Dei delectari præsentia, si diuina frui bonitate,si Dei dulcedinē sentire,&degustare,qui sūt huius palmę virgineæ perdulcissimi fructus,nimis auidè famescit cor tuum,velim scias,quòd horum fructuum dulcedines nō pergustantur, nisi ab anima sub hac Virginis vmbra obumbrata, quę clara est, & lucidissima, & quæ obumbrando non obfuscat,sed clarificat.

Suprema Thabor cacumina montis, quadam die conscenderat Dominus Iesus, & comitibus assumptis ex discipulorum Collegio tribus illis dumtaxat: Petro nempè, Iacobo, & Ioanne, quorum obtutibus obijecit sui corporis gloriæ claritatem,quando *trāsfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut sol*: quam corporis gloriam vsque illuc velo suæ diuinæ dispensationis elongauerat à corpore; cui ex vi vnionis,& animæ suæ beatæ iure debebatur in actu primo ex ipsomet instanti suæ Conceptionis.

Matt.17.

Ratione naturæ erat Corpus Christi elementare,quinti corporis etiam continens naturam,& essentiam: & vt corpus talis naturæ erat obscurum, graue, opacum; vt verò erat verbi supposito vnitū, supra naturā eleuabatur, vt esset agile, subtile, & clarum; hoc voluit nobis innotescere Diuus Hilarius quando dixit: *Habet Corpus Domini naturam, vt feratur in vndis, sistat in liquidis, & strictura transcurrat*: quòd ex vi illius vnionis

D. Hilar.

nis erat proprium humanitatis sanctissimæ: ità testatur Alexand. de Ales par. 3. q. 21. *Hæc autem vnio, inquit, concomitatur natiuitatem Corporis Domini, ideò est ei ipsa vnio natura*: Theologicè loquendo; erat caro illa humanitatis Christi: ex vi naturæ suæ, & secundum habitum, obscura, grauis, & opaca: clara verò, leuis, agilis, & lucida, secundum actum: & ex vi vnionis hypostaticæ:

Alex. de Ales.

Audiendus est, hic D. Damascenus, *Claritas hæc, quando resplenduit facies eius sicut Sol, ei aduenit ex intrinsico lumine diuinæ gloriæ innato in eo, vel ex beatitudine animæ ab initio suæ Conceptionis Beatæ*.

D. Damascenus.

Pretiosissimus, & flammigerus reperitur lapis, nomine PYROPVS, sic dictus: quia visionem, & colorem habet ignis, & in fronte cuiusdam animalis nascitur; quem pelle quadam tenet coopertum, & ab oculis omnium absconditum: vndè nec videri potest, nec splendet, nec suos radios vibrat, nisi quando animal, quòd gestat eum, apicem alicuius montis attingit: cuius conscenso cacumine, pellē, qua lapidē PYROPVM tegere solet, eleuans radios, quasi solares emittit tanta luce perfusos: quòd, & mons ipse singulare quodam etiam perfunditur lumine; Deliramenta, & fabulæ potius videntur hæc veterum Scriptorum, at eorum fabulis successit veritas Euangelica, quæ in monte Thabor clarius eluxit, & emicuit.

PYROPVM lapidem quidem Christi præsignare animam, quis audebit controuertere in dubium? quæ veluti hic prætiosissimus lapis lumine gloriæ circumfusa: sed mortalitatis pelle cooperta, suæ lucis radios, & claritatis diuinæ splendores non videbatur emittere; Candor suæ gloriæ foras non rutilabat, oculos Christum intuentium splendore suæ beatitudinis non feriebat, sic obumbrata lux diuinæ dispensationis pelle, seu velo; At vbi Dominus Iesus montis Thabor verticem petijt, quasi pellem amouens, detegit PYROPVM animæ suæ, quæ subitò tot, tantisque luminis gloriæ radians fulgoribus, quòd & Christi facies resplenduit sicut Sol, & mons ipse, quarto cœlo clarior rutilabat, & caro humanitatis Christi illuminata per vestimenta radiabat.

Quam corporis claritatem, & animæ beatitudinem sicut Apostolis objecit Christus intuendam: sic etiam vt eisdē præberet visibilem, inquit D. Eu. Matth. cap. 17. *quòd nube lucida primò obumbrauit eos*; ò nubes, ò Dei vmbra, quæ obumbrando non obnubilas, sed illuminas: non offuscas sed irradias, vt homo huius vmbræ aditorio videat, quòd suo naturali negatur acumini, & per se, suasque naturæ vires prohibetur videre, obtinet hac obumbratus ab vmbra.

Matt. Eu.

En Petrus, Iacobus, & Ioannes nec videre Dei filium in carne gloriosa, nec æterni Patris audire vocem, nec Spiritum sanctum meruerunt intelligere, & agnoscere: nisi obumbrati sub hac vmbra, & irradiati suo nube illa perlucida, vt testis est D. Paschasius, qui in lib. 8. in Matth. sic inquit; *Non ante in monte solus Iesus monstratur, quã nubes clara eum obtexit, & de nube in qua Spiritus sanctus erat, & vox patris innotuit.*

D. Pascasius.

Qua, et illis apertè innotuit filij sui Diuinitatis generationem, & eiusdem humanitatis gloriam; cuius gloriæ claritas eò vsque ascendit, quod vbi ob sui nimis excellentem fulgorem poterat Apostolorum hebetare intuitum, ità proportionata tamen se disposuit eorū aspectibus, vt sub vmbra ipsius potuit ab humanis illorum oculis conspici, intueri, videri, & frui humanitatis Christi gloria, & beatitudine; & licet intuentur illam lumine fœlicitatis æternæ sic clarè perfusam: velim scias, tunc non vidisse Apostolos nudam Dei essentiā: quoniam essentialis glorificatio stat in aspectu claro ipsius diuinitatis, & in perfecta atque completa eiusdem fruitione.

Corporis autem gloria discipulis tunc perostensa, fuit tantummodo accidentalis, quæ consistit in contemplatione eiusdem glorificatæ carnis, & dilectione consequenter; per quam veluti per instrumentum coniunctum Diuinitati electus quisque manuducitur ad gloriam; ij namque tres, quos assumpsit Dominus Iesus, & secum duxit in montem excelsum seorsum: intellexerunt, & viderunt illud claritatis arcanum in Christi humanitate, & sub nube lucida; diuinitatem eius verò minimè viderūt: sed tantū corporis gloriā: Nec quidem totam illam; quæ illi corpori debebatur, foras effudit, sed tantum, quantum

Q 2 pro

pro suo captu Apostoli in hac vita mortali capere poterant.

O fælicitas tantæ beatitudinis, ô beatitudo tantæ dulcedinis, & fęlicitatis; accidentalis erat visio illa detecta Apostolis, non essentialis illa claritatis gloria, nec tota nihilominus tanta dulcedine, & voluptate: tanta suauitate, & lætitia affecit corda intuentium, quòd ibi perpetuò esse voluissent.

Tanta est, ô anima mea, & tam perdulcis suauitas, delectatio, visio, tentio, & fruitio illius supernæ fęlicitatis: vt D.Aug. dicat D. August. in suis soliloq. cap. 22. *vnam enim stillam dulcedinis diuinæ illic gustauit Petrus, & omnem aliam fastidiuit dulcedinem: quid putas dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis æternæ gustasset, quam abscondit Deus diligentibus se*; & in lib. de spiritu, & anima Idem Sanct. diffusius se explicans sic habet in c. 30. *Sicut exterior homo circa ista temporalia, quinque partito sensu afficitur, scilicet visu, auditu gustu, & cæteris: sic interior homo in beata vita circa quinque ineffabilia Dei, ineffabili amore afficitur; Cum Deum suum amabit, quamdam lucem, quamdam vocem, quemdam odorem, quemdam cibum, quemdam amplexum interiorem amabit: ibi enim fulget quòd non capit locus, ibi sonat: quòd non rapit tempus, ibi olet quòd non spargit ventus: ibi sapit, quòd minuit edacitas: ibi hæret quòd non deuellit satietas: ibi siquidem videtur Deus sine intermissione, cognoscitur sine errore, amatur sine offensione, laudatur sine fatigatione*, hæc ille; Hęc colligit, hæc carpit, hæc capit, hæc pergustat poma: hisce exatiatè, & dulciter perfruitur anima obumbrata fructibus sub hac vmbra perlucida.

O anima mea, si Deum peroptas inuenire, Deum amplecti, Deo adhærere, Deum amare, & toto cordis affectu aues Deo frui, & Deo delectari, & deliciari; en prima nostra palma virginea, quæ ad hoc clarissimam, & diuina luce perfusam exhibet vmbram, Virgo ipsa Dei est vmbra, ipsa diuinarum perfectionum expressa figura, virtutum supercælestium viua forma diuinæ dulcedinis perfecta imago: diuinæ pulchritudinis speculum sine macula, cælestis fęlicitatis, & gloriæ viua similitudo, vt vmbra perlucida, vmbra sua proteget te, sua luce docebit te, & eleuabit te, fidelis est: non inanis, & vacua, sed firma: stabilisque manens, quæ non deficit in necessitatibus; si fructuum illius suauitatem experiri famelcis cum sponsa, sede sub hac Virginis vmbra, quid cunctatis? quid immotaris? festina, propera, accelera ad vmbram huius Palmæ Virgineæ, cui soli tuæ committit Deus salutis remedium, protectionis auxilium.

Veterum scriptorum probata mos erat, amicos nuncupare vmbram; verus enim amicus veluti vmbra, amicum nunquam deserit, sed semper præit, & sequitur, cum amico viuit, versatur, & moritur; & viuens in necessitate semper tegit, operit, obumbrat, protegit, opitulatur, adiuuat, defendit, & saluat; O anima mea, & quæ? Maria amicitior? Et amica magis fidelis, & maioris securitatis? quæ omnium nutrix est, & propugnatrix acerrima: typicè loquendo; Virginis verba sunt illa, quæ leguntur 2. Reg. cap. 3. *Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum*, vt manus Mariæ, 2. Reg. & vmbra eadem sint tecum, ad protegendum, saluandum, sanandum, & ad te defendendum, tibi auxiliandum, omni cordis tui annuere teneris amicitijs illius, illi adiungere, ligare, & sociare amoris nexu: nam amicus dicitur amoris custos, vel deriuatur ab hamo, id est, catena charitatis: si hęc dilectionis catena traxit: imò & continuò trahit ad te Virginem, vt te tegat, obumbret, defendat, & saluet: eadem amoris catena trahat te ad Virginem; si vis esse, & censeri Virginis amica, vt catenet te hæc amoris catena, esto, & tu Virginis vmbra, eam imitando, & illius vitæ purissimæ vestigijs insistendo, facinoraque illius purè sectando; hic est sensus verborum; Fac mecum amicitias, ac si diceret; quia amicus est alter ego: Alter ego nisi sis, non es mihi verus amicus, Ni mihi sis, vt ego, non eris altera ego; Ergo anima mea, amicire Mariæ, et illi associare, vt ipsa amiciat te vmbra sua: sub qua ad tui tutelam, et opem sedens inclama ad illam, *Surge propera amica mea, Columba mea, & veni*: vt sis mihi Cant. cap. 24. in auxilium, et protegar, quæ data es mihi in salutem.

Si amicus est vmbra, amicum nô deferens, sed sequens, & obumbrans tegens, adiuuans, protegens, & saluans; & quæ vnquam hac Virginis fidelior, & amicitior vmbra? *Quæ si piè à nobis pulsata fuerit non deerit necessitati nostræ*,

D. Bern. *stra*, inquit D. Bernard. in serm. 2. Dominicæ post octauam Epiphaniæ, *quoniam misericors est, & mater misericordiæ.* Nõ te pigeat pie meditari, quæ de zona Virginis scripsit D. Germanus: *Quis* D.Germ. *post filium tuum curam gerit generis, sicut tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus, quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus, sicut tu Virgo prudentissima?*

Nec retro deseram, quæ de hac vmbra fidelissima, dicit pijssimus Idiota, D.Idiot. in prologo de contemplatione Virgin. *Inuenta Virgine Maria, inuenitur omne bonum: ipsa namque diligit diligentes se, imò sibi seruientibus seruit*: en quam fidelis amica Maria, en quam perdulcissima vmbra? ipsa super filio suo irato reconciliat seruos, & amicos: fac igitur cum Virgine hac amicitias, sede sub vmbra illius, vt ad te protegendum, saluandumque sit manus eius, & vmbra eius tecum.

Non est exitialis, seù nouerca, vt quamplurimarum plantarum, hæc nostræ Palmæ Virgineæ vmbra, sed animæ sibi adhærenti, ad illam ascendenti, & quietè sedenti sub illius vmbra, ad vim vitalem infundendam, & ad salutem, tutelam, & custodiam multum proficua & salutaris, cum non sit vmbra opaca, & inanis; sed fidelis, & perlucida: quanto autem ipsa perfundatur claritatis lumine, vt capias, velim primo scias, quanta ipsamet laboret puritatis zelotypia; zelotypia seu nimis zelotes est hæc Virginis vmbra; nam licet inter vmbram, & corpus, cuius est vmbra, multa nituntur interponere, locare, & statuere, vmbra tamen, quia laborat zelotypia, nec sustinet, nec patitur, nec commisceri concedit aliquid inter ipsam, & corpus ne euanescat ipsa, & deficiat, cum vmbra sui esse aliundè non trahat originem, nisi à lumine, & corpore opaco: ò feruens Virginis zelotypia, ò tantæ Virginis solius præstantia, & zelus, quiquidem erat feruidus, meritò, quia illum inflammauerat charitas, erat circumspectus; quia illum informauerat scientia, erat inuictus, quia illum firmauerat constantia, erat purus, quia illum albefecerat puritatis amor; quid miraris anima mea, si cum esset Maria perfecta Dei vmbra, zelo zelata est, ne quid obscuritatis, maculæ, nebulæ, seù caliginis inter ipsam, & Deum sui cordis amorem, & amatum vnquam nec per instans interponeretur.

Quælibet anima fidelis in sua prima conditione posita est imaginem Dei sui, qui dixit in creatione primi hominis: *Faciamus hominem ad imaginem, &* Genes. *similitudinem nostram*: textus Hebræus legit; *Faciamus hominem ad vmbram nostram*: vmbra enim semper est imago, & similitudo illius, cuius est vmbra: erat ergo homo in illa sua prima formatione vmbra Dei, quia erat vmbræ gratiæ splendore perfusa, erat lucida tota, & clarissima, proh dolor? Heu Euæ cæcitas, & voluptas, heu Adam lacrymabilis casus, & labens ruina? permiserũt enim vt inter Deum, & animam interponeretur nubecula illa, qua effecta est ex vmbra lucida, obscura, impolita, & rudis imaginis pictura; quod satis acutè in verba hæc annotauit Diu. Rupertus Rup.Ab. Abbas. *Est ergo inexcusabilis*, inquit ipse, *cum ad similitudinem Dei non peruenerit; quia videlicet bono instrumento ad hoc, propter quod sibi datum est, vti noluit*; boni instrumenti nomine vir pijssimus forsitan voluit intelligere illam zelotypiam, quam non tenuit, & qua zelatus non fuit homo primus cum coniuge sua, ne inter Deum, & eorum animas quidquam maculæ, vel caliginis interponeretur, vel mediaretur.

Fulgeat sanctitate, splendeat puritatis decore, sit sancta quælibet anima, ad illam, qua creata fuerat, nunquam perueniet imaginem, & vmbram, erit vmbra, sed non lucida, non splendens, sed obnubilata caligine, & mœrens, ac tristis, imò, & informis, & à viua imagine prorsus dissimilis: dissimilitudo non parua, seù modica differentia versatur inter vmbram cadentem super corpus opacum, & inter vmbram cadentem inter corpus diaphanum: vmbra enim, quæ formatur in corpore opaco, vtputa in terra, vel pariete, vel ligno, est obscura, informis, membrorum corporis, cuius est vmbra, distinctione omninò destituta, & denudata, quæ verò formatur in liquidis chrystallis, vel in purissimis speculis viua est, viuens conspicitur cum lineamentis expressis totius corporis, viuam imaginem repræsentans.

Hæc eadem mihi videtur differentia inter Virginem, & aliorum animas à Deo creatas, qui formans hominem dixit:

Genes. xit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Alij ex Hebræo legunt: *Faciamus hominem ad vmbram nostram*; vt hanc vmbram, seu imaginem suam in homine redderet Deus conspicuam, quid fecit? inquit sacer textus: *Formauit hominem de limo terræ*: limus hic terræ non obfuscauit, non obscurauit, non deturpauit, non deleuit imaginem, sed tamquam stamno adiuncto speculo formauit Deus hominis corpus, vt Dei imago hæc euidentius conspiceretur; ità D.Leo serm. 4. de Natiuitate Domini: *Homo carnis substantiã accepit à terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, vt ad imaginem Creatoris sui virens formam bonitatis, & iustitiæ in splendore imitationis tamquam in speculi nitore seruaret*; ergo non ex limo, quo efformatus est homo, fœdata est in eo Dei imago, sed ex culpæ nebula, quam inter animam, & Deum interposuit Adam in præcepti transgressione: ità vmbra illa peccati obfuscauit, adumbrauit, & à primo suo originali fœdauit Dei imaginem, & similitudinem in homine, vt nunquam amplius visa fuit, nec apparuit in Cain, nec in Abel perfecta splẽduit, sed corruptam in veteri homine cuncti ostendunt ex Adam progeniti: est vmbra, sed formata veluti in corpore opaco, in quo quidem apparet vmbra corporis, sed obscura sine lineamentis, & membrorũ distinctione: vmbra est & videtur, sed informis, & peccati nebula obumbrata, & obscura, homo enim in statu innocẽtiæ, iustitia originali, & virtutibus animæ fiebat suo Creatori similis; at vbi turpitudine peccati hanc amisit iustitiam, eiusdem peccati caligine fœdauit & imaginem Dei in se, & factus est vmbra informis, veluti in corpore opaco. D.Leo

Virgo verò Maria vmbra est Dei, sed viuida, & viuens; sed clara, & perlucida, nulla vetustate corrupta, lucens sub primo splendore, & sub primo suo exẽplari, qualem habuit primus homo ab initio, quando factus est à Deo; vmbra est Dei Maria non in corpore opaco formata, sed in speculo, & corpore diaphano, viuam, & nudam Dei imaginem semper repræsentans, itaque in virtutũ coloribus, in charitatis feruore, in puritate vitæ, in gratiæ plenitudine, & in spiritus viuacitate semper apparebat viua, & expressa Dei imago, Virginis solius priuilegium fuit; quia ipsa sola zelotypa fuit, vt inter ipsam, & Deum nihil vnquam intercesserit obscuritatis, & maculæ bono instrumento ad hoc, propter quòd ei datum fuit, semper est vsa: quid miraris anima mea, si ipsa sola, tota semper perfusa lumine, tota semper obumbrata Spiritus sancti vmbra perlucida: si Dei perlucida ipsa sola semper vmbra fuit: vt de ea dicat Diu. Cyprianus lib. de habitu Virginis: *Virgo Dei imago est respondens ad sanctimoniam, & puritatem Domini*; ità perlucida vmbra Dei Maria, quòd videtur respondere imagini, & vmbræ ipsiusmet Dei, quando formato hominis corpore inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: confirmat D.Thom. opusc. de charitate: *hanc fecit Dominus infinitam imaginem bonitatis suæ. O Maria, ò Maria pudeat hominem tibi resistere, cum te videat etiam in Deum transformare*: verba sunt hæc Vgonis Victorini in libello de Charitate. D.Cypr. D.Tho. VgoVict.

Qui pijssimus Virginis cultor, vt nobis innotesceret, quam viua, & expressa Dei imago sit Maria in æternæ claritudinis speculo repræsentata, in quo Dei vices gerere, quàm perfectè videbatur, subdit: *nescio an forte maius, sit te Deũ dicere, aut Deum superasse*. O Maria, & quòd maius portentum audebit creatura de te edicere; quam confiteri, quòd sis Deus, aut de te prædicare quòd triumphas de Deo; dum in te sola magis clarè, magisque perfectè bonitatis illius exprimitur vmbra, & repræsentatur imago; quam in creaturis omnibus simul iunctis: de te sola verè dici potest: Faciamus Mariam ad vmbram nostrã; ò Maria tu sola Dei vmbra perlucida, tibi vmbra zelotes, mihi verò vmbra ad salutem, protectionem, & auxilium; si quid igitur salutis, siquid tutelæ, si quid auxilij, si quid opitulationis, protectionis, defensionis, siquid securitatis, siquid effugij ab ira Dei, ò anima erit tibi sperandum, & deformatæ Dei imaginis vmbram in te iuxtà primordialem originem anhelas, & speras reparare, sub vmbra hac perlucida nostræ Palmæ Virgineæ scito tantummodo esse sperandum, quia ipsa sola est viua Dei imago, & illius diuinæ imaginis vmbra singularis, & fidelissima, sub hac vmbra tuta

sede.

ſedebis, ſecura viues, & contemplationis ſomno quietè valebis obdormire; obdormire igitur te precor anima mea, & ſomno, cui qui perdulciſsimè vacat contemplationi obdormiens vigilat, & vigilando obdormit, & contemplatur, contemplare, & tu Virginē hanc, quomodo vmbra ipſa eſt Dei, & quo pacto in mente illa diuina ab æterno diuina hæc infantula fuit præcognita, prælecta, concepta, & efformata ad vmbram ipſiusmet ſolis ęterni, qua, & voluit, vt ijsdem ſpleudoribus etiam conciperetur in mētibus omnium Angelorum, & figurali cōceptione in cordibus quoque fecit concipi omnium Patriarcharum, & Prophetarum; imò, & in vtero matris reali conceptione prædeſtinauit concipi eadem claritatis, puritatis, Innocentiæ, & luminis vmbra, qua, & ſplenduit, & irridiauit in ſuo fęliciſsimo ortu, & fulſit, & fulget in conſpectu Dei altiſsimi.

O quàm ſuauis, ò quàm delectabilis eſt animæ ſedenti, ſub illius vmbra hæc noſtra palma virginea; ſi foliorum eius flagras perfrui vmbra, ſi florum roſæ ſui perdulciſsimi nominis aues sētire odorem, & eiuſdem fructus carpere, & deguſtare ſuauiſsimos, ſede cum ſponſa, eſto, & tu Virginis vmbra: Si peroptas, vt ipſa ſit tibi vmbra protectionis, vmbra affluens bonorum omnium; Sede ſub Vmbra, feſtina aſcendere ad palmā, *cui data eſt poteſtas in Cælo, & in terra*, inquit D. Bernardus ſerm. 1. ſuper Salue Regina, *Quæ poſſe poteſtas eſt, & in manibus eius vita, & ſpiritus noſter, & oculi omnium Chriſtianorum in eam ſperāt, & ipſa dat eſcam gratiæ (quæ plena eſt) in tempore opportuno*, leuemus ergo fratres cor noſtrum cum manibus ad eam, & appropinquamus paſsibus amoris immolantes ei hoſtiam laudis, reddentes ei vota noſtra de die in diem, de hora in horam dicentes aſsiduè, & toto Corde. Benedictum ſit ſacratiſsimū, & perdulciſsimum nomen tuum in æternum, o humilis Virgo Maria mater Ieſu Filij Dei; te præcor ò Maria monſtra te eſſe matrem, & miſerere mei, ſub hac vmbra tua protege nunc, & in hora mortis meæ. Amen. D. Bern.

Finis Primi Tomi.



PALMA
SECVNDA
SEV
TOMVS
SECVNDVS.

AD SACRATISSIMAM VIRGINEM MARIAM DEI Matrem, mei Dominam, & Reginam.



D hanc tuam Palmam Virgineam; quam in domo Domini secus decursus aquarum supercęlestium nuper plantatam, & iuxtà fluenta plenissima omnium gratiarum: Vbi nouo ordine, nouoque miraculo, ò Maria, ò mea Trima Puellula, & complantatam cominus: contuetur, & contemplatur Anima mea, vehemens intra, se (sed à te excitatum) ascendendi intuetur desiderium, & expergitam in corde suo famem non minorem sentire videtur: Tu quæ præstitisti velle, & excitasti, adiutorio manus tuæ da, & perficere: Verum quia nimia illius Altitudinis proceritas, qua Cœlum tangit, imò, & supergreditur, iucunda, & suauis illius viriditatis, frondium pulchritudo; quarum vmbra terrigenas cunctas tutò protegit, ac lętissimè obumbrat, & cęlites: odoris illius florum ineffabilis fragantia, qua post se attrahit filios hominum, & Ciues oblectat Cœlestis illius Ierusalem: illa deniq; fructuum copiam innumerabilis, & fæcunditatis illius dulcedo suauissima, qua soboles misericorditèr viuit, & pascitur Adæ, & exatiatè cibatur, & enutritur Angelica; pusillanimitatis meæ sub sarcina potius succumbere me faciunt, & eneruitèr viuere præ timore, quam erigere ad ascensum hunc.

En voluntatis meæ ò Maria stimulus, qui licèt paruulus, hortatur tamen, & ad tuam palmam ascendere exagitat ni-

mis,at paruitatis meæ metus auocat, & perterrefacit, cordis mei desiderij stimulus pungit,& allicit, sed tuæ palmæ dignitas,& sublimitas me retrahit,& abducit, & quò me amoris calcaribus stimulat ille, & vrget, eò ista præ intelligentiæ meæ imbecillitate paruitatis, & indignitatis meritò territat, & eneruat. Num hoc duplici concussus timore tuas virtutes,laudesque silebo? & tuæ purissimæ vitæ facinora in domo Domini gesta,& omni laude dignissima, nū inuoluet meæ vitæ indignitas sub silentii velamine? ò Virgo benedicta sustinebit ne hoc materna tua benignitas: verum fateor,quòd quidquid de te,aut loqui,aut meditari potest paruitas ingenii mei, minor est, & laudum tuarum minima laus,quàm tua meretur dignitas,& tuæ dignitatis sublimitas,quæ talis,& tanta cum sit,soli Deo, qui sic te reddidit à nobis super laudabilem,seruatur cognoscenda, prædicanda,atque dignè laudanda.

Meritò igitur timere potest cor meum, ò Maria, si tu Virgo Virginū, virginitatis primiceria, Virgo vita florentissima,moribus prȩcellens, Virgo pudica,inclyta, ineffabilis, mirabilis,misericors,perpetua,prȩclara,pudicissima, Virgo regia,sacra,sancta,sobria,sincera,venerabilis, omni honore dignissima,impolluta,immaculata, incorrupta, inuiolata, fœcunda, fidelis, deuota, dealbata Spiritus sancti muneribus,candidata virtutibus: Virgo clemens, benigna, admiranda,electa,sapiens,decora corpore,animo fulgida,sancta vita,& spiritu: Virgo casta,vni desponsata Christo,tuas laudes,tuas virtutes,tua gesta, tua merita nunc meditando recensere. Nonne meritò me tenet timor, si in me deficit vitæ puritas,si deest mentis capacitas,si non suppetit intelligentiæ vbertas, & copia:deficiunt in me hæc omnia, sed nō deest in te pietas,& misericordia, vt tua pietate abluas labem impietatis meȩ:fac ò Maria, vt non sit in me, quod doleat.& nō erit in te,quòd tuæ offendat puritati virgineȩ.

Cordi silenti semper nocuit Virginis laudum siluisse præconia, quemadmodum, & linguæ mutæ tum morum gesta, tum eiusdem virtutum conticuisse facinora. Vsurpam,

pam,& in hoc, verba Diui Hieronymi de te scribentis: *De tali tantaque Virgine loqui, me indignum fateor, sed, & puto, quòd nemo presumat, nisi qui quanta sint, quæ panduntur penitus ignoret*; tamen, & si ad hæc nemo idoneus inuenitur, votis tamen omnibus cessare non debet quilibet etiam peccator à laudibus, quamuis explere non queat quod sentitur. Saltem ne ingratitudinis vitio criminer, & si meę indignitatis à tuis laudibus retrahit timor; succumbat amoris desiderio hic timor ò Virgo,& quæ mihi præpediũ mala. Tu quæ forceps es purificantis carbonis, tange hoc labia cordis serui tui, vt mundetur, & veluti auicula munda ascendere possit ad Palmam,& illius vmbrę sentire dulcedinem, & fructuum illius vtilitates prægustare vitales. *Si naturalis palma*, vt refert Plutarcus, *trecentas, & sexaginta singulis quibusque totius anni diebus, vtilitates elargitur mortalibus*, quid vitæ, quid salutis, quid vtilitatis, quid gratiæ, quid consolationis, quid dulcedinis,& dilectionis, ò Maria, per sæcula non inueniet anima in tua hac palma virginea? si ex ea à prima germinatione vnquam nec decidit, nec defluxit, nec emarcuit, nec elanguit folium, sed sẽper virens, semper fœcunda, semperque onusta gratiarum omnium dactylis: si corruptibilis palma habet à natura, vt scribit D. Basilius hom. 3. examer. quòd *à prima germinatione semper eisdem ad finem vsque folijs frondet*. Cur ò Trima mea puellula à prima sua generatione folijs semper nõ frondescet vsque in finem hæc tua incorruptibilis Palma virginea? cuius prima folia, quæ? nisi illa prima tui cordis vota, conceptus,& desideria; quibus anhælabas te Deo sacrari. Tua prima folia, quæ? O Virgo Virginum, nisi primi illi gressus tui, quibus quindecim templi gradus festina ascendisti. Tua prima folia, quæ? ò mater & Virgo, nisi illa tui perdulcissimi oris verbula; quibus tota te Deo obtulisti. Tua prima folia, quæ? O Deipara,& norma Virginum, nisi prima illa tui corporis simul & animæ oblatio, qua te Deo deuouisti, in odorem suauitatis summæ. Tua prima folia, quæ? O Virgo prudentissima; nisi illud tui cordis Virginale

D. Hier. Plutarc. D. Basil.

le

le propositum,quo te Diuinæ Maiestati alacritèr desponsasti. Tua prima folia. quæ? O Virginum Regina,nisi feruētissimus tuæ dilectionis feruor,quo veluti holocaustum totum igne combustum,diuinis manibus te tradidisti. Tua prima folia,quæ? O Virginitatis primiceria,& corona, nisi tuæ voluntatis purissimæ illi primi actus,deliberationes,cōsilia,& decreta,quibus veluti firma sententia decreuisti, & statuisti in domo Domini Deo seruire,& virtutum profectibus ad eum semper ascendere. Hisce folijs à prima germinatione, eisdem ad finem vsque hæc tua Palma virginea semper virēs,semper fronduit,semper pulchra, semper decora. Sub illius vmbra da ò Maria animæ serui tui, quietè commorari,dulcitèr contemplari tui purissimi cordis propositum,vota,desideria,orationes,meditationes, contemplationes, extasim, raptus, eleuationes, & feruentissimas cum Deo indissolubiles vniones, simul & meditari tui corporis gressus,gesta,motus,actus,studia,exercitia, facinora, verba,occupationes,& manuum operationes, & quidquid vndecim annorum spatio operata es in domo Domini Dei tui

Da animæ serui tui ò spes vnica,& cordis mei salus,illius ignis me sentire flammas,quo hęc omnia operando ardebat cor tuum; vt eo,quò ei fas est, exardescat, & concaleat cor meum in tuarum laudum, & operationum meditatione: ò Maria non me retrahat, nec terreat meę impuritatis fœtor, nec seruo tuo suę merito indignitatis denegetur, quòd tuo debetur nomini, & tuę desiderio voluntatis, vota cordis mei,quę tibi pro viribus offero, ò pietatis mater, benignè suscipe,tua gratiam fiant tuo conspectui gratiora, perfice ea, tu mater, vt ego in tuis laudibus semper proficiam te laudando,te benedicendo ò benedicta in ęternum.

Tuę Maiestatis Virgineę minimorum seruus

F. Bernardus à Crypta Mineruæ.

NVMERVS RAMVSCVLORVM

Huius Secundæ Palmæ breuitèr collectorum.

Ramusculus Decimussextus.

PRæmonstrat Mariæ conuersationem, seù commercium non habuisse tædium, & amaritudinem; sed dulcedinem, & lętitiam ineffabilem: ex hoc, quia mores illius diuinitatis potius olebant odore: quam humanæ naturæ, ex mamma pectoris Dei enutrita super omnes Angelos: dùm adhuc lactaretur in gremio matris suæ; Maxima sodalitatis vis, tùm bonorum, tùm malorum, bonorum commercium, quos habet in socios, bonos efficit, sicut accidit Apostolis ex consortio Christi, & Putiphar ex sodalitate Santissimi Ioseph: sic & malorum malos reddit: exemplo monstratur Petri Apostoli ex familiaritate, & colloquio vnius ostiariæ, & Herodis ex contubernio mulieris saltatricis, fugienda hæc, obsequenda illa exemplo Christi: qui nec viuere voluit, nec mori sine Maria; quæ data est nobis: vt sit comes nostræ Peregrinationis, vt olim Populo Hebræo Columna illa; adiunge te Mariæ ò anima mea, si securè peroptas peruenire ad terram illam promissionis.

Ramusculus Decimusseptimus.

PRæmonstrat Virginis Ascensionem in Templum Domini per quindecim gradus fuisse miraculosam, & astantibus admirationi, quia non viribus corporis innixa ascendit: sed Dei amoris intus agitata stimulo, vt magis arderet: & ex vicinitate Dei magis proficeret; quòd si in Apostolis factum cernimus ex vicinitate Christi: quantò fortius in Maria, vidit Diuus Ioannes quam alatam, amoris Dei alis non ambulando, sed volando, ascendere ad Deum; quando illam vidit amictam Sole, & Luna calceatam, & Isaias sex quoque alatam alis Seraphicis; quibus docemur exemplis, animam non posse in domum Dei sui ascendere, nisi his alatam alis, & hisce calceatam sandalijs, vt non declinet, neque à dexris, neque à sinistris, sed via Regia festinet ascendere veluti nouus Moyses.

Ramusculus Decimusoctauus.

PRæmonstrat Virginis Præsentationem à parentibus factam in Templo Domini non fuisse corruptionis timore, sed educationis, perfectionis, & securitatis amore, vt de Rege Ioas testatur sacra Scriptura; & de Abraham, cui dictum est exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui; hoc primum eligat, qui vni Deo cupit adhærere, se emundare ab omnibus, vt Moysi monstratū est, quando accepit, solue calceamenta de pedibus tuis, Deo appropinquare non meretur, nec eius astare conspectui, qui non se emundat ab omnibus, & cunctis obdormit creatis, quo somno obdormientes Apostoli in monte Thabor, quo obdormiuit, & Virgo in domo Domini: digni effecti sunt Dei præsentia, & frui colloquijs diuinis.

Ramusculus Decimusnonus.

PRæmonstrat Virginis sui ipsius oblationem fuisse Deo gratissimam: quia non fuit diuisa in partes, vt Cain, sed perfecta, & integra, vt Abraham, & ab omni creatura denudata, vt Dei solius esset, vt testatur Angelus sedens super lapidem Sepulchri Christi Domini; fuit idcircò suauissimi odoris, quo delectatus Deus, & amore captus, surgens de sinu Patris, venit in vterum Virginis, quæ sic læta cecinit: dùm esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suauitatis.

Ramusculus Vigesimus.

PRæmonstrat Mariam in sua præsentatione obtulisse Deo præcoquas ficus, quibus famescit Deus, hoc est flores sui liberi arbitri, sui cordis, & operationum, qui Dei gutturi fuerunt suauissimi fructus, quibus Maria effecta est Dæmonibus formidabilis, Deo, & Angelis amabilis, & verè filia Abrahæ, cuius flores sunt fructus honoris, non maledictionis, vt Ficulnea illa à Deo maledicta, quæ primogenita suorum florum Deo offerenda denegauit, Virginis exemplo te, & tui cordis flores primæuos Deo sacrare, & offerre memento.

Ramusculus Vigesimusprimus.

PRæmonstrat Virginem vas esse auri solidum, Deo sacratum, per deuotionis, & dilectionis feruorem, erga Deum, propè cuius fluenta plenissima plantata, fronduit, floruit, & fructificauit, & requiem, quam in rebus creatis non inuenit, inuenit in hæreditate Domini, in qua commorans Virgo ipsi Deo præstitit requiem: tunc verè requieuit Deus ab omni opere, quando, qui creauit me requieuit in Tabernaculo meo, quia secreta Maria ab omnibus mundialibus, velocius Petro super aquas perambulanti, peruenit ad Deum: qui idcirco eam calceauit Luna (vt vidit Ioannes) vt caleatis cunctis ad illam Dei hæreditatem citissimè perueniret, & requiem, quam peroptabat, inueniret, vbi luce perfusa diuina, non pura creatura, non Angelus, & Ioanni Baptistæ, & Stephano datum est, sed in Deum ipsum tota transformata videretur.

Ramusculus Vigesimussecundus.

PRæmonstrat Mariam in domo Domini non otiosè vixisse, sed modo internis, nunc autem externis fuisse semper laboribus occupatam; & ne panem comederet in domo Domini otiosa, manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum, mentem sacris, & diuinis meditationibus exercitam, & membra corporis externis defexa exercitijs; didicit enim tenere colum, & rotare fusum, sciens quàm inimica est animæ otiositas, & quot mala ingerit torpentibus, vt de seruo illo, qui talentum abscondit Domini sui, & de Figulnea à Christo Domino maledicta, fugat otiositatem qui non vult gratiam Dei in vanum recipere: qua de causa legimus pedes Virginis à Deo calceatos sandalijs Hiacinthi, & non Rheda, qua ferebatur Rex Salomon, sed suæ quietis lectulum fuisse sexaginta militibus munitum ad custodiam: sic & primo homini in Paradiso voluptatis laboris opus mandatus: non ad corporis necessitatem, sed ad exercitium, vt animæ, & corporis puritatis, & innocentiæ statum seruaret, atque custodiret, hanc legem sibi præscripsit Maria, vt filia puritatis, & innocentiæ.

Ramusculus vigesimustertius.

PRæmonstrat singulare Virginis studium in domo Domini fuisse lectionem sacræ Scripturæ, cuius edocta lumine fuit repleta omni bono, et quidem: quia fuit repleta omni sapientia ad cognitionem veritatis diuinæ, fuit repleta omni scientia ad motum suorum, et actionum compositionem, et ordinationem, fuit repleta omni prudentia ad nostram instructionem, et doctrinam, et quid veri luminis, et cognitionis illi deesse potuit? si vt repleret eam Deus omni bono, introduxit illam in cellam vinariam, et potata vino cœlestis sapientiæ, et inebriata vino dilectionis æternæ resplenduit in Virgine sapientia cognitiua, meditatiua, contemplatiua, prophetica, extatica, et expectatiua claræ visionis: quo lumine penetrabat non duntaxat corda hominum: sed, et Dei pectoris secreta, vt exploratum est in conuiuio Canæ Galileæ. Quo etiam affecta est omnibus schola veritatis, et norma virtutum; meritò de ea legitur, mel, et lac sub lingua eius: quo corda nutriuit, et aluit audientium, qua de re innocentes æstimati sunt plorata digni, quia schola Virginis ante tempus priuati fuerunt, cuius doctrina crescit in arborem, vt granū Sinapis: ita vt in ramis eius nidificat, viuit, et requiescit omnis anima contemplantis, et sedentis sub vmbra illius.

Ramu-

Ramusculus vigesimusquartus.

PRæmonstrat Mariam ex vi suæ contemplationis in Deum fuisse semper eleuatam; ità quòd obdormiens corpore Deo vigilabat corde, nam somnus, qui in nobis dormientibus cuncta sepelit, etiam nostri liberi arbitrij vsum, et omnes merendi actus à nobis auocat soli Virgini diuinitus datum est, adhuc etiam in vtero matris existenti semper liberè, et voluntariè operari, et perfectius Deum contemplari, quam quilibet Sanctus in ætate perfecta; vndè effecta est Magistra, et doctrix Discipulorum Christi; et ipsi Virgini soli datæ sunt duæ alæ aquilæ magnæ, quibus altius volauit, et Deo vicinius approximauit ipsa dormiens, quam quilibet alius Sanctus euigilans, et has contemplationis vigilias Maria ad nostram salutem custodiebat perfectius, et efficacius quam Elias.

Ramusculus vigesimusquintus.

PRæmonstrat Mariam Deo se deuouisse exhibere Virginem, et omnium primò sine præcepto, sine consilio, sine exemplo, suam eidem consecrasse Virginitatem, et vt vera filia Aminadab post illam millia millium adducuntur Virgines, portans Virgo super omnes vexillum Virginitatis, cuius odore post se non tantum traxit corda filiorum Adæ: sed et ipsa ornamenta Cœlorum, ità testatur D. Ioannes in Apocalypsi, et Virginitatis munere omnium creaturarum perfectius quam Adam consequuta est Maria Principatum, et Dominium, et vt Virginitatis magistra exemplo, et facto hanc edocuit virtutem, et modum, et formam eam sectandi, quando ipsa non transiuit in possessionem Ioannis nisi abdicatis omnibus mundi impedimētis, et huius virtutis odore, ex hominibus Angelos facit, vt in Abraham: imò, et Christi sponsas, quæ sequuntur agnum quocunque ierit.

Ramusculus vigesimussextus.

PRæmonstrat corporalem Virginis pulchritudinem per omnia, et omninò fuisse consimilem pulchritudini filij sui, quem genuit virtute Spiritussancti, et ipsemet filius pulchritudinem matris in dispositione membrorum suæ pulchritudini comparando assimilat, dum in laudem eius sic cecinit, equitatui meo assimilaui te amica mea, cuius corporis membra aciem benè ordinatam ostentabant, et tot erāt sagittarij, quot cernebantur in Virgine: partes quibus si victum legimus Deum ipsum: Cur non omnia? si omnis armatura fortium pendebat ex ea, et arma erant fulgentia fulgore quasi diuino, quo illustratus primus homo licet in figura, prophetauit de Maria, et respirauit ad vitam, quamuis sua culpa erat morti addictus, quando Euam, quæ omnis mali causa fuit, et mortis rea, vocauit matrem viuentium, pulchritudine Virginis tunc dulcorauit mortis venenum, et spem erexit ad vitam.

Ramusculus vigesimusseptimus.

PRæmonstrat Virginem Dei fuisse amicam, suauem, et decoram; ex primo ternario lapidum, quibus præfulsit spiritualis eius pulchritudo in Iaspide, qui viridis est coloris, adumbratur fides, qua illustratus Virginis intellectus, et illā eleuauit super omnes etiam mentes Angelicas, et nos ad Dei filiationem, ideò Deo amica, et nobis suauis per Sapphyrum, qui spem exprimit Virginis, qua ad cælestia semper eleuabatur cor eius, et ad Deum, et reddebat tutum in aduersis, et securum semper imperturbatum fortius, et fidentius, quam pectus Reginæ Esther; spes nostrę saluationis in spe Virginis firmatur securius quam Saulis in Dauid. Sapphiro adiungitur Calcedonius: qui cum sit pallidi coloris, charitatem ostentat Virginis, qua exestuans cor Mariæ Deum anhelans, semper erat in inquisitione illius, et quia quærebat in nocte vitę præsentis semper pallebat vt Calcedonius.

Ramusculus vigesimusoctauus.

PRæmonstrat Mariam fuisse Smaragdo gratiæ Deo gratiosissimam, et repletam omnis gratiæ plenitudine, eleuatam ad Dei matris dignitatem, et in cælesti Patria super omnes Choros Angelorum, effectam Dei templum, et Spiritus sancti sacrarium,et verè deliciarum Dei Paradisum,imò,et labrum,in quo ingressus summus ille Sacerdos,non vt ablueretur, sed vt ablueret sordes filiorum hominum, et speculum illud sine macula,in quo Deus,figuratus est caro, ex carne illa Virginea: quæ candore Sardonij prælucebat puritate, et innocentia nunquam fœdata luto paternæ transgressionis; hac innocentia fræta Virgo Sardij rubore effecta est fidens Deo suo,et victrix inimicorum omnium fidentius quam Pater suus Dauid, vt et tu anima mea viuas in Virgine absque mortis timore, absque damnationis pauore securius,quam Noè in Arca,Arca salutis tibi facta est Maria. Genes. 6

Ramusculus vigesimusnonus.

PRæmonstrat totius vitæ Virginis institutum, & ordinem fuisse aureum ex Chrysolito, purissimum superpuritatem Angelorum ex Berillo, quibus dum additur Pallor Topatij docere te voluit totam Virginis vitam exterius,& interius auream fuisse ex primo lapide, modestie lege, qua, & ipsa sui corporis, & animæ actiones moderabat in cunctis: vt ex Colloquio Angelico, & ex apertione mali punici, cui ad hoc illius genæ comparantur; ex cuius apertione nobis panduntur, quæ latebant in pectore virginali,& purissimo ex secundo lapide,quibus appositus est Topatius,qui aureo colore pallet nimirum quia pallebat Virgo corporis mortificatione, afflictione, & abstinentia: fuit enim Maria semper amica ieiunij, quia semper extitit amica castissimæ puritatis.

Ramusculus Trigesimus.

PRæmonstrat internam cordis Virginis pulchritudinem ortum traxisse ex vberrimo fonte virtutum,quæ vtique omnes radicantur in iustitia,qua sola Chrysopasso ornata Maria reddebat sibi munditiam cordis, & mentis innocentiam, indumento induta mortificationis, non vt primi parentes ad nuditatis ignominiam operiendam: sed ad quærendum, & Deum possidendum in puritate cordis, cui adiunctus erat Hyacinthus, qui cum sit aerij coloris exprimit, quid erga te reddidit Maria hoc ornata lapide, ex ijs, quæ passa est propter te: quo argumento D. Paulus conuicit Galatas de Christo loquens,& quid mirum,si tot,& tanta pietatis signa erga nos scatent ex Maria, cuius cor Amethysto coronatum erga Deum tot flammis purpurabat, & ardentius ardebat quam rubus in camino ignis, qui non quiescit nisi quos amat repleat omni bono,quo ipso ipsa plena erat.

Vmbra Secunda Palmæ.

PRæmonstrat Virginem à parentibus præsentatam in domo Domini, & Deo fuisse sacratam, sub cuius vmbra sedens hæc infantula: quia non alio lacte, seù cibo pauit eam Deus,nisi quo ipse pascitur, & nutritur effecta est tota Deiformis, & diuina,& si Deum habuit Maria in nutricem,vt in Osea legitur ducam in solitudine & lactabo eam,& lacte lactauit eam,quo lactantur,& cibantur Beati in Patria iuxtà Psalmistam, quando perfectius, quam Eliseus Maria terrenis à cunctis spoliata affectibus vestiri meruit cœlestibus,& solaribus radijs,sic vestitā, sic denudatā vidit Beatus Ioannes in Apocaly.& sic transformata in Deum,viuens sub vmbra Dei, meruit obumbrare Deum;qui vt viueret vita hominis sedit sub vmbra Virginis,quæ Dei effecta mater,pascit,& pascitur,nutrit,& nutritur,lactatur,&lactat,quo lactat & nos,vt nos transformet in Deū;hæc sunt aromata,quæ flante Aquilone,& Austro fluunt de mammillis matris Virginis, cuius lacte anima fidelis pascitur, & viuit,nutritur, & sanctificatur,mundatur, & abluitur veluti alter Isaias, et finalitèr ignitur hoc calculo,et tota transformatur in Dei dilectionem, et amorem.

DE EDVCATIONE, ET CONVERSATIONE BEATÆ MARIÆ in domo Parentum.

RAMVSCVLVS DECIMVSSEXTVS.

Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius; sed gaudium, & lætitiam. Sap. Cap. 8.



Sque modo ô Maria, vbi iam in tui perdulcissimi nominis ramusculis anima huius serui tui inuenit sibi nidum, ibique nidificans reposuit votorum cordis sui feruentiss pullos, & tua adiuta benignitate, ibi pariter, & fouit, & suauiter educauit, & nutriuit, & aluit: nunc iterum tuo simul innixa auxilio; en eiusdem nouа desideria iterum ad tuam Palmam Virgineam ascendi, iterum, & nidificādi, ac cordis sui partus iterum pariendi, educandi, alendi, & enutriendi fructibus, & dulcedine huius decimisexti ramusculi, cuius suauitatem ô dulcissima mea puellula, quanta mentis dulcedine, quanta spiritus consolatione, quātaue præcordiali teneritudine, primò omnium gustauerunt, dicant qui experti sunt, & ipsi amantissimi tui progenitores, Ioachim dico pater tuus, & Anna sanctissima mater tua.

Hæc vbere de cœlo pleno, nunc te lactando, hæc tenella tua fascijs membra nunc ligando, hæc proprijs te lauando manibus; hæc strictè, & suauiter suis nunc te amplexando brachijs; hæc oti tuo paruulo dulcissimo oscula perdulcia ore suo nunc præbendo: hæc materno te fouendo sinu: hæc tuo vultui pulcherrimo, suam dulciter nunc faciē admouendo: hæc enim nunc te blanditijs, cantilenis, nunc te verbulis alloquendo, cantando, psallendo, & perdulciter tibi nunc blandiendo: ò è ò ineffabilis dulcedo, ò suauitas inexplicabilis, qua tecum conuiuendo, tecum conuersando, tuoque cōmercio, colloquio, & familiaritate fruendo, vterque parens tuus ô Maria tenebatur, afficiebatur, & dilectionis tuæ amore, & in tui aspectus intuitu inebriabatur, dulciter intuendo, & suauiter contemplando testantur, vt experti conuersationem tuam non habere amaritudinem, sed saporem omnis dulcedinis, nec tædium conuictum tuum, sed gaudium, & lætitiam: ô pelagus omnis gaudij, ô fons deliciarum Dei, & totius sanctitatis, & dulcedinis abyssus imperscrutabilis.

Nec mirum si attendas ô anima mea, quoniam si adhuc existens in vtero matris, non solum vsum habuit liberi arbitrij, & rationis plenum, ac perfectum lumen, sed & statum consumatæ, & perfectæ contemplationis, & in tam sublimi gradu, quòd nulla alia viatrix creatura habuit, etiam in ætate perfecta, vt satis probat D. Bernardinus Senens. serm. de gratia, & gloria B. M. Virginis. *Si Maria in matris vtero fuit lumine contemplationis perfectissimè illustrata, & irradiata, vt Deum ipsum contemplata sit adeò clarè, quòd non alij datum est*; nam somnus qui in nobis dormientibus impedit, & tollit actum liberi arbitrij, & vsum merendi, & abducit nos, & abstrahit, & interpellat, & eripit, & abripit à studio contemplationis. D. Bern. Senens.

In Virgine vero tale studium, talem actum, talem vsum numquam naturæ somnus impediuit, nec interpellauit, nec præpediuit; quæ et si aliquando naturæ necessitate dormiebat corpore,

semper tamen vigilabat animo; solius enim Virginis anima in Dei contemplatione plus, magisque excessit dormiens, contemplando, quam aliquis vigilando, quo contemplationis lumine, eleuando se supra se clare cognouit sui Creatoris, et Dei naturam, et gloriam, et cuncta omnia, quæ fugienda erant, quæ aspernenda, quæ sequenda, quæ amplexanda, et modum quo hæc diligenda erant, et illa odienda, et diuino illo lumine tota circumfusa, et edocta, et cœlestibus repleta splendoribus, ac donis illius satis superque exatiata diuinis, quomodo non dulcis eius conuersatio? quomodo non suaue, et summe delectabile eius commercium? et in huius puellæ conuictu (si tota erat diuina) quale gaudium, et lætitiam deesse potuit?

Cuius corporis infantilia membra dum materni pectoris lacte conspicis enutriri, in ipsomet temporis interuallo animam eiusdem intuere lactari, vt æterni Patris filia, lacte perdulcissimo diuini illius pectoris, et sic matris suæ Annæ pectori inhærendo, et lac à mammis sugendo, hoc ipsa curabat, ad hoc magis attendebat, vt à nudata Dei pectoris mamma lac diuinæ dulcedinis sugeret, & diuinorum, & supercœlestiũ arcanorum Dei contemplationi vacaret.

O Maria, ò diuina puellula, nondum verba promere didicisti, more infantiũ tuæ ætatis balbutiendo obloquebaris, & tamen cum spiritibus illis cœlestibus in cœlo diuinitatis mysteria, & capis, & intelligis, contemplaris, & laudas, magnificas, & extollis, & vbi membra parua habes infantilibus inuoluta pannis, & fascijs, & puluinis renes locata, & cunis: solutis tamen tuæ animæ alij super Cherubim, & Seraphim vsque ad solium Maiestatis Diuinæ te euectam, & diuinitatis splendoribus te circumfusam, irradiatam, circumfulgentem intuetur anima mea: papæ ò Maria quid est hoc? ò puellula dulcissima, vbi in terris dormitantem, & obdormientem, vbi te in terris lactentem, & pappantem, ac matris tuæ sinu te receptam gremio, & pectore confotam, necnon & iteratis amplexibus, te circumamplexam manibus, & brachijs contemplatur anima mea, simul & eodem tempore, & in cœlis te videt in sinu, & inter brachia Dei altissimi, & ad pectus eiusdem reclinatam non obdormientem, sed vigilantẽ, fruentem Diuinitatis illius mysterijs, Choris Angelicis stipatam, & Angelorum lacte, quo & ipsi æternaliter viuunt, ab vbere vbertatis Dei lactatam te videt, & enutritam, quomodo non dulcis Mariæ conuersatio? quomodo non suaue eius commercium?

Cum lac inter cætera alimenta vim maximam habeat inducere mores animi, propensiones, & inclinationes, vt docent Aristoteles lib. 4. de natura animalium cap. 8. Albertus Magnus lib. 18. de animalibus cap. 7. Galenus in lib. de alimentis, & D. Iustinus martyr lib. 74. testatur: *quòd Romani semper tenebantur lupina fame ebibendi aliarum nationum sanguinem, quia primi illorum fundatores, lacte vnius lupæ fuerunt enutriti*: illis enim moribus propriętatibus, propensionibus, & inclinationibus, quibus fuerint imbuti parentes, ex quorum vberibus lac suxerunt, imbuuntur, & infantes. O Maria, ò pulcherrima puellula, si caro tua purissima lacte fuit enutrita de cœlo dato, si anima tua sanctissima ab exordio suæ formationis lac dulcissime suxit de pectore Dei Patris, quòd testari videtur D. Hieronymus illis verbis: *Maria quotidie diuina visione fruebatur*: illud quotidiè, complectitur & primum instans sui esse, & extremum & vltimum huius vitæ mortalis: si ab illo primo instanti suæ creationis Maria quotidiè visione beatifica est potita, si lac fuit diuinum, & haustum ab illo fonte, à quo longè est omne tædium, amaritudo, asperitas, afflictio, gemitus, angustia, mœstitia, & dolor, & infantis tales sunt mores propensiones, gestus, & actus, quales sunt illius, cuius lacte lactatur, in cuius vbere enutritur, et de cuius pectore cibatur, et pascitur.

Arist.
Alb. Mag.
Galen.
D. Iustin.
D. Hiero.

Quid dicam ò Deus cordis mei, ò Deus vberum, tu creasti, tu fecisti, tu formasti, tu portasti, tu lactasti, tu pauisti, tu enutristi, tu cibasti, tu aluisti hanc puellulam, luce tua diuina, tu reuela, tu dic animæ seruuli tui, tu qui nosti, tu qui dedisti, quales erant huius infantulæ mores, gestus, motus, actus, qualia eius verba, opera, animæ officia, pectoris eius desideria, et vota, qualia eius corporis facta, gressus, et motus; qualis eius familiaritas, consocietas, confabulatio, conuersatio, conuictus, cohabitatio, et commercium? Dicam quòd capio,

pio, dicam quòd sapio, cuncta diuinitate sapiebant, diuinitatem, cuncta spirabant, cuncta diuinitate relucebant, et diuinitate redolebant omnia: nec mirum, si diuinitatis lacte erat ipsa enutrita, et educata in pectore Dei Patris.

Ex mamma diuini pectoris attraxit Maria quid diuinum, ex quo cunctæ, et singulæ sui animi, et corporis actiones diuinitatis supra naturam mirificè efflabant odorem, vt de ea valeas, et tu Ouid. in fault. edicere: *Mansit odor posses scire, fuisse Deam*: Maria natura homo erat, et homo videbatur; at præter id, quòd extrinsecus corporis contemplatio præferebat aliud, eius facinora sentiendum indicabant, et quòd præsentia corporalis tantæ Virginis tunc operabatur in oculis intuentium eam, ididem operatur, et nunc præsentia spiritualis in cordibus eam piè contemplantium, et cum ea purè commorantium.

Ad hæc Virginis capessenda mysteria, anima illa duntaxat euehitur, et eleuatur, quæ per dilectionem, et contemplationem est frequentissima, et cum illa dulci contubernio moram dulciter trahit.

Interrogare non te pigeat eos, qui hæc experti sunt: vos igitur primò alloquor ò spiritus cœlorum, qui in Virginis famulatu, colloquio, et societate eratis assidui: taceo nunc de Sancto Ioseph eiusdem sponso dilectissimo, reticeo de B. Ioanne Euangelista, qui Virginis inter filios adoptatos primum occupauit locum: dicam tantummodo de Sanctissimo Ioachim, et Anna eiusdem Virginis progenitoribus; vterque enim post Virginis natalem in propria domo cum hac eorum infantula triennio commorati sunt, ex cuius conuictu, sodalitate, et contubernio; quale gaudium quam fœlicitatem, quem spiritus feruorem, quæ virtutum incrementa; quam suauitatem, et dulcedinem non ebiberunt satis? si infantula tota erat melle dulcedinis, lætitiæ, et consolationis perfusa? et diuinitatis lacte enutrita? *In* D. Bona. *ore Mariæ*, inquit D. Bonauentura in speculo Mariæ Virg. cap. 11. *non fuit fel, & venenum Diaboli, sed mel, & lac Spiritus sancti*: cuius gratia vterque pariter eleuabatur ad id clarè cognoscendum, quòd Diuinitatis occultabatur in Virgine, & ipsissimet Diuinitatis etiam vterque particeps effectus est.

Christus Iesus, Deus erat, & homo, & hominis figuram, quam vt homines tãtummodo homines intuebantur, pro eorum opinione illi tribuebant; diuinitatis verò formam, quam verè erat in forma Dei, æqualis Patri, non intelligebant: quapropter dixit discipulis suis: *Quem dicunt homines esse filium hominis; alij Ioannem Baptistam, alij Eliam,* Matt. Eu. c. 16. *aut vnum ex Prophetis*, fuit responsum, quòd aliquid aliud sublimius erat sentiendum de eo, præter id quòd præferebat illa corporalis substantia; accepta hac Iesus de filio hominis sententia, respondit eis: *Vos autem quem me esse dicitis?* quæ verba exponens D. Hieronymus sic ait: D. Hier. *Qui de filio hominis loquuntur, homines sunt, qui vero Diuinitatem eius intelligunt: non homines, sed Dij appellantur*.

Apostolos in hac sententia Dominus Iesus non appellat homines, sed Deos, qui ad eius intelligendam diuinitatem supra naturam diuino afflati lumine eleuati sunt, & quis ad illam traxit veritatis cognitionem? euexit ad dignitatẽ? perduxit ad fœlicitatem? subleuauit ad intelligentiam? dicam quæ sentio, nimirum, quia Iesu discipuli per triennium illi semper adhæserunt, triennalem cum illo traxerunt moram, & ex sodalitate, familiaritate, contubernio, & colloquijs perdulcissimis tum in via, tum in mensa, hanc nacti sunt dignitatem; vt appellarentur Dij, & vt Dij ad filij Dei dignitatis eleuarentur agnitionem. Audiamus de hac re quid dicat pijssimus Paulus Emissen. homil. de Natiuitate. Paul. Emissen. *Vos qui me per tres iam annos sequuti estis, & qui meam virtutem, & prodigia vidistis, & super mare ambulantem spectastis, & in eadem mecum mensa communicastis: vos autem quem me esse dicitis.*

Talis erat naturæ Dominus, quòd illos, quibus adiungebatur eleuabat ad participationem, & intelligentiam suæ Diuinitatis, Maria, quia in Christum, quem genuerat, immigrauerat, & tam perfectè eius imitabatur vestigia, & virtutes, vt ab illo non videretur distingui. Inquit pijssimus Ioannes Patriarcha Ierosolymit. in lib. de institut. Monachorum cap. 33. Io. Patr. Ierosol. *Ecce, inquit, nubecula parua quasi vestigium hominis ascendit in Carmelum; quia Maria in suo spirituali ascensu non fœminam, quam imitare-*

taretur; sed hominem diuinum habuit exemplum.

Eiusdem muneris est mater hæc, cuius est & filius, cui illa adiungebatur, & adiungitur, eleuabat, & trahebat, eleuat & attrahit ad suæ dignitatis agnitionē. O anima mea, & quæ anima fidelis huic infantulæ magis fuit adiuncta? vt pater eius & mater Anna? vterque enim cum paruula filia in eadem vixit domo, eadem fuit & mensa, fuit societas, & familiaritas, fuit contubernium, & commoratio: per tres annos experti sunt ij sanctissimi progenitores, quam dulcis, & plena gaudio erat Virginis, vt illis dicere liceat, & cuilibet animæ.

Non habet ô Maria amaritudinem conuersatio tua, sed saporem cœlestis dulcedinis; sed odorem sempiternæ Diuinitatis: non habet tædium conuictus tuus, sed gaudium, & lætitiam, adiungere, adhære Mariæ, esto cum ea frequentissima, vt sencias, quæ dico ô anima mea, vt capias quæ legis, augebitur in te omnis lętitia spiritualis, & longè aberit omnis præsentis vitæ amaritudo, si cōsociaberis huic infantulæ; valet enim eius contubernium infundere mores, quibus ipsa diuinitus callet, dum affectione aues fore concordem (quantum fas est) & omni conatu studes imitatione esse consimilem quam diligis.

Hæc est humana fragilitas, quòd quis de faci i mutatur ad conuictorum mores, quibus associatur, & iungitur, si bonorum ad bonum; si verò malorum ad malum; vndè meritò D. Bernardus lib. 4. de consideratione, malorum contubernium comparat venenato serpenti: nam si hic obest corpori, malorum consortium animo insidiatur: *Veniamus ad collaterales tuos,* inquit Sanctus, *hi si boni sunt, sibi potissimum sunt, si mali æquè plus tibi, ne te dixeris sanum dolentem latera hoc est, ne te dixeris bonum malis innitentem*: & post pauca: *Nec tuta tibi tua bonitas obsessa malis non magis sanitas vicino serpente*: si ad labefactandam bonorum bonitatem, & salutem tanta inest vis malorum cohabitari, non minus proderit, imò magis malis bonorum sodalitas, & comitatus ad eorum malos mores commutandos, & ad eorum augenda merita, & dona, vt non solum à aliquo polluti contagio purificantur, sed inflammantur ad virtutes, & ad participanda etiam diuina. D. Bern.

Videtur hoc autumare Sacra Scriptura ex mente Diui Augustini, Putiphar ille Aegyptius, Pharaonis Eunucus, & Princeps exercitus eiusdem, vt notat tex. in Genes cap. 39. n. 1. quem postea in capite quadragesimo primo n. 45. idem Sacer textus vocat sacerdotem Heliopolis, seu in Vrbe Solis: quiquidem honor apud Aegyptios Diuinus censebatur: Genes. Duplici enim honore fulgebat inter suos Princeps iste, Regi Pharaoni deseruiens, temporali quadam dignitate eleuabatur, & honorabatur; quod si et euectum cernimus ad maiorem dignitatis gradum nempè diuinum: ô anima mea, et vndè illi hoc munus? hoc Deus? dicam quæ in hac parte sentio, ex contubernio, et affinitate cum Ioseph viro sanctissimo contracta: in seruum venūdatus est illi, et in seruitutem emerat, at quando ei collocauit filiam in matrimonium ex consortio, et coniugio, ex vicinitate, et commercio huius viri iusti, ex humano honore quo primo fulgebat, vt Pharaonis Eunuchus creuit in virtutes et mutatus est ex homine terreno in hominem cœlestem, et planè diuinum.

Audiamus D. Augustinum q. 136. in Genes. *Congruentèr alibi ille honor eius commemoratus est, qui talibus actibus cōgruebat; hic verò postea, quam in Ioseph apparuit non parua Diuinitas ipse honor debuit nominari soceri eius, qui pertineret ad Diuinitatem non paruam, secundum opinionem Aegyptiorum in Sacerdote Solis.* D. Aug.

O violentia verè Cęlestis, ô vis verè Diuina, si Iosephi vicinitas, affinitas, cōmercium, et societas homini Aegyptio tantum profuit, tantum contulit, allexitque ad virtutes, vt ex prophano faceret fidelem, ex homine terreno efficeret Diuinum.

Quid sodalitas Virginis, quid Mariæ societas, commercium, et conuictus? quæ totius sanctitatis fuit thesaurus, et totius Diuinitatis sacrarium, quem nō alliceret? non impelleret? quem non afficeret? non mutaret? non repleret Diuinitate? puritate? lætitia? et gaudio quo ipsa repleta est? Si vnusquisque ad mores illorum quibus associatur, et adiungitur facilè mutatur, et assimilatur.

Petrus Apostolus, et post Christum primum fundamentum Ecclesiæ, et fundamentalis petra, captum Iesum à Iu-

dæis in horto,& vinctum, sequitur ipse vsque ad domum Caiphæ: sed quid ibi
Matt.Eu. ei accidit? Narrat Euangelista Matth. c. 26. *Petrus verò sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla dicens: & tu cum Iesu Galileo eras? at ille negauit coram omnibus dicens, nescio quid dicis.*

O anima mea quid est hoc? Hic qui sic loquitur nonne est ille? qui paulò ante præ nimio amore erga Christum, non timebat,& in carcerem,& in mortem ire? Et nunc cur timet etiam eius discipulus dici,& haberi;hic qui sic loquitur, nonne est ille, qui interrogatus
Ioan.Eu. à Iesu:*Simon Ioannis diligis me plus his,* Ausus est respondere, *etiam Domine tu scis quia amo te*: hic qui sic nunc negat nonne est ille, qui interrogante Domino, *quem dicunt homines esse filium hominis?* ausus est confiteri, *Tu es Christus*
Marc.Eu. c.8. *filius Dei viui?*

Cur qui in his interrogationibus ostenditur imperterritus amator, nunc in vnius illius ancillæ interrogatione mutatur, & deficit, timidus deuenit,& fit Christi negator:deficit in confessione.mutatur in amore, qui paulò ante sic feruidè amabat, nunc tam turpitèr
D.August. timet,& negat. Audiamus D. Augustinum quid ipse dicat tract. 92. in Ioannem. *Ante passionem seruilis timor Petri interrogatus est à fæmina seruitutis, post resurrectionem Domini liberalis eius amor ab ipso Principe libertatis: & ideò ibi turbabatur, ibi quem dilexerat, negauerat, hic quem negauerat diligebat.*

Ac si diceret, quales illi erant, quibus Petrus associabatur, vel quorum consortio, seù familiaritate ipse vtebatur, talis,& ipsemet efficiebatur; dùm Christo associatur & iungitur,dùm Iesu suo dilectissimo magistro versabatur in illius totus ardebat amore,totus se dissoluebat in flammas dilectionis erga dilectum;quapropter quando cum Iesu Galileo erat nullus in eo erat timor, nullum tædium: imò plena lætitia, & gaudiū securitatis,simul,& amoris forti tudo,& dilecti cui,iungebatur moribus totus videbatur mutatus:nam suauissima amantis Magistri conuersatio,& societas reddebat amantem, confitentem,
Ioan.Eu. cap.9. fortem interpidum, & inuictum: *Quò ibimus, verba vitæ æternæ habes*: eructauit amando: indissolubilis,& fortis nimis erat Petri amoris nexus erga Magistrum: quem nunc timore perterritus, sic liberè negat, sic dilectionis nexum facilè rumpit; & sic suæ primæ confessionis nodum soluit, & vinculum frangit.

Quando erat Petrus cum Iesu Galileo, & illi associabatur, illum sequebatur, cum illo comitabatur, illius moribus facile respondebat; at quando sedebat foris in atrio,& accedens associatus est seruæ Pontificis Caiphæ,ancillę, seruili metu totus tenetur, & timori seruiens seruit,& peccato,negando magistrum: Petrus illorum cum quibus conuersatur sequitur mores, bonorum enim seù malorum conuersatio, tantam vim habet in se, quòd eorum mores ingerat sodali illius associato. Sodalitas enim malorum ad malum ex sui natura:itâ præpotens est, quòd si in Christi pectore,quòd veluti caminus ignis erga homines feruebat charitatis incendio, tepor irrumpere potuisset, malorum tantummodò sodalitium immittere, vtique valuisset: verum velim scias primò, quòd aliud erat opus operans, seù interius in Christo, quia ex perfectissima charitate procedebat,erat perfectissimum: & hoc est opus, & actus perfectissimæ voluntatis, & virtutis; aliud erat opus exterius;& hoc in se consideratum aliquando fuit perfectnm de genere actus, vtpotè morti se offerre, vel animā ponere pro omnibus aliquando imperfectum, vt fugere à facie persequentium, & ab eis se abscondere: verum hoc opus relatum ad Christi charitatem, & rationem, & causam, vel etiam ad personam efficiebatur perfectissimum; & hanc doctrinam eligo à
Diuo Bernardo in serm.1.Diui Andreę tractans illud; *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*, dicit sic Sanctus: *Agnosco planè in duce belli pusillanimorum trepidationem agnosco ęgroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis, considero charitatem: stupeo miserationem expauesco dignationem.* D.Bern. D. Andr.

Nunc autem ad rem obsoluta à Domino Iesu vltima cæna,& egressus à cęnaculo,venit in Montem Oliueti,& relictis Apostolis, auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis,& solus cum peruenisset ad locum orationis, positis genibus orauit ad Patrem: & ex imo pectoris sui erumpentibus flammis amoris sollicitus de nostra redemptione, quò prolixius orabat, eò feruentius incale-

calescebat cor eius,& eò excreuit feruor dilectionis, quòd *factus in angonia*; vt inquit Sanctus Lucas Euangelista cap.22.prolixius orans, & perseuerans in oratione sua,*factus est sudor eius,sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*:Et vbi Sanguis Corporis Christi terram tetigit, quid accidit ò anima mea? sic tibi respondent Euangelistę,quod orãs, & lacrymans rogabat Patrem, *Pater si possibile est transeat à me Calix iste*; hæc oratio nonnè cordis Christi erat orantis? Et eius cor nonnè feruebat nimis charitatis igne? Et quæ glacies,vel glaciale frigus valuit frigefacere,tepere,& glaciare? Vbi ò anima mea moriendi pro salute hominum ardentia desideria,& vota? Vbi contra Apostolum Petrum n..rtem hâc impedire cupientem illa dura increpatio: *Vade retro Satanas scandalum es mihi*? Vbi illa flammigera verba; & suspiria; *Baptismo habeo baptizari, quo coarctor? Vbi desiderio desideraui,hoc Pascha manducare vobiscum*? Et alia huiscemodi verba, & cordis sui desideria? Nonnè, & ipse ex Consiliarijs in Concilio Sanctissimæ Trinitatis fuit vnus,qui mortis eius decreto consenserat,cur à pristina sententia discedere,& in prima non stare videtur?dùm rogat, *Abba Pater omnia tibi possibilia sunt, transfert Calicem hunc à me*. Marcus c.14. & renuit Calicem passionis bibere;nunquid nô ipse est, qui dixit Petro *Calicē quem dedit mihi Pater non vis,ut bibam illum?* Vbi nunc hic dilectionis feruor, & incendium? Nonnè Christi pectus ardentium flammarum locus erat? quis nunc conuertit in glaciem.

Luc Eu.

Matth Eu. cap.16. Luc.Eu. cap.12. Luc.Eu. cap.22.

Marc.Eu.

Dicam,quæ sentio, mortuo Abel,huius sceleris fratricida meruit audire à Domino in pœnam suæ temeritatis: *Cain vbi est Abel frater tuus?quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: Sanguis hic, cuius vox cœlum adiuit. iniustè effusus erat sanguis hominis iusti, cuius est iniurias non vlcisci, sed remittere, cur contra fratrem homicidam vindictam expostulat, & non misericordiam,vt fratri remittatur noxa? Ex textu sacræ Scripturæ,sic respondet D. Ambros. in lib. de Cain, & Abel; *Non dixit de fratris corpore, sed de terra clamat; Et si frater parcit, terra non parcit*: Sanguis effusus non de membris occisi clamabat,quia frater erat, & vtique parceret, sed associatus terræ,clamabat de terra, ex consortio terræ accepit, licèt sanguis esset hominis iusti, vt vindictam exposceret, & vltionem exclamaret;terra igitur est, quæ stimulauit, & prouocauit sanguinem Abelis iusti,vt suæ mortis iniustæ iustam frater Cain vindictam solueret, & pœnam daret suæ enormitatis,tanta est vis,& tàm vehemens malorum societas, & sodalitium,quòd statim valet deprauare eum qui sibi associatur.

Genes. cap.4.

D.Ambr.

Quando Dominus Iesus ingressus est hortum, ingressus est, vt suæ mortis decretum de nostra redemptione adimpleret, & decreti illius æterni exigeret finem:& ex sua nimia charitate, qua feruebat fecit hoc, & ardens amore, & orans,accidit in illa Trina, & feruentissima oratione,[quod factus est in agonia,vt prænimia tristitia;*Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*: Tanta fuit copia sanguinis,& tam vehemens, quòd cecidit in terram, cui vbi consociatus fuit Christi sanguis,ex consortio terræ traxit glaciem illam: et ex feruido mutatus est frigidum,et concretus, et coagulatus gelu, exclamauit: *Abba Pater omnia tibi possibilia sunt transfer Calicem hunc à me*;Et hoc,vt opus exterius videtur aliquid imperfectionis includere,vt est de amotione Calicis exorare,non relatum ad Christi charitatem, et personam, vt supradictum est; sed tantummodò ad portionem illam interiorem, quam potuit mutare de feruenti in teporem: et quæ feruebat amore tepefacere ex consortio terræ. Sisto hic verba Rup. Abb. in lib. de vict. verb.cap.21. *Verè igitur tantum miraculum sudoris non otiosum fuit,quia contra infœlices Iudæos in præsagium iudicij terribilis,& vindictæ horribilis in terram decurrat*: at si diceret, quia Christi Sanguis terram tetigit, ex consortio terræ, hoc est malæ societatis factus est in præiudicium,et ruinam Iudęorum, terra fuit, vt charitatis feruor frigesceret in pectore Christi, et verteretur in teporem: heu nobis miseris, si petram hanc Angularem, et petram illam fundamentalem Ecclesiæ valuit sic concutere? quid fiet de limo fragili.

Marc.Eu. cap. 14.

Rup.Ab.

Quid fiet? attende. Herodis impijssimi Regis mœrorem,tristitiam, et animi conturbationem,qua tenebatur,angebatur, et crudeliter intus vulnerabatur; sæpissimè cogitanti mihi, et veluti in-

in speculo attentius contemplanti, magisstere liber, quam illam inuestigare; seù et edicere: qui vt puellæ saltanti suæ saltationis iustè psolueret debitū, ac promissum redderet præmium, ipsiusmet saltationis æstimationi commisit, & libertati: quòd et iuramento firmauit dicens; *Pete à me, quòd vis, & dabo tibi,* etiurauit illi; quale autē fuerit hoc iusiurandum, respondet Marcus Euangelista: *Quia quidquid petieris dabo tibi licèt dimidium Regni mei*: at illa matris consilio præmonita, dimidiatū Regnū nihil faciens, vnum Io: Baptistę caput expostulauit dicēs; *volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistę: Culmine Regni contempto*, inquit Diuus Fulgentius; *caput Ioannis petiuit in disco, plus odiens eum, qui interdixit incestum, quàm diligens eum, qui promiserat Regnum*: qua ab Herode audita puellæ petitione, ait sacer textus: *Contristatus Rex propter iusiurandum*.

Marcus Eu.c.6.

D.Fulg.

O anima mea; & quo Rex iste tenebatur iuramento? Num petitionis puellæ saltantis non posuerat ipse terminum dimidium Regni sui? quæ nunc causa mœroris? doloris, & mestitiæ? dicam, quæ sentio, ex conuictu, societate, & familiaritate, quam Rex habebat cum muliere incestuosa.

Licèt metueret Ioannem sciens virum Sanctum, & iustum, & libèter eum audiebat, & audito eo multa faciebat, & viri iusti vicinitas, conuictus, & sodalitas, virtutum exemplis, monitis doctrinis ab oculos in dies occurrentibus frænandi à malis vim haberet, & resurgendi ad vitam agitandi, & contendendi ad virtutum incrementa: quando nō solum libentèr eum audiebat, sed audito eo multa faciebat; opere audita exequendo, Ioannis vita, prędicatio, conuersatio, & consocietas quasi stimulus vrgebant ad mores immutandos, stimulabant ad bonum, agitabant ad meliorem frugem: quapropter custodiebat eum, ne interficeretur ab Herodiade, timens iram diuinam: si sanctum, & iustum virum ab impia muliere pateretur occidi: proh' dolor, metuebat Ioannem, custodiebat, & audito eo multa faciebat; sed non omnia: quæ ad suæ animæ salutem, & ad totius Regni conseruationem spectabant, operatus est, Cur hoc? quia vxorem fratris sui incestuosè associatus erat, relinquere noluit; non enim satis est multa facere, sed necesse est omnia præcepta adimplere: ex vita, & doctrina Ioannis iam intellexerat impius Rex suæ salutis, & sui Regni stabilitatem, idcircò timebat Ioannem, libenter audiebat, & custodiebat eum, ne interficeretur; quādo saltatrix puella contempta dimidiati Regni parte, in suæ saltationis præmium expostulauit caput Ioannis; meritò contristatus est, & graui mœrore affectus, quoniam ex vnius viri iusti capitis abscissione intellexit Regnum minimè stare, seù diu durare posse, sed ab eo abscindi.

Excusationem sui iuramenti non improbabilem, sed maximè euidentem: licet haberet nefarius Rex, vt iuramento non staret cum in capite Ioannis nō dimidium, sed totum regnum petebatur, sistamus hic verba Diui Basilij Seleuc.

D. Basil. Seleuc.

Age enim, inquit Sanctus, *quando dimidium pollicitus Regni, Ioannis caput pro munere poscebatur, quid amisisset iniurta, si talia loquutus fuisset, ego dimidiatum Regnum pollicebar: tu verò caput Ioannis exquiris, toto meo Regno longè pretiosius; quandoque sceptris meis clarius emicat, ac dignitate mea longè est excelsius; nam aut alterum Baptistam monstra, aut quòd obscurum non est toto Regno me expoliare aues*.

O infælix Herodes; ne discederet ab Herodiade, caput amputauit Ioannis, ò crudelis vnius fœminæ facinorosæ societas, valuit, & præualuit, Ioannis Baptistæ vitæ, sanctitati, exemplo, prædicationi, & doctrinæ: tanta vis est in societate malorum, quòd miserum Herodem spoliauit timore sancto, quo metuebat Ioannem bonorum operibus, quando audito eo multa faciebat: vita simul priuauit & Regno, tot tantisque repleuit malis, quæ nunc pariter in gehenna: timenda, & fugienda est igitur prauorum societas, sicut ad bonos mores amplexanda est bonorum societas, & sectanda illorum conuersatio. fœlix anima, quæ ad probatorum accedit conuersationem, & societatem, & singulariter Mariæ, cui nititur toto cordis affectu, & deuotione associari.

Siste tu paulisper gradum, cōtemplare, cuius vita sanctior, purior, & diuinior, vt vita huius puellulæ: eius enim vnius vita sola, facta est omnium norma, & disciplina: quæcunque ergo ani-

ma fidelis Virginis exoptat præmium, eiusdem imitetur exemplum, & sequatur vestigia, & moribus Virginis mores vitæ suæ componat: vt componat associetur Mariæ, quam sicut initium est salutis, vitæ suæ habere consociam, sic ausim dicere esse temerarium velle, & in vita, & in morte esse solum, & Mariæ non consociari, & secum consociam non habere; de hoc præbuit nobis exéplum Dominus noster Iesus Christus, qui vt Deus, & vt homo beatus, nullius indigebat, & tamen & viuens, & moriēs semper secum voluit matrem habere consociam, & consodalem.

In Cruce pendens, & iam iam morti proximus: primò quam in manibus Patris spiritum traderet, annotauit Sanctus Ioannes Euang. cap. 19. quòd conuersus ad matrem, cum ea alloquutus est: *Mulier ecce filius tuus*, & paucis interpositis, *emisit spiritum*: quem non emisit, nisi primò terram versus inclinato capite, quòd semper habuit eleuatum ad Cęlū, quò erat iturus; Cur eleuato capite noluit bonus Iesus tradere animam, & emittere spiritum? si terram erat iam relicturus, & ad Cœlum tendebat, cur non eleuato capite, sed potius terram versus inclinato mori voluit.

Ioan. Eu.

Perpulchrè huic obiectioni, rationē afferens huius Christi actus respondet Guarricus Abbas serm. 4. de Assumpt. in quo sic habes: *Noluit Dominus Iesus animam emittere, nisi sonantibus verbis, Maria, caterum cum dilexisset eam Iesus in finem dilexit eam: vt non solum propter ipsam finem viuendi, verum & ipsa finem penè faceret loquendi; dum velut inter vltima verba testamenti curam matris, cuius se debitorem agnoscebat, charissimo transcribit hæredi.*

Guarric. Abbas.

Cum dilexisset matrem Iesus in vita, in finem hoc est in mortem dilexit eā: quippè qui noluit bonus Iesus viuere, seù esse in vita, nec ad mortem ire seù illam concludere: quin vel vltima verba matrem, & suæ matris nomen, Mariam, inuolueret, nobisque protetret, & præberet exemplum.

O anima mea hæc tua fęlicitas, hæc tua gloria, Mariam tecum semper habere consociam: dum vita viues præ deuotione, dilectione, & nimio affectu erga Mariam, Mariæ gaudere commercio; eius enim conuersatio, & societas non habet amaritudinem, nec conuictum eius tædium, & dolorem etiam in mortis articulo, sed lætitiam, & gaudium.

O cordis Iesu iubilum, et lætitiam: cum esset ipse eleuatus à terra, pendens in Cruce, et iam vicinus morti: quia iuxtà crucem eius commorabatur in terra mater eius Maria: hinc noluit paternis manibus, eleuato Cœlum versus capite emittere spiritum, sed inclinato ad terram: Cur hoc ò bone Iesu? Nisi quia deficientes noluisti occubere, et animam Deo patri tradere, nisi prius in vlnas matris tuæ Mariæ caput inclinares, & super pectus eiusdem reclinares. Sic testatur D. Philipppus Abbas in lib. 1. in Cant cap. 25. *vidit Iesus stantes iuxtà crucem matrem, & discipulum, quem diligebat, & super istos quos Spiritus sanctus obumbrabat eò gratius: quò suauius requieuit, & solem foris extuantem cuius rabies eum impleuit inclinato capite ad istum tradens spiritum obdormiuit.*

D. Phil. Abbas.

Si Iesus nec in vita voluit esse, nec ad mortem ire, nisi de sinu matris, & confotus eius patrocinio, & societate: vt verbis, & facto addiscas, & tu Mariæ consociari, & consodalem, & in vita, & in morte semper habere, qua Comite tibi salutis portus præmonstratur, & via saluationis, hac sola consocia ab inimicorum insidijs, & à pressuris omnibus huius vitę secura, & incolumis eris, & tuta.

Egressis de Aegypto, Moyse Duce, & Comite Hebræis, ait sacer textus, quòd *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis*, de qua nube scribit D. Ambrosius in psal. 118 *vbi volebat exercitus quiescere à laboribus, non mouebatur columna nubis: sicque vel stando, vel præcundo ostendebat populo Dei locum opportunū quieti, & saluti illius accomodatum*: & ex comitatu, & ex commercio columnæ, per quam ipse populus habebat in sociam suæ peregrinationis, & in sui itineris consodalē, erat illi quies, & salus; & in illo vastæ solitudinis deserto: vndè mala? vndè męror? & afflictio? vndè tristitia? & tædiū? & omnis boni defectus peregrino Hebræo? si illum comitabatur, si illi associabatur columna nubis, quæ ei, & salutis, & quietis præmonstrabat locum.

Exod. cap. 13.

D. Amb.

O tuta comes peregrinationis meę ò pro-

protectionis meæ lucidissima columna ipsa duce, ipsa comite, ipsa sodali, anima mea salutis semitam, nec poteris errare, nec quietis opportunum locum non tenere, in Ecclesiast. cap. 24. audi ipsam sic loquentem: *Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis*; præeat te hæc columna ad ostendendam viam per diem tui itineris, & in futuro erit tua salus, & à te longè erit omnis gemitus, et dolor: quoniam non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed gaudium, et lætitiam.

Eccles.

Hæc enim columna nubis te præcedat, te protegat, velut illa præcedebat filios Israel, et licèt mobilis, statione sua peregrinis Hebræis loca præmonstrabat quietis, sic B. Virgo Maria cũ sit aduocata peccatorum ab ipsis non recedit, sed præcedit, vt saluet, vt defendat, et statione sua saluationis, et æternæ mansionis innotescat, ostendat imo paret, et accomodè suo adiutorio conferat.

In hoc igitur ramusculo nidum vbi reponas, foueas, serues, et enutrias pullos cordis tui: para tibi ò anima mea, ascende ad palmam hanc Virgineam fruere vmbra ramusculi illius: quæ non tantum est partus naturæ, sed gratiæ; nam natura ipsa non est ausa tale opus aggredi, si gratia manus primò non admoueret, vt testis est D. Damascenus serm. de Natiuitate B. Mariæ Virginis; *Etenim*, inquit ipse, *natura præcedit, tremula stat, progredi non sustinens, quoniam ita futurum erat, vt Dei Genitrix ex Anna oriretur, naturæ gratiæ fœtum anteuertere minimè est ausa; verum tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.*

D. Dam.

Igitur si Maria partus est gratiæ sicut & eius lactatio, nutritio, & educatio spacio trium annorum, quibus lac de cœlo datum ipsa suxit ex materno pectore, ò anima mea; huius ramusculi educationis Mariæ, quæ eius folia? quæ eius vmbra? qui eius flores? qui eius fructus? qui huius puellulæ mores? qui motus? qui gestus? quæ facta? qui nutus? quæ opera? quæ actiones? quæ verba? quum esset ipsa magistra virtutum: omnia ad quæ mouebatur, quæ operabatur, loquebatur, meditabatur admirabili suauitate grauitate, sanctitate, puritate, innocentia cælesti, & dulcedine quasi diuina redolebant.

Vt vmbra huius ramusculi quietè fruearis, vt floribus eius gloriosè te corones, vt fructus eius perdulcissimos exatiatè pergustes ascende ad palmam virgineam, suge, & bibe ex conuersatione, & commercio, & morum eius grauitate dulcoris, eius immarcescibilem suauitatem, quiesce, pausa sub vmbra illius, & moribus eius mores, & actus tuæ præteritæ vitæ compone, adhære, inhære, consociare, & illi te iunge; vt in deserto tuæ peregrinationis habeas Mariam in sociam, ducem, & sodalem, qua comite, tu esto secura de via, tuta de itinere, quia & columna est salutis. Esto tu certa de salute.

Esto ò Maria tu mihi columna nubis in via peregrinationis meæ, spes mea tu in die afflictionis meæ, vt viam quietis, & salutis præmonstres: esto mater, vt me tua morum dulcedine enutrias, & enutrita purifices: purificata sanctifices, vt sanctificata ore, mundo corde, & purificata lingua semper glorificem nomen sanctum tuum: quòd sit benedictũ in æternum, ò humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei: te præcor ò Maria mõstra te esse matrem, & miserere mei: quoniam in te sola confidit anima mea, sub vmbra huius tuæ infantiæ ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

DE PRÆESENTATIONE VIRGINIS in templo à parentibus facta.

RAMVSCVLVS DECIMVSSEPTIMVS.

Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi iugitèr. lib. 1. Reg. cap. 1. num. 22.



Deuota ſatis, & hilaris nimis hæc Virginis Mariæ in templum Domini à parentibus præſentatio, quorum nam intuentium corda non pungit? Non percutit deuotionis telo? non allicit dulcedinis affectu? nouoque non replet gaudio? ſuauitatis non attrahit odore? Et præ ſtupore & extaſi ſupra ſe, vel extra ſe non rapit, & non eleuat ſurſum admirationis penna? Et quidem; ſi matris Annæ offerentis attendatur deuotio, celeritas, & animus: & oblatæ filiæ penſetur munus, & meritum; ſi denique acceptantis Dei, cui ſoli offertur, & ſacratur, hilaris, & gratioſa intuetur ſuſceptio: gratisſima Deo fuit, & offerentis, & rei oblatæ oblatio: quia totum, quòd offerebatur, voto illi primò ſacratum erat; prout D. Germanus encomio de Virginis præſentatione teſtatur: introducit hic Sanctus Annam ſic loquentem. *Adiunxi me Domino donum gratitudinis, omninò oblatura fœtũ, quem mihi dediſſet, vt eſſet maneretque in ſancto templo ſuo, tamquam ſacrum donarium, munuſque pretioſisſimum mihi ab ipſo datum, perfectorum donorum liberalisſimo datore.* D.Germ.

Gratisſima Deo hæc oblatio fuit, quia ſancta mater nimis celeris fuit in oblatione ſua: nam ante natiuitatem vouit, & quòd vouerat, natam ſubitò Deo obtulit. O fidem tantæ mulieris incredibilem, ò prædicandum animi feruorem, quando ſe oblaturam ſpopondit filiam, quemadmodum et priſca illa Anna Samuelem: en veteris Annæ vera, & ſingularis æmulatrix, vt ſobolem obtineret, præces, & lacrymas fudit, & obtentam ſe Deo ſacraturam vouit, vt vmbra præcesſit illa, at noſtra Anna perfectius abſoluit, quòd voto promiſerat Deo; ſic eſt mens D. Damaſceni lib. 4. de fide cap. 15. *Quemadmodum,* inquit ipſe, *vetus Anna ſterilis facta per votum, & repromisſionẽ habuit Samuelem: hunc in modum, & hæc per ſupplicationem, & repromisſionem à Deo Deiparam profert, vt & in hoc nulla illuſtrium, & glorioſarum præſtantior habeatur fœminarum;* vouit illa, & quòd voto impetrauit, perfecit: vouit iſta, & voto obtinuit, & perfectisſimè abſoluit: quando quòd præcibus, & lacrymis eſt aſſecuta, Deo ſacrauit; vt igitur diuinis ſtaret ipſa promisſis non ſubito natam filiam illicò detulit in templum; nam quæ Deo offerimus docent nos ipſamet dona, vt ſint vndequaque, & ex omni parte abſoluta, & perfectisſima: vt nihil in filia iam Deo voto dicata deſideraretur perfectionis: poſt tres annos à mammis iam abductam adduxit, dicens; vt vetus illa Anna in præſentatione filij ſui. *Non vadam donec ablactetur infantula, & ducã eam, vt appareat ante conſpectam Domini, & maneat ibi iugitèr.* D.Dam. lib. 1. Reg. c. 1. n. 22.

O pietas tantę mulieris erga Deum, ò feruens eiuſdẽ charitatis ardor, ò verè religionis magiſtra: quid hac tua infantula purius? quid hoc munere ſanctius? quid hac tua oblatione perfectius? Et tamen auſa non in templum aſcendere, domum Dei adire, vt ſponſioni tuæ, & voto nihil deeſſet perfectionis, antequã arceres à lacte, & ablactaretur à mãmis. O Anna Mariæ ſanctisſima mater, quid hoc tuo fructu mundo dulcius, Et Deo, & Angelis iucundius: quem hodie ipſemet Deus, & elegit, & carpit ex ſterilĩ ventris tui plantula, quam vt cœleſtis agricola rore cœleſti, & gratiarum plu-

nijs

nijs irrigauit, & fæcundauit, & tuæ fæcunditatis fructum ipse sanctificauit,& benedixit: namq́uos Deus singulariter sibi cōsecrat ab infantia, separat à cuna sensibilium rerum: vt sibi soli vacare possint. *Et vacans soli Deo Maria*, inquit D. Ambrosius lib. 2. de virginibus, *norma virtutum effecta est*: Benedictus sit hic perdulcissimus fructus ventris tui: ò Anna sanctissima mater, quem hodie toto corde: hilari animo, pura mente, pio deuotionis affectu proprijs manibus offers Deo in templo sancto suo, reponis in domo Domini: recludis in atrijs altissimi, consecras in additis maiestatis diuinæ, et plantas in horto deliciarum Dei: non corruptionis timore, vel dubietate: sed vt festina persoluas debitū tuę promissionis: votū religionis, et pietatis: et donum quòd offers et sacras Deo, vberius crescat: et soli Deo seruetur tutius, ac perfectius proficiat, et coalescat: attende anima mea promissionis votum, et voti solutionis celeritatem, et festinationem ex proposito themate.

D. Amb.

Non vadam donec ablactetur infantula, & ducam eam, &c. Non tarditatis soluen di votum mora'n astruunt verba ista, sed tantum tempus indicant ablactationis, & subtractionis à mammis; quum in templo infantula lactari non poterat; ibi.n. non morabantur fœminæ nutrices, idcircò mater Anna tandiù expectauit, & tardauit templum ascendere; filia m sistere Domino,& soluere, quòd voto promiserat, quandiù paruula lactationis opus habebat, & legitimum ablactationis tempus aduenisset, quòd quidem triennij circulo concludebatur, quia in illa ætate sicut viuentium longiora viuendi perdurabant tempora: ità & lactentium longiora debuerunt esse spatia lactationis. Lex Ciuilis, Cod. de paterna potestate, lege penult. cum Glosa obligat matrem filium lactare per triennium, quo expleto; non tardauit Anna, imò celerrimè; quòd vouerat, antequam vincula solueret Deus suæ sterilitatis:& quòd præcibus, lacrymis, & promissionibus ex animo impetrauerat, promptè obtulit: quia vt docet D. Ambrosius lib. 1. de Abel, & Cain cap. 8. *Sacrificium celeritate commendatur & gratia*,& primi voti gratia est celeritas solutionis, cur hoc? nisi quia solutionem differre, est aufer... vel negare: *Si quid vouisti Deo*, legimus in Ecclesiaste cap. 5. num. 3. *ne moreris reddere*: quia non solum est ingrati animi tardare promissum: postquam impetrauit, quòd petijt, ed ex debito contracto sit debiti reus, si subitò non soluit,& Deus iustissimè punit.

1. Reg. c.1.n.23.

D. Amb.

Eccles.

Promissionum, & oblationum ex voto adeò Zelotypus est Deus, quòd offerentium tardirarem, vel non integrè soluentium celeri, & graui compensat pœna supplicij: attende anima mea, quid factum sit, & aliorum pœnæ inflictio, sit tibi euidens,& singularis instructio. *Dominus Iesus sciens, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; quibus in vltima cœna multa dixit, multa docuit, & multa prędixit, quorum primum locum sibi vendicat illud; *omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*; cui satis audacter respondit Petrus. *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*: quibus verbis videtur Petrus cęteris Apostolis se pręferre,& sa is de se præsumere,& cassam in se ostendere fore Christi prędictionem. *Etiam si oportuerit me mori tecum nō te negabo*: quòd Petri scelus, vt confringeret Iesus,& retunderet improbitatem, & sui pectoris audaciam, subtexuit; *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis*; nunc Petre ferues amore, & confiteris me Deum esse,& magistrum, dico tibi quòd ad me negandum in ista nocte feruentior eris tu, & sollicitior, quàm Gallus ad cantandum. Offertur hic nobis, inquit pijssimus Victor Antiochen. in Marcum, *nempè singulare quoddam documentum, ad debellandas grauiores tentationes nullam hominis, promptitudinem sat esse, si cœleste subsidium desit*. Vt Deus, inquit Ven. Beda in Luc. 22. 34. *modum, tempus, horam, & numerum negationis prædicit*; & sicut prædixerat Dominus; ità accidit: nam nondum cantauerat Gallus secunda vice, quæ est circa auroram: & iam Petrus Christum negauerat, sollicitior fuit Apostolus ad negandum, quàm Gallus ad cantum, secundum Marcum c. 14. nu. 30. *Priusquam Gallus vocem bis dederit, ter es me negaturus.*

Ioann. c.13.n.1.

Matth. cap. 26. nu 31.

Matt. vbi supra.

Victor Antioc.

Beda.

Marc.

Vix etiam suam negationem compleue-

pleuerat Petrus, & Gallus cantauit, & hanc Galli cantus festinationem non abs re ab Euangelistis cõmendatur, sic communiter,& accuratè in Euangelio, Mattheus, continuò Gallus cantauit, Marcus,& Ioannes,statim,Lucas,adhuc eo loquente Gallus cantauit: verba negationis ahuc resonabãt inter labia negantis,&Gallus cãtauit:cur tã festinus, & celer Gallus ad cantum?nisi quia quũ in cœna prædixerat Dominus Petro non fugam solum, vt ceteri, sed fore se negaturum: iurauit Petrus, & ardenti fide promisit se velle potius mori, quã hoc perpetrare scelus; at in promissis non stetit; & quòd firma fide, & forti animo promiserat, Gallus vt Dei speculator suo cantu excitare voluit Petrum,& illi aperire iusiurandum,& voti promissum. *Etiam si oportuerit me mori tecum non te negabo*: eo cantu arguebat Apostolum suæ infidelitatis, & suæ promissionis tarditatem solutionis; scitè annotauit,hoc pijssimus Victor Antiochenus in Marc.cap.14.*Galli cantu*, ait,*admonitus Petrus, quasi à graui somno excitatus,ad se reuersus comperit se in illud ipsum malum, ac probum decidisse, in quo Dominus ipsum prolapsurum paulò ante denunciauerat.*

Matth. cap.26. nu.35.

Victor Antioc.

Et vt huius Christi prædictionis memor esset Petrus, & suæ negationis scelus agnosceret, & à lapsu assurgeret ad pœnitentiam, prout illicò surrexit, & lacrymis aboluit noxam, Galli cantus excitauit, stimulauit,& prouocauit; qui idcircò fuit, ità celer ad canendum,vt festinus esset, & Petrus ad penitendum; & voti solutionem, Zelotypus cum sit Deus promissionis factæ, Zelotes vult nos esse in reddendo,quòd illi voto sanciuimus:vt Dei,& nostram Zelotypiam simul præmonstrarent Euangelistæ,galli cantus festinationem sic accuratè annotantes; & quòd hæc fuerit mens eorum,est doctrina Vgonis Cardinalis in Ioann.cap.18. *Volentes nos erudire*, inquit ipse,*quantum malum est non omnia Deo commendare*, non reddere, quòd voto Deo sacratum est,vel non integrè soluere, vt Zelotes Deus, iustissimè punit,& expressè probant Acta Apostolorum cap 5.

Vgoi Cardin.

Ananias,& vxor eius Sapphira Christianæ militiæ iam addicti, vt in numero computarentur Christianorum, quorum mos erat in illa primæua ætate surgentis Ecclesiæ abdicare à se rerum proprietatem, & dominium, ex studio,& voto paupertatis, charitatis, & communis vitæ, & præcipuè Ierosolymis obseruatũ est ab omnibus, quod & fecerunt Ananias, & Sapphira, quando,vendito agro, inquit Euangelista: *Fraudauit de pretio agri, conscia vxore sua:& afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit*; Ponere autem ad pedes Apostolorum pretia rerum erat profiteri expressè,vel tacitè se omninò substantiam à se abdicare,eamque transcribere Deo,& Ecclesiæ:voti emissio ab Anania fuit in oblatione pretij, & quòd votum emiserat conscia vxore sua agri pretium totum Deo sacrare, eligitur ex verbis Apostoli arguentis Ananiæ stulticiam. *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? nonne manens tibi manebat,& venundatum in tua erat potestate? quare posuisti in corde tuo rem hanc, nõ es mentitus hominibus sed Deo*; antè voti promissionem in tua erat libera potestate, at postquam vouisti Deo, cur tentauit cor tuum Satanas fraudare de pretio agri? fraus non est in re propria,sed aliena, quum res alteri data, vel vendita, aut promissa surripitur, non es mentitus hominibus, sed Deo,cui vouisti: ille mentitur Deo,qui quòd voto promiserat, vel non obseruat promissum,vel integrè non soluit.

Act. Ap. c. 5.n. 2.

Num. 3.

Et quòd votum emiserat, agri pretium Deo promittendo, & consecrando,audi non me. sed D.Chrysostomum homil. 12. in Act. Apostol. inuehit hic Sanctus contra Ananiam. *Quare hoc fecisti? voluisti habere? oportebat initio habere? & non promittere: nunc autem postquam consecrasti, maius sacrilegium commisisti.* Eiusdem sententiæ est Diuus Gregorius lib. 1. Epistol. 33. ad Venant. D.Epiphanius de debito coniugali c.8. D.Atthanasius de passione, & cruce. Cassianus collat.cap.7.D.Hieronymus Epist. 8. ad Demetriadem. *Anania, & Sapphira dispensatores timidi,imò duplici corde*,inquit Sanctus. *ideò condemnati,quia post votum abstulerunt quasi sua, & non eius, cui simul ea vouerant, partemque, sibi iam alienæ substantiæ reseruantes*; & non integrè, vt vouerant soluentes subita, publica, & repentina mortis pęna multati sunt, quando inopinata Petri increpatione dolore, &

D.Chry. sostom.

D. Greg. D. Epiphan. D. Atth. Cass. D. Hier.

mæro-

mærore percussi interierunt, quorum mors quia fuit vox inflicta à Deo in pœnã ad vocẽ Petri, & id, quod operata est in Petro Galli vox, operata est vox eiusdẽ Apost. in Anania, & Sapphira; & hoc
Ex mẽte Orig. D. Aug. Cassian. & Isido. Pelusian dico de mente Origin. in Matth. & D. Augustini lib 3. contra Par. cap. 1. Cassiani collat. 6. cap. 1. Isidori Pelusiani lib. 1. Epist. 181. mortis pœnam Ananię, & Sapphiræ diuinitus inflictam ad terrorem nouellæ Ecclesiæ; per carnis enim interitum fuit consulitũ sponsi, & sponsæ spirituali saluti, & æternę, secundum hoc non fuerunt æterna morte damnati, sed tantum passi sunt interitum carnis; audita namque voce Petri pœnituerunt antequam expirassent: nisi fortè velimus dicere, Gallum cuique datum fuisse à Deo propriam conscientiam, quæ quoties quis peccat, clamat, cur hoc facis? offendis Deum, & lædis te ipsum, & damnationis periculo te exponis? ad vocem increpationis Petri expergefacti, & contriti contritione magna & dolore nimio cordis expirassent:
D. Aug. licèt alitèr sentire videâtur D. Augustinus serm. 27. de verbis Apostoli, &
D. Basil. D. Basilius serm. 1. de institutione monachorum; de eorum salute non est meum diiudicare, at quia non seruauerunt pactum, prout voto promiserunt, nec integrè obtulerunt promissum, vt zelotypus Deus iustissimè puniuit. *Dũ*
D. Aug. *enim*, inquit D. Augustinus, *ex eo quòd promiserat partem subtraxit sacrilegij simul condemnatur, & fraudis*. Non sic, non sic nostra Sanctissima Anna, quia nec tardauit vt Petrus, nec dimidiatum obtulit vt Anania sed integrum, & celerrimè religionis studio non corruptionis timore, vt tibi ò anima mea, & nostræ fragilitatis humanæ aperiret doctrinam, & securitatis præberet exemplum quando dixit.

Non vadam donec ablactetur infantula. Flos humanæ naturæ, quàm fragilis, & fragilitate sua, quàm sit corruptioni proximus nouerat hæc sancta mulier luce quadam diuina, & lumine quoque ipsius naturæ, quę & vallo quodam spinarum communiuit rosam, ne ita de facili carperetur, vel corrumpatur.

D. Hier. Flores statim pereunt testatur Diu. Hieronym. epist. 7. ad Leuam scribens: *Citò violas, lilium, & crocum, aura pestilens corrumpit*; ne filij, qui parentum flores sunt, ex vernantissimo matrimonij prato nati corruptioni subiaceant, claustrorum, & præceptorum spinis seruare parentũ permaximè interest; qui etiam vt seruetur diligentem sibi vendicat Pedagogiam, quæ tuta, & secura sola reperitur in claustris: quo custodię vallo, & si omnes filij Adam indigent ad eorum integritatem seruandam, sola ab illo absoluitur Maria, quę non plantatur à matre in hortulo domus Domini, corruptionis timore, sed suæ educationis amore, vt habeat Deum solum, & suæ perfectionis, & morum vitæ, & virtutum omnium pedagogum.

Et in huius Virginis, & filiæ suę oblatione, commonere, & edocere nos voluit Anna hæc sanctissima, quòd in domo Domini vel aura pestilens non perflat, & si perflare velit non deest agricola ille diuinus, qui plantulam, vt coalescat, floreat, & fructificet, gratiæ suæ aqua purissima proprijs manibus primò irrigat, fœcundat, & sua vmbra protegit, defendit, & saluat.

Mortuo iam Ogotia Rege Iuda, eius mater Athalia regnandi cupidissima, nepotes suos filios Regis, ne in regnum succederent, insidiosè interemit, & cupiditate Regni ducta clam occidere fecit; vnus tantum minimus omnium in lectulorum cubiculo absconditus, vt legitur in lib. Paralipom cap. 24. vel ibi Paralip. dem notatur, occultatus in domo Domini immunis, & incolumis euasit nomine Ioas; & qui in domo paterna, & in palatio Regis non fuerunt securi, sed morti crudelitèr traditi sunt, hic vnus euasit saluus in templo Dei: hic vnus postea regnum meruit occupare, & regni successor existere, cui, ò anima mea, seruatur vita & corona? cui donatur vita & salus? cui prestatur sceptrum, & diadema: & quem mors, vel mortis gladius in fratrum communi cæde non valuit inuadere? illum planè, qui in domo Domini seruatur occultus, & in atrijs Dei sui custoditur inclusus.

Mors ausa non est ingredi domum illam, in qua pedagogus, & custos est Deus. *Qui in domo Domini seruatur*, inquit D. Bernardus epist. 110. *fit de di-* D. Bern. *uite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri, & quod his omnibus maius est sanctus de peccatore.* Si peccator fit sanctus in domo Domini, et in templo Dei iustificatur impius: qui iustus est, et sanctus quanta sanctitatis incrementa

reci-

recipiet? ad quot virtutum, & perfectionum culmen ascendet? quo sanctitatis lumine præfulgebit? si populus Israel sub pedagogo Iosue tantum profecit, quòd de eo dicat Scriptura Diuina in lib. Iosue cap. 24. quòd, *Seruiuit Israel Domino cunctis diebus Iosue, & seniorum, qui longo tempore vixerunt post Iosue.*

Iosue.

Rex Ioas, sacerdotem Ioiadem dum habuit in pedagogum notat Sacer textus in lib. 4. Reg. cap. 12. nu. 2. *Fecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada Sacerdos.*

4. Reg.

Quanta perfectionis incrementa suscepisse Mariam, vel quantum credis tu anima mea, illam profecisse in domo Domini, si non alium habuit pedagogum, nisi Spiritum sanctum, qui fons est, et pelagus omnium perfectionum, et donorum supercælestium, ita vt verè dicere posiis cum Diuo Clemente lib. 1. pedagog. cap. 6. *Verbum est omnia infanti pater, & mater, & pedagogus, & altor.* Si Spiritus sanctus fuit Virgini huic pedagogus, et altor; quoniam alumnos suos alit, lactat, et nutrit non alieno, sed proprio sui pectoris lacte, quo, et perfectissimos reddit, et sibi similes.

Clem.

O verè Beata Virgo Maria ablactata præsentatur à matre in domo Domini, in qua non alium habuit pedagogum, nisi Spiritum sanctum, cuius pectoris lacte ipsa lactata, cuius gratiarum mammilla nutrita, et educata, tot et tanta virtutum suscepit incrementa, et sublime perfectionum omnium culmen ascendit, quòd in diuinam similitudinem transformatam esse videbatur: ad cuius similitudinem se transformandi gratia, & ipsa intus ardebat desiderio, & parētes obtulerunt in templo, vt hęc eorum infantula singulare solius Dei esset peculium, & Deo consecrauerunt, à quo miraculosè, & gratijs acceperunt, in cuius oblatione filiam lacrymātibus oculis, matrem credo sic fuisse alloquutam.

Tu filia impetrata mea, & votiua mea, agnosce à quo donata sis mihi: ille tua ora plasmauit, ille tua membra distinxit, ille mea orata suscepit, cuius tēplo, cuius obsequio, cuius cultui, & seruitio, re antequam nascereris sacraui: non mihi, non parentibus, non tibi; sed Deo nata es, cuius antequam de vulua matris exires, esse cępisti; omnes enim illius quidem sumus, sed tu specialiter à Deo electa, & Deo promissa: tu redderis, ego quasi Anna promisi, vt omnibus vitæ tuæ diebus, ac noctibus à conspectu Domini non recedas: & ingens vltima oscula, amplexata lacrymans, tradidit Sacerdoti, rumpens in hæc vltima verba: *Ego promisi filia, tu exequere.* Fœlix Anna, quæ nihil sibi retinuit, sed totum quòd habuit, & à Deo acceperat, Deo obtulit.

Cui vt aptè, dignèque offerret, non obtulit, nisi postquam à mammis suis ablactauerat eam: cuius lactationis tēpus iuxtà Diui Hieronymi sententiam in lib. de Natiuitate B. Mariæ, triennę fuit; sisto hic eius verba: *cum trium annorum circulus volueretur, & ablactationis tempus completum esset*; quod Diu. Euodius apud Nicephorum vocat tempus opportunum, quo templo Dei offerri poterat Virgo sacrata Deo. *Trimata cum esset*, inquit ipse, *in templum est præsentata*: & hæc quidem fuit mens etiam matris vouentis, & votum reddentis quando dixit: *Non vadam, donec ablactetur infans*: hoc non dixit, ex eo quia in templo lactari non poterat, cum nullæ ibi fuerunt nutrices: nec volebat pia mater postquam sacros lares attigisset infantula domum ipsius iterum repetere, sed vt maneret ibi iugiter: nec sustinuit religiosa hęc mulier, cum donum hoc cœlitus accepisset, absquè dono comparere in conspectu Domini Dei sui; sed eò remansit, quò illud perfectè offerret, & totum tarditatis, & promissi voti tempus, fuit hic trium annorum circulus.

D. Hier.

D. Euod.

Grande mysterium, & mirabile factum, cur Virgo illa, quæ maiori templum Domini adeundi tenebatur desiderio, quam vbera sugendi, tribus voluit plenè completis annis pectoris matris suæ vbera premere, & lac dulcitèr sugere, & lacte tam dulci enutriri: Imò & ipsamet mater Anna non prius curauit filiam adducere in templum, & eam sacrare Deo, nisi elapsis tribus huius lactationis annis. O anima mea, & quæ mens huius sanctæ mulieris in expectatione temporis tam longa?

Dicam, quæ sentio, & moueor, non mea sententia, sed Sanctorum Patrum. D. Hieronymus in serm. de Natiuitate B. Mariæ Virg. fatetur Virginis Concep-

D. Hier.

ceptionem non fuisse libidinis, sed Diuini muneris donum; quia in Conceptione tantæ Virginis conuenerunt illi sancti coniuges, absque vllo libidinis sensu, & absque vlla rationis perturbatione, non secus ac primi parentes in statu innocentiæ: huic attestationi astipulatur pijssimus Petrus Galatinus lib. 7. cap. 8. *Fateor*, inquit, *Sanctum Ioachimum, & Sanctam Annam sese coniugaliter copulasse ob ardentem tamen deuotionem, vehementemque contemplationem, qua vnanimiter in generationem Beatissimæ Virginis intenti ambo tenebantur, fomes in illo actu penitus extinctus fuit: quare peccatum originale in Conceptione Immaculatæ Virginis locum nullum habuit*: & post pauca subdit: *Et tanta se deuotione coniunxerunt, vt absque libidine, & corporis voluptate Virginem gloriosam, matrem Dei futuram genuerint, vehementissima enim deuotio, atq; animi delectatio omnem corporis voluptatem, concupiscentiam, atque libidinem extinxit.*

Pet.Gal.

Quapropter arbitror, idcircò vsque ad senectam Mariæ progenitores sterilitatis pœna multasse Deum; vt non carni, sed spiritui tribueretur Virginis Conceptio: Mariæ parentes grandæuos extitisse, & sterilitati donatos est Sanctorum Patrum auctoritas. *Ioachimus iam expers sobolis consenescebat*, inquit D. Gregorius Nyssenus in sermone de Christi natiuitate, *& sine filijs ad senectutem peruenerat.* Hoc idem testatur de Sancta Anna D. Damascenus in ser. de Natiuitate Virginis; & vt cum Geometra vno versiculo comprehendam ambos cecinit hym. 2.

D. Greg. Nissen.

D. Damascen.

Geomet

Salue nata in lætis, & vernantibus hortis
Arbor ab antiquo sanguine nata senum.

Aetate grandæua consenuerat in ipsos vteror amnis, vt spiritus fœcunditatem partus adduceret, & sterilitas qua laborabant, ederet fructum: *Maria nata de Anna sterili.* habet in serm. de Natiuitate Virg. D. Hildelphonsus, & Nicephorus lib. histor. cap. 7. *ad liberorum procreationem Anna infœcunda, & sterilis.* Hoc idem in diserto serm. disseruit D. Andreas Cretensis orat. 1. de dormit. Virginis. *Dico generis claritatem, parentum vtrimque insignem nobilitatē, liberorum egestatem, & sterilitatem; pro ea frequentes interpellationes, & crebra sacrificia, in quibus Deum orabant, rogabant, supplicabant, vt vincula solueret sterilitatis, & vt qui carebant liberis, fœcundi essent, & ex infertilitate datum fructum producerent.*

D. Hidel.
Niceph.

Andreas Cretens.

Quorum præcibus, lacrymisque in conspectu Domini iam admissis cum oblationibus hostiarum, soluit Deus vincula sterilitatis eorum, & ex sterili, & iam emortua radice fecit virtute sua diuina Deus germinare germen viriditatis, & benedictionis, cur hoc? nisi spiritui, & non carni tribueretur, quòd nascebatur. Pulchra sunt ad hoc verba Diui Chrysologi serm. 91. *Partus non fuit ablatus, sed dilatus, donec transiret tempus carnis, passio corporis, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum quòd humanum confundit, & grauat, & onerat conscientiam:* Nam & si partus fuit Dei donum, & non carnis, ita & eiusdem lactatio: grandæuæ mulieri, & sterili natura lac non erat, sed ei datum fuit de Cœlo, non tantum vt nutriat, sed vt cū lacte cœlestes in filiam transfunderet mores, & ex toto perfectam efficeret, & sic perfectam sacraret Deo, cui vouerat; idcircò dixit: *Non vadam donec ablactetur infans*, & à mammis non ablactauit nisi elapsis tribus lactationis annis.

D. Chrys.

Inter alimenta, quæ in pueris vim habent mutandi mores, lac primum sibi vendicare locum, probata ferè est multorum sententia; nam lactentes ex lacte materni pectoris mores desumūt, sicque fit, vt nutrices mores suos, siue probi illi sint, siue secus, in filios cum lacte ipso transmittunt. Sisto hic verba Siluiani lib. 5 de prouidentia: *Nutrices*, inquit ipse, *mores suos siue bonos, siue malos in pueros, quos alunt cum lacte transmittunt.*

Siluian.

Tanta enim vis inest naturæ lactis in pueros lactantis matris, transmittendi mores, quòd Gellius lib. 12. cap. 1. ausus est edicere, quòd: Si hædus premat vbera ouis virtute lactis pilos mutat in lanam: sic & è contra, si agnus sugat capræ mammas lanam commutat in pilos; appono eius verba: *Si ouium lacte hædi, aut caprarum agni alerentur, constat in his lanam duriorem, in illis verò capillos gigni teneriores.* Si ex lacte mores transmittuntur in pueros consultò mater Virginis Anna, vt in Mariam suos

Gellius.

mores perfectissimos, imò diuinos, cum esset lac datum illi diuinitus, transmitteret, noluit eam à mammis suis ablactare nisi tribus lactationis elapsis annis.

Meritò quidem Anna, quam fatigauerat Deus, vsque ad senectam sterilitatis pœna, effecta iam non natura, sed virtute diuina fœcunda prole, fœcunda de Cęlo facta est & lacte. Audi D. Zenonem serm. 1. de Abraham, qui loquens de hac sancta muliere, sic fassus est: *En Mariæ Parentum amor, & delicię, indicibili matris gaudio, ad vbera vetulæ enutritur: crescit nouis in dies per ætatem augmentis, & abundantiori lacte diuinitus arescentibus vetulæ uberibus infuso:* lac igitur pectori vetulæ, & sterilis de cęlo datur, non ad nutritionem tantummodò: quam vt & cum lacte cœlestes virtutes, & mores transmitteret in filiam, et ex toto perfectam redderet, noluit adducere in templum, nec Deo sacrare, nec à mammillis eam ablactare, nisi côpleto trium annorum circulo.

D. Zeno.

O mysteria, ò Dei ineffabilis bonitas, mulier grandæua, et sterilis pectus habens exiccatum, lactat, alit, pascit, et enutrit Mariam, quæ nouis in dies per ætatem crescit augmentis, et proficiens corpore proficiebat sanctitate, deuotione, et prudentia virtute lactis, quòd sugebat de pectore matris, quæ sicut illud diuinitus datum accepit è cœlo, sic etiam arbitror illas Deum præstitisse proprietates, quas arbori vitæ contulisse sacra narrat historia, Deus benedictus, cum sit summè liberalis, et dat omnibus affluenter, et non improperat, vtique non denegauit mammis huius sanctæ mulieris, quòd arbori illi sic liberaliter largitus est.

Genes. cap. 3.

Lignum vitæ, quòd erat in medio Paradisi tribus, inter cæteras, gaudet proprietatibus. Primò habet arcere mortem, et in longum perpetuare hominis vitam, vt qui illius semel gustarent fructum, posset absque alio cibo mille vel mille, et quingentis annis protrahere vitam. Sic docet D. Augustinus lib. 8. in Genes. et Doctissimus Tostatus in Genes. cap. 3. q. 24. sic probat: *Tamen data, quòd semel tantum comedissent dilataretur valdè vita eorum, vt fortè viuerent ad mille, & quingentos annos, vel ad duo millia.*

D. Aug. Tostatus

Habet secundò fugare morbos, et omnes infirmitates, et sic virtute cibi illius procul fiebat à comedente omnis aduersa valetudo: ità vt absque morbo, vel alio accidente Deus omnipotens ad æternam transferebat requiem, et quietem: à ligni nomenclatura possumus autumare factum, lignum vitę vocatur, sic ab effectu, quia comedentibus vitæ diuturnitatē præstabat. Ita venerabilis Beda quando inquit, *lignum vitæ dictū, quia diuinitus acceperat: vt qui ex eo comederet corpus eius stabili firmitate firmaretur.* Testatur idē Strabo Monachus in Genes. cap. 2. *Lignum vitæ hanc naturalem virtutem habebat, ut qui ex eius fructu comederet perpetua stabilitate vestiretur: nulla infirmitate, vel anxietate fatigandus.*

Vener. Beda.

Strabo Monac.

Habebat tertiò proprietatem seruandi comedentem fructum illius à senectute, et innouare senescentem. Audiendus est hic D. Thom. p. 1. q. 97. art. vltim. qui disputans contra eos, qui virtutem, seu proprietatē hanc ligni vitæ, ad hos effectus producendos asserunt esse supernaturalem, ad modum, quo in Sacramentis Legis Euangelicæ inest virus effectrix gratiæ: huius opinionis videtur esse D. Bonauentura lib. 2. sent. dist. 17. et 19. Belarminus in lib. de gratia primi hominis, et alij: at sententia Diui Thomæ est, esse tantummodò naturalem? *Naturalem fuisse in ligno vitæ*, docet ipse, *virtutem eliminandi senectutem, & vetustatem:* Siuè sit naturalis, siuè supernaturalis, nostra nihil interest, sat est, comedentem de fructu illius absque alio cibo, & potu posse vitam trâsigere liberam, & ab omni morbo, & molestia, senectuti, vel vetustati non vectigalem, nec morti obnoxiam. Hanc doctrinam docet Magister historiæ Scolasticæ. *Dicitur lignum vitę, quia comesum sępius hominem firmaret; itaut nulla anxietate, vel infirmitate, vel senio in deterius occasum, vel mortem laberetur.* Et Diuus Augustinus lib 4. de Ciuitate Dei, quòd *Cibus aderat homo ne esuriret, potus nè sitiret: lignum vitæ ne illum senectus dissolueret.*

D. Tho.

D. Bon. Belarm. D. Tho.

Magister

D. Aug.

Si Deus omnipotens sua liberalitate, & munificentia ad solatium conditionis humanæ has contulit arbori vitæ proprietates, possumus ne nos hæsitare non ampliori benignitate easdem præstitisse ad voluptatem matris, & filiæ Mammis Sanctæ Annæ; quæ verius nomen

men sibi vendicat arboris vitæ, si nobis protulit fructum vitæ: quo nomine cohonestauit eam pijssimus Ioannes Oslorius ferm. de Sancta Anna: Benedicenda profectò arbor illa, quæ fructum vitæ Mariam nobis protulit, & cecinit hoc idem Rituale Terræ Sanctæ.

Pijssimus Ioannes.

Hæc est Anna Radix, & stirps Iesse,
Ex qua Virgo sumpsit esse;
Quæ Diuinum profert florem,
Et fert fructum extra morem.

Si sterili sua liberalitate pręstitit Deus germinare, & producere fructum vitæ, num & mammis non potuit conferre lac, quo vesceretur infantula, & ad sui corporis nutritionem, & ad animi eiusdem perfectionem; Videtur mihi, hoc nobis voluisse insinuare tempus lactationis trium annorum.

Infans enim, qui debilis est naturæ, & non bonæ valetudinis duobus ferè annis solet adhærere pectori matris; qui verò bonæ salutis, seù complexionis per annum, vel ad maius per quindecim menses papillas sugere solet. Quid est quòd Maria optimè constituta in habitudine corporis, & nullo vnquã pergrauata morbo, imò optimè complexionis, benè disposita, sapiens, & discreta per tres annos non alio cibo pasci, non alio potu enutriri voluit, nisi lacte tantummodò matris suæ? Diuinitus arescentibus illius vberibus infuso? Cur hoc? ò anima mea, dicam, quæ sentio cum Pijssimo Ioanne Lanspergio in serm. de Anna: Deum cumulasse in hac sancta muliere copiam gratiarum super cœlestium, vt digna mater foret tantæ prolis, & efflueret in filiam; adduco primò verba eiusdem. *Siquidem ad altiorem dignitatem prædestinatos, ampliori sanctitatis gratia locupletauit semper; quis ergo inficiabitur Annam multa gratiarum copia cumulationem factam à Deo optimo maximo, qui ipsã vnigeniti sui filij ex filia ipsius carnem nostræ mortalitatis assumpturi Annam prædestinauit dulcissimam fore, vt quò filius vate celsior, eò genitricis mater gratiarum multitudine, & altitudine ditior nasceretur.* Hæc ille. Repleuit primò matrem, vt cum lacte transfunderet in filiam; Deus enim, qui sua munificentia arescentibus grandæuæ mammis lac infundit, vberibus, & lacti contulit ligni vitæ proprietates.

Ioannes Lamber.

Quò nutrita Maria valuit absque alio cibo, virtute lactis, & mammillarum matris suæ transigere vitam. Vndecim propè annis templum coluit: & nec comedit, nec potum aliquem gustauit, quo igitur alio cibo vitam traduxit? Et quidem non alio nisi lacte, quòd tribus annis suxit de pectore matris. Nam & si Diuus Germanus lib. de oblatione Virginis testatur: *Maria ambrosiam trimentum accepisse per manus Angelorum vsque ad secundam ætatem*: cum ambrosia non verus, sed fictus erat cibus à Poetis asserentibus ambrosiam escam extitisse Deorum; cui astipulatur D. Gregorius Nicomediensis, qui subdit: *Virgo stipatur Angelis, & alimentum accepit ambrosiam.* quæ cum fictus sit cibus, idem est dicere, ac nullo alio cibo enutrita, nisi lacte cœlitus infuso vberibus arescentibus matris suæ. Si Elias transegit vitam quadraginta diebus, & quadraginta noctibus virtute panis subcinericij semel gustati, cur non Maria virtute lactis à Deo pectori matris collati diuinitus? cui ad hoc pręstitit Deus proprietatem ligni vitæ.

D. Ger.

D. Greg. Nicomediensis.

Si Hebręis spatio quadraginta annorum peregrinantibus in deserto pluit Deus manna de cœlo, & istius cibi virtute nec infirmitas, nec morbus vnquã tetigit aliquem eorum: vt dicat Propheta Sanctus psal. 104. *Et non erat in tribus eorum infirmus.* Et doctissimus Tostastus in Exodo cap. 16. q. 8. subdit quòd *virtute mannæ quo vescebatur populus in deserto, nec vngues, nec capilli crescebant in eis*: Si hoc efficere manna de cœlo potuit, quantò magis lac Sanctæ Annæ, cuius lactata lacte Maria, nec defectus passa est vnquam: nec superflua creuerunt in ea, vt ex toto perfecta; etiã quando migrauit è vita non oppressa doloribus non pergrauata morbo: sed euolauit tantum percussa gladio dilectionis, & charitatis diuinæ.

Dauid Proph.

Tostatus.

Et licet peruenerit ad annos septuaginta duos non senio confecta, vt tactũ est in quinta palma Ramusculo sexagesimoquinto; sed pulcherrima in nullo deficiens, quia Maria senectutis defectus non sentit; sed virtute lactis à se elongauit, & eliminauit omnem vetustatem; virtute cuius nouis creuit in dies per ætatem incrementis, & virtutum augmentis vsque ad gradum summæ perfectionis; quo factum est, vt ipsa non fastidiret matris vbera, nisi tertio ætatis suæ anno, nec mater ablactauit

eam nisi absoluto, perfectoque lactationis trium annorum circulo, vt sic perfectam Deo: cui antequam nasceretur vouerat, aptè digneque offerret, & præsentaret in templo.

Cuius oblationis munus tantæ erat puritatis, quòd videbatur ipsa Virgo tota esse translata ad statum: qui omnium crassarum rerum expers est, & tota effecta in simulacrum pulchritudinis ipsiusmet Dei; Et vndè in Virgine illa puritatis, vlla offensionis macula? si tota erat in Dei possesione, & dominio? à quo longè fit omnis, qui à sæculi contagio expeditus non est.

Hinc Abrahæ dictum legimus in lib. Genes. cap. 12. *Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui.* Cur non alijs sanctis patribus hoc præceprum datum est? Cur tot tantisque Prophetis, & Regibus Sanctis, & Dei amicis non legimus, hoc idem iussisse Deum? vt renuncient omnia huius vitæ? Sed tantum Patriarchæ Abrahæ præcipitur? Numquid præ omnibus alijs volebat Deus Abraham ab omni periculo erroris sic purum? Ab omni populari contagio sic liberum? ab omni carnali affectu, & ab omni mundi sorde sic expeditum? vel quid apud Deum præ cæteris habebat Abraham; vt præ cæteris deberet esse purior, & mundior: hoc duntaxat, si mea non fallit opinio, quia futurus erat Abraham, Pater leuitarū, qui ad Dei solius pertinebat peculium, & possessionem. Sic enim testatus est Spiritus sanctus in lib. Num. cap. 3. *Ego tuli leuitas à filijs Israel pro omni primogenito qui aperit vuluam in filijs Israel, eruntque leuitæ mei;* Ergo quot fuerunt Leuitæ, tot continebat Abraham possessiones Dei in lumbis suis. *Idcircò voluit Deus:* inquit D. Ambrosius, *vt præ cæteris ipse esset defæcatior, & purior ab omni mundi huius contagio,* in lib. de fuga sæculi cap. 2. sic testatur Sanctus, *quia leuitæ fugientes sunt sæculi, vt placeant Deo, relinquant parentes filij, & omnem cognationem, & adhæreant vni Deo, Denique, & Abrahæ dictum est, Exi de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui.* Sed fortè dices Abraham leuita non erat: certè non erat, sed habebat in lumbis suis Leui, propter quem illi soli præceptum est exi de cognatione tua, & de domo patris tui, quia non potest esse Dei possessio, & Dei peculium, qui expers non est ab omni sæculi piaculo, & contagio.

Genes.

Num.

D. Amb.

O anima mea, & quæ vnquam ex filijs Adæ fuit magis expers ab omni prorsus mundi sorde magis defæcata, vel quæ creaturarum etiam supercælestium; fuit vnquam Dei solius singularis possessio, vt hæc infantula Maria? quæ Deo hodie offertur à parentibus, expedita ab omni mundiali labe, & macula, veluti mundissimum, & suauissimum holocaustum: si propter Leui in lumbis Abrahæ dictum est Patri; Exi de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui; cur non melius Mariæ non timore alicuius contagij, cum esset ipsa purissima; sed vt eius puritas toti mundo magis ac magis propalaretur, quæ in lumbis, & cordis ventre non Leui patrem Leuitarum habebat, sed Deū Leuitarū: erat enim prælecta, & prædestinata in matrem Dei; quomodo non mundissima? non purissima? Et vt talis hodie oblata Deo, ipsi Deo non gratissima oblatio? Si offerentium corda, & munus oblatum erant ab omni mundano: & ab omni carnali affectu omninò aliena.

Nam qui adhærere Deo peroptat, & illi appropinquare exardescit, hoc primum curet, & attendat. In lib. Exodi cap. 3. ad rubi ardentis visionem Moyses Sanctus nisi prius deponat, & exuat calceamenta de pedibus suis prohibetur accedere. *Ne approoinques huc, dixit illi Deus, solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Terra illa, ad quam pergebat Abraham iuxtà mandatum Dei filium sacrificaturus, pariter terra sancta erat. appellabatur locus ille; Domins videbit, & tamen Abrahæ non legimus dictum, Ne appropries huc, vel noli accedere, seù noli huc ascendere, nec solue calceos de pedibus tuis; imò pater, et filius festinanter ibant, vt venirent ad locum, quem monstrauerat illi Deus, in quo Abraham altare ædificauit, et ligna cōposuit paratus ad sacrificium. Exod.

Quorsùm hæc mysteria? quò tendunt hæc diuina secreta? diuinæ apparitionis locum ascendens Abraham de nudandis pedibus mandatum ei non datur, sed tantum datur Moysi, et quæ huius accedendi, et ascendendi erat in Moyse prohibitionis ratio? quæ non erat in Abraham? Si terra, ad quam ambo ibant Sancta erat; hæc est ratio, quando ascendebat Abraham, accedebat nudatus ab omni

omni affectu carnali, ascendebat discalceatis cordis pedibus ab omni creatura; quomodo ab alienis non denudatus Abraham? quomodo non ab omnibus alijs discalceatus Abraham, qui proprio filio, et vnigenito; vt Deo obtemperaret, non pepercit? O res mirabilis, quid mirum si vt astet Deo, sistat Deo, adhæreat Deo, ascendat ad Deum, accedat ad Deum, absque vllo prohibitionis mandato admittitur, et promittitur, vt terram illam calcet, et ascendat.

Moyses verò, quia veniebat: & de Aegypto exibat, & mundi vinculis ligatus, & inuolutus ascendebat, hinc ei dictum est primò, vt soluat calceamenta de pedibus suis: si ad terram illam dignus accedere cupit, sic philosophatur Doctissimus Origenes dum ait: *Moyses cum venisset ad locum, quem ostendit ei Deus, non permittitur ascendere, sed ante ei dicitur, solue corrigiam calceamenti de pedibus tuis: Abraha nihil horum dicitur sed vt ascendat, nec calceamenta deponit; in quo illa fortassis est ratio, quòd Moyses quamuis esset magnus, de Aegypto tamen veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus eius annexa; Abraham verò nihil horum habebat, sed venit ad locum, ædificat altare: & munus obtulit Deo gratissimum.* Orig.

Quantò magis Deo gratissima fuit Ioachim, & Annæ oblatio? quippè, qui ab omni; quòd carnale erat, quòd mundiale sapiebat, ascenderunt denudati, & cor ipsiusmet infantulæ mundissimum, & purissimum erat; dùm nulla mi[illegible] huius tinea vnquam tetigit, nec labes, vnquam fœdauit fragilitatis humanæ: meritò læti ipsi accedunt, Deo assistunt, munus offerunt, cui corda primo sacrificant, votum hilares reddunt, promissam filiam deferunt Deo, cui sacrant, & dicant vnigenitam in holocaustum suauissimi odoris: eò gratior hæc oblatio: eò iucundior hæc promissio, et voti satisfactio, quo erat Maria in se creaturis omnibus purior, & sanctior, & parentibus ipsis charior, & amabilior; erat enim vnica, & vnigenita. O Deus cordis mei, in horum cordibus erga te quantum præualuit Religio; dum absque vlla cunctatione Deo sic tempestiuè sacrarunt; quòd votum illi promiserant nulla sui gaudij, & lætitiæ, qua ex eorum infantulæ præsentia perfundebatur habita ratione, nulloque iucunditatis, et voluptatis qua, ex conuictu, familiaritate, pulchritudine, aspectu, amplexuque huius puellulæ, replebantur, habito respectu, quid Deo gratiosius poterat offerri; quid illi iucundius sacrari, quid illi hoc Virginis munere acceptabilius donari? tum ex ipsomet dono, quòd donatur, excepta filij Dei oblatione, hac Virginis præsentatione quid Deo gratius esse potest? tum ex parte offerentium, qui non iam aurum, quo fulgebant, nec quidquam de pecudibus, quorum vt diuites præsepia multa possidebant; sed vnigenitam, vnicam dilectam filiam, tot lacrymis, tot ieiunijs, precibusque à Deo post sterilitatis opprobrium misericorditer impetratam.

Sicut enim Anna sanctissima fuit vniuira, sic vnicam tantummodo genuit filiam, & non tres: vt multorum vulgata quædam circumfertur opinio asserentium B. Annam tres habuisse viros, tres quoque genuisse filias, ex singulis singulas; primò in matrimonium tradita est Ioachimo, ex quo habuit Mariam Virginem matrem Domini; post Ioachim obitum tradunt se nupsisse Cleophæ, à quo habuit Mariam Cleophæ; Tertias verò nuptias celebrasse cum Salome, à quo tertiam suscepit filiam nomine Mariam Salome.

Prima Christum genuit, secunda effecta est mater Iacobi minoris: Iosephi, qui dictus est iustus, Simonis, & Iudæ; Tertia verò mater fuit Iacobi maioris, & Ioannis Euangelistæ. Huius opinionis fuere D. Antoninus 1. p. suæ historiæ, Magister historiæ in historia Euangelica cap. 47. Petrus à natalibus in Catalogo, Lodulphus de vita Christi cap. 5. Eckius in serm. de Sancta Anna, & alij non minoris auctoritatis; sic ducti forsitan ex Euangelio, in quo legimus hos Apostolos Christi vocari fratres, & illas duas Marias Mariæ Virginis sorores. D. Ant. Magist. Petr. Lodulp. Ekius.

In Ioanne cap. 2. dicitur: *Descendit Capharnaum ipse mater eius, & fratres:* in Matthæo cap. 12. *Ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei:* in Marco cap. 6. *Nonne* (dicta refert Euangelista Iudæorum) *hic est filius Mariæ frater Iacobi, & Ioseph, & Simonis & Iudæ, nonne & sorores eius nobiscum sunt:* & Paulus Apostolus scribens ad Galat. cap. 1. *Alium Apostolorum vidi neminem: nisi Iacobum fratrem Domini.* Io. Eu. Matth. Marc. Paul. Ap.

Quid-

Quidquid sentiant ij, contraria sententia mihi videtur probabilior, & veritati magis consentanea; quia nullum cōtinet errorem, nullam temeritatem, nullamque repugnantiam: non repugnat Sacræ Scripturæ, nec sanctæ matri Ecclesiæ, cuius auctoritati standum est; ipsa enim in descriptione vitæ Sanctę Annæ, nec alio in loco nullam de tribus viris, neque de tribus filiabus sub eodē Mariæ nomine mentionem facit: non aduersatur Sanctorum Patrum testimonio cum nullus illorum memoriæ prodiderit, vt est de alia opinione, de qua Medina. Doctus Medina in 3.p. D.Thom. q.38. art.3. sic scribit: *Huic sententiæ ab omnibus contradicitur, quippè quæ nullum habeat fundamentum neque in scripturis, neque in historijs.*

Vniuiram fuisse Diuam Annam, & Cardin. Baron. vnicam duntaxat genuisse filiam nulli dubium est. Cardinalis Baronius in apparatu ad annales sic habet: *Vniuiram fuisse Annam, nec post obduratam sterilitatem, ex voto conceptam, repromissione obtentam, susceptamque in senectute filiā alios nouisse partus tam veteros, quam recensiores orthodoxi Patres sunt profes-* Canisius *si.* Canisius lib.1. de Virg. cap.4. docet: *Annam vnicum tantum habuisse virum Ioachim, & vnicam tantum habuisse filiā* Suarez. *Virginem Deiparam:* eiusdem sententię est doctissimus Suarez in 3.p.D.Thom. tom.2.q.28. sed si me non piget anno- Lippom. tare hic verba Lippomani in epist. ad Lut. dum describit vitam Sanctorum, & matris Virginis, non te pigeat legere: ait enim: *Mihi placere non potest tantam matronam, idest D. Annam, post sterilitatis diuina gratia solutum impedimentum, & post dignissimæ illius plantulæ nempè Reginæ Angelorum, & Dominæ nostræ ortum, mortuo Ioachim, vnum atque alterum, vt vulgò dicunt, sibi maritos superinduxisse:* hæc ille. Hoc idem, & sub alijs Iansen. verbis Iansenius in sua concordantia cap. 143. *Parum, inquit, conuenit dignitati Sanctissimæ matronæ Annæ plures ei ascribere maritos ab illa successiuè acceptos, etiam post prolem ex priori marito susceptam.*

Addam, & hoc, si Dominus Iesus adeò adamauit in matre virginitatis florem, vt nec in partu, nec post partum passus sit illum marcescere, vel quidquā lædi: pati ne voluit in auia sua incontinentiæ notam? qua vtique criminaretur si tribus nupsisset viris: incontinentiam hoc quidem saperet. Si Virgo innumeris fuit à Deo decorata priuilegijs, adeò vt Sanctorum omnium priuilegia in ea sunt congesta, & quod collatum est alijs, non est denegatum Marię. O anima mea Isaac Saræ filius, & Ioanni Baptistæ Elisabeth partui datum est vt essent vnigeniti, cur non Virgini illi, cui desuper datum erat, vt esset mater Vnigeniti filij Dei, vt & matris suæ foret ipsa vnigenita post sterilitatem sic miraculosè ab ea mundo edita.

Vnius viri igitur fuit vxor, & vnius filiæ mater Sanctissima Anna: tres autem duxisse viros, & tres genuisse filias nullo fundamento stabiliri potest; qua ratione, illis, qui hanc sequuti sunt opinionem innixis super verba Euangelistarum, respondemus iuxtà sententiam sacrorum interpetrum textus Euangelij, Apostolos illos vocari fratres, non quia essent Mariæ Virginis filij, vel alicuius sororis eius, cum semper extitisset vnigenita; sed ob inopiam linguæ Hebreæ vocat fratres, qui erant affines, cognati, vel consobrini, & vxores duorum fratrum, vt erant Diuus Ioseph Mariæ Virginis sponsus, & Cleophas vir Mariæ Cleophæ vocat sorores; cognatas consueuerunt hebræi vocare sorores, & cognatos fratres, vt docet Diu. D. Aug. August. tract. 10. in Ioan. & in quæstionibus Euangelicis ex Matt. q. vlt. sic habet: *Non est mirum dici fratres Domini, [quos]cunque cognatos ex materno genere, quùm etiam ex cognatione Ioseph dici poterant fratres eius ab eis, qui illum Patrem Domini esse existimabant: omnes ergo Mariæ consanguinei fratres dicebantur Christi Domini:* sic & Euthimius in Euthim. Ioan. cap.19. vbi Maria Cleophæ vocatur soror Mariæ. Stabat iuxtà Crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ: *Vnigenita*, inquit ipse, *erat Dei mater, sororem verò Domini ait appellari eodem loco affinem;* quam, & Theophil. vocat *cognatam*: Si Maria so- Theoph. rorem non habuit vterinam, vnigenitā fuisse, & matrem quæ genuit eam vniuiram semper extitisse quis audebit dubitare; & in oblatione huius vnigenitę, quam ab omni, quòd carnis & sanguinis sapiebat, esset denudarus eorum affectus, ipsamet oblatio satis apertè premonstrat, dum totum quòd amabant, quòd

quòd poſsidebant vnica oblatione: ſic tempeſtiuè,& alacritèr Deo ſacrant: de cœlo hoc munus acceperunt,cœlo reddunt,ac ſi ipſi de cęlo,& non de Aegypto venirent,& viuerent. Tu verò anima mea,quę de Aegypto venis,& in Aegypto viuis,& calceata moraris vt Moyſes, ſi ad Deum accedere, Deo adhærere, Deo ſeruire,Deo aſtare, Deo miniſtrare,Deum purius, & perfectius amare cupis, ſolue calceamenta de pedibus tuis,locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt: pedes tui ſunt intellectus, & affectus,quorum motibus, & greſsibus tu ad Deum accedis, hi igitur mundandi ſunt,& ab omnibus creaturarum pellibus denudandi: ſi lauaſti eos cum ſponſa,noli iterum temporalium vmbra, & imaginibus illos coinquinare,ſed emundatam,purgatam, & purificatam te offer Deo in holocauſtum ſuauiſsimi odoris.

Intra clauſtra domus ſuæ te recluſit Deus, liberam ab omni hominum vexatione,vt anima, & ſpiritu ſine intermiſsione fruaris Dei viſione;& conſortio; hoc exemplum præmonſtrant parentes Virginis in hac præſentatione filiæ in templo Domini; quia non diſponitur anima ad percipiendam in ſe Deum,& ſua diuina munera, & ſpiritualia dona, niſi prius à ſe longiſsimè ſubtrahat,& elonget omnia terrena implicamenta.

Vbi de gloria dominicæ transfigurationis agit Sanctus Euangeliſta Lucas cap.9 inquit: *Et facta eſt,dum oraret,ſpecies uultus eius,altera: & ueſtitus eius albus,& refulgens*: & quòd aſtabāt illi Moyſes,& Elias, loquentes cum Ieſu: Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati ſomno; ò diuina ſapientia,ò ſecreta myſteria, dum Dominus Ieſus profert in manifeſto teſtimonia,ſic claræ ſuæ Diuinitatis,& gloriæ, obdormiunt Apoſtoli? Si tunc ſomno non tenerentur tam graui,nonne,& ipſi vt Moyſes,& Elias poſſent videre illam filij Dei gloriam,frui illa Dei maieſtate, & conſpicere illam filij Dei faciem, & vultum in quem deſiderant Angeli ſemper proſpicere? cur in manifeſtatione tantæ viſionis,tantæ fœlicitatis, & beatitudinis ram deſiderabilis, dormire eos permiſit Dominus, & erant grauati ſomno.

O ſomnus ſummæ fœlicitatis,ò ſomnus deliciarum Dei, & immenſæ capacitatis,vt anima diſponat ſe, & præparet ſe ad percipiendam illam Dei gloriam,illum Dei ſplendorem,illam Dei viſionem,illam diuinitatis æternam claritatem,neceſſe eſt vt dormiat,vt teneatur ſomno graui,vt claudat oculos, vt tanto ſomno grauentur: ſunt enim omnia hæc creata ad Deum videndum animæ notabili impedimento, ne impediatur à participatione tantæ viſionis, neceſſe eſt oculos claudere, & obdormire ſomno illo, quem nos docet Andreas Cretenſ. in ſerm. de Transfiguratione Domini. Andreas Cretenſ.

O miraculum propter uerissimam naturæ extaſim graui ſomno,& metu correpti,obſtrictis ſenſibus cùm omnem intelligendi rationem omninò amiſiſſent, ita in diuina illa caligine, cum Deo uerſabantur,eò quòd omninò non uiderent, uidere ipſum acquirentes, tunc acquirebant uidere Deum,quando clauſis oculis mortuorum ſimiles nihil terrenum uidebant,quo ſomno tenebatur Petrus,& hac uiſione fruebatur,quando exclamauit, Domine bonum eſt nos hic eſſe; nullo tenebatur impedimento quùm abdicatis terrenis omnibus nulla eorum grauabatur ſarcina, ſed clauſis oculis, oculo animæ Deum intuebatur,Deo fruebatur: ſomnus iſte præparabat corda, & diſponebat pectora diſcipulorum ad intuendū Deum, & ad percipiendam illam Dei clariſsimam viſionem.

Hoc ſomno granari Maria in templo,quis dubitat; idcircò non niſi primò ablactatam obtulit Deo mater: ò quam clara viſione in domo Domini, Deo fruebatur Maria, Deo intimè adhærebat, Deum amabilitèr alloquebatur, ad Deum proximè appropinquabat: intuere anima mea cor Virginis præſentatæ in templo, quomodo Dei amore æxtuabat; intuere actus humilitatis,& cordis eius deſideria,& vota, intuere incrementa virtutum,& profectus ſub tanto pedagogo: intuere parentum offerentium affectus: intuere & oblatæ infantulæ puritatem,dignitatē, & innocentiam: intuere cordis alacritatem,& animi promptitudinem,qua læta ſe conſecrat Deo, & clauditur in templo mancipata Deo.

Et ſub hoc ramuſculo ſede, commorare,& quieſce anima mea, contemplare fructus, & flores ſuauiſsimos huius ra-

ramuſculi, quorum odore perfuſa, & ſuauitate referta, munda cor tuum, vt ablactatum ab vberibus huius mundi, offeras Deo, & huic infantulæ in holocauſtum ſuauiſsimi odoris, vt plantata tu in domo Domini, adhæreas Deo, & ei miniſtrans, & ſeruiens exultes, & pariter laudes nomen Virginis cantando ei canticum nouum, dic ergo.

Benedictum ſit ſacratiſsimum nomẽ tuum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Ieſu filij Dei, te præcor ò Maria monſtra te eſſe matrem, & miſerere mei, quoniam in te ſola confidit anima mea: ſub vmbra huius ramuſculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE ASCENSIONE VIRGINIS ad templum per quindecim gradus.

RAMVSCVLVS DECIMVSOCTAVVS.

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis! Cant. cap. 7.



N huius mundi lucem, vbi te, ò Trima puellula, iucundissimè editam, nec in domo paterna diu commorantem contẽplatur anima mea: sed tertio tuæ ætatis, simul, & lactationis anno in ea perfectissimè completo, cùm mammis, iam facta grandis, admoueri amplius opus non esset: nec mater Anna suæ promissionis moram, eam adducendi in templum, & Deo, cui vouerat, antequam nasceretur, offerendi traxit in longum, sed triennem præsentauit in templo, vt docet Diu. Euodius (post Diuum Petrum) Antiochenæ Ecclesiæ Præsul sanctissimus in epist. quã inscripsit, & refert Nicephorus lib. 2. c. 3. *Trimula cùm esset*, inquit ipse, *in templum est præsentata, & ibi in Sanctis Sãctorum traduxit annos vndecim; deinde Sacerdotum manibus Iosepho ad custodiã est tradita*: & ipsemet Nicephorus hist. lib. 1. c. 2. his idem fatetur verbis: *Promissionem mater Anna adimplet, & in templum ascendens iuxta votum eam Deo consecrat*: si in templum adducendi Virginem filiam, & Deo reddendi promissumque præstandi cunctata non est mater.

D. Euod.

Niceph.

Niceph.

Quid ipsa? quæ edocta Spiritus sancti lumine, intellexit se voto à progenitoribus suis, antequam conciperetur, fuisse Deo iam dicatam, commorandi in domo Domini, & in atrijs Dei sui, & Deo arctius se coniungendi, ipsum amandi, contemplandi, & illius præsentia dulcius fruendi, quo tenebatur amore? quo dilectionis diuinæ agitabatur stimulo? qua vi amoris coarctabatur, & trahebatur cor illius.

Non minus ac cerua à canibus agitata, & à venatoribus consecta anhelabat ad fontem, siti maiori, celerique cursu, & profundiori plaga vrgebaris amoris tu ò Maria Deo dicari, & consecrari, & peruenire, & introire in tabernacula Dei tui; vndè illius dilectionis, & amoris stimulis sic vulneratam, & agitatam, persæpè repetitis suspirijs, fixis in cælum oculis suspirantem te audio: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei.* Dau. Pr. Ps. 41.

Nunc per interrupta verba, nunc per ignita pectoris suspiria, nunc per dulces igniti amoris lacrymunculas, cùm intus ignitus hic amor retineri nõ posset, per geminatos singultus sæpè ingemiscens paruula foras erumpebat: *Quã dilecta tabernacula tua Domine uirtutum concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Adeò illi erant amabilia atria illa, vt præ desiderij vi, & vehementia videbatur cor eius præ amore deficere, & quasi deliquium pati, donec perueniret, & ingrederetur in domũ Dei sui. Dau. Pr. Ps. 83.

Hinc vt votum à progenitoribus de se factum ad perfectum duceret Virgo, & videret completum, tanto ipsa afficiebatur amore, & desiderio, quòd ipsa illos præuenit, non expectat rogata, sed ipsa ipsos rogat, & eorum corda ipsa pungebat, stimulabat, & vrgebat.

Et iam ad templum deducta, vires, quas infantilis ætas illi negabat, addidit amor, quo perueniendi ardebat: vndè super ætatem, festino cursu, & nimia alacritate conscedens quindecim templi illius gradus, & Angelis illam comitantibus, & hominibus, qui aderant fuit admirationi, vt quilibet illorum dicere posset.

Cant.c.7 *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Et quidem astantibus cunctis admirationis non paruæ fuit Virginis gressuum pulchritudo, quandoquidem cùm esset ipsa trium annorum in sua præsentatione supra naturam ascendit scalæ templi quindecim gradus; erant enim circa templum iuxtà quindecim graduum psalmos, quindecim ascensionis gradus, in horum itaque vno B. Virginem Mariam paruulam parentes constituerunt, ar ipsa cunctos singillatim gradus sine ducentis, & leuantis manu ita ascendit, vt perfectæ ætati in hac duntaxat causa, nihil deesse putares: iam quippè Dominus Deus in Virginis suæ infantia magnum quid operatur, & quanta futura esset huius miraculi inditio præmonstrabat, & ita velocitèr ascendit quindecim illos gradus, vt in stuporem induceret, & templi Pontifices, & parentes, qui astabant, & obstupebant
Cant.c.7 exclamantes: *Quàm pulchri sunt gressus tui.*

Horum passuum pulchritudo, & eorundem celeritas non aliundè proficisci videbatur, si deuotè attendas, ò anima mea, nisi ex nimio Virginis cordis desiderio, & in domum Domini perueniendi, & Deum vicinius appruximandi, vt sic plantata in domo Domini, ibique impinguata spiritu, veluti oliua fructifera, ex vicinitate diuina virtutũ omnium incrementum reciperet.

Ex vicinitate Dei sui, habitans in tabernaculis eius, nata illi est gloria, & virtutum incrementum, ità prædictum
Num. legimus in lib. Num. cap. 24. à Balaam. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel: vt valles nemorosa, vt horti iuxtà fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fecit Dominus; quasi cedri propè aquas.*

Vbi tabernacula, & populi tentoria illi fuerunt, vt horti, iuxtà fluuios irrigui, & populus velut cedri, & plantæ, quę crescunt ex vicinitate aquarum, sic Deus est fons, vt cecinit Propheta: *Quoniam apud te est fons vitæ,* quo irrigantur illi, qui vicinius Deo approximantur, ex pinquitate diuina irrigatur anima: surgit, & crescit, & virtutibus cœlestibus repletur, dum vt plantula plantatur in domo Domini: Dominus fiet fons, & fluuius irriguus, qui eam irrigat, fœcundat, inebriat, & secundum exigentiam beneficia diffundit.

Vt oraret ad Patrem, cum tribus discipulis Dominus Iesus hortum ingreditur, & perseuerante illo in oratione, ait Euangelista Lucas. cap. 22. *Et factus* Luc. 22.
in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: orante mundi Saluatore de fontibus venarum totius sui corporis decurrit sanguis, & sanguineus hic sudor decurrit, vsque ad terram.

Erat Christus in horto orans, & inter horti illius plantulas vidit discipulos sibi proximos, & circum se stare, qui vt maiora virtutum incrementa reciperent pius agricola irrigationem illam sanguineam de fonte humanitatis suæ largissimè emittit, vt sic irrigatæ discipulorum plantulæ crescant in augmentum perfectionum, & floreant in virtutum odore, frondescant, & fœcundentur in fructuum sanctarum operationũ fęcunditate. Audi D. Ambrosium lib. 3. D. Amb.
de Spiritu sancto cap. 18. *Hanc Christi sanguinis effusionem contemplantem sic inuenies. Consumaturus Iesus suscepta carnis officia cùm perfectionem in discipulis iam videret, quos verborum suorum radice fundauerat, hortum ingreditur, vt olearum nouellas in domo Domini plantaret, vt iusti palmam florentem, modo vitemque fœcunda riuo sui sanguinis irrigaret.*

Ecce vbi discipuli veluti nouellæ plãtulæ plantati veniunt in domo Domini, ipse Dominus fit eis fons irriguus ad irrigandum, & hanc irrigationem tunc immisit quando factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, vt sic irrigati, & fœcundati omnium perfectionum, ac virtutum incrementa reciperent.

Diuinarum perfectionum, & cunctarum cęlestium virtutum quibus Virgo vt Deo gratius deseruiret, vicinius approximaret, ardentius amaret, dulcius adhæreret, & suauius tota transformaretur in Deum, dum nimio amore tenebatur cor eius hinc festina currit, sollicita venit ad templum, gradus quindecim celeritèr ascendit, vt inter plantulas sacratissimi hortuli domus Domini Dei sui, qui fons est vberrimus ad irrigandum plantaretur, & ipsa iuxtà aquas, & secus fluuium irriguũ cuius aqua rigata madefacta, refersta, inebriata, fœcundata

data crescat,& vsque ad verticem omnium virtutum se eleuet,ramos dilatet, floribus se coronet, & fructus afferat terræ illius supercęlestis,ingreditur in domum Domini. Damascenus lib.4.de fide orthodoxa cap.13. *Editur partus in domo ouilis Ioachim,& adducitur in templum; deinde in domo Domini plantata, & impinguata spiritu veluti oliua fructifera omnis virtutis habitaculum facta est,ab omni sæculari vita, & carnali concupiscentia procul mentem sequestrans,*vt sic Virgineam animam, cum corpore conseruans,vt decebat eam,quæ in sinũ Deum susceptura esset: sanctus enim existens in sanctis requiescit: sic igitur, sanctificationem omnium exercet, vt templum sanctum, & admirabile altissimi Dei dignè præmonstraretur. *Damasc.*

Hũc in via perfectionis progressum, & hæc virtutum incrementa, quæ in dies Virgo hæc paruula, allatura erat in domo Domini Dei sui,nouo indicio prædemonstrauit ille celeris cursus, & velocissimi incessus,quando ipsa triennis,non sine magno prodigio quindecim illorum templi graduum ascensum absolui.; miraculosam enim vocat hãc graduum Virginis ascensionem D.Hieronymus in tractat. de ortu Virginis: *Iam quippè Dominus in Virginis suæ infantia magnum quid operabatur,& quãta futura esset,huius miraculi indicio præmonstrabat*: & si fuit miraculosa hæc Virginis ad templum ascensio,quid miraris, si obstupefacti qui aderant exclamant: *Quam pulchri sunt gressus tui filia Principis.* *D.Hier.*

Passus Virginis in graduum ascensionem,& celerimos, & pulcherrimos reddebat amoris ignis, quo calefactum cor eius singulariter ardebat, Deum adire,Deum videre,Deo seruire, Deo adhærere, Deo frui,Deo se consecrare, Deo iungi, & totam se in Deum ipsum per approximationem,per liquefactionem purissimi amoris interius transformari, Virgo ardebat desiderio, flagrabat,& amore æstuabat.Hoc innotescere voluit D. Theodoretus, nam vbi nostra vulgata legit filia Principis, legit ipse: *Quàm pulchri sunt gressus tui filia Nadab.* *Theodo.*

Nadab Aaron fuit filius,cuius frater fuit Abiu; hi duo in templo Domini sacerdotij fungebantur officio,& vna die ambo ingressi templum Domini,vt incensum illi adolerent, quando arreptis thuribulis posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum,quòd eis præceptum non erat,sed quia corda eorum iã longè erant,& alienata à lege Domini, non missum è cœlo,sed alienum portauerunt ignem. Sic legimus in Leuitico cap.10. *Arreptisque Nadab,& Abiu filij Aaron thuribulis,imposuerunt ignem,& incensum desuper, offerentes coram Domino,ignem alienum,quòd eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino,deuorauit eos,& mortui sunt coram Domino.* *Leuit.*

Quòad officium, & oblationem ignis,licèt altera imò diuersa incomutatione. Verè Virgo Maria fuit filia Nadab,nam ingressa tabernaculum Domini,ignem non legalem,non alienum, sed quem ipsa susceperat de altari pectoris Dei sui: ait enim Richardus Victorinus:*quia in corde Virginis amor Spiritus sancti singulariter ardebat; ideò in carne eius mirabilia faciebat, in tantum ut de ea nasceretur Deus homo*, ignem nouum diuini amoris,& nouo hoc igne in thuribulo cordis sui imposito gratissimum sui ipsius obtulit holocaustũ, dum mente,corde,voluntate,memoria, corpore,& spiritu Deo se totam obtulit in sacrificium suauissimi odoris. *Richar.*

Non potuit hæc sui ipsius Virginis oblatio,quæ ex ardentissima,& dilectione Seraphica procedebat, quæ ex igne diuini amoris,quo se Deo ipsa sacrauit, & in atrijs domus Domini semper per nunsura conclusit,nascebatur,Deo non esse gratissima,cuius obsequio libentissimè,& in perpetuum se mancipauit, & veluti holocaustum totum Deo combustum,Creatori suo,factori suo,se perpetuò consecrauit,& obtulit: & si amor est desiderium pulchri,quid miraris anima mea, si ità pulcherrima in ascensu graduum templi apparuit puellula Maria,vt meritò,& spiritus cœlorum, & templi Pontifices,& Virginis Progenitores,& omnes,qui ad huius infantulæ oblationem aderant,& astabant, nouo hoc miraculo stupefacti exclament: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Nadab.*

Amor erat, qui huic infantulæ, & membris illius corpusculi vires, & virtutem celeriter præstabat ascendendi; ait enim diuinus Augustinus scribens

D. Aug. ad Macedonium epist. 52. *Ad Deum tendimus, non ambulando, sed amando, quem tantò habebimus præsentiorem, quantò eundem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem.* Vt purissima super omnes creaturas, etiam super cœlestes, Maria, puro etiam erga Deum tenebatur amore, ad quem tendere cupiens, & vicinius approximare; quando quindecim templi gradus ascendit, volando, ascendit, non ambulando, nimirum, quia ascendebat amando, & diuini amoris igne tota succensa.

Sic ascendentem vidit eam B. Ioannes Euangelista, quando in lib. suarum reuelat. in cap. 12. autumat se vidisse illam amictam Sole, & in capite eius corona stellarum duodecim, quia Maria in ascensione templi erat veste alba, & candida circumamicta, & vestita, & caput florum corona portabat redimitum: & quando Sanctus Euangelista subdit verba illa: *Et Luna sub pedibus eius,* sub typo Lunæ celeritatem ascendendi voluit nobis clarè innotescere. Luna est inter omnes Planetas, quæ breuiori temporis interuallo sui motus cursum peragit: nam Saturnus post triginta annos reddit ad punctum, à quo moueri cœpit: Iuppiter duodecim annos perficit, Mars duos, corpus Solare trecentos sexaginta quinque dies: Mercurius, & Venus, idem temporis interuallum consumunt: Luna verò sola viginti septem diebus. & paucis horis totam sui orbis spheram velocissimo cursu percurrit, & peruolat: qui motus Planetarum in sphera humanæ naturæ, etiam consideratur, & inuenitur, non solum in moralibus, & naturalibus actionibus, sed etiam in spiritualibus cadit hic Planetarum motus: nam nonnulli Saturno similes, pigri, & segniores sunt ad currendam viam mandatorum Dei, nonnulli Iouem in absoluendo perfectionis cursum imitantur; alij & quàplurimi instar Solis, Mercurij, Martis, & Veneris currunt ad brauium amoris, & seruitutis Dei.

Apocal.

At Virgo ideò calceata Luna, *& Luna sub pedibus eius*; quia ipsa sola veluti Luna totam illam sanctitatis, & perfectionis spheram, quæ ei, vt mater Dei futura, erat necessaria; celerrimo cursu, & festina currit quando adhuc Trima puellula. & vix ab vberibus matris ablactata, quindecim illos scalæ templi gradus, sine alicuius iuuamine, seù leuamine supra corporis facultatem maxima cum omnium astantium admiratione, & stupore ascendit, cultui diuino, & Dei seruitio mancipatura scandit: quid mirum si ascendit volando, dum ascendit amando, iter tibi ò anima mea pandens, & modum præmonstrans, dum calceata Luna ascendit.

Fortasse nescis tu Lunam idcircò à Deo fuisse creatam, vt ipsa præesset nocti, & hoc eius munus, & officium. *Quid est, in præfecturas noctis?* ait D. Chrysostomus, vt Luna noctis depellat tenebras, & humano generi præbeat commoditates vtendi suis studijs: tunc enim viator fidentius iter facit, & nauique studia metu deposito aggrediuntur; heu quot periculis scatet hæc præsens nostra vita? quot metus, quot occulti hostes, quot insidiæ, quot laquei, & iam paratæ sagittæ, & quot mortis genera obnubilant noctem præsentis vitæ? Huic nocti, vt præsit, data est tibi, ò anima mea, Maria, ideò sub pedibus eius Luna; quia ipsa ad te illuminandum, & ad erroris tenebras fugandas est Luna fulgentissima, & clarissima, & ad tibi patrocinandum, & auxilium præbendum Luna velocissima: si ergo viam perfectionis, si mandatorum Dei iter perficere cupis, noli sine Luna hac, iam inimici tendentur arcum, *parauerunt sagittas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde,* & eorum ictus non effugies, nisi vitæ tuæ præerit hæc Luna Maria. Doctrinam hanc prænotauit textus grecus; nam vbi nostra vulgata legit: *vt sagittent in obscuro rectos corde,* legit ipse, *vt sagittent in nocte illuni rectos corde.*

D. Chry.

Dau. Ps. cap. 10.

Tex. Gr.

Quid est illuni? illi dicuntur illuni, qui vitam transigere, noctem percurrere quærunt absque Luna Maria, quæ illuminatrix interpretatur, est, & dicitur: illunos sagittat inimicus, hos vulnerat, hos expugnat, hos illaquet, hos vincit, hos præfocat, hos decipit, hos perdit, hos occidit, hos mactat, hos denique damnat; Si sagittas iam præparatas penropras effugere tu anima mea; en tibi adest, vt profit, Luna Maria, quæ lumine suo iter recturo pandit, & viam virtutum demonstrat, & ad Deum ascendendi, quàm celeritèr ipsa suo exemplo te instruit, & docet.

Dùm quindecim templi gradus puris-

tissima Virgo Dei seruitio se commendanda, Luna calceata ascendit; eius quidem gressus,& admiratione astantibus fieri unt digni, & in seipsis sanctissimi,nam si Sancti non essent vtique in Scriptura sacra minimè laudarentur; laudantur enim ex calceamentis, dùm dicitur: *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*:simul tibi ad opem, & ad exemplum vtilissimi: imò
Guillel. & necessarij. Pijssimus Guillelmus,sic verba hæc interpetratur: *Non dicuntur simpliciter pulchri gressus eius,vt cæterarum filiarum Principis,sed quàm pulchri, hoc est quam puri,& mundi esse,tus eius: non enim pernicitate pedum, sed puritate affectuum ibat de virtute in virtutem, visum Deum Deorum in Sion*: & quàm tibi etiam vtiles ad exemplum, sic subnectit: *Erat autem in eundo calceata Sanctorum antiquorum exemplis informata; quid enim sunt præcedentium exempla Patrum, nisi quædam tamquam ex pellibus mortuorum animaliũ spiritualia calceamenta? Denique præclara illa filia Principis pia veneratione simul, & æmulatione amplectabatur innocentiam Abel,obedientiam Abrahæ, mansuetudinem Moysis,humilitatem Dauid, patientiam Iob,continentiam Danielis:his ergò, & huiusmodi Patrum exemplis decentissimè calceata in attritis animi gressibus ibat de virtute in virtutem.*

At quia erant tibi ad opem,rectè vidit eam D.Ioannes Luna calceatam, tum ob celeris cursus in Dei obsequiũ, cui tunc ascendebat perpetuò mancipatura,festinationem: tùm vt suo auxilio in cunctis tuis necessitatibus præstò esset vt Luna, qua calceata gradiebatur.

Quid est ascendere calceata Luna? nisi ascendere non ambulando; sed volando, quia amore Seraphico æstuans ascendebat amando,ac si diceret, ascendebat Virgo alis Seraphicis alata:ò mysteria, ò lætitiæ animæ ascendentis palmam hanc virgineam. De Seraphinis
Isaias Proph. illis, quos vidit stare Isaias Propheta cap.6.nu.1.*Super solium Dei excelsum,*
Septuag. interpr. *& eleuatum*:vel vt habet translatio septuaginta; *Et Seraphim stabant in circuitu eius,* testatur idem Propheta Sanctissimus, quòd senas quilibet eorum habebat alas.*sex alæ vni,& sex alæ alteri; quarum duabus uelabant faciem eius; duabus uelabant pedes eius, & duabus uolabant*: si dices mihi,& si alas habere necesse est quare tam multas? si ad volandum duæ satis erant, quid sibi vult multiplicitas ista pennarum? Dicam quæ sentio, Mariæ ad quindecim templi gradus ascendendum,& ad Deum ipsi euolandum duæ alæ satis sufficere videbantur,vt eidem Euangelistæ reuelatum est in Apocalyp.cap.12. *Datæ sunt mu-* Apocal.
lieri alæ duæ Aquilæ magnæ, ut uolaret in desertum in locum suum. Sed quia ascendebat calceata Luna,& Lunæ interest præesse nocti, ò anima mea, vt tibi præesset,tibique suo lumine prodesset, satis non erant alæ duæ:sed vt cœlestis Seraphim senas habebat alas, vt in tuis diuersis volaret operare necessitatibus, vt te ab imminentibus posset liberare periculis,opem ferre,subuenire auxilio consolari solatio, patrocinari suo adiutorio,saluare sua misericordia, & benignitate. Senis alata alis Maria,vt intelligas,quò non solum in Dei obsequium velocissimè mouebatur, sed ad tibi opẽ præstandam,ad tibi subueniendum alis velabat plusquam Seraphicis:dùm & in ipso volatu etiam ipsos Seraphim videbatur excedere:ità est mens,& doctrina
Diui Amadei hom.8.de laud. Virginis: D. Amadeus.
Motu celerrimo, inquit ipse, *Seraphim alas excedens nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis nunc terras signis,& virtutibus illustrans, ubique suis, ut mater iucundissima, & mirificentissima occurrit.*

O anima mea, dùm contemplaris Mariam quindecim tẽpli gradus ascendentem,intuere sex alarum alis, quibus suo exemplo duo te docet, quo motu celerrimo, prompto, & festino, in Dei obsequiũ tibi necesse est moueri, & Dei seruitio mancipari: Alterum est, quòd quidquid boni feceris sit alarum tegmine velatum,hoc est mysterium,quando Seraphim,duabus alis volabant:en motus festinus, & celerrimus cursus in Dei amorem,in Dei obsequium;*duabus velabant faciem, & duabus pedes eius*: Cur faciem alis velabant, & pedes? sic
respódet D Chrysost.*Seraphim stabãt in* D.Chrysostom.
circuitu.quid faciebant? & quid dicebãt, cua fiducia fruebãtur?fiducia quidẽ nullã Verum timoris, & stuporis plena: ipsa enim specie metum ineffabilem declarantia: ò Deus cordis mei, si illi Spiritus Seraphici, qui volatu celerrimo, aliò non ferebantur,nisi in Deum ipsum,

dum

dùm diuino throno sistuntur, nihil in se inuenerunt, cui fidant, multa sentiunt, quę operantur timidi, cur non tu ò anima mea? quæ carne circumamicta, etiam inter lilia bonorum operum spinas, quæ te iactantiæ stimulant, & persæpè pungunt inanis gloriæ stimulum quotidiè emittis, & erumpis.

Angeli, qui Dei seruitio toto conatu semper vacant, sic alati dùm apparent, hoc tibi astruere contendunt, hoc idem ipsa paruula Maria, quæ perfectionis omnis est exemplar, inanis gloriæ tàm crudelis hostis, humilitatis amica, alata, & velata alis in Dei obsequio consecratura ascendit, & ad tui salutem, sic calceata Luna volat, nihil in se fidens, sed in Deo, cui soli placere studebat, & non hominibus, ne oculis hominum infinitos thesauros animæ suæ purissimæ ostentando, exponeret, tot alis alata, velata, volando ascendit: Euola, & tu toe alata alis in Dei seruitutem, & in eiusdē Virginis laudes, obsequium, & cultum: vt & tu plantata in domo Domini impinguaris spiritu: pone ascensiones in corde tuo, vt crescas in cremento virtutum, vt ascendas ad perfectionis gradum, & Dei tui familiaritatem, vt eas de virtute in virtutem: & merearis videre Deum Deorum in illa sancta Sion, ad quam non poteris peruenire, nisi ad exemplum Virginis calceatis, & derelictis huius vitæ itineribus obliquis, celeritatem, & festinationem ad currendam viam præceptorum, & legis Dei, & ad Deo feruentius feruiendum, amplectaris has ascensiones, vt possis ascendere ad illam Sion cœlestem repone, & dispone in corde tuo, & recta hac via gradiens declinabis obliqua, & peruenies quo desideras; & cordis tui desiderata possidebis.

lib. Num. cap. 20. Pergens cum populo ad terram promissionis Moyses ille Sanctus, & Dux Hebræorum, cogebatur transire per regionem Regis Edom: quem vt securum, certum, & tutum redderet ab omni timore, dixit illi: *Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis; sed gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes donec transeamus terminos tuos.*

Via Regia protestatus est Moyses transire terminos Regis Edom, hoc est via recta, non declinando per deuia, & obliqua, non ingredi vineas, nec bibere de puteis regionis illius, cur hoc? Et quorsum hæc? Respondit Philo doctissimus: *O promissionem generosam, & magnificam, ità ne obiectro superare, transire; transcurrere, quidquid in terra bonum censetur, poterit? Non poterat Moyses ad terram illam fluentem lac, & mel transire nisi prius pertransiret regionem, Edom hoc est Regis terreni, & via regia calcatis obliquis gradēretur;* ò promissionem generosam regionem Edom pertransire tibi ò anima mea necesse est, sed via regia, non declinando in agros eius, non ingrediendo vineas illius, non bibendo de puteis, sed celeritèr, & festinantèr transire terminos eius, si ad illam cœlestem Sion, quæ est terra viuentium, & quæ fluit lac, & mel dulcedinis, & fœlicitatis diuinę, cupis peruenire: idem Philo his verbis te docet: *Olimpiæ cœlestisque animæ sunt, hæc tàm ingentia facinora, quæ regione terrestri iam relicta ad diuinarum naturarum subducta est consuetudinem: repleta enim contemplatione bonorum cœlestium incorruptibilium, meritò adulterina ista in diem durantia reijcit.* Philo.

Nam non admittitur anima terram illam promissionis verè fluentem lac, et mel ingredi, nec eius perdulcissimos degustare fructus, nisi calceatis hisce vitæ voluptatibus, et suæ carnis delicijs. Israel, et Edom fratres erant, sic anima, et caro germanæ sunt: hæc significatur per Edom, qui et sanguineus interpetratur; quoniam caro ex sanguine dinoscitur viuere, et constare. illa verò per Israel, qui videns Deum dicitur: anima per contemplationis oculum ad Deum fertur, et eleuatur, ad quem videndum peruenire minimè potest, nisi, calcatis hisce obliquis Edom itineribus, graditur ad eum via regia.

Si statum perfectionis aues, si cœlestem illam Ierusalem, tibi sub typo terræ fluentis lac, & mel proposita possidere peroptas, scito te per totam fratris tui Edom esse transeundum, à quo si retardari pertimescis, & virtutis iter paues tibi impediri, via regia gradere, noli declinare neque ad dexteram, neq; ad sinistram, neque de puteis eius aquā bibere, neque per agros & vineas voluptatum illius incedere, & ad transitum tibi præstandum semper inimica dicēte

Paul.Ap. te Apoſtolo ad Galat. cap. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem*: qui carnis parat concupiſcentijs, qui terrenis inhæret, inuenire non poteſt, niſi quòd in terris latet ſcilicet amaritudinem, diſsipationem, iugitèr bella & lites; vt igitur valeas fructus terræ illius deguſtare', conuerſa ad Dominum, dic ei: Da mihi Domine fructum dulcem, fructum vitæ animæ meæ, altus eſt, attolle deſiderium, benedictus eſt, ſanctifica obſequium, imputribilis eſt purifica affectum: ſuauis eſt & dulciſsimus, lætifica animam, cuius fructus vt inebrieris dulcedine: En Ramuſculus Virginis puriſsimæ ſub cuius vmbra dum tuus ſe colligit animus, ſola cęleſtia meditatur, à terrenis ſeparatur, à turba carnalium cogitationum longè ponitur, dulces carnis refugit effectus, vagos ſenſuum aſtringit motus, in Domino tantummodo delectatur, angelica dulcedine fruitur, legit in lib. vitæ, pro ſilentio pacem tenet, in choro virtutum ſeruat concordiam morum, ſummi patris potentiam conſiderat, ſapientiam filij inueſtigat: Spiritus ſancti benignitatem amat, & veluti Iſrael claro oculo Deum ipſum videt, vt horum omnium efficiaris digna.

Imitare Mariam, amplectere eius veſtigia: vt calcatis præſentis vitæ deuijs, & obliquis, merearis vt noua plantula in horto deliciarum Dei, & tui irrigari, & fructificare in domo Domini Dei tui: collige te ſub vmbra huius ramuſculi aſcenſionis ſuæ in templũ, & docebit te modum aſcendendi, celeritatem, & feſtinationem ad Deum perueniendi amando, & debitum Deo obſequium præſtandi: dulcis eſt, & pia: & vt Luna perfecta luce ſua virginea à te depellat noctis tuæ tenebras, vt in domo Domini via Regia, relictis obliquis, & ſuæ quindecim graduum Aſcenſionis præmonſtrauit exemplo, & ſuorũ paſſuum celeritate, facilè ad Deum aſcendendi aperuit, & complanauit iter; hinc meritò illi ſpiritus Cœlorum, qui aſtabant, et Virginis paſſuum celeritatem attendentes præ ſtupore exclamauerunt: *quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut* Cant.c.3 *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* digna quippè exclamatio, digna quoq; et horum Angelorum admiratio; quoniã aſcenſus illorum graduum, quo infantula Maria aſcendebat in templum Domini, non ſolum ob totius ſuæ ſanctitatis odorem afflabat vndequaq; et aſtantium pectora perfundebat ſuauitate, erat admirabilis: ſed valdè admirabiliorem reddebat ipſa paſſuum celeritas, et feſtinatio; quia via regia aſcendebat vt virgula fumi. Et cur fumo potius quam rei alteri comparatur hic Virginis aſcenſus, niſi vt tibi et aſcendēdi, et Deo mancipandi præberet exemplum.

Vt autem capias quæ dico, velim ſcias: quæ de fumo autumat Vgo Cardinalis; Vgo. Card. *Fumus*, inquit ipſe, *eodem tempore partim oritur, & partim moritur*; ac ſi apertè diceret, hoc ſignantèr habet ex ſua natura fumus, quòd ſurſũ aſcendens, dum moritur, ex altera parte oritur, ortus, et occaſus admirabili modo contemplantur in fumo eodem tempore. Quando Angeli, quorum erat illa vox, *quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut virgula fumi*; viderunt Virginem triennem via regia ſic feſtinantèr, & celeritèr quindecim templi abſoluere, vel conſumere gradus: nec mirum, quia aſcendebat, vt dona Spiritus ſancti, & eius chariſmata reciperet: vt verè repleretur aſcendebat vt virgula fumi: ideò aſcendebat de deſerto, cui moriebatur, vt naſceretur Deo, & Deo ipſi totam ſe conſecraret in æternum victura, emortua mundo: hæc eſt via regia, qua peruenitur ad Deum, & ipſi ſoli viuere, & mundo, & carni, & voluptatibus emori carnalibus.

Quoniam animæ humanæ limitata capacitas non poteſt vno eodemque tempore duobus ſeruire, & ſui pectoris hoſpitium Deo præbere, & ſæculo, deſiderijs adhærere ſæcularibus ſimul, & expetere, ſeù exquirere cœleſtia: Duo ſimul amatores in corde vno eſſe non poſſunt, Deo placere, & mundo, impoſſibile: huic neceſsè eſt primò emori, qui Deo viuere, & naſci peroptat, ſi anima nõ moritur carni, non valebit cœleſtia aſcendere, nec Deum adire, & illi adhærere, & viuere.

Quando exijt edictum à Ceſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus Orbis, aſcendit, & Ioſeph de Galilæa de Ciuitate Nazareth, in Iudæam Ciuitatem Luc. 2. *Dauid, quæ vocatur Bethlehem, vt profiteretur cum Maria vxore ſibi prægnante: Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies, vt pareret. Et peperit filium*

ſuum

suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio. O admirabilis Dei sapientia, ò inuestigabile Dei nostri decretum, soli puero Iesu non erat locus in illa domo, vbi mater paupercula puerum reclinaret: si Dominus est vniuersorum, si cœli ipsi verbo huius infantis firmati sunt, si voluisset, locus, in quo reclinaretur puer iste, vtique illi non defuisset, quid est, quòd testatur Euang. quòd mater, & Virgo necessitate compulsa reclinauit in præsepio, quia non erat ei soli locus in diuersorio? vt ibi paululùm ad tempus posset commorari, nam ad hospitium commorandi causa diuertimus, non cohabitandi, & ad commorandum puero Iesu tantum non fuit locus in diuersorio cur hoc anima mea?

Accipe ex Leuitico, quid Spiritus
Leuit. sanctus doceat in cap. 11. quòd ex volatilibus, seu pennatis animalibus, quæ Deus prohibebat à sui sacrificij lege, inter alia numeratur Gallus, qui cum non sit de numero immundorum apud patres non parua orta est contentio, huius reprobationis causam inuestigantes, & rationem: sed relictis omnibus alijs, adhæreo sententiæ Patris Ioannis à S. Geminiano, cuius iudicium est, Galli à sacrificio Dei reprobationem ei obtigisse ab oculorum suorum proprietate, quæ talis est, quando inquit ipse, quòd *Gallus vnum oculum inferius deprimit, & alium in æthera dirigit.*

Cuncta animantia concordes habent oculos, ambo ad vnum: quòd intueri laborant pariter tendunt, & vniformiter inspiciunt, ex qua vniformitate Diuus Anselmus augmentatur oculos semper
D. Ansel. extitisse concordiæ, & vnitatis symbolum; quia concorditer intuentur, quòd contemplantur intueri: Gallus ab hac vniformitate, & concordia in respiciendo videtur inter pennata solus dissenti-
S. Gem. re iuxtà Sancti Geminiani sententiam dum vnum oculum inferius deprimit alium ad æthera attollit, vno intuetur terram, & alio cœlum; qui licet non sit de immundis: elongatur tamen, & prohibetur à sacrificio Dei, & suorum tantummodo vitio oculorum reprobatur à Deo.

In cuius reprobatione non Galli seù pennati animalis reprobationem debemus attendere, sed illius hominis, qui oculos non habet concordes, & vniformes ad Deum: sed veluti Gallus vno statuit declinare in terram, & aliū cœli versus dirigere, qui cælestibus terrena immiscuit, & mundanam dilectionem copulat diuinis; hinc nascens diuersorium declinauit, & reclinari voluit in præsepio; quia non erat ei locus in diuersorio, inquit Euang. non defuit ei locus, quia non esset, cum esset ipse Dominus omnium, sed ex conditione diuersorij locum habere noluit in diuersorio.

Animaduerte quid dicat Glossa. Glos.
Diuersorum est domus inter duos muros, duas Ianuas habens: hoc habet quodlibet diuersorium, vt qui ad eum ingredi contendunt, duo sibi pateant aditus; in tali hospitio Verbum Patris carne vestitum dum nasci refugit, & ingredi aufugit: quid est hoc ò anima mea, nisi quòd domum cordis illius, quæ duas habet ianuas vna aperta Deo, & alia mundo non clausa: vna qua Ingreditur mundus, et eiusdem illecebræ, et alia qua intrat Cœlum, et spiritus: vna patet diabolo, et pompis eius, et alia ingreditur Deus: sed commorari non patitur, cum sit lux purissima per seipsum quætendus est non creaturis medijs, quòd est proprium luminis; nam lumē extinctum lumini lucenti, et ardenti sine aliquo medio cōiūgitur vt lumen illud diuinum, quòd verè lucis proprietate gaudet, communicetur animæ sine alio medio quæri oportet, et illi locus soli dignè aptetur vna sit ianua: cor huius animæ nō sit diuersoriū; Nam iuxtà
Diui Clementis Alexandrini sententiá D. Clem.
verè diuersorium, ad quòd promiscuè Alexan.
quicunque diuertunt, erit cor, si omnibus affectionibus passim pareat, et immundum erit; nisi probè custodiatur. audiendus est Sanctus qui sic fatur in lib. 2. Strommatum. *At mihi quidem videtur cor non esse absimile diuersorio, quòd effoditur, & stercore sæpè repletur, cum homines se petulanter gerant; & locum nihil omninò curent; vt qui sit alienus eodem modo cor quoque cum quādiu nulla eius cura geritur fit immundum, & multorum dæmonum habitaculum.*

Quòd cum duas habet ianuas Iesus non subit in huiusmodi cor, qui vt fatetur D. Bernard. serm. Beatus homo qui D. Bern.
inuenit Sap. *Tuus est, inquit ipse, & ibi speras inuenire eum, qui diuersoria semper*

per ignorat: quid? quòd nasci in diuersorio voluit? Non solum quia non erat ei locus in eo: sed vt indicaret, seù annueret se in corde, vbi multæ sunt portæ, & ingressus; vbi multa passionum turba, vbi plurimæ sunt sedes, & quòd se habet instar diuersorij, se non ingredi, nec quiescere, neč nasci, nec cohabitare: Cor quod plurimos recipit hospitio aptum non esse ad Christum recipiendum; Cor quòd plures in se tenet hospites, & varijs est occupatum rerum terrenarum amoribus, non potest esse Christi aptum domicilium; In stabulo eligit potius nasci, quam in diuersorio, quia vbi maior solitudo, strepitus nullus est; Vna sit ergo porta in corde tuo anima mea, vnus sit amor, & locus Deo soli aptetur: si in domo Domini ingressa es, & Deo te consecrasti, & cultui diuino mancipasti te, vt Deus nascatur in te, commoretur in corde tuo, & inhabitet ibi, hac via regia relictis obliquis incedendum est. En Virgo quæ ascendens quindecim templi gradus tibi præmonstrauit exemplum, quando ascendit vt virgula fumi; emortua mundo, Deo sôli vixit, in cuius diuersorio quia vna fuit semper porta, Deus pacificè requieuit in tabernaculo suo, & nasci, & commorari, ingredi, & inhabitare. Sub vmbra huius Ramusculi pergustabis dulcedinem vmbræ, senties odorem florum illius, & exatiata fructibus dulcedinis, & protectionis suæ, redde ei fructus gratiarum, & benedictionū; ascende ergo ad palmam virgineam, sub cuius vmbra quiesce paulispèr à vanis cogitationibus, vt consecrata, & vnita Deo ardens cor tuum, quasi de altari ascendat fumus præcum, & meditationum tuarum in conspectu Domini Dei tui & simul inebriata amore huius infantulæ non cesses semper nomen huius Virginis laudare, & benedicere, dic ergo.

Benedictum sit nomen tuum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te præcor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniā in te sola confidit anima mea, sub vmbra huius Ramusculi ascensionis tuæ in templum, tuæ consecrationis, tuæ oblationis, & tuæ dedicationis Deo, protege me in cunctis necessitatibus meis, nunc et in hora mortis meæ, spes mea tu in die afflictionis meæ. Amen.



DE OBLATIONE SVI IPSIVS facta Deo à Virgine in templo iam præsentata.

RAMVSCVLVS DECIMVSNONVS.

Tulit autem Samuel Agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino.
lib. 1. Reg. cap. 7.



Vindecim templi gradibus iam a nostra infantula miraculosè absolutis; absolutoq; progenitorum suorū promisso: vt & Virgo sui ipsius efficeretur Deo acceptabile sacrificium, & ipsemet Deus illud gratum haberet, & pijs simul oculis acceptaret; resumptis animæ suæ viribus,& collectis in vnum, intuere anima mea, quomodò hæc infantula cor suum ex præcordijs pectoris sui, supercęlesti totum consecrat amori,& corpus cultui diuino,& ministerio. Mysticus Samuel,en ipsa infantula Maria est, quæ tulit agnum lactentem cordis,& corporis sui,& obtulit in holocaustum integrum Domino.

Sub hoc Ramusculo siste gradum, & attentè contemplare si vales, quo affectu singulari? quo cordis feruore? qua deuotione? quo amore? qua dilectionis flamma? quo mentis ardore? quo voluntatis suę proposito,& quibus perdulcissimis verbulis, non diuisam in partes, sed totam, & integram flammis diuini amoris concremandam se Deo piè deuouit,se feruidè sacrauit,se deuotè consecrauit, & tota totaliter tradidit.

Cor namque Virginis huius,& infantulæ corpus, per innocentiam, & munditiam, agnus erat, & agnus agno filio per omnia similis, & omninò conformis: sed & agnus lactans erat in domo Domini,& in atrijs Dei sui:ibi prophetarum eloquiorū lacte solitus lactabatur,& non alio vescebatur,ibi Doctrinę sacræ Scipturæ vberibus nutriebatur,& esca non alia vescebatur, quo pabulo, quo cibo, post ablactationem à lacte materni pectoris viuebat, crescebat, & corporis, & animi incrementa recipiebat, roborabatur; in spiritum eleuabatur ad Deum, & tota transformabatur in eum:cui iam non dimidiatum,sed integrum se obtulit in holocaustum; *nam vbi est diuisio*, inquit Diuus Ambrosius lib.2.de Cain, & Abel, *ibi totum sacrificium refutatur*: non diuisum igitur in partes, sed integrum fuit Virginis de se oblatum sacrificium: vt & tu possis dicere de ea. Tulit autem Maria agnum lactentem vnum, & obtulit in holocaustum integrum Domino. D.Amb.

O fęlix, & Deo gratissima Virginis oblatiò, non tardauit,nec multum expectauit,se consecrare Deo,sed triennali ab ipsis matris vberibus festinauit ad templum: paruulorum enim oblatio, quàm esset Deo gratissima ostendit ipsemet Deus in lib.Nu.c.1.quando præcepit Hebræis: *vt cæteri Israeliti à vigesimo anno,& suprà recenserentur. Leuitæ verò non nisi ab vno mense, & suprà*:vt legimus etiam in tertiò capitulo sed quæ huius discriminis ratio?& quale mysterium? illud esse puto, quòd affert Diuus Theodoretus in lib Leuitici, quæst.1.rationem reddens, cur volebat Deus sibi offerri à filijs Israel in sacrificium pullos Columbarum, & non Columbas ipsas: *Quia*,inquit Sanctus Doctor,*detestabatur Deus in adultis Columbis lasciuiam*? in paruis verò pullis innocen- Num. Theodoretus.

nocentiam amplectebatur: cum Deus teneram ætatem tanti faciat ob eius puritatem,& munditiam;hinc leuitas,qui Dei tantum seruitio mancipati erant, non à foro,non a puluere sæculari, non ab ætate perfecta,sed ab vno mense,hoc est ab vberibus matris,à lacte,ab infantia ad suum diuinum obsequium ostendit esse transferendos; ætas enim illa, quia infans pendet a matris pectore, quo in se est purior, & candidior, eò benedicto est gratior, & acceptabilior. Acceptabilis fuit Deo sui ipsius Virginis oblatio,quia trima erat,hoc enim præfiguratum est in sacrificio,quòd voluit,vt ipsi immolaret Sanctissimus Patriarcha Abraham, cui fuit facta promissio de Messia futuro in carne passibili,quando dixit Deus;*sume mihi vaccam triennem,capram trinam,& arietem trium annorum*: Qui numerus in Scriptura sacra perfectionem significat, & idem est dicere, sume mihi vaccam triennem, ac si dixisset offer mihi sacrificium perfectum,& integrum.Ità Diu. Hieronymus in Isaia cap. 15.*Præcipitur Abraham*,inquit Sanctus:*vt offerret vitulū, arietem, & hircum trium annorum perfectum scilicet, & integrum sacrificium, vt hæres Domini esse mereatur*. Figuram illam consumatam fuisse in hac Virginis oblatione, quando trina obtulit se Deo:cui vt integra, & in se perfectissima fuit gratissima, & suauissimi odoris consecrata corde,& corpore maneipata cultui diuino. (D.Hiero.)

Tota reprobationis Cain,& eiusdem sacrificij,causa,& origo non fuit ex eo, quòd non bona,& pinguia,non optima & non Deo digna obtulerit: sed vt inquit Rupertus Abbas:*quia malè diuisit; sua offerens Deo,cor verò sibi retinuit*. *Quum Deo offert sua*,ait Doctor lib. 4. in Genes.*seipsum sibi retinebat:huiusmodi portionem Deus non accipit*,qui dixit, *fili præbe mihi cor tuum, at ille cor suum retinuit sibi,& fructus terræ obtulit Deo, qui corde placatur,& non muneribus*. In suis meditationibus Deum alloquens, D.Anselmus, sic orabat: *Aufer Domine à me si velis, substantiam, manus, pedes, oculos, & solum relinque cor, quo te diligam,quo tibi placeam*. (Rup.Ab.) (D.Ansel.)

Deus non capitur muneribus,neque donis, qui solum mundissimi cordis spatia amat,diligit, quærit, & requirit: nec mireris,attende Verbi Dei generationem,& videbis,quòd à Patris corde æternalitèr procedit, & quia partus cordis est ipse,non amat nisi hominum corda,& viuere extra corda nequit: testatur D.Paschasius, *necesse est,quòd de corde resulsit,vt ibi eum suscipiat sponsa: quia quòd de corde procedit, non nisi eorde tenetur,& capitur*: O Virgo prudentissima, ò diuina infantula, vt in se capiat Deum, iam posita iuxtà altare, dum sui ipsius Deo gratissimum offerre flagrabat sacrificium, vt totum integrum, non in partes diuisum offerret, cor Virgineum primò offerens in holocaustum: & cum corde corpus, & quidquid erat, & quidquid habebat libentèr diuino cultui, templi ministerio, & Dei seruitio sacrauit, obtulit, & donauit. (D.Pasch.)

Cur hæc oblatio non gratissima Deo,si integra fuit,& mundissima,& ex toto corde; cor namque huius infantulæ mundissimum fuit virginitatis voto: beatissimum visionis diuinæ dono, humilissimum Spiritus sancti gratia: deuotissimū amoris desiderio,feruentissimum charitatis dilectione in Deum, & proximum: secretissimum Christi vitæ, & operationum eiusdem consecratione:patientissimum passionis præssuris, & amaritudine vnitormatissimum in consensu mortis filij, & crucifixione: fidelissimum in gratiarum communicatione in oratione sollicitum, in contemplatione assiduum, in impetratione efficacissimum, in Dei similitudinem splendidissimum: et cordi diuino dilectionis ligamine inseparabilitèr sēper vnitum,et conforme: o cor semper vigilans, et in Deo salutari tuo semper exultans.

Quæ anima verius dicere potuit, vt Maria sola; *Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum*: pars vna erat cor Dei altera cor Virginis, et ex his duobus cor vnum videbatur compactum,quando Maria sic Deum habebat in corde suo impressum,efficiatum,et expressum, vt non Virginis, sed Dei, non Dei, sed Virginis cor vtriusque videbatur vnum et idem,matris,et filij Dei,& Virginis: dicam et hoc, erat cor vnum, et anima vna,quoniam nihil caducum,nihil mortale:nihil quòd transitorium est,dominabatur in corde Virginis: sed quòd æternum,et incorruptibile est,sed Deus solus sedebat,& sedendo inhabitabat,et

inhabitando dominabatur: Deus enim in corde creaturæ, nec inhabitare, nec diù conseruari potest, in quo prædominans creatura sedet, et dominatur.

Defuncto enim Domino, et sepulturæ tradito, et in Sepulchro posito, post tres dies victor, et gloriosus resurgens indè discessit, et abijt ad discipulos suos, vt non de morte eius amplius pauidi, et timidi, sed de fide resurrectionis essent securi, et non increduli, reliquit igitur illã saxeã molem, sub qua tribus diebus quietè obdormiuit, et relicto sepulchro, et sindone in qua fuit inuolutus, ait Euangelista c. 28. quòd *descendit Angelus Domini de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.*

Matth. Euang.

Angelos pluries apparuisse non est, qui dubitet, et iam notum ex Scriptura sacra tibi factum est ò anima mea, sed vel stantes, vel ambulantes, at sedentes nunquam nec legimus, nec reperitur scriptum, tantum in hoc, quòd testatur Euang. Matthæus. Et accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum: Cur hic sedentem describit Matthæus? Si mulieribus, quibus Angelus apparere complacuit, esset longa oratione multa dicturus de Christi passione, de morte, de redemptione ab eo facta, de prætio sanguinis pro nobis ab eo soluto: de genere pœnalitatum: de gloria resurrectionis eiusdem, de crudelitate, odio, & inuidia Iudæorum: de Iudicum Christum iniustè condemnantium iniustitijs, quòd sederet mirum non esset, imò nec mirandum, cum sit proprium docentium sedere, quòd ibi sederet Angelus: veluti in Cathedra, vel in Pergamo multa nunciaturus, multa docturus multa prædicaturus; vel si ipse aduenerat, vt nuncius, nihil aliud illis annunciaturus quam Christum ibi non esse, quæ omnia his paucissimis verbis absoluit, *Non est hic, surrexit*: hæc tantum duo verba, vt proferret, vt nunciaret, sessione ipse non indigebat, ad quid ergo sedet, & sedendo super lapidem sedet, & super lapidem illum, sub quo Christi corpus paulò ante fuit à matre positum, et sepultum.

Plena mysterijs fuit hæc Angelica sessio super lapidem illum, sub quo ille, qui tribus diebus requieuit sepultus, non erat homo purus, sed homo Deus: cuius corpus licet mortis vulnere, sub mortis iacuit imperio, quando in cruce patri suo inclinato capite tradidit spiritũ: illud Deus nunquã reliquit solũ, nam quod semel assumpsit nunquam dimisit: Diuinitas à carne illa nũquam recessit, sed erat sub lapide in corpore mortuo, cuius potentia sola, & hoc reuixit, & surrexit, & victor de omnibus triumphauit: itaque corpus, quòd sua visceribus lapis incluserat, non erat solius hominis, sed hominis Dei, vt ostenderet Angelus ibi non esse Deum, & quòd nunciat ore: *Non est hic, surrexit*: hac sua sessione, quando sedebat super lapidem, verius, & clarius confirmare voluit.

Vbi enim dominatur creatura, & sedet, in loco quem sua sessione creatura premit, nec ibi Deus potest recludi, nec diù habitare: illæ mulieres Dominum sub lapide quærebant. Iesum quæritis Nazarenum, non est hic: *Errorem arguit Angelus ille qui sedebat super lapidem*, inquit D. Chrisostomus hom. de Ioanne Baptista: *Et quid ostendebat lapis cui ego insidio? qui seruus sum istius, qui certus sum, quod non potest includere Dominum meum, cum prematur à seruo suo.* S. Chrys.

Heu anima mea, heu, & cor meum, quot creaturæ, quot earum affectus insident cordi tuo, & te premunt sessione sua, dominatione sua, & nutui, & dominio suo subijciunt; nequit enim fieri, vt prædominante in corde tuo creatura, quòd ibi habitet, sedeat, moretur, & sedem habeat Creator; quin potius habeat, & inde excludatur, & foras mittatur, & dici liceat: *Surrexit, non est hic.*

O purissima infantula cordis mei, ò dulcissima Maria quo ardebas amore, quo æstuabas desiderio, qua festinatione, & quo amoris pondere currebas, & curabas vt Deus ipse veluti signaculum poneretur; & premeretur super cor tuum, cui vt quietè insideret, & prædominaretur, vt totum amplectaretur, & pars non esset in eo, quæ non esset Dei, & plena Deo, purissimum, & denudatũ ab omni affectu cuiuscunque creati, & ab omni mundano puluere emundatũ, non membratim, non diuisim; non dimenso, & numerato munere, sed totum, & integrum in holocaustum obtulisti, cui enim gratissimum fuit, & suauissimi odoris, Stultum namque adiudicauit Virgo aliquam creaturam in corde suo

suo partem habere, quòd Deo totum obtulit, & sacrauit, & Deus ipse acceptauit in holocaustum,& in sacrificium placabilis oblationis. Cur hoc?nisi quia Virgo Agnum lactentem sui corporis integrum obtulit, & ab omni creatura denudatum, & ex toto corde, quo solū capitur Deus, vt ipsemet testatur in
Cant. Canticis cap.4. *Vulnerasti,vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum*
Septuag. *tuorum*. Septuaginta interpretes: *Excor-*
Tigurina *dasti à nobis cor nostrum*: Tigurina, *ven-*
D. Greg. *dicasti tibi cor meum*. S. Gregor. Nysse-
Nyssen. nus, *excordasti me*; Anima, quæ se Deo consecrat, & offert in holocaustum, eò peruenit, quòd cum Deo suo sui ipsius permutat cor suum, non alio quidem prætio, aliaue mercede, seu commuta-
D.Ambr tione nisi sui cordis. Ita est mens Sancti Ambrosij: *Corde cepisti nos soror mea sponsa, corde cepisti nos in vno oculorum tuorum*: ex toto pulchra nimis erat spōsa, & perfectionum erat circumamicta varietatibus, cur vno tāntūmodo oculo, & nō duobus vulneratū se fatetur Deus?
Balduin. *Quid sibi vult*, inquit Balduinus, *quòd in tota pulchritudine sponsæ, non vulneratur sponsus, nisi in vno oculorum*, & quidem valdè mirandum est hoc, quòd cum sponsæ pulchritudines, dotes, perfectionesque, quibus pulcherrima apparebat, sigillatim retulisset sponsus, eam collaudando (sponsus, vt videri potest in
Cant. 4. & 5. Canticorum: *Tota pulchra es amica mea,& macula non est in te: Sicut vitta coccinea labia tua: Sicut fragmen mali punici genæ tuæ; Sicut Turris Dauid collum tuum, caput tuum vt Carmelus; Coma capitis tui sicut purpura Regis: Capilli tui sicut greges Caprarum: Dentes tui sicut greges tonsarum: Duo vbera tua sicut duo hinnuli Capreæ gemelli, Manus tuæ tornatiles plenæ Hyacinthis; venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs*, & nullis ex ijs omnibus vulneratum se conqueritur nisi in vno oculorum tuorum.

Quid est hoc? anima mea, quid est hoc? vt capias sēsus profunditatē,& loquendi modum, & mysterium?attende, quid accidit primo martyri, quando in protestationem suæ fidei erga Deum, & in signum confessionis suæ seruitutis, suæ obligationis,& sui amoris, obtulit Deo factori suo sacrificium de primogenitis gregis sui,& de adipibus eo-
Genes. rum vt notat sacer tex. in Genes. c. 4.

Et perfectione oblatorum præstitit sui cordis deuotionem,& amorem, quē habebat ad Deum; nam quì Deo sacrat, quod est optimum, religiosè sacrificat, ex corde immolat, & affectuosè offert, & Deus ipse gratiosè approbat, & placido vultu acceptat: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*: quid est, quòd vt Abelis sacrum sacrificantis, apprōbaret Deus munera, respexit, nisi suis diuinis oculis suum sibi vendicare, dicere,& esse, quòd ad sui nominis gloriā offerebatur; & in acceptatione diuina vndè tam placabilis hæc hostia? nisi quia non diuisum, sed integrum erat, quòd Deo sacrabatur, & ab omni humano puluere defæcatum; & oblationis & sacrificij fumus fortius,& feruentius ascendens de corde Abelis, quam de oblatis,& victimis primogenitorum gregis sui fuit Deo gratissimū, & suauissimi odoris; nam verba illa: *Respexit Dominus ad Abel,& ad munera eius*, legit Aquila in sua tractat. *Consolationem* Aquila
accepit Dominus, ac si diceret: Placatus est Dominus,& iram, qua exarserat in Cain, qui non benè diuisit offerens sua, depofuisse cernimus, & quietem maximam accepisse ex odore sacrificij Abelis.

Offerens Cain sacrificia, & victimas de fructibus terræ, licet optimis, quia cor, quo solo capitur Deus, sibi retinuit non rectè diuisit, quo & peccauit, vt docet D. Bernardus in Cant. serm. 24. *Si* D. Bern.
rectè offers,& rectè non diuidis peccasti: noli esse igitur rectus oblator, & prauus diuisor. Nam hoc sacrificiorum genus Deus non accipit, non respicit, non acceptat, non placatur: sed magis prouocatur ad iram, & despicit: *quid miraris ò Cain*, inquit D. Bernardus in eod. ser. Id.Sanct.
si ad tua non respicit munera, qui te despicit: despicere idem est, ac reprobare: cum Deus non delectetur oblationibus, quæ non integræ offeruntur ex corde: fumus sacrificiorum Cain non ascendit ad Deum; quia deerat cor sacrificantis, non respexit ad Cain; quia in se diuisus erat, sibi retinuit cor suum, rem diuinam faciens tantum de frugibus terræ, quas non respexit Dominus, vt respexit ad Abel,& ad munera eius.

Quid est respexit, nisi corde captus exclamare vulnerasti, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum: vt sponsa,& prima sponsa Abel per inno-

cen-

centiam, & puritatem cæterasque eius virtutes totus erat pulcher,& sine macula; & licet essent in eo multæ virtutes,perfectiones,& dotes singulares,nulla illorum vim habuit Dei vulnerandi pectus,excordandi,& abstulendi cor,capiendi,alliciendi,captiuandi,imò & permutandi,vt oculi, quando ipsemet fassus est vulnerasti,excordasti, abstulisti, corde cepisti nos; cur oculis seruata est hæc victoria,& quæ illorum vis,& fortitudo? Sic respondet Balduinus vbi supra: *Quia oculus potest videre, & videri,illex & index solet esse amoris.* Balduin.

Nulla pars corporis, licèt pulcherrima,dotibus potitur,& priuilegijs, quibus,& oculus, qui solus habet merita meritis compensare,& videndi pretium idem soluere; nam visus, solus est, qui visui se intuentis numismate eodem, quo videtur,videt,satisfacit,& par pari refert: nam lætitiam, qua intuetur, intuendo compensat, & elargitur, & hoc est,potest videre,& videri, & quòd maius est,illex,& index solet esse amoris.

Oculis à natura datum est alliciendi, inescandi,& attrahendi cor intuentium cùm sit quilibet eorum esca voluntatis, signaculum affectionis,vehiculum amoris,& curriculus,per quem in cor ascendit omnis improba cupiditas, intrant sensus animi, & omnis ignitus amor: qui vbi venerit cæteros in se omnes traducit,& captiuat affectus: hic solus ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectionibus,in quo potest creatura,& si non ex æquo respondere auctori,vel de simili mutuam rependere vicem: assequi non potest hoc quælibet anima fidelis, nisi clauso vno sensibilibus è duobus, alterum erigens in Deũ, cui soli intendit,& sui cordis propositum dirigit & mentem, iuxtà sententiã Diui Gregorij Nysseni orat.8.in Cant. *Qui ad solam Dei naturam visus acumen dirigit: is in cæteris omnibus cæcus est,ad quæ multorum oculi respiciunt;* huius oblatio,& sacrificium Deo acceptabile est,& suauissimi odoris. D.Greg. Nyssen.

Non in Abelis tibi duntaxat sacrificio exemplum proponitur, sed clarius, & altius in præsentatione sui Virgo Virgin. præmonstratur; cuius oculi quantò interius caligant mundialibus, & sensibilibus,tantò fortius fixi se habebant in oculis diuinis,vt videret quid à se vellet,vel quid imperaret,vt obtemperet,obediat,& se offerat Deo, qui si non capitur nisi corde, Agnum sui purissimi corporis integrum illi obtulit, & mactauit super altare sui cordis,quãdo incumbens amori, totam se effudit in Dei amorem,quæ ipsi habet respondere auctori bonorum omnium,in reddendo amorem,& cor & corpus illi offerens in sacrificium, dicere verius potuit Virgo in Præsentatione sua: *Holocausta medullata offeram tibi*: quid est medullata ò anima mea? sic tibi respondet Diuus Augustinus: *Intus teneam charitatem tuam,non erit in superficie. in medullis meis erit,quo diligo te:* fuit sui ipsius oblatio Virginis sacrificium medullatum non alio igne combustum, nisi diuino,quo ipsa erga Deum flagrabat,quid mirum? si fumus huius sacrificij Deo fuit suauissimi odoris. Dau. Ps. D. Aug.

Vndè quantus sit iste nostræ infantulæ, & suæ oblationis odor,adiudicauit ipsa in 1.Canticorum,quando cecinit: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis:* Nardus Virginei cordis fragrantem,& suauissimum adeò emisit odorem, vt eo allectus filius Dei, in corde Virginis descenderit,& tunc suauem hunc odorem præcipuè Virgo parua infantula dedit, quando ante altare in conspectu Domini Dei sui, ex aureo cordis thuribulo verba amoris igne flammantia huius oblationis suæ prodierunt: tunc tẽporis nardus hæc paruula dedit odorẽ suauitatis,quando? *cùm esset Rex in accubitu suo, & quo in accubitu erat tunc Rex,* sic respondet D. Ioannes Euangelista: *Vnigenitus qui est in sinu Patris.* Cant. D.Io.Ev.

O prodigia, ò suauitas huius nardi Virginis infantulæ, dum Verbum Patris erat in pectore patris, hic est filij accubitus,sinus Patris. Sic docet Diu. Bernardus in Cant. serm.42. *Accubitus Regis,sinus est Patris, quia semper in patre est filius,*& dum hic assidebat,& accubabat, nardus Virginis emisit odorem suauitatis, quæ suauitas hæc? & quæ odoris fragantia? vt in accubitu illo oleret,& spiraret odorem,in quo sũt omnium perfectionum odoramenta, & omnium virtutum suauiolentiæ?Patris æterni sinus nonne ipse est locus omnium deliciarum Dei? locus gloriæ, & maiestatis diuinæ? nonne est locus omnium odorum Paradisi? apotheca omnium aromatum,& omnium suauitatũ? si fuis- D. Bern.

si fuisset Rex ille extra patris sinum, quòd nardus Virginis illum suæ suauitatis odore oblectaret, nec mirum? sed valdè mirandum,& magno stupore dignum quòd mens non capit humana;, imò obstupescit Angelica, quòd huius nardi odore,& fragantia delectaretur; dum esset in accubitu suo,hôc est in sinu patris sui.

Hoc idem Verbum, iam caro factũ, odore fidei captum, legimus à muliere Cananea: odore intimæ dilectionis à Magdalena: odore confessionis à Petro: fiduciæ,& religionis odore à Centurione; sed in terra dum versaretur in hac nostra solitudine, & lacrymarum valle,in qua omnium virtutum grassatur inopia, & odoramentorum patitur penuriam; sed quòd capitur odore nardi nostræ infantulæ dum erat in accubitu suo,in patris pectore, & in sinu illius ineffabilis maiestatis,in quo est sũma omnium bonorum, vbi est thesaurus diuitiarum Dei, vbi est ærarium illud omnium perfectionum, omnium delectationum,& omnium suauitatum: dum esset ergo filius Dei in sinu Patris sui, nardus Mariæ dedit suauitatem odoris,& qui odor? & quæ species suauitatis? & quæ suauitatis fragantia? quam odoratus æterni patris filius, dũ esset in accubitu suo captus est eius odore, & Creatoris vicit suauitatem ineffabilem,& immensam,paruus creaturæ,& creatæ suauitatis odor.

Capiat qui potest, sentiat qui valet, meditetur cui datum est, quantus & qualis fuit puritatis,integritatis, innocentiæ, dilectionis, charitatis, & amoris Virginitatis,& perfectionis, suauissimus odor,quem nardus hæc paruula emisit,dedit,& spirauit: quando se tota toto cordis affectu obtulit Deo, & sacrauit, sunt hæc abscondita ab oculis creatæ potentiæ,illi soli nota,qui dedit, & cui datum est experiri;tu verò anima mea contemplationis oculis intuere Virginem,& cordis illius feruorem: ô vis amoris,ô violentia charitatis,non expectauit vt hæc parua nardus in latitudinem,& altitudinem excresceret,sed vix ablactata ab vberibus matris,triennis erat,quasi adhuc lactens,quando dedit suauitatem odoris,& tantæ suauitatis, quòd ascendens in conspectu Dei, qui odoratus huius suauitatem odoris, surrexit de accubitu suo, & de sinu patris descendere fecit in cor Virginis.

Si non muneribus,sed corde capitur Deus,cur ipsi non gratissimum, & acceptabile Virginis munus, & sui ipsius oblatio, & sacrificium; dum cor eius igne diuini amoris exardescens, non in partes diuisum,sed integrum, & totum simul & corpus Deo obtulit,& sacrauit in holocaustum suauissimi odoris: cuius odoris pars non erat licet minima, cuius fragantiæ non erat exalatio, licet exilis, cuius suauiolentiæ vapor non erat,licet modicus,& tenuis, qui emanans de corde Virginis non esset maximus in acceptatione diuina,magnique ponderis,& æstimationis,nihil vile, nihil paruum,nihilque exiguum vnquam in Maria,existens ipsa semper maxima, maxima semper præstitit,vnde nec verbulum fluebat ex ore eius, nec cogitatus de corde eius,quòd summè non esset gratum.

Pulchrè de hac re cecinit Diuinus sponsus in Canticis sic eam laudando: *Coma capitis tui sicut purpura Regis*: Cant.cap.7. Quid coma ad purpuram? quid nobilius purpura? quæ est regiæ Maiestatis insigne? & quid capillo vilius, & quid hoc vile ad regium fulgorem, quæ hæc comparatio capillorum huius infantulæ ad purpuram Regis? Dicam quæ sentio, minima quæque quæ operabatur Maria,quia corde operabatur,& toto corde Deo soli sacrabat pro magnis habebantur in acceptatione diuina,quia Deum spectabant, pro Deo fiebant, pro magnis æstimabantur à Deo,vt etiam vnus Virginis capillus eximium quid referebat: nihil in Maria adeò exile,adeò minimum,quòd regio fulgore non fulgeat in obsequio Dei, quando capillus minimus capitis sui regiam ebibens in se dignitatem,regem ipsum captiuauit,& vicit. Cant.

Attende anima mea vocem ipsius Dei in Cant.cap. 4. de hac sua sponsa dulciter conquærentis: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*. Quid in homine excellentius oculo? & quid crine vilius in eo? & cur cœlestis sponsus non minus oculo, quam crine conquæritur se esse vulneratum à sponsa? audiamus ipsum Deum quid ipse præcepit in lib.Leuit.cap.7.vt capiamus sui vulneris querelam: *Omnis æstimatio siclo Sanctuarij* Cant. Leuit.

æsti-

æſtimabitur: ac ſi apertè diceret, non conſiderat Deus, quantum accipiat à creatura, ſed ex quanto interioribus affectionibus: amore & corde pluſquam muneribus delectatur, & capitur Deus: hoc ſiclo ponderatur quælibet noſtra oblatio, itaque ex dantis corde id, quòd offertur, accipitur; cordis amor, cordis ignita dilectio, cordis charitas, qua anima tota ſe offert Deo, eſt pondus, & prætium, quo æſtimatur id, quòd offertur, & illi ſacratur; hoc ſuæ ſponſæ indicat, cum dicit: *Vulneraſti in vno oculorum tuorum in vno crine colli tui*: vt me capias, vt me captiuum habeas, vt me à corde ſaucio teneas, non opus eſt rebus tibi prætioſiſsimis, nec veſtibus, nec margaritis, quibus me vulneres, ſatis eſt vnus oculorum tuorum intuitus, & coniectus, & capillus vnus à capite inuolitat, & vibrat collo tuo, quo meũ cor ſic percutis, ſic vulneras, vt mihi auferre, & tibi veluti rem propriam vendicare videaris; fauet huic interpetrationi

Tigurina Lectio Tigurina, quæ ſic legit: *Vendicaſti tibi cor meum ſponſa*: & Sep-

Sepruag. tuaginta, qui ſic legunt: *Abſtuliſti à nobis cor noſtrum*: & ſi non piget, adda-

D.Ambr mus lectionem Diui Ambroſij in epiſt. 11. *Corde nos cepiſti ſoror mea ſponſa, corde nos cepiſti ab vno ex oculis tuis, & in vno crine colli tui.*

Sponſus eſt, qui teneri, & capi quæritur capillo vno colli ſponſæ Virginis ex corde in hac ſua oblatione oblato, & ſacrato, quid vnus oculorum intuitus, & ictus? & quid capilli vnius gracilitas, & tenuitas? ò Deus amor, ò vis amoris, licet exile, licet tenue, licet minimũ, licet paruula huius nardi fragantia ab infantula ex corde illi ſacrata, illi donata, tanti ponderis, tantique valoris, meriti, & efficaciæ, quòd vulneratur, & capitur: quodliber opuſculum, quęlibet actiuncula huius Virginis non minima, ſed maxima æſtimabatur à Deo, nec mirum, quia ex corde offerebatur, & quidquid erat Maria, tota Dei erat, & totum quòd operabatur Deum intuebatur, Deum ſpectabat, Deum præ oculis habebat, & ante Dei oculos colore purpureo, & regio fulgore fulgebant; quando capillus, exilis Mariæ cogitatus, eximium & maximum quid referebat, vt eius cor vulneret, & feriat; vndè exclamat ipſe: *Vulneraſti cor meum.*

En quàm maxima erant, quæ in Virgine minima videbantur, quòd Dei pectus vulnerabant, cor eius percutiebãt, auferebant, & capiebant: quot actus, quot verbula, quot cogitationes, meditationes, vota, cordis deſideria, oblationes, & holocauſta emiſit de puriſsimo corde ſuo in hac ſua oblatione, vt Deo ſe tota conſecraret, toties Dei pectus vulnerauit, & abſtulit tanta vi, vt ex Dei Patris ſinu Verbum ad ſe traheret, et ſuum faceret quòd erat Dei: quo Virginis exemplo docemur, et monemur in domo Dei, et in obſequio Dei minima non deſpicere, ſed in verbis, et facinoribus Deum in corde ſemper habere, et ad illum toto corde noſtra dirigere, quando fas eſt ipſum Deum vno capillo ligari, teneri, et capi, illi ex animo, et toto corde oblato. Memoria tene anima mea, vt capias quæ dico, quæ D. Augustinus diuino ſpiritu annotauit ſer. D. Aug.
3. de Natali Domini: *Sunt multi qui vouent alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis: alius vt vinum non bibat per aliquot annos: alius vt ieiunia certo tempore faciat: alius vt carnes non comedat, non eſt votum iſtud optimum, & perfectũ, adhuc melius volo; non diligit Deus neque ſpeciem tuam, neque oleum tuum, nec ieiunium tuum; ſed hoc, quòd te hodie redemit, ipſum offer, hoc eſt animam tuam: & ſi interroges me, quomodo animam meam: quam habet ipſe in poteſtate, offeram? & ego reſpondebo tibi moribus ſanctis, cogitationibus caſtis, operibus fructuoſis auertendo à malo, & conuertendo ad bonum*, hæc ille. Cur hoc? vt ſcias anima mea corde capi Deus non muneribus, hæc illi placent quatenus de corde emanantur.

Exemplum tibi præbet Virgo, contemplare, et intuere anima mea hanc infantulam trium annorum, ante altare conſtitutam in conſpectu Domini Dei ſui, candida veſte indutam, ſtantem erecto corpuſculo, iunctis ſimul manibus, facie cœlum verſus eleuata, ibique fixis oculis, intuere quo cordis voto, quibus verbulis, qua mente pura, quo feruenti amore, quo accenſo deſiderio, quo ardenti affectu, qua voluntatis promptitudine, qua intentionis rectitudine, qua pectoris flamma, qua omnium potentiarum animæ ſuæ conformatione, vnione, & connexione ſe totam obtulit Deo: quæ huius nardi fraganeia, ſuauitas, dulcedo, odoe, & ſuauiolentia à hæc eſt illa

vie-

virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, compacta, & composita, quæ penetrauit cælos suæ suauitatis odore, & ascendit vsque ad solium paternæ maiestatis; cuius sinus, & filij accubitus, licet satis abundanter esset repletus sempiternis, & diuinis illis odoribus; nihilominus tantæ suauitatis fuit odor emissus à Virgine; & si non audeo dicere, quòd præualuit illis, audebo tamen affirmare, quòd tanta fuit illius virtus, suauitas, & fragantia, quòd illectus suauitate hac, surrexit de accubitu suo, & venit in cor Virginis, quòd vt erat ab omnibus denudatum, sic Deo oblatum, fuit Deo gratissimum, quòd dignatus est ibi vestire, & de eius vtero nasci, & homo paruus fieri, & de eius vberibus pasci.

Ascende ergo tu anima mea ad palmam Virgineam, vt aptè legas fructus huius ramusculi, intuere munus & cor offerentis; commorare sub vmbra illius, & ab ea addisce stare in domo Domini, & ante conspectum Dei tui: denudate cor tuum ad exemplum Virginis, & addisce te offerre Deo, qui si corde puro, & non muneribus delectatur, non in partes diuisum offer cor, et corpus tuum, sed integrum, et totum in odorem suauitatis.

Vt rectè hoc perficiam ò diuina infantula Maria, meritò huius tui ramusculi, sub vmbra tuę oblationis obumbra me, adiuua me, et odore tuę fragantiæ tuæ puritatis suauitate munda tu cor meum vt tuo odore emundatum, tuo exemplo denudatum, et tuo odore repletum, et Deo fiat oblatio munda, et te addiscat dignè laudare, et nomen tuum semper benedicere.

Benedictum sit nomen tuum perdulcissimum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei te precor ò Maria monstra te esse matrem, et miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea. Sub vmbra huius ramusculi tuæ oblationis protege me, et in hora mortis meæ. Amen.



DE TEMPORANEA VIRGINIS oblatione in templo.

RAMVSCVLVS VIGESIMVS.

Præcoquas ficus desiderauit anima mea.
Micheas Proph. cap. 7.



QVoniam omnis totius vitæ Virginis cursus, omnisque eiusdem actio, vbi ipsiusmet fuit prouectio, & Dei glorificatio, simul & tui, ò anima mea, fuit cœlestis disciplina, & diuina instructio, ad sui enim profectus, & ad tui ædificationem, & exemplum, hanc, illa, institue re cœpit vitæ rationem, quando nondū plenè adhuc tertium attingeret annum, adhuc de matris pendebat pectore, & de illius lacte adhuc nutriebatur, intra septas domus Dei sui, & recludi voluit, & Deo sacrari; vt sic feriata ab omni interpellatione mundanæ voluptatis, & sollicitudinis, solitaria sederet mente, & corpore: solitaria quiesceret animo, quieta taceret verbo, & tacita diuinis tantum vacaret meditationibus, & operibus, & vt singularis singulariter prophetarum intenderet oraculis, et prophetijs.

Tertio igitur suæ ætatis anno, perfectè nondum completo, in templum Domini Domino consecranda ingreditur, existens ipsa consecratio, consecrata, & consecratrix, vt sic secreta à turbis, et segregata à sæculi huius perturbationibus, iugo seruitutis Dei colla summittens, arctius, et securius, et purius Deo seruiret, et illi suæ primæ ætatis temporanea poma deferret, ætate tenera imò tenella, veluti epulo suauis ædulij dulci tersaginatur, et delectabiliter delectatur Dominus; vndè per Micheam Prophetam exclamat: *Præcoquas ficus desiderauit anima mea*: diuinis cuius desiderijs, et famelico cuius gustui, vt seriò satisfaceret Virgo, fructum ætatis suæ primordia, et vernantes flores Deo ipsi obtulit, et sacrauit. Præcoquę ficus sunt illi primi fructus, et eiusdem prima poma: cæteræ arbores vbi ante fructum florescunt, et flores emittunt; ex quibus deinde nascuntur fructus: ficus sola inter arbores non florescit; sed florum vice primogenitos hos fructus generat, emittit, et parturit, qui præcoquæ ficus dicuntur, ex eo quia primo omnium maturescunt.

Micheas Pr. c. 7.

Præcoquas ficus desiderauit anima mea. Diuini pectoris tantes est, vt ab vnaquaque anima, ab exordio, seu à prima lucę vsus rationis illi fiat oblatio: famescit Deus, et non alia esca vesci, et exatiari desiderat, nisi principiis, et oblationibus nostri liberi arbitrii, in cuius testimonium veritatis præcessit mandatum à Deo datum filiis Israel, vt offerrent illi cuncta eorum primogenita: *Meum est omne primogenitum; sanctifica mihi quidquid nascitur in Israel ab homine, vsque ad pecus*: præcessit typus, nunc adest veritas. Tria reperiuntur in nobis quæ primogenitorum nomen sibi vendicant, et à nobis Deo sunt offerenda, atque sacranda.

Primum est cor, quòd vtique meritò dicitur primogenitum; quia ipsum est, quòd inter membra vitam primò recipit, et in homine primò viuit; et vt primogenitum, Dei est, et Deo debetur: meū est omne primogenitum, et per Salomonem exclamat: *Fili præbe mihi cor tuū*. Si cuncta offeras Deo, scito nihil offerre, nisi cor tuum illi offeras.

Secundum est principium vsus liberi arbitrii, quando in homine incipit illucescere rationis crepusculum, et discretionis ætas. et fit creatura rationis capax, hoc primogenitum, Dei est, et Deo debetur, et homo valdè diluculo tenetur

tur iuuenrutis suæ prima poma offerre, si optat magno cum gaudio suæ oblationis suauissimos fructus colligere.

Tertium est intentio nostrorum operum, quæ primogeniti meritò nomen obtinet; quoniam quòd est vltimum in executione, est primum in intentione; hæc est illa, quæ opus nostrum rectificat, & pulchrificat, ne in conspectu Domini turpe appareat, quòd offerre satagis, dicente Diuo Bernardo super Cantica: *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verba ex corde pensantur*: hæc sunt primogenita, quæ à nobis sacrari, & sibi offerri exposcit Deus: *Sanctifica mihi quidquid nascitur in filijs Israel ab homine, vsque ad pecus*: & per Micheam cap. 7. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.*

D. Bern.

Micheas Proph.

Diuinæ cupiditati hæc edendi nemo hominum sic superplenè vnquam satisfecit vt Maria sola; nam vbi in nobis infantia est vel ut flos, qui citò euanescit, marcescit, & transit, in Virgine fuit fructus perdulcissimus temporaneus in voluntate offerentis, serotinus, & maturus in beneplacito acceptantis, qui sic vallauit eam virtutibus, vt hostibus esset semper inaccessibilis, & formidabilis.

Mirabar quondam, cur hæc sacra infantula sit dæmonibus sic terribilis? nimirum, quia & sui cordis, & vsus sui liberi arbitrij, & suæ intentionis primordia, & primogenita in primæua sua ætate valdè diluculo Deo obtulit, & sacrauit. In huius oblationis præmium, tot, tantisque Virginem hanc Deus vallauit virtutibus, vt dæmonibus esset formidinis, vt hostes vinceret, terreret vt inimicos, & vt deuictos prosterneret, atque fugaret.

Diabolus disrumpebatur inuidia cū non posset sui pectoris venena sic liberè effundere vt Iob, & domum eius totam perderet, quando sic respondit: *Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitū.* Et cur Iob erat inimico illi sic inaccessibilis? & quidem ex oblatione primogenitorum, qua valdè diluculo offerebat Deo: sic habet sacer tex. in Iob cap. 1. *Cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos.* Primo diluculo, in ipso diei crepusculo consurgebat Iob, & ad quid facturus consurgebat? opus ad quòd primò manus extendebat, erat holocausta Deo offerre, & immolare: non permittebat quòd prima diei lux alteri, quam Deo inseruiret, vel in alijs insumeretur, quàm in obsequijs diuinis; cor & operum manuum suarum intentionem, & actus primos, seù primogenita vsus sui liberi arbitrij in prima diei luce, in crepusculo vsus rationis Deo offerebat, cui in præmium præstitit Deus, & sic vallauit eum, vt nō timeret hostium sic terribilium incursus, nec insidias. Sic interpetratur hæc verba Didimus in catena græca sic expandit hæc verba: *Quemadmodum ille dixit de nocte ad te, de mane vigilat spiritus meus ò Deus, & Deus meus ad te de luce vigilo: ita Iob nullam alium ob rem, nisi propter Deum de mane surgebat, vt illi sacrificium pro liberis facitaret.*

Iob.

Didimus

Si Iob in prima luce, in crepusculo diei sic sedulus cogitabat de primogenitorum suorum sacrificio, quòd & Deo sacrabat in holocaustum, & Deus ipse erat illi pro muro in præmium, & ad custodiam, & in præsidium, ne contra eum pateret dæmonis incursus; vndè & victus respondit: *Nonne tu vallasti eum*, quid Maria? quæ non expectauit vt nasceretur in mundo, nec, vt nos, perueniret ad annos discretionis, sed ab ipsomet suæ conceptionis articulo, in quo non tam cito vsum accepit liberi arbitrij, quam sedulò, & diligenter manè diluculo ipsum obtulit in holocaustum Deo; qui & si in cæteris adeò est liberalis ex sua benignitate, quòd vix homo pedem mouet, vt in obsequium procedat Dei, quum Deus ipse manum porrigit, vt præmia largiatur: non seruata in abscondito, sed parata tenet ad manum Deus sua præmia nostri laboris, & nostræ oblationis, quantò cum Virgine ò anima mea magis fuit liberalis, quam ad hoc vallauit suis donis, ad hoc muniuit sua custodia, & suo præsidio, vt nullum malorum timeret incursum, & ab ea omnis non solum abesset inimicus, sed perterritus ab illo longè aufugeret, cur hoc? quia sui cordis, sui vsus liberi arbitrij, suæ intentionis Deo primogenita sacrauit.

Primordia huius infantulæ, vbi vix cœperunt delucescere Deo veniunt ab ipsa sacrata, & quid mirum? si in Virgine, quæ flores erant, vt fructus præma-

 turi

turi Dei palato sapiunt? odore flores erant in trunco Virginali, sed in ore Dei fructus suauissimi saporis: flores in ramusculo cordis infantulæ, sed in gutture Dei fructus dulcedinis, & delectationis: flores in plantula, sed fructus perdulcissimi in delectatione Dei, qui his valdè delectatur, & pascitur, & hos sibi offerri expostulat, & desiderat, quando per prophetam sic famelicè exclamat:

Præcoquas ficus desiderauit anima mea. Quæ autem sunt hæ præcoquæ ficus? quas sic famelicè desiderat, & famescit Deus? nisi illi primi flores actuũ, & cogitationum: nisi illa prima poma votorum, seù desideriorum rationis vsus, seù hominis liberi arbitrij. De Samuele testatur Diuus Gregorius Nanzianz. orat. 20. *quòd confestim sacer fuit, quia ante natiuitatem fuit à matre Deo donatus.* D. Greg. Nanz.

Sed verius hoc de Maria, quæ veluti res sacra mundo apparuit, quia nondũ nata, fuit Deo oblata, & vix trima præsentata in templo; tunc ipsa suæ ætatis præcoquas obtulit, quarum fame, & desiderio maximè tenetur Deus, qui infantium oblatione, & seruitio semper delectatus, vt in psalm. 28. nos docet Psalmista in illis verbis: *Afferte Domino filios arietum*: & D. Lucas Euangelista hoc idem in capite secundo, quando dicit: *Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum*; & vbi in psalmo 117. nostra vulgata legit: *Constituite diem solemnem in condensis vsque ad cornu altaris*: Textus Chaldęus legit: *Alligate anniculum iuniorem*, & quòd talium delectatione afficiatur Deus, est ratio, quia primi rationis actus, seù vsus, & motus Deo oblati, & consecrati, sua benignitate, & gratia reserati sanctificat omnes hominis, & pueritiæ, & infantiæ, & adolescentiæ, & iuuentutis, & virilitatis, & senectutis ætates; quarum si vna in nobis successiuè moritur alteri, vltima tamen omnium vt terminetur in gratia, in homine sit ista prima consecrata Deo, qui ad hoc istius ætatis prima poma famescit; cuius pectoris diuini fame, & desiderio, vt plenè satisfaceret Virgo, hos primæuos suæ ætatis flores, & præcoquas sedulò obtulit, & sacrauit vt vera filia Abrahæ, de cuius semine orta est, sic vt illius fidia, simul & illius facti hæres pariter mihi videtur; attende anima mea quomodo Maria sit vera Abrahæ filia, & hæres.

Dau. Pr. Luc. Eu. Psal. 117. Textus Chald.

Præceperat enim Deus Abrahæ, vt filium suum Isaac, quem Pater vnicè diligebat, illi offerret in sacrificium, & verè, & hilarem obtulit: erat tunc Isaac primogenitus, & primæuus flos paternæ plantulæ: erat enim in ætate iuuenili: erat velut præcoqua ficus, erat flos & fructus patris temporaneus, sed maturus, & serotinus Deo, qui his fructibus pasci, & vesci famelicè desiderat: indè hæc oblatio gratissima illi fuit, & suauissimi odoris, non tantum quia filius vnicus, & amabilis erat Isaac; sed quia ab ipso infantiæ lactentis exordio, & quasi de sinu matris, veluti pullum de nidulo eductum obtulit immolandũ à patre: vt vera filia non degenerans Maria, sed paternæ oblationis amplectans exemplum, & istius facti existens ipsa sedula æmulatrix, prima sui cordis poma, primosque suæ ętatis actus, & motus, & præcoquas suæ rationis vsus veluti vernantes flores Deo obtulit Virgo, & sacrauit vt vera filia Abrahæ. Pater hic credentium in reddendis Deo suo votis sui pectoris, & in oblatione hostiarum suarum, paratæ suæ voluntati, quam promptè habebat, semper sollicitudinem præstitit celeritatem, & solertiam: et hanc quanti faciat Deus in sacrificijs, et suis obsequijs tibi præmõstrat o anima mea ipsemet ordo, seù dispositio creaturarum, quæ famulantes Domino, sunt veluti famulæ in domo magni regis: quanta enim celeritate deseruiunt, quantaue festinatione iussa iubentis obsequuntur. Obserua primò spiritus illos supercœlestes, qui in Dei famulitio sibi primum vendicaut locũ; quanta alacritate, et quam festinè aduolantes inseruiunt, et obediunt; præceps et festinus eorum volatus descendendo ad nos, et ad Deum ascendendo: testis est, et ipsamet Scriptura, quæ ad hoc nobis insinuandum nunc *Volucres cœli vocitat*, vt per Iob c. 28. Nunc *ignẽ vrentem*, per Dauid psalm. 103. Nunc per Apost. ad Hebræos cap. 1. *flammam ignis*; Nunc sub nomine nubis, et nebulæ prẽmonstrat eorum festinationem in operando; quapropter et alatos ars tibi pictoria depingit: Cœli quamuis immẽsitate vastissimi sint cursus suos, et motus, en quàm velocissimè perficien-

Genes. 22. Iob. Dau. Pr. Paul. Ap.

cientes absoluunt: Planetę et sydera cuncta longissimè quidem distant à nobis, et quam celerrimè suis radijs perlustrant, in momento orbem terrarum: Elementa, quorum alia sursum ascendunt, alia descendunt deorsum, et alia se extendunt diuersimodè propria loca perquirentia celeri cursu, et festino motu quiescunt, inter quę est elementum ignis amoris symbolum, quàm velox, et quàm celer est ad operandum, non est qui ignorat.

Et si insensibilia celeritudine tanta pollent ad seruiendum creaturis, numquid homo rationis capax pigritabit in Dei famulatu, et obsequio? qui ignauię crimen, semper delectatus sollicitudine, et festinatione abhorruit. Quòd exemplo Cain, et Abelis probare conatur D. Ambrosius; huius secundi sacrificium quantò fuit in acceptatione diuina suauissimi odoris, dicente Scriptura diuina: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, tanto primi fuit odibile, et execratione dignum, annuente Spiritu sancto: *Ad Cain, & ad munera eius non respexit*; et huius reprobationis, et illius approbationis, seu acceptationis ratio multiplex esse potest, et vna.

D. Amb.

Genes. cap. 4.

Vel quia vnus iustus erat, & alter impius, & iniquus; *& iniquorum dona non probat. Altissimus, nec eorum accipit oblationem*; vel quia vnus erat pius, & deuotus, & religiosè offerens obtulit de primogenitis gregis sui, quæ vtique vsui sacrificiorum debebantur: alter profanus, & homo terrestris de fructibus terræ tantummodò munera obtulit: vel quia vnus mactauit victimas suas primitiarum gregis, alter verò, illa primitiarum fructuum, qui iure Deo debebantur, denegauit; vel quia vnus sacrauit optima gregis, & de adipibus eorum, alter peiora, & viliora terræ: vel quia vnus cum summa Religione, magnoque cordis affectu, alter absque deuotione, ac recta intentione sacrificauit Deo fructus terræ, at non cor. Ità meditatus est D. Rupertus Abbas lib. 4. in Genes. cap. 2. *Cum Deo offerret sua*, inquit, *seipsum sibi retinebat: huiusmodi portionem Deus non accipit, sed præbe inquit fili mihi cor tuum, at ille cor suum retinnit sibi, & fructus terrę Deo obtulit.* hæ possunt esse rationes, & Cain, & sacrificij sui reprobationis, & Abelis approbationis: sed dicam cum D. Ambrosio, qui ex textu sacrę Scripturę, & Cain reprobationis, & Abelis acceptationis rationem adinuenit, quòd sacer textus inquit; *factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino; obtulit Cain sacrificium suum multis iam elapsis retro diebus*; ac si diceret, fuit Cain in oblatione sua multò segnes, secors, tardus, hebes, & piger, & hæc sua negligentia, vel tarditas fuit sui sacrificij causa reprobationis: Deus, qui magis delectatur feruore, solertia, festinatione offerentis, quàm eiusdem victimis, & oblationibus non respexit ad Cain, nec ad munera eius, sacrificium celeritate commendatur, & gratia, inquit Sanctus Doctor, Deo non satis est rectè facere, nisi etiam maturare, quid facias.

Ecclesc. cap. 33.

Rup. Ab.

D. Amb.

Genes. cap. 4.

Si tua dona, & munera ò anima mea peroptas esse in acceptatione diuina gratissima, sint de primogenitis, & de adipibus cordis tui, & cum summa festinatione, & celeri cursu Deo oblata, & tibi sit ad coronam fructus operum tuorum. Pastorum illorum simplicium, qui custodiebant vigilias noctis super gregem suum, et qui Christi cunabula videre meruerunt, et adorare infantem non tàm commendatur ab Euangelista donum, et munera, quæ nato Domino obtulerunt, quàm eorum festinata celeritas. *Transeamus vsque Bethlehem*; & quibus gressibus, et quo motu, nisi celerrimo, *& venerunt festinantes*. Illius Zachei ad Christum conuersio, et totius eius domus sanctificatio nonnè, et eiusdem celeritati à Sancto Luca ascribitur; *Zachee festinans descende, & festinans descendit*: Illa Abrahami tàm commendata charitas in peregrinos, nonnè ex nimia festinatione laudatur, & acceptatur: *festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram*, inquit sacer textus, *dixitque ei: Accelera tria sata simile commisce, & fac subcinericios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit indè vitulum tenerrimum, & optimum: deditque puero, qui festinauit, & coxit illum. Singula verba*, vt annotauit Doctissimus Origenes hom. 4. in Genes. *festinatam celeritatem resonant, ipse cucurrit*, inquit Doctor, *vxor festinat, puer accelerat; nullus piger est in domo sapientis*.

Luc. Euã.

Luc. Eu.

Genes. cap. 18.

Origen.

Ecce & ipsamet Virgo Maria, quę vt sna

suæ peregrinationis, & feruentissimæ suæ charitatis fructus offerret Deo, & effunderet in domum Zachariæ, quando perrexit in montana. Iter non perfecit, nisi celeri cum festinatione expedita surrexit, *& abijt in montana cum festinatione*: & cuncta quæ fecit, & operata est tùm ad Dei gloriam, tùm ad sui profectus augmentum, tùm ad proximi vtilitatem, & exemplum, non segniter, & cum pigritia, sed summa semper cum celeritate, & animi alacritate perfecit, vt in hac sua præsentatione perspicuè cernitur.

Tertiò enim ætatis suę anno, quando mammæ admoueri opus amplius non erat, cunctata quidem non est, quin adduceretur in templum Dei sui, in cuius ingressa delubrum omni mora postposita, se totam statim consecrauit Deo in holocaustum suauissimi odoris, vt sui cordis, & patentum vota præstaret, sciens, quia Deus non ea, quæ offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium: ex imo pectoris sui ad Deum rapta arbitror exclamasse; *Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*: Sui cordis, suæ animæ, sui corporis, suæ virginitatis, suarum cogitationum, & votorum suorum munera obtulit Virgo veluti holocaustum, non vt sacrificium; hoc enim in veteri lege erat commune Deo, & Sacerdotibus, vna pars Deo sacrabatur, & altera Sacerdoti debebatur, holocaustum verò totum igne Sancto de altari cremabatur ad Dei honorem, & gloriam.

David Proph. Psal. 65.

Introibo in domum, &c. veluti holocaustum igne Spiritus sancti concremanda totam se obtulit Virgo, ac si diceret: totum enim meum consumet ignis tuus, vt nihil mihi remaneat mei, vt tota sim tibi; & veluti Abelis holocaustum nihil sibi retinens celeriter, & alacritèr obtulit se, & præcoquas ficus suæ rationis vsus, vt non esset sui iuris, sed in Deum tota translata.

Erubesce, ô anima mea, si tui rationis vsus alteri quàm Deo obtulisti, imò time, & contremisce si in te tuæ vocationis, & professionis, nec florum, nec fructuum primordia inuenit Deus, qui non aliarum plantarum flores, & fructus desiderat, & quęrit nisi tantum præcoquas ficus.

De ficulnea illa, maledictionis edicto exiccata, quid dicat Euangelista Matthæus, numquid non attendisti? quomodò ad Christi vocem subito arefacta est; & illius maledictionis rationem afferens Marcus Euangelista, notat non fuisse aliam: nisi quia, *cùm venisset ad eam Dominus Iesus, nihil inuenit in ea, nisi folia tantum*: & quòd sequitur est mirabilius, *non. n. erat tempus ficorum*; si ficulneę in suos producẽdi fructus non dum aduenerat tempus, vndè illi misetæ plantulæ maledictio illa tàm dura? vndè illi ficui maledictionis pœna? & quæ causa tantæ ruinæ? Nicetas Diui Gregorij Nanzianzeni escholiator, sic respondet: *Verum est, quòd non erat tempus ficorum, erat tamen tempus præcoquarum*: hæc fici arbor, illius generis erat, quæ bis in anno fructus præfert temporaneos, qui primò omniùm maturescunt, & hos vocat Micheas Propheta præcoquas ficus, & serotinos: qui & ficus dicuntur.

Matt. Eu. cap. 21.

Mar. Eu. cap. 11.

Nicetas.

Quando Christus venit ad ficulneam illam, non ficus quærens venit; nouerat ipse tunc non adesse tempus ficorum, sed venit quærens præcoquas, quarum tẽpus iã erat, vt carperet, quas cum habere, & illi prębere teneretur ficus, dùm non præcoquas, sed folia tantum inuenisset, quid mirum maledictioni aridita tis subijciens illam, quæ Domino negauit, quæ tenebatur offerrè, vndè meritò maledicta continuò aruit.

Qua pœna admonita addiscas, ei florum, & fructuum perferre, & præbere tui cordis temporanea poma, & ipse creauit, te redemit: & ad hoc in hortulo domus suæ te plantauit, & in tot annis nihil in te, nisi folia tantum inuenit; quid speras? quid expectas? nisi quòd ficulneæ illi accidit: En imitare Mariam: quæ et pręcoquas suæ infantiæ, dùm trima præsentatur in templo, & totius vitę suæ fructus semper protulit, semper obtulit, & Deo sẽper sacrauit.

Heù anima mea, heù sterilis, & infœcunda ficus, vt fęcunderis vmbra huius Ramusculi virginalis, & dulcedine, & suauitate illius fertilis effecta, proferas præcoquas; & dulcissimas ficus, collige te sub vmbra illius, vt addiscas ex animo, & ex toto corde Deo seruire, & ministrare: En exemplum tibi præstatur à Maria, quæ triennalis Deo præsentatur in templo, vt impinguata spiritu suæ infantiæ, sui rationis vsus, proferat pri-

mos

mos flores, quia, vt ipse testatur per Ecclesiast. cap. 24. sunt etiam fructus dicens; *flores mei fructus honoris, & honestatis.*

Honor enim præmium virtutis est: si flores Mariæ, sunt fructus honoris, ergo flores illius infantiæ omnes fuerunt virtutes: seu actus virtuosi: qui & fructum meruerunt honoris, & præmium. Præmium ei honoris debetur, quæ tot erat virtutum floribus cohonestata: ò flos virginitatis, ò flos gloriæ capitis mei, tibi soli in ipso tuæ ætatis flore præmia debentur, & coronæ.

Nulli Sanctorum, licèt sit ipse omnium supremus, præstatur pręmium honoris, nisi prius flos vitæ suę marcescerit, quia Sanctorum omnium flores, dùm viuunt in hortulo præsentis vitæ, duplici aeris subiacent inclementiæ, vna venialium peccatorum, quorum vi, & viro tabescit vigor virtutis, & pulchritudo, quæ virtuti amica naturalis est; amittitur, & corrumpitur, quo impedimento præpeditur, & retardatur charitatis augmentum, & illius feruor remittitur; Est enim veniale peccatum quædam infirmitas, qua infirmatur, & minoratur charitatis calor, quòd minus suo contrario, qui collatis signis pugnat, & militat, valeat charitas ipsa, & cęlestis amor obsistere, & impedimēta illi obijcere.

Alia inclementia, seù iactura, qua virtutum flores multorum afficiuntur, est, quum illorum flores, in ipsis vel ariditate quadam marcescunt, vel tabe consumuntur, nec ad fructus perueniūt: multi in exordio vitæ, & quamplurimi in ætate matura, virtutum floribus præditi fuerunt, & ornati: sed fructus nō protulerunt, vnde honorem, qui est præmium virtutis, non sunt adepti, nec quisquā adipisci valet, nec illi debetur, nec illi præstatur, nisi vitæ suæ flore primò tabefacto, & suæ peregrinationis cursu consumato.

Tui solius ò diuina infantula, ò vera mater virtutum flores nec lues vlla tetigit, nec diluit, nec retardauit, quin simul fructus essent, & flores: flores erant suauissimi odoris, quo mirificè olebant, sed simul & fructus; quibus Deum ipsum, & Angelos, & homines mira iucunditate simul afficiebant, & mira suauitate recreabant; nec mirum, dum erga Deum erant nimio amore, & ardenti desiderio pleni, & celestis gratię rore irrigati: vndè tantæ erant perfectionis, & meriti consumati, vt meritò in ipso ætatis flore, & vitæ suæ exordio, præmium, quòd cæteris præstatur in consumatione, illi soli copiosius, & abūdantius donatur gloria honoris, & gloriæ corona in ipso suæ ætatis primo erumpente flore, vt sola dicere possit: *flores mei fructus honoris*; fructus gloriæ, & honestatis. Eccles.

Spectare, te rogo anima mea, florem, & fructum huius infantulæ; non dico flores votorum, & cogitationum suarū, quos feruidè obtulit in hac sua præsentatione, qui omnes, & fructus fuerunt; sed attende florem, qui & fructus est suæ substantiæ, & puritatis: Si hoc attendas verius quidem de Maria poteris dicere, quòd de ficu quadam apologicè scribitur; erat enim hæc ficulnea onusta frondibus, et fructibus coronata pet dulcissimis, eratque vallata, et circumstipata rosis quàm plurimis, et lilijs, et floribus varij coloris, qui omnes pulchritudine, et odore nimio quasi in superbiam elati, irridebant illi: et illam ludibrio habentes, cauillabantur, et colludebant, quòd ipsi essent illa pulchriores; quæ pro suo honore certans, et pugnās, respondisse traditur; nec mirandū ficum, et flores fuisse aliquando allocutos, quùm in lib. Iudicum testatur scriptura cap. 9. Oliuam ne liquoris sui suauitatem, ficum ne suam dulcedinem, et vitem ne vinum perderent, Sceptri, et dominij Coronam respuisse. Dixit ergo ficus illa floribus insultantibus ei, pulchritudine quidem me pulchriores apparetis; sed dico quòd vanum est florere absque fructu; huius plantulæ vera sententia, sed non minus vera, imo verior, et pulchrior fuit florum ficui facta responsio, quando sic responderūt; florere nostrum, ò ficus non est vanum, nec nos sine fructu floremus, nobis enim ex abundantia puritatis nostræ substantiæ, flos ipse fructus est; fructus nostri floris ipsemet flos est, dum non aliunde generatur, producitur, et emanat, nisi ex substantia nostræ puritatis, vnde nostro omnia suauissimè replentur odore.

Dicat ficus, quòd sit vanum florere absque fructu, quia verius quam flores illi, respondet nostra infantula, dicendo, flores mei fructus honoris, fructus

ctus gloriæ dum enim flos ipsius fructus est substantia suæ puritatis. O flos cœlestis quem tantum dilexit; & adamauit apis illa diuina, quæ volitans, & aduolans de sinu patris ad suauiolentiam Virginitatis odoris peruenit, & illi insedit, illi adhæsit, & de flore hoc Virginali sugens puritatis liquorem, de ea nasci voluit, hic flos est ipse filius Virginis, de quo per Prophetam dicitur cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*: de radice idem est, ac de eius abundantia puritatis, & de substantia integritatis ipsius: vt inquit D. Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. 1. *Flos Mariæ Christus est, qui veluti bonæ arboris fructus pro nostræ processu virtutis, nunc fructificat in nobis ad instar florum*, de flore hoc puritatis Mariæ, hic diuinus fructus productus est. Noctis tempore ros de cœlo quiete cadens, stillat in floribus, & illucescente aurora, quasi gemmarum guttæ, roris stillicidia in florum frondibus rutilant, & perlucent splendore quodã, qui ros florem replet, & repleto flore, ex abundantia roris per truncum ros descendit ad radicem, de qua flos ipse producitur, & nascitur.

Isaias Proph.

D. Amb.

O flos supercælestis: ò puritatis rosa: quando super te descendit Spiritus sanctus cum gratiarum, & donorum abundantia, & illius roris diuini affluentia florem repleuit, vt testatur D. Ioannes Euang. cap. 1. quando dixit; *vidimus eum plenum gratia, quæ repletam vidit Mariam Angelus, sic eam salutans, Aue gratia plena*: rore repleto flore, descendit in virgam, & de virga egressus est flos, qui fructus est, quo sitis, & fames animarum leuatur, restauratur, & repletur, vt inquit D. Bernardus hom. 3. in missus est: *Bonus fructus, qui animarũ esurientium, & sitientium, & potus est, & esca.* O anima mea, si Dei animales, noli timere, quòd deficies inedia, pascua plena habes in præsepio: vt inquit idem Bernardus. Natus in præsepio reclinatur, vt fidelis anima veluti Dei animal suæ carnis alimento reficeret: plenum pabulum inuenies in hoc Ramusculo virginali.

Ioan. Eu.

D. Bern.

Flos enim iste, qui fructus est, tot habet folia, quot suæ vitæ sunt mysteria, & exempla: attende deuotè ad florem à crucis trunco pendentem; intuere primo folium illud percussi lateris, & senties odorem suauissimum illius charitatis immensæ, & amoris: contemplare folia illa duo manuum clauis confixarum, & senties largitatis erga te, & patientiæ fragantiam: aspice folia pedum, & percipies suauiolentiam legis diuinæ, & obedientię perdulcissimam: si humilitatis desideras sentire odorem; en rosa illa vernans capitis spinis coronati, & mille rosis vndequaque stipati, vt tu florescas cum fructu, quoniam vanũ est florere absque fructu: sit tibi fasciculus hic rosarũ continuò in medio cordis tui, & in hortulo pectoris tui.

Heu anima mea quoties floruit cor tuum absque fructu? mille flores desideriorum Sanctorum, mille emisit flores sacrorum votorum proficiendi in virtutibus, & perambulandi in via perfectionis; sed vix extortus est flos boni desiderij, quòd subitò emarcuit in ipso met flore, & tabescuit, & dum in via Dei, & in domo Domini Dei tui, tibi opus erat proficere multum, facta secors, & hebes defecisti, & nunc adhuc desidia tua pigrescis, & absque fructu florescis.

Nihil carius, nihil ardentius præoptabat Iacob quam placatum, & familiarem habere Esau fratrem suum, qui non solum placatum se exhibuit, sed & comitem sui itineris, vnde dixit illi, *Gradiamur simul eroque socius itineris tui*: quid hoc dulcius? quid amicabilius? sed quæ impertinens Iacob excusatio? dum se excusat paruulos habere, & oues, et boues fœtas, quas si plus solito in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges: Præcedat Dominus meus ante seruum suum: et ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse, donec veniam ad Dominum meum in Seir. Protestatur Iacob se velle ambulare, et passibus paruulorum, et improbat, excludit, et reijcit sodalitatem fratris, et negat se illum sui itineris habere comitem, et consocium, quid est hoc? vult et non vult timore percussus.

lib. Gen. c. 11.

Hæc est tua ignauia, hæc est tua desidia, ò segnis anima mea, vis & desideras Deum amare, Deo adhærere, Deo seruire, Dei gratiam habere, ipsum placatum videre, cum Deo commorari, his & similibus velleitatibus florescit, & florendo sic euanescis: en Deus ipse tui itineris, tui profectus, tuæ fructificationis

nis socium, & comitem tibi se sponte offert, gradiamur simul, & ero socius tui itineris: O bonitas diuina, ó charitatis ardor, Deus ipse primo, tibi occurrit tuæ peregrinationis socius, & adiungitur comes, dum eius sodalitatem refugis, & passibus infantium te incedere respondes, quid est hoc? nisi florere absque fructu.

Ficum quæ non præcoquas sed grossos suos protulit imitaris, vtique es ficus fatua, quam nisi conculces cum Zacheo non peruenies ad fructum: grossi fructus ficus sunt, sed crassi, rudi, informes, viles, & impoliti, qui nunquam maturescunt, nec dulcescunt: veluti hæc fatua ficus non præcoquas, sed grossos vsque modo protulisti, quando Deo inseruiendi desideria protulit cor tuum, sed actum, intellectum, affectum, & effectum non habuit, vnde in ipso flore decidisti, peiorasti, & in via Dei non profecisti.

Esto ficus anima mea, quæ non grossos producat, sed præcoquas, quas Dei anima desiderat: imitare Mariam, vt tempestiue florescas, & flores tui sint simul fructus honoris, fructus virtutis, fructus, & gloriæ.

Sub Ramusculo huius infantulæ, & sub vmbra illius quiesce, colligendo te feriata non corpore, & desidia, sed a vanis cogitationibus: fint vota tua flores, & fructus, vt merearis florem huius Virginis tecum habere in socium tui itineris: flos quippe nimis altus est diuinitate, sed virga floris, quia flexibilis est pietate, præcibus flecte, exemplum amplectere, eam imitando, vt eius dulcedine allecta sub Ramusculo huius tempestiue oblationis in templo benedicas nomen sanctum eius sic laudando, & salutando.

Benedictum sit nomen tuum in æternum ô humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te præcor ô Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniā in te sola confidit anima mea: sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE ORDINE VITÆ VIRGINIS, & exercitio eiusdem in domo Domini.

RAMVSCVLVS VIGESIMVSPRIMVS.

Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso. Ecclef cap. 50.



Eractis, ac solutis ab infantulæ nostræ Pro genitoribus votorum suorum pollicitationibus & ab ipsamet Virgine sui corporis, & animæ in templo Domini oblationibus, cunctisq; de se cum Deo, cui voto se sacrauerat, expletis muneribus: vbi parentes collacrymantibus oculis regressi sunt in Ciuitatem Nazareth; Corda autem eorum præ amoris vi, & dilectionis magnitudine, qua, hanc ab ipsis genitam amabant puellulam: secum euocata, rapta, & euo lata de eorum pectoribus trima sibi intra septa eiusdem Dei domus retinuit infantula: imò naturali effectu, & ipsi remanserunt in templo, in quo, & si amborū concluserūt cordis thesaurū, ibidē inclusi remanserunt corde, vbi et corpore interclusa templo consistit, & filia.

Quæ sacrata Deo, & impinguata spiritu, habitaculum facta est omnium Charismatum Spiritus sancti, & omnibus omnium virtutum norma, & exemplum: quæ & si cor suum, mentem, & animum, ab omni sæculari vita, & carnali concupiscētia procul longeuè abduxit, sic corpus, & animam Virginali candore, & innocentiæ decore, vt decebat eam, quæ in suo vtero Deum suscептura erat decorata, et candida deuonie obtulit, et Deo perpetuò consecrauit.

Huius Virginis mores, virtutes, exercitia gesta, facinora operationes, merita, motus, gressus, cogitationes, vota, desideria; et totius vitæ suæ progressum, et ordinem in domo Domini Spiritus sancti ad sui doctrinam, normam, et exemplum, ò anima mea sic exprimit per os Ecclesiastici quando dicit: quòd hæc infantula in templo Dei fuit, *quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.*

In auro attenditur pondus, puritas, color, & fulgor: pondus vasis Virginei est ipsius Virginis feruor deuotionis in Deum; Puritas est cordis ipsius, & mentis mundities, & intentionis sinceritas: Color est omne genus operationum, & actionum: fulgor vero est dulcedo Virginis conuersationis, & exemplaris vitę suæ. O Maria, o Maria verè tu vas auri, vas Dei, vas Deo consecratum, vas Deo plenum, vas admirabile, vas maiestatis diuinæ, dum tamquam vas auri solidū præsentatur in templo, offertur in domo Domini & sacratur Deo soli, vt ex vicinitate diuinarum aquarum fluentium de tabernaculo Dei velocius impleatur vberius, et quam citissimè deuotionis, feruoris, et erga Deum ipsum dilectionis promat, et proferat fructus.

Erant enim in domo Domini fluenta plenissima deuotionum, orationum, meditationum, contemplationum, et cultus diuini amoris iuxtà quæ vas hoc Virgineum auri solidum locatum est. Attende ex vicinitate Dei Virginis virtutum omnium profectus, et cordis illius suauissimos fructus, plantata enim in domo Domini, et in atrijs Dei sui secus hæc fluenta plenissima: en quantocius fronduit, floruit, et fructificauit. psallens in corde suo illud Ecclesiastici canticum c.24. *In his omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor.* Ecclef.

Domi-

Domini hæreditas, & peculium no mus Domini erant cuncta exercitia illa spiritualia, lectiones sacræ scripturæ, frequens studium orationis, feruor spiritus, iugis mentis in Deum eleuatio, feruens cælestium rerum meditatio, compunctiones internæ cum dulci effusione lacrymarum, raptus, & diuinorū arcanorum contemplatio cum liquefactione cordis: potentiarum suspensiones cum mentis iubilatione dulcia colloquia, & supernorum spirituum societas, & conuersatio, & fruitio diuinæ præsentiæ: hæc erat plenissima Domini opulenta hęreditas, qua in domo tabernaculi sui hanc Deus infantulam quasi nutrix dulcissima lacte supercælestium consolationum dulcitèr lactabat, alebat, nutriebatque quam amabat, cum qua conuersabatur, sæpè confabulabatur, & in qua deliciabatur, & oblectabatur ipsemet Deus; in cuius hæreditate quietè dicitur morari, quia requiem, quam auidè quærebat inuenire in illa tantummodo inuenit, & non in illis omnibus nempè iam prædictis puta cœlis, mari, terra, nebula, carne, vel populis, & gentibus in quibus se dicit primatum tenere, & dominari.

In hac requiei inquisitione, & sua commoratione in Dei hæreditate anima cuiuscunque docet sacra puellula non posse in creaturis quiescere, nec sui in illis requiem inuenire, nisi tantum in Dei sui hæreditate; quò satis apertè antumat ipse Deus in primæua illa rerum omnium conditione: Creauit ipse cœlos astris, sideribus, & luminaribus exornatos; terram plantis arboribusque; & animalibus repletam, aquas piscibus exuberantes, & aerem expletum volatilibus. Postremò formauit hominem de limo terræ, cui infudit animam, quasi de imo sui pectoris eductā, quando inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Sic habet sacer textus in Genes. cap. 2. *Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suum, quòd fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quòd patrarat.*

Genes. cap. 2.

Et quę hęc Dei quies, & requies? quoniā ille vtiq; dicitur quiescere, qui laborans defatigatus perficit opus: Cuncta creans Deus nonnè illaboratus perfecit omnia? totum enim Dei opus in rerum creatione fuit mandare non verbo sensibili, sed suæ voluntatis simplici actu. Sic docet D. Thom. p. 1. q. 73. ar. 1. ad tertium. Non ita pueriliter accipiendum est, tanquam Deus laborauerit operando, qui dixit, & facta sunt verbo intelligibili, æterno, non sensibili, & temporali.

D. Thom.

Quies illa Dei, quando requieuit ab omni opere, fuit cessare à creatione nouarum rerum; nihil enim postmodum factum totalitèr nouum nullam deinceps creaturę speciem fecit. Audiamus Diuū Augustinum in dialogo 65. q. 9. c. 42. *Quiescere dicitur Deus à condendis nouis creaturis, quia post editionem sex dierum operum nullam deinceps condidit de nouo creaturam*: vel vt eodem loco testatur idem Sanctus esse consuetudinem sacræ Scripturę id dici, operari Deus, quòd operatur in nos, & sic quiescere dicitur Deus: ex eo, quia facit nos quiescere. *Requies Dei*, inquit Augustinus, *quum nos post bona opera quiescere facit*: secundum illum modum, quo dixit Deus ad Abraham, Genes. 22. *Nunc cognoui, quòd timeas Deum*; vbi intelligitur cognoscere te feci: ità & hic intelligitur quiescere Deus quùm sanctis suis requiem præstat: imò & hic est vulgaris modus loquendi, tristis dicitur Epistola, quia tristem reddit, seù nimia tristitia afficit legentem, quo dicendi stylo vsus est Dominus Iesus, quando dixit, *de die illa, nempè iudicij: Nemo scit neque filius hominis*: quæ verba sic expandit D. Gregorius lib. moral. c. 13. *Sicut nos diem lætum dicimus, non quòd ipse dies lætus sit: sed quia nos lætos facit; sic dictum est, non quòd ipse nesciat diem, sed quia hunc sciri minimè permittat*: sic dicitur Deus scire, quia facit nos scire, Deus quiescere, quando facit nos quiescere.

D. Augu.

Idem Sanctus.

Genes.

D. Greg.

Quando igitur inquit sacer textus, quòd Deus creato iam homine dicitur quiescere, idem est, ac si dixisset, Deus seipsum proposuit homini, vt dulci otio frueretur in Deo ipso, & quietem tranquillamque vitam ageret in Dei hęreditate. Homine perfectè iam formato, requieuit Deus, ac si diceret, Principem te constitui, ò homo cunctarum rerum, quæ vides, vt intelligas te, & illa à me tamquam à suo principio deriuare, & in me tamquam in vltimo fine te oportere tantummodò requiescere: Si tui esse ego principium, &

ego tuę quietis, tuę fęlicitatis finis, & requies. Ad hoc respiciens D.Augustinus aiebat; *Fecisti nos ad te Domine, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* D.Augu.

O Deus cordis mei vera quies, & finis vltimus, hac, illac per creata cuncta circumcursitet anima serui tui cum sit Domina omnium, num in illis inueniet requiem extinquetur ne sitis? vel illius illis satiabitur fames? Heù semper in motu, semper impatiens, semper famelica, & inquieta, nisi peruenerit ad Deum, qui solus animæ replere potest capacitatem, & desideria.

Miratur plurimum Diuus Augustinus, quòd cum Populus Romanus cuilibet hominis actionis, & motui Deum attriberet, multitudinem Deorum colere cogebatur. *Miror autem plurimum,* inquit ipse lib.4. de Ciuit. Dei, cap.16. *quòd cum Deos singulos singulis rebus, & penè singulis motibus attribuerent, vocauerunt Deam Agenonam, quæ ad agendum excitaret: Deam stimulam, quę ad agendum vltrà modum stimularet; Deam strenuam, quæ faceret strenuum, & multa alia*: his omnibus dijs, & deabus publica sacra facere susceperunt, & hos omnes intra Ciuitatem colebant, & sacra faciebat; deam verò quam quietem dicebant, & quæ quietem pręstabat lapsis, extrà Ciuitatem collocatam habebant, nec vnquam fuit, qui eam intra mænia Ciuitatis admitteret, vel saltem illi sacra faceret. *Quietem verò appellantes*, inquit D.Augustinus, *quæ faceret quietem cum ædem haberet extrà portam Collinam publicè illam suscipere noluerunt*: Cur hoc? nisi quia experientia iam didicerant, quòd nec tanta bonorũ copia, nec tanta deorum, dearumque multitudo poterat eorum cordium satiare famem, extinguere sitim, nec eorum replere vota, desideria, & intima pectoris penetralia. Quietem deam publicè non suscipere nec intra Ciuitatem illi sacra facere fuit ne, interrogat Sanctus, indicium animi quieti? an potius ità significatum est, quòd qui illam turbam colere perseuerarer non planè deorum, sed dæmoniorum, eam quietem habere non posse, ad quam vocat verus medicus dicens; *discitè à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris*. Matthæus cap.11. D.Augu.

Matt.Eu.

Hæc erat quies illa, quam vt inueniret Virgo, sic sollicitè quęrebat, secreta in templo Domini à tumultibus curarum, & rerum mundialium, vt Deo sacratius, & purius deseruiret, & sacris vacaret meditationibus intrà claustra sui pectoris, vt quieti arcem moliretur, & sacra faceret illi soli, non in creaturis testatur eam inuenisse, sed in hæreditate Domini Dei sui.

Rerum mundialium hæc est natura; si amas, vorant te, absorbescunt te, quid quid est spiritus præcludunt in te, & dominabuntur tui, at si sub pedibus calcaueris, & Deus pacis erit possessio tua, & Deum toto cordis affectu amaueris prosequeris, illa mundi bona sub pedibus tuis posita subleuabunt te, substinent te, & super te eleuabunt te: attende, quid accidit Diuo Petro, toto sui pectoris affectu contendebat ire ad Iesum, qua de re illá ad illum emisit vocé, quando vidit ambulantem supra mare: *Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas*: cui dictum fuit: *veni*, & subdit Euangelista Sanctus, *descendens Petrus de Nauicula ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum*; ò prodigia, ò miracula, dùm Petrus amoris stimulo erga Iesum pungitur, vrgetur venire ad Iesum, quasi pennatus volat super aquas, maris fluctus premit pedibus, calcat plantis, & illi dominari videtur, quid plura? Matt.Eu. cap.14.

Proh dolor quãdo in eo timor intranit, & eum concussit humanus: qui & gressus quibus properabat ad Iesum tardare cępit, videns verò ventum validum timuit, & cum cępisset mergi clamauit dicens: *Domine, saluum me fac*; & qui paulò antè iter aggressus perueniendi ad Iesum calcabat fluctus, & sibi subiectos habebat, nunc dominatur à fluctibus, & absorbetur, & voratur ab illis. Quid est hoc ò anima mea, sic respondet D.Augustinus serm.13. de verbis Domini: *Attendite sæculum quasi mare, ventus malus, & magna tempestas: vnicuique sua cupiditas tempestas est: amas Deum: ambulas supra mare, sub pedibus tuis est timor sæculi: amas sæculum absorbebit te, amatores suos deuorare nouit, non portare*: hæc Sanctus. D.Augu.

Animæ quęrenti Deum cuncta creata impedimento sunt ad eum ascendendi, ad eum perueniendi, & ad eum approximandi, & calcata pedibus, & imperio coarctata, vt perueniat ad Deum

quem

quem amat auxilio sunt, & opem ferunt quasi pennatam.

Maria adhuc trima templo se consecrat, mundo renunciat, quæque creata pedibus calcat, vt ad Deum facilè, & quàm citò perueniat: hæc erat requies quam quærebat, quam cum in rebus omnibus huius sæculi non inuenisset, hisce relictis quæsiuit in hæreditate Domini. Hoc præmonstratum fuit Diuo Ioanni, qui in libro suarum reuelationum cap. 12. sic habet, *signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius*: ò profunda Dei sapientia dùm infantula, hæc Lunam habet sub pedibus, & pedibus calcat, amicitur Sole, cur hoc? ò anima mea? Et quæ est hæc Luna sub pedibus huius puellulæ? sic habet Glosa hic, *licèt mundanis sustentetur, non tamen affectat*: creaturæ; bona mundana significata per Lunam, quia apud infantulam nullo prætio erant, nullaque erga ipsa tenebatur affectu sustentabant illam, & portabant veluti aquæ Apostolum Petrum, quid est hoc? Dei amatores quùm ea odio prosequuntur sustentant, & portant, suos verò amatores vorant, & subuertunt: *amatores suos vorare nouit non portare*, dicebat D. Augustinus.

Apocal. | Glosa

Meritò cõparantur Lunæ bona hæc temporalia, quia mutabilia sunt, & veluti Luna semper sunt in motu, quæ dùm Virgo pedibus calcat, nondum sustentant, & portant, sed ad Deum ipsum subleuant: quapropter meritò additur Solis, dùm spiritus feruore ducta non ambulabat supra mare, vt Petrus, sed pennata volabat, & celeri cursu semper sursum ferebatur in Deum, quem vt inueniret, vt haberet, vt possideret, vt frueretur, vt ardentius amaret relictis bonis mundialibus, & creaturis omnibus secessit moratura, & quę itura in hæreditate Domini Dei sui: & quid accidit audi ipsam.

Eccles.

Et qui creauit me requieuit in tabernaculo meo: quid est hoc quod dicis? ò Maria, ò benedicta infantula, ò lampas ardens in domo Domini illumina oculos serui tui, vt ad laudem tui nominis intelligat anima mea hæc tua profunda mysteria. Si in omnibus tu quæsisti requiem, & non Deus? cur Deus inuenit requiem in te, quando requieuit in tabernaculo tuo; si tu ò magistra perfectionum, & exemplar omnium virtutum, in Deo satagebas requiem inuenire.

Quiesce & tu anima mea sub hoc ramusculo, & attentè intuere hanc diuinam infantulam, ex quo ingressa est in templum, præsentata in tabernaculo Domini, oblata altari, sacrata Deo, consecrata cultui diuino. Ità viuebat Deo soli, quem purè, & toto corde amabat, & à quo pariter amabatur, quòd vt scribit D. Bernard. epistol 90. in se quietem amando Deo parabat, quam & ipse Deus optabat, & inuenit: *Nam quos amamus*, docet Sanctus, *in his profectò requiescimus, à quibus autem amamur, ipsis nos in nobis requiem paramus*.

D. Bern.

Quando ergo dicit Virgo quòd ipsa in omnibus requiem quæsiuit, & quòd Dominus Deus requieuit in tabernaculo suo; requies illa in creaturis non erans creaturarum oblectamenta, non delectationes, non mundanæ consolationes, non dignitates, non primatus, non honores, non diuitiæ, non cætera cuncta, quæ in creaturis mortales sollicitè exquirunt: non stabat in his requies Virginis, quæ ab exordio suæ natiuitatis, & oblationis, à sæculi concupiscentijs, & amore alienauerat cor suum: à sollicitudinibus, & mundi desiderijs animum subduxerat, & pectus Virgineum à vanis, & noxijs curis elongauerat, & longè abduxerat; & eò plenius Virgo repleuit cor suum Sanctis cogitationibus, sacris imaginibus, spiritualibus affectibus, motibus, gestis, operationibus, nutibus, & amoribus, quò purius mundauerat, & abstraxerat à corruptibilibus omnibus, & quinque sui corporis sensus purgauerat ab omni mundano puluere: ò Mysteria, ò Virginis huius non muta præconia, dum omnis, & quilibet sanctus, licèt iustus & perfectus, licèt virtutibus omnibus confirmatus, & cunctis perfectionibus præditus emicat dum in hac viuit lacrymarum valle, vitam ducere nequit, quin ei aliquid pulueris inhæreat, vt sunt cordis vagationes, vanagloriæ, superbiæ, propriæ æstimationis, & ambitionis motus, sensualitatis titillationes, mentis distractionis, & alienationis, vel aliarum defectus humanarum imperfectionum.

Quando ergo ad vnum istorum venit, seu descendit Deus, quærens requiem, vt requiescat, non totus, non

tota-

totaliter quiescit; nam requiem, quam Deus quærit in nullo istorum inuenit, sed semper aliquid reperit purgatione dignum, quod non in Maria, quid mirũ? ò Anima mea, si Deus in solio mẽtis huius infantulæ per gratiam quietè sedir, & domum corporis eiusdem per assumptam ab eo humanitatem maiestate sua repleuit? ò fęlix, & verè B. Virgo, quæ tanti hospitis hospita digna fuit, in qua Deus totis, & quietè dulcitèr, & totaliter requieuit, & requiem inuenit, quam quæsiuit; quia, & amore puro, quo Deũ Virgo purissimè amabat, ipsi Deo illam quietem, quam inuenire peroptabat, in se dulcitèr parabat: dicat igitur in omnibus requiem quæsiui, dum amando Deum, Deum, quem solum quærebat in creaturis, in creaturis inuenit, & Deo ipsi amore quo Virgo ab illo amabatur in corde suo pariter requiem parabat.

O fælix infantula, quæ cor suum ab omnibus mundatum Deo obtulit, & sacrauit, & Deum in se inhabitantem sẽper habuit: verè fælix infantula apud quam Deus requiem sibi paratam inuenit, vt sola dicere posſit, *Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*. Dominus Deus tuus ò Maria in medio tui, quando requieuit in tabernaculo tuo gaudebit super te lætitia magna, & *silebit*, vt inquit Prophæta, *in dilectione sua*, hic silere quiescere habet textus hebræus? ille quiescit, qui prægustu, & delectatione quam capit ex re, quã amat, quam habet, quam obtinet, & in corde suo clausam retinet, & nihil aliud ostendit se velle: tanto deuotionis feruore, & tanto dilectionis ardore cor Virginis ferebatur in Deum, à quo ipsa amabatur, & quem ipsa amabat, vt quietem in se: & in corde suo, Deo parabat, & Deus in Virgine, quam sic amabat perfectè requiesceret, hoc sonant verba illa, *In omnibus requiem quæsiui, & qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.* Verè ò Maria tu vas auri solidum in templo Domini, dum ipsa contines continentem omnia, verè opus excelsi, non alterius artificis manu fabricatũ, nisi solius Dei, qui ex terrena natura in terra, & in terrestri hac valle Cælum te sua manu condidit, imò Cælo latiorem, ac diuiniorem: in Cælo hoc sydereo solem hunc visibilem formauit Deus, sed in Cælo Virgineo solem illum inuisibilem sub nube carnis visibilem, diuina quadam arte formauit, ita vt dicere audeat, *& qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*.

Tabernaculum hoc in quo Deus requieuit nonne Virginis Vterum est? Et hæreditas illa Domini in qua Virgo moratur, nonne illa æterna beatitudo est vbi summa pace, pacifica tranquillitate, & tranquilla quiete, & quieta requie, viuunt, & fruuntur beati ęterna illa gloria: Quid est in hac beatitudine Dei Virgo morari? Et quid est in Vtero Virginis Deus requiem inuenire, & quiescere. O mea Diuina infantula, ò vas auri solidum contines continentẽ omnia, quies hæc Dei in tuo vtero, & tua in Dei hæreditate commoratio, idem sentire mihi videtur, quòd tu latius Cælo ipso fuisti Deo, & Cælo ipso capacior, & perfectior, & incundior quam tibi Cælum Empireum.

Attende anima mea, vt intelligas secerne ab illa æterna Dei hæreditate illud videre Deum, & faciei diuinæ suspende paulisper visionem illam beatã, & habeat illa superna ciuitas suos cœlicolas, suos ciues, suos habitatores, & familiares: habeat & muros suos ex lapidibus prætiosis, & portas ex margaritis, fruatur sua pulchritudine sua venustate, & formositate, & fruatur sua æterna pace, & concordia, fruatur bonis omnibus, & diuitijs cœlestibus, & cœlum illud empireum cuncta omnia quæ possidet, possideat: sola visione Dei excepta magis cęlum est Virgo ipsi Deo, quã Virgini cœlum empireum, magis iucũda, & Deo magis delectabilia sunt oblectamenta, quæ in Virgine reperit Deus, quam quæ capiunt beati omnes videndo totum quòd continet cęlum illud, præter Dei visionem, dum illa erit simplex cohabitatio: sed habitare in Virgine, & in Virginis corde, seu domicilio vteri sui hospitari erit quies, pax, & requies. *Et qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.*

O Deus cordis mei, ò Dei Verbum, & partus, ò inhabitator huius tabernaculi cordis huius Virginis, & pectoris huius infantulæ; quæ erant cogitationes, & vota? & quàm pura, quàm pulchra, quàm candida, quàm munda, quã casta, quàm amabilia sua desideria, quã vehemens, quàm feruens suus erga te solum amor, quàm pura mentis suæ simpli-

plicitas quam perfectissimum omne, quòd cogitabat, quòd amabat, quòd meditabatur, quòd operabatur, quòd loquebatur, & totum peroptabat, & præstolabatur.

Quàm frequens, & assidua in meditationibus, quibus exardescẽs cor eius, & igne tui amoris incalescens in eiusdẽ ignis diuini imaginem totum videbatur transformatum, quo & ferebatur quocunque ferebatur: ò cordium scrutator & occultorum spectator; quoties hæc tua Virgo infantula noctis tempore ante tabernaculum diuinæ Maiestatis tuæ, flexis genibus, cæteris cunctis somno, & quieti vacantibus, prostratam intuebaris; nunc expansis manusculis, nunc vultu inhærendo terræ, & illi dulcia oscula infigens, humilis te supplicabat, nunc supra seipsam rapta tanta mentis eleuatione, & tanto feruoris excessu orando, contemplando, meditando, sæpè collacrymantibus etiam oculis, tibi ò Deus meus, respondebat vt Iudici, nunc te supplicabat vt patrem, nunc te colludebat vt sponsum, nunc te colloquebatur vt amicum.

O Deus cordis mei, qui & quales huius infantulæ tunc erant raptus mẽtis? quæ extasis? quæ visiones mysticæ? quæ reuelationes diuinitus factæ? quæ cordis dulcia colloquia? quæ pectoris sui pura desideria & vota? qui erga te amoris, & dilectionis actus, quos nemo nouit, nisi infantula hæc, quæ à te accepit: nemo accipit nisi qui desiderat, nemo desiderat, nisi quem ignis Spiritus sancti medullitus inflammat, & quem in cor Virginis tunc Deus desuper misit, & ita affluenter vt esset ipsa sola *vas auri solidum*, in templo Dei per feruoris & deuotionis excessum, & puritatis, & innocentię integritatem, qua eleuando se supra ipsiusmet naturam illas mẽtes angelicas excellnit.

Maior puritas attenditur per maiorem approximationem ad illud summũ purissimum; & si puritas semper sequitur naturam luminosi, seu luminis, id quòd plus participat de lucis natura, plus etiam habet puritatis. Virgo Maria respectu omnium creaturarum supercœlestium, fuit in summo plena gratia, qua plus omnibus appropinquauit illi æterno, & increato lumini quapropter vt Vas auri solidum attenditur in ea summa simplicitas, summa sinceritas summa sanctitas, summa bonitas, summa pulchritudo, summa perfectio, summa innocentia & summa puritas: quod probat D. Bernardus serm. 5. paruorum sermonum illis verbis: *Dies diei eructat verbum, dies diei Angelus Virgini, Angelus dies propter beatitudinem, Virgo dies propter integritatis virtutem*, grande mysterium, grande pręconium, quod id fulgeat in Virgine integritatis, & puritatis merito, quòd Angelus tenet beatitudinis præmio. D. Bern.

Grande ence minm huius infantulæ, quæ merito virtutis integritatis in terra possidet nomen, quòd Angelus obtinet in cœlo gloria, corona, & præmio: ò Maria quid altius de te potest mens mea meditari, dies Angelus, & dies Maria, & dies ille huic diei eructauit Verbum, quando illi aperuit incarnationis mysterium, & patefecit arcanum, quis horum dierum magis dies? Angelus in cœlis? an puella hæc in terra, & in templo Dei?

Nomen Dei portat Angelus, quia vt habemus in Euangelio, Angelus semper videt faciem patris, qui in cœlis est, ergo semper secum habet Deum, à cuius conspectu, & contemplatione nunquam sua lumina claudit, semper, nulla interposita mora, æterna illa Dei fruitur visione, & quia in illo diuino perlucidissimo speculo semper speculatur, & contemplatur Deum; ità semper perfunditur, circumplectitur & irradiatur illa diuina luce, cum semper habeat Angelus diei auctorem, qui fons luminis est: meritò & diei nomen sibi vendicat, & portat; & si Maria erat *Vas auri solidũ*, Deo ita sacratum, quòd in illa sola requiem inuenit Deus, & verè requieuit in tabernaculo suo; & si Deus erat cum Angelo, & erat cum Maria, cum quo Deus magis inhabitat & inhabitabat?

Audi anima mea D. Augustinum in serm. 14. de Natiuitate exponentem verba illa ipsiusmet Angeli: *Dominus tecum*, qui sic respondet, *Dominus tecum plusquam mecum ita vt sit in mente tua, itaut fit in vtero tuo: mecum est in intellectu, & voluntate, sed in te erit in mente, & plus hoc erit in ventre*. Tu ergo Dei sponsa, tu Dei mater, ego creatura, & minister: Dominus tecum, sed non sicut mecum; quia me creauit Dominus: mecum est, sed tecum, ita erit, vt nasci voluit à te, & homo fieri, tu sola D. Aug

digna

digna inuenta es, vt in aula tua Virginali Rex ille regum, & Dominus Dominantium primò reclinauit, à regalibus sedibus veniens, & primam inter filios hominum in te sola mansionem eligeret,& de te viueret,qui de te sola homo nasci voluit, & de homine plusquam Angelum fecit,itaut *nec primam similem visa est,nec habere sequentem*.

Ipsa est enim,quæ sola Angelos superat puritate: si Dominus Iesu quos sibi propinquius sua luce,& diuinis suis radijs irradiat,Angelos facit,quantò magis Mariam super Angelos euexit, quæ ex ea natus factus est idem quòd ipsa. Ioannes Baptista homo erat, & ex hominibus natus,& inter homines,& prophetas,quos Deus mittebat, ipse solus nomine gaudet Angelico,& ex ore Dei qui non mentitur hoc nomen accepit: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*, Malach. cap.3.n.1.Cur sub Angeli nomine mittitur Ioannes,& non alij prophetæ missi à Deo? vt capias quæ dico velim primo attendas,quæ de S.Stephano scribit S.Lucas Euangelista lib.Act.Apostol.c. 6.Coram Iudicibus dum Sanctus hic iuuenis sistitur in Concilio, inquit sacer textus: *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio viderunt faciem eius, tamquam faciem Angeli*.

Malach.

Act. Ap.

Stephanus homo erat, & adhuc carne vestitus, & inimicis apparet Angelus,ita vt vultus hominis,non vt hominis,sed Angeli posset ab hominibus putari,& æstimari: vndè hoc habet homo iste? & quidem ex radijs Solis æterni Domini Iesu qui sic illum irradiabat è cœlo,quando vidit cœlos apertos,& Iesum stantem;stetit Sol,vt in nubem carnis Stephani suæ lucis radios immitteret,& veluti Iridem ex nube nigra Intea,& obscura angelicis depinxit coloribus,ita vt non appareret homo, sed Angelus. Audiamus D.Augustinum hom.15.de Sancto Stephano: *Adapertis cœlis aspectus mutatus est confessoris, & cæpit tamquam Sole illustratus iustitiæ; ita splendescere vt humanam speciem nō haberet ipsis patentibus cœlis, ipsis testibus inimicis; nam stabat in medio luporum,& erat facies eius tamquam facies Angeli*.

D. Aug.

Irradiatus è cœlo Stephanus ex solis Christi Iesu radijs potuit supra homines haberi,& angelus apparere: & si è regione,& à penetralibus cœli diuinissimis suis radijs potuit Iesus tamquam verus Sol iustitiæ humanam Stephani speciem immutare in Angelicam quanto magis, & efficacius hoc idem efficere è vicino in Ioanne? qui meritò supra omnes prophetas à Deo missos ante Christum, vt ei pararent viam, et illius annunciarent aduentum, solus meruit Angelus apparere, et Angelus appellari,qui Christo omnibus fuit propinquior,et coniunctior.

Non mea est hæc doctrina,sed Diui Chrysostomi hom.27. in Matth. *Quomodo de solo Ioanne quasi gratiæ singularis est indicium: ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam; omnes quidem prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, solus autem Ioannes sic missus est ante faciem Christi, vt penè eum ipsi Christo veniret*,hæc ille. Solus Ioannes ex prophetia fuit Christi præsentia illustratus, et diuinis illius radijs solus Ioannes è vicino fuit irradiatus,et clarius, et perfectius lumine Solis æterni circumfusus,vt mereatur solus dici, et videri Angelus.

D.Chrys.

O anima mea si Dominus Iesus,quos propinquius irradiat ex hominibus Angelos facit suæ lucis radijs:Maria, quæ et corporearum, et spiritualium creaturarum fuit Iesu magis propinqua,magis illustrata,et radijs illius magis irradiata; imò ipsi corpori Solari magis vnita, et incorporata, et visa est Ioanni amicta Sole, cum quo facta est vna caro vna voluntas, vnum velle, et idem esse quod ipse,dum non Angelum duntaxat voluit apparere, sed in ipsum Deum transformata,et splendore,et puritate,dignitate,et gloria, super omnes Angelos euecta,et eleuata, vt possis, et tu anima mea de ea dicere: Nec primā similem visa est,nec habere sequentem. Et Angelus confiteri se minorem diem die Mariæ,cum sit ipse tantum Dei creatura,et minister: Virgo verò illustrior dies, et Angelorum die maior, quia mater est Dei,et illius singularis filia,et sponsa: ò verè dies Maria, quæ mundo perdito fœlicem suæ saluationis attulit diem.

Dies est absque nubilo, imò mundi nubila suæ puritatis luce omnia pellēs: tantæ virtutis fuit hæc virginalis dies, vt diuini pectoris temperaret calorem, placaret iram, sedaret furorem, et tibi

red-

redddidit serenum. Meritò Maria dies salutis est, dies indulgentiæ, & remissionis, dies redemptionis, dies veri solatii, & consolationis: ò Maria, ò vas auri solidum deuotionis, & puritatis: tu dies animæ meæ, tuæ puritatis lumine, tuæ lucis gratia, tui splendoris candore, tuæ deuotionis, & feruoris radijs, depelle meæ ignorantiæ tenebras, expelle vanarum cogitationum nubes, oriatur in corde serui tui dies suæ veræ cognitionis, dies laudis, & benedictionis: imò & dies perfectæ tuæ imitationis per exercitium vitæ actiuæ, vt possit & te imitando sequi, & ipsa peruenire ad quietem diuinarum rerum contemplationis; harum enim fuit ò anima mea huius infantulæ semper plena quies, non intercisa, non circa aliquid certum tantummodo restricta, quoniam in omnibus gaudebat, & in omnibus delectabatur; & sicut in omnibus requiem quæsiuit, ita & requiem in omnibus inuenit: Nam vigili somno dulcitèr in contemplatione quiescens, delectabatur non minori quiete in exercitatione vitæ actiuæ, laboris & mortificationis; ad supercœlestem enim illam suæ contemplationis quietem vtique non peruenisset hæc Virgo prudens nisi post lectam vitæ actiuæ vt vera filia Iacob: nisi post sudores bonæ operationis: nisi post tot suæ mortificationis defatigationes, quòd & ipsamet Virgo testata est cuidam animæ deuotæ, cui sic affata dicitur: *Fi-*
D.Bona. *lia dico tibi, quòd nullam gratiam, nullum donum, nullam virtutem habui à Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda deuotione, multis lacrymis, & multa afflictione, dicendo, cogitando semper placida sibi sicut sciebam, et poteram, excepta sanctificationis gratia, qua sanctificata fui in vtero matris*: vt ex ijs addiscat anima, non posse ad Christum, seù ad eiusdem contemplationis quietem peruenire nisi per magnos labores, ad exemplum Virginis laborando in vita actiua, luctando contra vitia, & proprias passiones.

Circa quartam vigiliam noctis venit Iesus ambulans supra mare ad discipulos suos qui erant laborantes in remigando, et fluctibus maris vehementer agitati, seù vexati; et licèt sic vndis spumaret, ac fremeret mare, solus tamen Iesus Christus placidè, et quietè ferebatur super aquas: quo prodigio perterriti Apostoli, quia timor vehemens irruit super eos, existimabant illum non esse Christum, sed phantasma: consolatus est eos nihilominus Dominus di- Mat. Eu.
cens: *Habete fiduciam ego sum nolite timere*; quod cum audisset Petrus, et ipsum esse Dominum agnouisset, dixit illi; *Domine si tu es iube me venire ad te super aquas*: cui respondit, *Veni*; ac si diceret hoc est quòd cupio, hoc est quòd doceo, et hoc est quòd prædico, et exclamo: *Venite ad me omnes qui laboratis, et* Mat. Eu.
onerati estis, & ego reficiam vos; quia non coarctor multitudine, non fatisco, omnes recipiam, non tam exiguum meæ benignitatis pelagus est, vt licèt inundent facinorosorum torrentes, in angustum abducatur, et si neminem excludo, omnibus dico venite ad me omnes, quantò magis te ò Petre?

Hisce verbis innixus Apostolus fidenter, absque vlla dubitatione exiliens de nauicula se mare commisit, et vndis, et sic ambulans super aquas vt veniret ad Iesum, de repente exortus est ventus validus et vehemens, et facta est tempestas ita magna, quòd timuit Petrus ne mergeretur; ità testatur Sanctus Euangelista: *Et cum cæpisset mergi clamauit dicens, Domine saluum me fac*, et quidem sepultus in vndis remansisset, nisi vt saluum faceret eum Dominus Iesus extendisset manum suam.

Hoc totum attendens D. Ambrosius D.Ambr
serm. 2. de Sanctis, sic meditatur: *quòd petiuit Apostolus, quòd peroptauit Petrus erat quidem & multum laudabile, quia bonum, quoniam nihil aliud quæsiuit, nec aliud petijt nisi peruenire ad Iesum, vel ad locum vbi Iesus erat*, & hoc idem est quòd docet, & prædicat ipse Dominus Iesus: *Venite ad me omnes*, & alibi: *Et vbi ego sum illic sit & minister meus*: Nunc autem cur veniente Petro, ad vocantem se, vocans permisit vt turbaretur mare, & suis fluctibus non duntaxat obsisteret venienti, & iter præcluderet, ne perueniat, sed et obuolueret vndis: si iubet vt veniat, si consulit vt perueniat vbi ipse manebat, nonne tenebatur potius mare pedibus Apostoli præbere calcabile, et quietum, et non feruescens, spumans, et fræmens, vt absque pauore, absque periculo, et sine labore; imò alacritèr, et quietè veniret ad eum?

Quid est hoc? vt possit Petrus Christum adire, et illius frui consortio, præ-

sentia, colloquio, et quiete immisit ventum validum, præmisit tempestatem, & fecit itinera duriora; imò & periculosiora, sic respondet Sanctus Doctor, Petrus dum fluctuat, dum mergitur, sic peruenit ad Dominum ostendens nobis, quòd non nisi per pericula properatur ad Christum.

En & ipse Dominus Iesus manum suam non extendit, non apprehendit nisi fluctuantem, nisi naufragantem, nisi periclitantem, nisi laborantem vt per ueniat ad ipsum vitæ etiam cum discrimine: Apostolo Petro veniendi ad eum iter non adaptauit, nec præparauit nisi tempestate magna, nisi naufragio, nisi fluctibus feri maris, quid est hoc? Respondet Ambrosius, ostendens nobis, quòd non nisi per pericula properatur ad Christum, vt addiscat et certò sciat qualibet anima fidelis, quòd ad quietis portum tum supercęlestis illius felicitatis æternæ vbi Christus est, & fruitur eius præsentia, tum ad quietis, seu ad dulcedinis contemplationis statum nō potest peruenire, nisi patiatur, quæ passus est primus Apostolorum, qui antequam ad locum vbi Christus erat perueniret necesse fuit fluctibus agitari, mergi vndis, pati naufragium, sustinere mortis pericula, & certare vsque ad mortem.

Quietis fructus perdulcissimi sunt, sed illa illius dulcedinem nancisci meretur anima, quæ vitæ actiuæ primò exercitijs defatigata laborat, & mortificationis macerationibus exagitata desudat: nullam enim gratiam, nullumque donum à Deo accipit homo, nisi post luctam. Audi non me, sed D. Chrysostomum hom. 4. ad populum Antiochenum, *Nisi tentatio nec corona, nisi certamina nec brauia, nisi studium nec honores; nisi tribulatio nec remissio, nisi hyems nec æstas.*

Coronam semper præcessit certamē laboris, & præmia bellum, honores, gradus, dignitates laboriosa studij defatigatio: sic ad quietem contemplationis non potest anima pertingere, nisi post sudores exercitationis vitæ actiuæ. Hęc erat hæreditas Domini in domo Domini, in qua commorans nostra infantula in omnibus sicut requiem semper quæsiuit, sic in omnibus semper inuenit contemplationis, sic super omnes magis eleuata, vt etiam illas supercęlestes substantias contēplando transcenderet.

Sub hoc ramusculo addiscat anima mea imitari ordinem tuæ purissimæ vitæ, sequi & amplecti vestigia tuæ exercitationis: addiscat benedicere, & laudare nomen sanctum tuum, ò magna, ò pia, ò multum amabilis Maria: tu nec nominari potes quin accendas, nec cogitari quidem quin recrees, affectus diligentium te, & benedicentium nomen sanctum tuum perdulcissimum.

Si tu ò Maria nunquam fine singulari dulcedine diuinitus tibi insita piæ memoriæ diligentis te portas, seu cordis penetralia penetras, & ingrederis, tua puritate munda cor meum, tuæ deuotionis feruore, tuæ dilectionis igne, ad te attrahe illud, & adura, vt tui nominis dulcedine perfusum semper psallat, & tibi quotidie psallendo dicat.

Benedictum sit perdulcissimum nomen tuum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei te precor ò Maria mōstra te esse matrem, et miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea. Sub vmbra huius ramusculi ad tuæ vitæ ordinem protegendo me ordina vitam serui tui ad laudem nominis tui nunc, et in hora mortis meæ. Amen.



DE VITA ACTIVA VIRGINIS in domo Domini.

RAMVSCVLVS VIGESIMVSSECVNDVS.

Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso. Eccles. cap. 50.



Onstituta iam hæc diuina infantula in domo Domini, vt Deo sacratius consecrata adhæreret, & purius, & sine intermissione Deo vacaret, & seruiret, & nulla in ea vacua reperiretur hora, & ne vllum tempus liberum abiret, seu transuolaret: & ne in domo Domini Dei sui panem otiosa Virgo comederet, considerauit semitas domus suæ, & sic quãdam cœlestem, & omnibus numeris absolutissimam viuendi rationem statuit in corde suo.

Non erat infantula Maria in templo Domini leuis, non iocosa, non cantatrix, non otiosa, non pigra, non segnes, non inconstans, non multorum verborum amatrix, sed docilis, amans sapientiam: erat modicæ conuersationis, expeditæ obedientiæ, mundissimæ proximationis, sine audacia, sine ira, seu turbatione; erat benigna, affabilis, in vigilijs prior, in lege Dei eruditior, in charitate feruentior, in puritate purior, in humilitate humilior, in omni perfectione perfectior, semper occupata, in lectione, in ieiunijs, in orationibus, & in laboribus manus suæ.

Semper in manibus habebat lanam, & staminis fila pollice deducebat: statim didicit lanam facere, ponere in gremio calobrum, rotare fusum. O anima mea sit tibi tamquam in imagine descripta ratio viuendi, vita huius infantulæ, vt ab ea addiscas, & tu viuendi exemplum in domo Domini, ad exemplum Virginis considera semitas domus tuę, ne & tu panem otiosa comedas. In domo Domini ad exemplum huius infantulæ exerce te in vita actiua, quæ velut aurum mundissimum resplenduit in Virgine, in auro enim non tantum deuotionis feruor, & puritatis candor attenditur, sed & color qui omne genus operationis ostendit, in quo Maria ve vas auri solidum erat in templo Domini assiduè occupabatur, vt verè Virgini, & ad laudem eius tu dicere possis: *Vas auri solidum, & omni.*

Vt Deo plena Maria, & otij inimica semper erat detenta, & alteri operam non dabat, nisi considerationi assiduè domus suæ, hoc est potentiarum animę & corporis sui sensuum, ne quis eorum vnquam otio vacaret, si mentem interioribus actibus, & sacris meditationibus continuò habebat occupatam, & externa corporis mẽbra externis exercitijs semper elaborata tenebat; dum aditus intellectus, voluntatis, & memoriæ, & sensuum corporis exitus sedula speculabatur. O Virgo prudens, ò fortissima mulier, tu sola otiosæ quietis in scia, quoniam tu sola interna cœlestibus nutriebas alimentis, & externa reficiebas continuis laboribus, & exercitijs.

Erat Virgo hęc in domo Domini doctrinæ amatrix, & sanctarum litterarum meditatrix: erat & simul lanifica, & linifica lanam operabatur, & linum: vndè testatur Euthimius Christi tunicam inconsutilem, & ex omni parte clausam, lineam, seu lanam fuisse à Virgine matre contextam, quæ de lanificio, & linificio vixit: *Quæsiuit lanam, & linum & operata est consilio manuum suarum:* industriosè, spontè, et non coactè semper Virgo in templo Domini tractauit lanam, et linum ad opus eorum, quæ sacerdotibus erant necessaria. Euthim.

O anima mea attende: intuere infantu-

tulam hanc, ne panem otiosa in domo Domini Dei sui ipsa comederet, didicit lanam facere, tenere colum, rotare fusum, & stamina pollice ducere; omnis eius actio, & mannum occupatio erat ad fortia, ad vtilia, ad decentia, verè de ea scribitur in Prouerbijs cap. 31. *Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.*

Prouerb.

Nam idem est rectè nere, quòd & benè viuere: multa bona inspirat Deus cordibus nostris, vt sunt vota, seu desideria perfectionis, virtutum, puritatis, sanctitatis, quæ velut lana collecta tenemus in colo, & nunquam in fusum traijcimus, si digitos non applicamus ad fusum, si operibus non insistimus, si neruos, & animæ potentias vbi res postulat, non intendamus: si diligentèr non damus operam, omnique studio, omnibusque viribus non conamur, non contendimus, nec Deo satisfacere valemus, nec suis diuinis possumus inspirationibus respondere.

Colus in sinistra dum locatur temporalia obumbrat; fusus verò in dextera, hoc est rectè nere: temporalia & mūdana sic debemus tenere in colo, vt per fusum rectæ intentionis deducamus fila staminis ad spiritualem profectum. In his occupabatur infantula Maria ne panem otiosa comederet: *ad fortia misit manum suam, & digiti eius apprehenderunt fusum:* & quidquid boni à Spiritu sancto immittebatur in colo cordis eius, ipsa transmittebat absque vlla mora in fusum operationis.

Cuilibet animæ varia dona, & talenta præstitit Deus, vt est vsus liberi arbitrij, donum fidei, auxilia, & gratia, qua nos præuenit, excitat, adiuuat, si panem otiosa non vult in domo Domini comedere: hoc illius munus est, imò & debitum de colo ducere lanam, & stamina ad fusum, hoc est illis talentis à Deo acceptis negotiari, & operari.

Homo ille Pater familias, quia peregrè profecturus erat, vocatis ad se prius seruis suis, quibus & sua talenta partitus est, & vni dedit quinque talenta, alij duo, alteri verò vnum, & apud quēlibet eorum quasi lanam in colo deposuit pecuniam suam: & illi duo primi quasi de colo ad fusum traijcientes fila duxerunt, quoniam sic sollicitè negotiati sunt, quòd duplicia sunt lucrati: ille tertius Domini cupiditate perterritus, fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui, & velut lanam in colo habuit inuolutam. Regressus Dominus cum cæpisset cum illis rationem ponere, ille, qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque, dicens: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum:* similitèr et qui alia duo lucratus fuerat; nam id quòd in colo habuerunt ad fusum, sollicita operatione traduxerunt: quid mirum si fidelitatis, si bonitatis, si perfectionis laude, si operationis præmio fuerunt digni, dum sic cuilibet eorum responsum fuit: *Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam intra in gaudium Domini tui.*

Mat. 25.

Ille autem qui negotiationis cessatione, & otio torpuerat seruauit in colo, quòd acceperat, quæ si in sinistra locatur, quid miraris anima mea, si & talento ei collato spoliatur, & in damnationis sinistra collocatur? si & tu anima mea in domo Domini Dei peroptas panem non comedere otiosa, sed in satiritate illius æternitatis, vt bona, vt perfecta, vt fidelis considera firmitas domus tuæ, stamina donorum acceptorū à Deo pollice ducito. Zelotes est Deus suorum donorum: fuge otium, caue otiositatem, temporis mora vacua nulla prætereat, qu in fila operationis virtuosæ non ducas; exerce, labora, vt fructus talentorum duplicatos reddas ei, qui ad hoc illa tibi tradidit: en infantula diuina, quæ panem ne otiosa comederet: *misit manum ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.*

Venit Dominus Iesus ad ficulneam illam, vt caperet fructus, & teste Diuo Augustino in lib. quæst. Euangelij q. 55. & Euthimio, & Chrysostomo in Matth. cap. 21. venit ad ficum non ignarus, ficus in ea non reperire, sed venit ad mysterium, & cum iam non inuenisset, maledixit illi, & maledicta continuò arefacta est, licèt non esset tēpus opportunum tunc ad fructus producendos; erat enim dies vndecima Martij, vt ex Euangelijs colligitur. Si hyemis tempus erat quid peccauit ficulnea illa si fructus non protulerit? *Non erat tempus ficorum*, ait Marcus Euangelista, si non erat tempus prædefinitum à Deo; vnaquæque arbor dabit fructum suum in tempore suo, cur Deus homo venit ad illam

D. Aug. Euthim.

illam temporis non ignarus? cur maledixit? & maledicto aruit?

Christi aduentus ad ficum, & illius maledictio fuit ad mysterium vt intelligas ò anima mea te plantatam in domo Domini, vt omni tempore fructum operationis affectas: cæteræ plantulæ tempus habent ad fructificandum præfixum, vt dicit Psalmista psalm. 1. Sed tibi omne tempus est opportunum salutis: si nulla sunt tempora diuinorum vacua donorum, nulla sint in te vacua fructibus, quòd docet Apostolus 2. Corinth. cap. 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

Daud. Proph.

Paul. Ap.

Quid est in vanum gratiam Dei recipere? Ne sis sterilis, ne sis segnes, otiosa, & pigra: quòd recepisti in Colo cordis, ducito digitis in fusum; innitare operibus non vacuis, vt de seipso testatur Apostolus 1. Corinth. cap. 15. *Gratia Dei in me vacua non fuit*: panem otiosus nō comedit, sed ex cooperatione ad perfectum, & cōsumatum opus perduxit. Gratia Dei sigillo assimilatur, in quo expressa, & sculpta videntur stemmata illius, & insignia cuius est Emblema; Num ignoras quòd sigillum vsque dum super ceram, seù hostiam prematur manu seù brachio semper dicitur vacuum, quia imagines in eo cælatæ, seù sculptæ sunt absque vtilitate, & vacuæ, & vanæ: at si premantur stemmata litteræ, insignia, & figuræ in cera espressæ manifestè apparent, & ostendunt, ad quòd cælatæ sunt.

Paul Ap.

Inspirat, & infundit Deus cordi humano auxilium, & gratiam, si non apponatur manus cooperans velut Emblema manu non compressum, vacua dicitur gratia illa; at si manuum cooperatione super cor prematur, illicò in anima apparent Dei imago, Dei stemmata, & Dei imagine insignita, & in Deum transformata; imò videtur Deus gratiæ participatione. Hoc est quòd dicebat Apostolus: *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: quod habes in Colo, ducito in fuso per operationem: Multum obest scire veri rationem, & minimè factis eam prosequentibus affirmare.

Si Paulo Apostolo dicere licuit, *in me gratia Dei vacua non fuit*: quantò verius nostræ infantulę, quæ gratia plena manus sollicitè misit ad fortia, & digitos ad fusum, dum omnia opera sua, quasi fila de Colo deducta, retorcuit in orbem æternitatis, temporalia operans pro ęternis: nunquam desidiosa, sed semper parata ad fortia: nunquam otiosa, sed semper occupata ad decentia; nunquam pigra, sed semper sollicita ad vtilia: nunquam secors, sed semper operosa ad cælestia; ad hæc cum tanta solertia, sed vtilitate currebat peragenda, & festinatione Dei formata Virgo, vt potius volare videretur quam currere.

Hic erat Virginis cursus ad operandum, quando Ezechiel vidit eam Hyacintho calceatam: hyacinthinis illam calceauit Deus sandalijs, dicens: *calceaui te Hyacinto*: Cur non Smaragdo, carbunculo, vel topatio: vel quouis alio lapide pretioso? & si Hyacintho? Cur ei non fuit collatus potius ad ornamentum colli, pectoris, seù capitis Virginis; sed tantum pedum eius, *calceaui te Hyacintho*.

Sunt enim calceamenta non solum ad pedum ornamentum, sed ad eorum conseruationem, digitorum, & articulorum vnionem, quibus fortitèr, expeditè, & concinnè homo perambulat; at quia gressus Virginis, & operationis cursus erant ad virtutes, ad perfectionem, ad spiritualia, ad cælestia, & cum tanta festinatione, quòd appositè pedes eius Hyacintho calceauit Deus. Hyacinthus teste Diuo Hieronymo aerei coloris est, vt intelligas Mariam diuina, & æterna semper amasse, & donorum, & gratiarum lanam non habuisse inuolutam, seù collectam in Colo, sed solertèr per fila deduxisse in fusum; ad quę peragenda non otiosè, sed velocissima gressus suæ operationis aerei coloris erant calceati sandalijs, vt non incedere, sed in operando videretur alitè glomorare passus, vt ad perfectionis apicem attingeret, & virtutum omnium cacumina superuolaret. Virginis cursus adeò celeris erat in labore manuum suarum, vt omnem otij, & otietatis præcaueret vacationem. D.Hier.

Nouit enim virtutibus, & perfectionibus nihil tantum obesse, vt otiositas, ad Dei cognitionem, familiaritatem, & ad Dei gratiam non peruenit anima otiando, sed laborando. De Pacifico Salomone duo signantèr notauit Scriptura Cant. cap. 3. quòd lectulum haberet ad quietem, & *ferculum sibi fecisset de lignis Libani ad cursum, columnas argenteas,* Cant.

teas, reclinatorium aureum, & ascensum purpureum: quo ferretur quocunque voluerit, hoc est ad motus exercitium, ad hoc fiunt vehicula.

Valdè mirandum est, quòd (vt moris est Regum) Rex ille sapientissimus vehiculo, quo ferebatur, egrediens per vicos, & plateas, milites ad sui custodiam non adhibuerit, qui pariter illum præirent, & qui sequerentur: sed tantum lectulo in quo dormiens pacificè quiescebat, & quieti seu sopori vacabat: sic
Cant. c.3. legimus in Canticis: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.*

Cur in lectulo tot excubiæ? & in Rheda illa Regia nulla militum & custodum prouisio? & apparatus? O mysteria diuina, ò manuum ad salutem, & perfectionem occupatio necessaria: *mul*
Eccles. *tam malitiam docuit otiositas* Eccles. cap. 33. semper inimica saluti, & amica aduersario: Animam enim otiosam facilè diabolus inclinat ad vanitatem cogitationum, & à cogitatione vana ad voluptatem affectionum, & tandem ad consensum, & operum consumationem, vt
Prouer. idem Sapiens in Prouerb. cap. 12. *qui sectatur otium stultissimus est.*

.12 Verè stultissimus ò anima mea, dum otio detentus suæ saluti necessaria non quærit, & otio victus seipsum malignis spiritibus indefensum exponit; vt ipsum interficiant: hoc facit dum intra se motus carnales crudelissimos hostes enutrit, & pascit ad sui damnationem. Hæc est illa egestas in qua moritur otiosus, quoniam qui non laborat indignus est pane illo cælesti. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*: dictum fuit illi primo homini: corpus sarculo disciplinæ, & anima vomere orationis, meditationis, & contemplationis excolenda sunt. Hoc
Hier. fuit Diui Hieronymi consilium *semper aliquid operis facito ne diabolus te inueniat otiosum*: otio feriante anima statim contra eam insurgunt multa pericula; quòd satis apertè demonstrat Euang.
Math. Matthæus cap. 8 *orta est tempestas valida in mari*; dormiente Domino: somnus otij mater. Samsonem euigilantem mil-
lib. Iud. c.16. les Philistæi timebant, nec ad eum accedere audebant; at dormientem, & otio in sinu mulieris vacantem, & tonsis crinibus spoliatum, debilem, & captiuum reddebant.

Holofernem illum inuictû, nec ebrietas, nec mulieris pulchritudo valuerunt lib. Judith c.13.
vita priuare, sed tantum vna somni quies, & viduam fortissimam reddidit, & Ducis caput vno ictu abscidit, & abstulit. Si tot mala somnum otij, & otiositatis imaginem comitantur, tot & sequuntur pericula, quid mirum, si lectulum Salomonis contra tot hostium incursus muniendo ambiunt sexaginta fortes ex fortissimis Israel, non debiles, non nudi, vel mollitet ornatu ambiunt illum, vt fieri solet in Thalamis, sed armari quasi boni milites parati ad bella doctissimi, vt Regem Dominum defendere valeant, & eius possint hostes expellere, imò & trucidare, & expugnare sexaginta fortibus, ex fortissimis illum vallauit.

Vehiculum verò Salomonis hac custodia non indigebat, quia motus rotarum, & labor trahentium nec quietem admittunt, nec cura, nec diligentia dirigentis illud sinunt otium interponi, sed absque alio vigili, seu custodibus suamotuum, & rectorum exercitatione custoditur, seruatur, defenditur, & ad ascēsum purpureum omnis perfectionis, & virtutum omnium dirigitur; ad Dei reclinatorium non ascenditur, nisi anima manuum operatione, & labore inundauerit, opera ipsa sunt custodes, quæ vigilando, militando, labotãdo, patiendo Dominum Iesum imitãdo, Regis Christi lectulum hunc, animam in qua ipse requiescit custodiunt.

En nostra infantula, Deo consecrata, Deo plena, otij inimica, in templo Dei, *ne panem otiosa comederet semitas domus suæ considerauit, quæsiuit lanam, & linū, & operata est consilio manuum suarum, quoniam misit manus ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum*, & licet esset ipsa puritas, sanctitas, & innocentia, continuò operata est terram corporis sui non solum manuum laboribus, sed pœnitentiæ, & afflictionis macerationibus.

Vt Dino Gregorio Turonensi diuinitus reuelatum est, & ipse restatur in D. Greg. Turon.
lib. salutationis Angelicæ, sic habet: *Credo Deiparam, ex quo templum ingressa est sine cilicio beatam illam carnem pungentem vixisse nunquam illius vestes è vilissima, somnus ipsius erat nuda humus,*

mus, vel nudis tabulis adhærebat; nulloque vnquam tempore non ieiunauit, famem, cœlitus allato pane, fugabat, quæ verò à ministris templi in alimentum accipiebat, quotidiè pauperibus erogabat.

Si manuum huius Virginis labores, & sui sacratissimi corporis afflictiones non erant ad cibum sibi comparandũ; Esca enim per manus Angelorum deportata è cœlo hæc sacra infantula vixit in domo Domini: Cur tot laboribus, & tot indefexis defatigationibus corpusculum illud, quòd erat Spiritus sãcti templum, & habitaculum filij Dei, sic continuò premebat, & vexabat Virgo illa purissima, quæ puritate, & donorum supercælestium copia statu primi hominis gaudebat innocentiæ, & dono fruebatur integritatis: Cur ò Maria sic sollicitè manum tuam mittebas ad fortia, & digiti tui sic indefexè apprehendebant fusum?

Vt capias anima mea quæ dico, velim scias hanc infantulam ab hoc sæculo nequam, & ab omni hominum tumultu fuisse à Deo translatam in templo Domini veluti Adam ex Hebron, vbi tenetur à Deo formatus in Paradisum voluptatis, de quo sic habet sacer textus Genes. Genes. cap. 2. *Tulit ergò Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis vt operaretur, & custodiret illũ:* enodatè enodemus primò hæc verba, vt operaretur, & custodiret illum; quoniã in illo amenissimo loco nihil cum labore erat operandum, nihilque cum fatigatione custodiendum; *quamuis Paradisus ruralibus non egeret,* D. Augu. inquit S. Augustinus lib. 8. in Genes. ad litt. *tamen quia primus homo lex posteritatis futurus erat, ideò etiam in Paradiso speciem accepit laboris.*

In triplici statu fuisse primum hominem constitutum legimus in sacra pagina: Primus fuit in sua creatione, quando erat Adam Solus inter arbores quarum fructibus, iam à Deo illi dati in escam, vescebatur: Secundus fuit post eiusdem creaturam, quando vix creatus suo imperio Dominus, vel saltem per manus Angelorum transtulit eum de loco suæ formationis, collocauit in Paradiso voluptatis: Tertius fuit, quando post diuini præcepti transgressionem è Paradiso foras fuit eiectus.

In illo primo statu, vt ostenderet Deus, quanta erga hominem esset cura, & gubernationis sollicitudo, placuit bonitati diuinæ sine hominis labore, & sudore cibos conferre illi ad vitam, & ad victum, sic docet nos sacra pagina. Genes. cap. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam:* Genes. Arborum fructibus in illo primo statu vescebatur homo absque terrę cultura, & labore, itá inquit D. Chrysostomus; D. Chrisostom. *Magna Domini erga hominem, quem condidit cura, sine labore ipsius hominis liberalissimè alimenta præbet, tàm illi, quã famulis; hoc est animalibus:* Et ne affligeretur homo, quasi non sufficeret ad alenda tot, & tanta animalia, priusquam de hoc cogitaret, bonus Deus præueniendo demulget, quùm, & ostendit, quòd tàm ipse, quàm iumenta, & bruta omnia præcepta Domini, omnem copiam terra suppeditante sit habiturus: paruum post temporis interuallum tulit eum Dominus, & posuit in Paradiso voluptatis, in quo loco non ex Dei mandato, & non ex suo labore datur Adamo copia comedendi ex omni ligno Paradisi, vno duntaxat excepto; *Ex omni ligno,* inquit D. Ambrosius, D. Amb. *quòd est ad escam edes.*

De loco autem deliciarum, iam in pęnam suæ transgressionis expulsus, & extra Paradisum constitutus, ad escam sibi comparandam à Deo præscribitur illi sudoris opus, & defatigationis labor, quando audiuit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.*

O quàm fęlix prima hominis ætas, quando producta iam terra multisque arboribus consita producitur homo, & ad suæ vitæ necessaria nullum accepit opus, nec laboris mandatum, sed terra ipsa antè hominis peccatum, ex Dei præcepto, absque hominis labore, & sudore, absque vlla terræ cultura escam homini præbebat, & cibos: at lapsus in culpa datur illi laborandi mandatum, & terram agricultura exercendi atque colendi: vt ex eius fructibus possit ille viuere: Laboriosa pęna, sed iusta. Inquit D. Thom. hic: D. Thó. *Ista pœna,* ait Sanctus, *sibi optimè competit; quia de ligno vetito gustauit deliciosè, ideò debet viuere laboriosè.*

In terra suæ creationis, nihil de cultura, nihil de labore, nihil de sudore, nihilque de custodia audiuit Adam, sed

bene,

benè, extrà Paradisum positus: quia vt iustam suæ gulæ, suæ inobedientiæ soluere pœnam, mandatur, vt viuat de suo labore, & ærumna, & cum labore suo, etiam vescatur pane; Nec mirum ô anima mea, sed valdè mirandum, quòd in ipso deliciarum loco, in ipso voluptatis Paradiso, opus accipiat, & custodiam; Nam posuit Deus hominem in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum; Cur hic custodia mandatur, & durum opus iniungitur? Si locus erat voluptatis, vt ponderat D. Chrisostom.
D. Chrisost. *Non simpliciter dixit posuit eum in Paradiso, sed apposuit voluptatis, vt excellentem voluptatem, qua fruiturus esset homo inhabitando nobis declararet.*

Si quies, si pax, si delicias, si voluptas, ibi erant homini, vndè nunc eidem illud opus seruile, defatigatio, & labor? vt operaretur, & custodiret illum, quorsum hæc custodia? & ad quid ille labor, & defatigatus sudor? tibi sic respondet D. Augustinus, quòd *non erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis*, quid autem sit custodire eum, & à quò? Cum nullus ei aduersaretur: dicamus ergo eum posuisse Deum in Paradiso? non vt ipsum operaretur, & custodiret in se homo: sed vt ipse Deus eum diligens custodiret, & operaretur in eo virtutes, quemadmodum homo terram operatur: non vt eam faciat terram, sed vt cultã, & fructuosam; sic Deus hominem multò magis, quem ipse creauit, vt homo sit, cum ipse operatur, vt instus sit: *proptèr hoc*, inquit Sanctus, *Deum idem, qui creat hominem, vt homo sit, ipse operatur hominem atque custodit, vt etiam bonus beatusque sit.*
D. Augu.

En quomodò labor, & opus in Paradiso voluptatis, non defatigationis, & afflictionis, sed exhilarationis, & iubilationis; Nam cùm solus, tunc esset Adam non à reprobis, non ab inimicis habebat Paradisum custodire, cum nulli essent, nec à bestijs, quæ in omnibus, & per omnia parebant homini, quæ igitur erat illa custodia à Deo mandata? vt operaretur, & custodiret illum: *Vt custodiret eundem Paradisum ipse sibi*, inquit S. Augustinus, *ne aliquid admitteret, quare indè mereretur expelli in illo voluptatis*, & deliciarum loco speciem suscepit Adam defatigationis, & laboris, vt accepta dona diuina seruaret, & conseruaret seipsum in statu suæ innocentiæ, & in Dei familiaritate, & gratia.
D. Augu.

Ad hoc fuit homo positus in Paradiso sub illa conditione, vt operaretur, & custodiret; ille enim labor non erat onerosus; non erat opus fatigationis, quia tunc homo nulli labori erat obnoxius, sed honestus, & delectabilis: erat labor benedictionis, & laudis, vt ex acceptis beneficijs sollicitè, & continuò Deo gratias ageret, & rependeret, inquit Rupertus Abbas in Ioan. lib. 6. *Quòd dictum*, ait ipse, *vt operaretur, & custodiret illum, hoc esse intelligere debemus, vt creatori suo in laude, & gratiarum actione fidelem animum gereret.* Rup. Ab.

Et ex deductis clarè patet: quòd & ipse Adam, & quilibet Sanctus, vt seruet seipsum in gratia Dei, in bonitate, & sanctitate non debet expers esse laboris, vnde verba illa, vt operaretur, & custodiret, si referantur ad Deum, erit sensus, vt operaretur Deus hominem sua gratia, suisque beneficijs perficiendo, & sanctificando, & firmando illum in sanctitate, & gratia, & custodiret, scilicèt seruando eum in terrestri Paradiso, donec esset ad cęlestè gloriã transferẽdus.

Si verò transferantur ad hominem, erit sensus, vt operaretur homo non ad victum cum labore, sibi comparandum, sed ad exercitium honestum, & iucundum, & custodiret per obedientiam, & iustitiam, ne peccando amitteret, quòd gratis desuper acceperat à Deo; quoniam Deus, qui creauit hominem, vt esset homo, ipse custodit, & operatur, vt bonus sit iustus, Sanctus, & Beatus.

Si tot, & talia operatur Deus in homine, quid in Maria, quæ ab exordio suę creationis nacta erat gratiam innocentię, & posita in statu primi hominis, ipsa enim est, quam veluti Adam tulit Deus de paterna domo, & posuit in templo Dei, tamquam in Paradiso voluptatis, & iam constituta in domo Domini Dei sui, licèt esset locus deliciarum Dei, considerauit nihilominus firmitas domus suæ, & ne panem otiosa comederet, misit manum suam ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum, vt in sua puritate; & innocentia firma, immobilisque consisteret, & à culmine sanctitatis, & perfectionis virtutum, & iustitiæ tuta persisteret honestos labores subijt; ità vt Maria magis videretur suscepisse laborandi officium ad exercitium, vt à se funditus abdicaret otiositatem; quàm vt necessitatem sublauaret.

Vir-

Virginis opus in domo Domini, & labor in templo Dei non erat fatigationis,& afflictionis,sed solatij,& consolationis ad custodiam, donec vel Deus ad maternitatis Dei eam eleuaret,vel à terrestri sæculo ad cælestem gloriam translataret: erant manuum suarum exercitia ad custodiam, & ipsa vallabant infantulam, quasi fortissimus custodum exercitus. Huius veritatis præcessit figura in lectulo Salomonis, de quo legimus in Canticis cap. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.*

Cant.

Si quæris, quis sit ille lectulus Salomonis,sic respondet tibi pijssimus Riccardus lib. 10. de laud. Virginis: *Lectulus Salomonis veri pacifici B.Virgo dicitur, in qua deitatis inclinato capite Dei filius requieuit velut in lectulo: in hoc lectulo Patris Dei Verbum requiem inuenit sibi*: sed quis bellatorum fortissima acies, quoniam circa Virginem armatus miles vnquam visus est,nec vnus quidem: at quum de ea duo legimus, quòd in domo Domini fuit operatrix acerrima omnium virtutum,& præcincta militum copia sexaginta; dùm operatur videbatur præcincta operibus, ac si esset stipata fortissimis militibus: vnaqueque opera erat Mariæ pro milite ad sui ipsius defensionem, & custodiam. Audiamus Cardinalem Alanum Virginis deuotissimum, qui ad hoc respiciens, dixit: *Per hoc fortes intelligitur bonorum operum vniuersitas, quæ sunt fortia contra Dęmones,& vitia; per sexaginta, perfectissima opera exprimuntur,quæ vndique beatissimam Virginem munierunt sui exercitatione, & intentione,quæ per fortes Israel figurantur*, quia semper Virgo Maria meliora, & fortiora opera habuit,quæ ad sui custodiam deputauit: opera namque virtutum erant in Virgine pro fortissimis militibus, quibus se custodiuit, & quibus,quando misit manum suam ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum:ne panem otiosa comederet in domo Domini Dei sui operata est consilio manuum suarum, excolendo animæ suæ Paradisum, & sui corporis hortiolum puritatis,& sic se custodiuit,& in se dona Dei, & suæ electionis locum, donec de terrestri Paradiso ad celestem transferret eam Deus;& quidquid operata est Maria in domo domini,quid est ò anima mea,nisi doctrina, & instructio qua, quid tibi faciendum est præmonstrauit.

Riccar.

Cardin. Alanus.

De sæculo nequam transtulit te Dominus in domum suam, quæ quidem Paradisus est teste Diuo Petro Damiano,qui in opusculo 52 cap.26.sic habet: *Monasterium vestrum, dilectissimi, quidam Paradisus est,& sub Dei vmbra,& Virginis patrocinio viuit;quicunque in eo viuit, & degit; non sit, qui hoc reuocat in dubium pro comperto habetur ab omnibus, quòd omnes Religiosi ad cumulum tùm solatij, tùm vtilitatis, hoc consecuti sunt,vt sint in tutela Beatissimę Virginis* Mariæ,eiusq; tamquam vmbra recreentur,& eius præsidijs muniuntur. Maria enim Religiosos singulari patrocinio fouet,& protectionis suæ alas super eos expandit, eos obumbrat, & tuetur, & qui sub eius alas confugerit,nihil vltra erit ei timendum: ad hæc flexit pijssimus Guarricus Ignacensis serm. 1. de Assumptione B.Mariæ,*Et nunc*, inquit ipse,*siquidem habitamus in adiutorio maris altissimi,in protectione ipsius commoramur,tamquam sub vmbra alarum eius, & postmodum in consorsio gloriæ ipsius, tamquam in sinu ipsius confouebimur.*

D.Petrus Damian.

Guarric. Ignacen.

At non securum se putet, qui tantò patrocinio gaudet,non securum se existimet, qui in Paradiso suæ Religionis, cuius est vmbra Maria, si otio torpet,si non operatur consilio manuum suarum si non mittit manum ad fortia, & digiti eius non apprehendent fusum: huius salus in tuto non est,sed necesse est, vt modicam lanam, vel linum in longum producat filum, atque in telæ extendat latitudinem, vt domesticos suos possit vestire duplicibus, & securum se custodire in Paradiso, in quo, quia non est immunis à lapsu, immunis haud debet esse à timore, & tremore,vt accinit D.Innocentius serm. 1. Dominicæ primæ Quadragesimæ: *Non sit monacus securus in Claustro: non sit Eremita securus in solitudine, quia tentatus est Adam in Paradiso, & Iesus in deserto*: absque labore certè sciat Religiosus ei non esse securitatem in Paradiso suæ Religionis; vt scitè annuit D.Bernard. in serm. de ligno, fęno & stipula: *Nusque est securitas*.inquit Sanctus, *neque in cœlo,neq; in Paradiso,multò minus in mundo;in cœlo cecidit Angelus sub præsentia deitatis, Adam in Paradiso voluptatis*,

D. Innocentius.

D. Bern.

Iudas de schola Saluatoris; *hæc idcircò dixerim, ne quis sibi de loco isto blandiatur, quia dicitur, locus iste Sanctus est, quia non locus homines, sed homines locum sanctificant*: hæc ille. At locum ille tantummodò sanctificat, qui non torpet, nec otio vacat, sed manum mittit ad fortia, & digitos confert, & adiungit ad fusum.

Plasmauerat Dominus Deus in campo Damasceno primum hominem de limo terræ: & vt donis supercelestibus absolueret animam eius, sicut perfecerat corpus perfectissimis organis, transtulit de loco suæ formationis, & posuit eum in loco voluptatis, & in Paradiso omnium deliciarum; sic enim habet sacer textus: *tulit Dominus hominem, & posuit in Paradiso voluptatis*, & non alio vehiculo transtulit, nisi manibus proprijs, quasi mater amabilis asportauit eum, & posuit, & amenitatis loci illius constituit hæredem, & possessorem bonorum omnium: sub illa legali conditione, & pacto ne esset in otio, sed operaretur, & custodiret illum; nam parum quidem erat operari: nisi & custodisset, & custodia minus integra, nisi cultura adhiberetur, & labor, & laboriosa illa operatio non erat ad victum sibi comparandum, vt accidit post peccatum, & præcepti transgressionem, sed ad virtutis exercitium, & ad delectationis exercitationem. Locus ille deliciarum datus est primo homini, vt operaretur delectabiliter, & custodiret fideliter, sibi & posteris; at ille otio victus torpori vacans, ac si voluptatis Paradisum otiandi causa, & non operandi contulisset illi Deus: socordia nimia torpescens fuit emissus è Paradiso: Cur hoc? Respondit D. Bernardus in serm. de declamationibus *Terribilis enim Deus in iudicijs super filios hominum: neque enim ad hoc nos de Paradiso voluptatis animaduersio diuina eiecisse videtur, vt alterum, sibi hunc Paradisum adinuentio humana pararet*: homo ad labore natus, si laborem refugit, non facit, ad quòd natus est, & ad quòd venit in mundum. Labori addictus erat homo cunctis diebus vitæ suæ, etiam in statu innocentiæ; sed quando effrenata manu tulit de ligno, & comedit fructus, cuius esus præcepto prohibitus erat ei: Heù lacrymabilis casus, labor, qui antè culpam erat, sine labore, sine passione, factus est ei grauis nimis, fatigationis multus, & molestus: infelix homo renuit laborare, & operari cum delectatione, nunc cogitur operari cum sudore.

Genes. cap. 2.

D. Bern.

Positus est in Paradiso, vt haberet actionem sine passione, & meditationem sine labore, quòd si labori, & non otio se dedisset, non cecidisset: Et quidem, & si stetisset, promouendus erat, ità vt sola, & dulcissima semper frueretur meditatione, & dum torpuit operari in Paradiso delectabiliter, iam foras eiectus coarctatur operari terram, de qua sumptus est lachymabiliter; sic dictum est ei: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* quando emisit eum de Paradiso: Verbum hoc emisit, iuxtà, quæ annotauit Moyses Barcephas lib. 1. de Paradiso, sonat asperitatem, furorem, & opprobrium, supra memoratum est, inquit ipse, *Dominum accepisse Adamum, atque in Paradisum misisse, hi verò emisisse enarrantur extrà Paradisum, quasi dicat, eum quodam cum impetu ab se propulisse, ac eliminasse, neque comitatum esse abeuntem*.

Genes. cap. 3.

Moyses Barcephas.

Quid lacrymabilius: stetit Deus ad ostium Paradisi, & hominem emisit foras damnatum perpetuo exilio, & labori: Deus in gloria suæ maiestatis, & homo in exilio suæ miseriæ, & pœnalitatis, sui sudoris, & suarum ærumnarum, vt addiscas, & tu anima mea otio non vacare in domo Domini Dei; tui qui & si manum suam benignitate, & clementia plenam extendere valuit, quando tulit te, & posuit in Paradiso Religionis, tàm sanctæ, habet, & eandem plenam, & iustitia, et iudicio, quo potest ab se propulsare cum impetu, & eliminare è Paradiso. Si ad exemplum Virginis non extendas manus tuas ad fortia, et digitos non apponis ad fusum, si è colo non ducis filum ad fusum, quia nemo securis in domo Domini, nisi ille, qui operatur, & custodit iuxtà Domini mandatum.

Huius veritatis, et doctrinæ, fit tibi, ò anima mea huius infantulæ vitæ ratio, et exemplum, quæ in Paradiso domus Domini animam suam semper sacris insistendo, et inuigilando muniuit meditationibus, corpusque quoque suum, quasi puritatis hortulum cęlestibus cõsitum floribus, non alio ligone satis excoluit, nisi vitæ actiuę, ac contẽplatiuæ; ambæ hæ namque in Virgine viæ, et tem-

plum

plum Dei, dùm coleret, et vsque ad exitum incolatus sui, quoad vixit in terris, semper exterunt inter se coniunctissimæ, et vnitæ simul; quòd sicut Diu. Petrus Damianus asserit in serm. de Natiuitate Virginis: *actio non minueret contemplationem: nec contemplatio, vnquam desereret actionem, erga filium*: Cui sedula ministrando, & eiusdem dulcitèr contemplando naturam essentiam, diuinitatem, maiestatem, æqualitatem, quam haber ad patrem in gloria: licet enim illæ itineribus disperatis incederent in alijs, in Maria verò, quia ad vnum tantummodò Deum enixè tendebant, cohærentes inter se, ita dispositę erant, & vnitæ, vt vna alteram non præperiret, nec altera retardaret illam vnam. D. Dam.

Quoniam, & si actiua in ministrando parabat in pectore virginali sollicitum cursum, & curam illam indefexam: contemplatiua, verò in fruendo, & delician do immittebat gaudium sempiternum, quòd vtique non auferetur ab ea in æternum: quoniam ità vacabat somno suæ dulcissimæ contemplationis, vt etiam sollicitè, laboriosèque absque tamen defatigatione, vel membrorum relaxatione studeret administrationum operibus, & præbendo Christo, & ministrando, vt Martha necessaria vitæ, simul, & in eodem actu cum Maria sedebat secus pedes Domini audiendo, & intelligendo verbum illins.

Hoc est, quòd nobis voluit astruere ipsamet mater, & Virgo, ad filium loquens, quando dixit in Canticis cap. 8. *Apprendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum*: Vinum hoc conditum illud vtique non erat, quòd veteres vocitabant vinum myrrhatum, quia non erat conditum seù confectum ex herba illa quæ vulgò myrrha dicitur: hæc enim cum sit amarissima, & quidem, poculum non dulce, non gustui delectabile, sed amarum redderet, & præberet, sed erat vinum conditum ex quodam lapide, qui reperitur, & nascitur in oriente, præcipuè tamen in illa Regione seù Prouincia quam Parthi incolunt, & inhabitant; ex hoc lapide elaborantur, & conficiuntur vasa quædam, quæ eo sunt pretiosiora quò lapis est discolor, & suauissimi odoris: hinc Cant.

vina in hisce infusa, & condita vasculis, tum ex odore lapidis, tum ex alijs admixtis aromatibus, vina ad bibendū erant suauissima, & dicebantur vina condita, quæ & delectabilia, odorifera, & dulciora gustui efficiebantur, cum hac tamen obseruatione, vt in vasculis illis lapideis non infunderetur merum ebulliens, & adhuc exiliens in fæcibus, sed vinum defæcatum, vinum clarum, vinum quietum, non mustum feruens, ne feruore suo corrumperet odorem, & fæcibus confunderet seù conturbaret colorem.

Aliud vini genus erat, quòd Maria præparabat vt deseruiret, & ministraret filio, & propinare vehementer peroptabat, erat mustum malorum granatorū, quòd quidem genus vini delectabilius est, quando est nouum recens, feruens, & ebulliens, quam quando post longum tempus ab omni impuritate purgatum, & defecatum quiescit, & quietè dormit.

Quid est, ò anima mea, Mariam præbere filio poculum nunc ex vino condito, nunc ex musto malorum granatorum, nisi vt capias: Mariam nunquam obdormiuisse in vita contemplatiua, neque ad modicum quin frueretur Dei præsentia, neque in illa vitam otiasse actiuam, quin ministraret filio, & inseruiret illi, cui sine intermissione vbi præbebat poculum laudis, diuersis conditū speciebus, & assiduis confectum contemplationibus ac supernis allocutionibus, vinum conditum, vinum aromaticum redolens pigmenta fragantia: hic intelligimus illam cordis Virginis feruentem deuotionem, ignitam affectionem, & mentis in Deum sursum eleuationem, & nunquam interruptam suspensionem: mustum verò malorum granatorum charitatis feruorem, & illud dilectionis incendium, quo sub quibuscunque defatigationibus, pressuris, atq; passionibus laborabat Virgo sollicitè ministrando filio, & illi inseruiendo, quem sic ardenter amabat: Et sic erat illa addicta labori in vita actiua, sic quoque consecrata contemplationi in vita contemplatiua, vt nullo tempore fuerit vtriusque vitæ vel destituta, vel spoliata pomis, semper aliquid boni operans; hinc dicere solebat D. Odilio ser. de B. Virgine. *Vnum pro certò scimus, quòd omnis Maria actio semper fuit in-* D.Odil

tensa in Domino, ad quē vt eleuaretur, siuè operando, siuè meditando semper aliquid operabatur ad illius gloriam, & seruitium; vt nec minimum quidem temporis passa sit effluere vacuum: Sed & laborando, & contemplando semper sursum ad Deum ascendebat, sic rapta amoris penna, vt verius de Virgine possimus affirmare, quòd S. Bernard. scripsit in serm. 1. Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli. *Leuait se Mariam super se, quia non respexit ad se, sed ad illum qui est super se.*

S Bern.

Vndè factum est, vt ita Virgo vacaret contemplationi, quòd non deerat quæ filij sui erant ad sustentationem necessaria, cui sic ministrabat manualibus occupata operibus, vt non interrūperet, nec per instans actum contemplationis; ita, quòd si quando illum recepit hospitio, vt Martha, & duxit in cubiculum genitricis suæ, & pannis inuoluebat, & strictis ligabat fascijs, sedēs vt Maria secus pedes Domini, intelligebat, quòd ille erat, qui cœlum operit nubibus; & qui cœlum extendit sicut pellem: Si vt Martha laborabat, vt illum suarum pasceret, aleretque lacte mammarum; En vt Maria eleuata penna cōtemplationis capiebat, quòd ille erat, qui dat escam omni carni, & per quem nec ales esurit: si vt Martha, laboriosa inter cognatos, & notos: si lacrymosa vt Martha quærebat filium perditum, sedens verò vt Maria: mentis oculo illū intuebatur inter Patrem, et Spiritum sanctum, intelligendo eius diuinitatem, et Maiestatem, qua coæqualis, et consubstantialis est Patri: si vt Martha oppressa lacrymis, defexis laboribus tenebatur iuxtà Crucem, vt Maria obdormiens somno suauissimo suæ contemplationis, vt Deum, quem agnoscebat, adorabat, amplexabatur, & fruebatur: si vt Martha vixit in labore, & ærumna in vita actiua, vt contemplatiua Maria sedens secus pedes Domini in pace deliciabatur, & iucundabatur in quiete, qua nunc perfectè fruitur æterna: Si vt Martha sub sarcina laborum, passionū, ac feruentium pœnalitatum laborans, vt filio præberet mustum malorum granatorum, quorum purpurabat sanguine, & rubore, vt Maria: offerens illi poculum ex vino condito suarum contemplationum candidata candore lucis æternæ delicijs delectabatur, quia sic hę duæ vitæ erant dispositæ in Maria, vt vna non obstaret alteri, nec altera vni; sic igitur occupata operibus, sic diuinis illustrata contemplationibus, vt veluti duabus alis sursum eleuaretur in Deum.

Sub huius vmbra collige te ramusculi; quoniam et te transtulit Deus de hoc sæculo nequam, imitare Mariam, ne & tu in domo Domini panem comedas otiosa: sit manus parata ad opus sint cor, & lingua velocia ad benedicendum nomen sanctum eius, dic ergo, Benedictum sit nomen tuum in æternū ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei; te precor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE
EXERCITIO, ET STVDIO
Sacræ Scripturæ.

RAMVSCVLVS VIGESIMVS TERTIVS;

Vbi non est scientia, anima non est bonum.
Prouerb.cap. 19. n. 2.



O Nouitatum omnium mundi huius nonum prodigium: ò digna Dei mater,& sponsa; tu sola mea infantula Maria, & quid boni à te vnquam abesse potuit? vel quid boni in te nequiuit inesse? quę semper plena fuisti omni bono? & vbi ò anima mea in Virgine hac, quæ Spiritum sanctum habuit in Doctorem, & à quo diuinorū mysteriorum nunc per infusionem, nūc per reuelationem accepit cognitionem, & ipsamet dona scientiæ, sapientiæ, & intellectus, ignorantiæ nebula,& caligo? Si ante filij Dei incarnationem, vt Cedran. D. Greg. Nicom. D. Bern. refert Cedranus in compendio historiæ,& docent nos D.Gregor. Nicomediensis hom.de oblatione Virginis, & D.Bernardus hom.4. super missus est, habuit in multis Gabrielem Archangelum in præceptorem: vbi in Maria inscientiæ vmbra, & tenebræ? si ab ipsamet Dei Patris sapientia, quam nube carnis amictam gestabat in ventre, fuit ipsa instructa,& edocta: cur in hac infantula ignorantiæ nubila, & imperfectio? & non rerum omnium supercęlestium consumata scientia, & perfecta D. Aug. sapientia? attende D. Augustinum ser. 5.de Natiuitate ipsam Virginem sic alloquentem: *Rerole Maria propheticam lectionem, neque enim te potest scientia diuinorum præterire librorum, quæ ipsam plenitudinem paritura es Prophetarum:* D.Ansel. ex quo satis doctè D. Anselmus in Lucam cap.10.hanc deducit conclusionē: Paul.Ap. *Christus*,vt dicit Apostolus 1. Corinth. cap. 1.& ad Colossens.cap.2.*est Dei virtus, & Dei sapientia,& in eo sunt omnes thesauri Sapientiæ,& scientiæ Dei, & Christus est in Maria,ergo omnes thesauri sapientiæ,& scientiæ Dei sunt in Maria.*

Quid mirum si præcipuum huius Virginis,& singulare exercitium in domo Domini,& frequens illius maxima cum attentione quotidiana occupatio erat studium,& lectio Sacrę Scripturæ; itaque à mane,vsque ad tertiam,vbi insistebat orationibus,& meditationibus: à Tertia verò, vsque ad Nonam,legis Dei sedula vacabat lectioni,vt de ea dicat Origenes hom.6.in Lucam:*habebat* Origen. *Maria legis scientiam, & Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat.*

Intellexit enim hæc sacra infantula, quòd vbi non est scientia animæ,non est bonum; nimirum nihil solidi,& perfecti boni inest illi animæ,quæ scientia, rerum cognitione, sapientia caret & prudentia. Vt omni bono semper esset repleta Maria scientiam,& Sacræ Scripturæ doctrinam sibi elegit in totius vitæ suæ spiritualis ædificij fundamentū. Cum scientia sola sit mater, & ductrix bonorum omnium: & reuera Virgini nostrę soli dicere licuit: *Venerunt mihi* Sap.c.7. *omnia bona pariter cum illa,quoniam bonorum omnium mater est.*

Anima mea ò si eam legentem vidisses,& lectioni vacantem, quam deuotè legebat,quàm assiduè studebat,quàm subtiliter speculabatur vaticinia prophetarum, & quàm attentè scrutabatur,rimabatur,remandabat, & meditabatur diuina illa arcana: ò quoties extra seipsam tota in Deum absorpta suspendebatur assiduè audiens quid in illis ei loquebatur Deus,& cuncta conferens in corde suo: en quanto bono, quantaue gratia,scientia,sapientia, & luce cęlesti replebatur, tanta, quòd & sa-

sapientia increata me ruerit repleri.

Si ob suæ scientiæ, & sapientiæ grauitatem, & subtilitatem, altitudinem, & magnitudinem omnibus præferendus est Apostolus Paulus in vas electionis à Deo electus vt sanctum nomen eius per prædicationis officium in vniuerso disseminaret orbi: vnde D. Dionysius Areopagita in lib. de diuinis nominibus cap. 7. appellat Solem communem Christianæ religionis, & sapientiæ abyssum, de quo sic scribit D. Chrysostom. hom. 4. de laud. Pauli: *Paulus*, inquit, *Archetypus bonorum; cui omnem prædicationem, vniuersi orbis mysteria cuncta, vniuersamque dispensationem Deus concessit, ipse Cœlum Solem habens iustitiæ, ipse mare sapientiæ purissimum, & profundissimum. Paulus*, inquit D. Hieronymus epist. 01. ad Pammachium, *vas electionis, tuba Euangelij, rugitus Leonis nostri, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium retro generationibus ignoratum, & profundum diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, magis miratur, quam loquitur, quem quotiescunque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua.*

D. Dion.

D. Chrys.

D. Hier.

Et quid Maria diuinæ sapientiæ mater? quæ etiam in hoc suæ infantiæ tempore vsum habuit sui liberi arbitrij circa res diuinas, cœlestiales, & etiam naturales, quæ ad sui perfectionem, & ad sui status, dignitatis, muneris, & officij congruebant consumationem; ijs tantum exceptis, quæ corpori passibili, & mortali repugnabant, fuit à Deo mirabiliter edocta in omnibus; & sic factum est, quòd B. Virgo à tenera ætate didicerit sanctam linguam, & quamdiù vixit in templo lectioni Sacræ Scripturæ, & meditationi diu, noctuque cunctis horis incubuit, & operam dedit, vt repleretur omni bono prius repleta est omni sapientia, omni scientia, omnique prudentia, sapientia, vt caperet, & cognosceret æterna, & intellectualia, scientia, vt intelligeret naturalia, & rationabilia, prudentia, vt dirigeretur in agilibus, & humanis, sapientia, illuminata est ad cognitionem sempiternæ veritatis, scientia, ad morum, & actuum suorum compositionem, & prudentia ad tui instructionem, & doctrinam, vt repleres & tu omni bono, & summo illo bono, & verè dicere posses.

Vbi non est scientia animæ, non est bonum. In Maria ideò omne bonum, quia plena erat omni sapientia illius summi boni; & si Virgo plena erat omni bono, & summo bono, & æterno bono, quid intellectus illius potuit vnquã inesse ignorantiæ, quæ in luce creata fuit, & vsum liberi arbitrij ab ipso sui eius exordio habuit irradiatum luce illa diuina: & si Deus Pater, qui fons est veri luminis Verbum de se, & ex se genitum, & quod est lumen de lumine mi- sit in mentem, & ipsius Virginis recludit in ventrem valdè fidelis: quando hæc diuina infantula non sapientissima si eum recludit in ventre, *in quo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei absconditi?* vndè iuxtà sui perdulcissimi nominis ethymologiam interpetratur à Diuo Hieronymo in lib. de nominibus Hebraicis in Exodum: *Illuminatrix, seu illuminata*, secundum D. Thomam opuscul. 8. *Conuenienter*, inquit, *vocatur Maria illuminata in se.* Quid est in se? exemplo dicam, quæ sè- tio, aer hic noster quum illustratur, & irradiatur à Sole, Solis luci, seu lumini non se opponit, cum sit ex sua natura translucidi, seu diaphani corporis, lucè illam in se retinens totus semper perlucidus est, apparet, & irradiat: Maria dum dicitur ab Angelico illuminata in se, hoc est, ac si diceret, Virgo hæc benedicta intus à Sole illo æterni luminis percussa, & illustrata, ac si esset diaphani corporis, luci illi non restitit, sed semper, & in omni statu fuit perlucida tota; & licèt vt viatrix vitam transigeret in terris, luce illa circumfusa, luce ipsa fruebatur æterna: ò miraculum, ò verè prodigium humanæ naturæ, & quid est quòd nesciat infantula Maria? quę intra se habebat, & intra sua viscera possidebat scientem omnia? *Extruxit in Virgine sibi domum sapientia illa diuina*, inquit D. Bernardus, *quæ mentem illius adeò repleuit, vt de plenitudine eius fœcundaretur & caro, & Virgo gratia singulari eandem sapientiam carne tectam pareret, quam prius mente pura conceperat.*

D. Hier.

D. Thom.

D. Bern.

O fœlix & millies Beata Maria, quæ non solum ingenij pollebat acumine, sed lectionibus vacando Sacræ Scripturæ dum in Doctorem habebat Spiritum sanctum, & in pedagogum orationem; tanta siquidem claritate eleuabatur ad Diuinorum arcanorum cognitionem, quòd dono intellectus agnoscebat lu-

men

men increatum non quidem per speciem, vt Beati in Patria, neque etiam per imaginem vt viatores iusti in via, sed per lumen increatum, quod erat vti lumen Solis coniungens visibile, & visum; in quo sic anima Virginis erat immersa vt absque vlla interpellatione eleuaretur in Deum, & ita fræquens, et ità feruens, et ità fixè, vt nulla vnquam inordinata affectio, seù distractio cordis, vel humana fragilitas mentem tantæ Virginis à diuinorum contemplatione mysteriorum supercœlestium prępediuit, vel reuocauit; nulla occupatio esterior, nullum negotium, desiderium nullum, nulla cogitatio, nulla leuis imaginatio, neç ipsamet humana instabilitas abstraxit, auertit, nec per momentum traduxit.

O Sapientiæ mater, ò Cherub sapientissimus, si nullum est bonum, vbi non est scientia animæ, doce me, lumine tuę sapientię illumina mentem serui tui, luce tuæ cognitionis, et scientiæ illustra faciem cordis mei, ne passim huc, illuc vagando oberrans, multis et noxijs fiat obnoxium desideriis: diuersetur tecum sub vmbra huius ramusculi recollige illud ò Virgo, ò sapientiæ domus, et tecum dirige illud ad Deum, vt et tecum simul addiscat Deum scire, Deum intelligere, Deum amare, Deo adhærere, Deo seruire, Deum inquirere, et Deū tecum inuenire: *Nam non est bonum, vbi non est scientia animæ*.

Tota erat hæc infantula in studio, & lectione Sacræ Scripturæ, cuius lumine adepta est diuinam sapientiam, & tanta scientiæ claritate repleta est, quòd eius rerum supercœlestium cognitio erat supra naturam, supra fidem, & supra omnem cognitionem puræ creaturæ existentis in via; nec mirum, dicente Domino Iesu: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matth. cap. 5. ex quibus verbis colligitur, quòd puritas cordis, animæ innocentia est quędā proxima dispositio ad videndum Deū benedictum in patria, & in præsenti vita ipsum agnoscere: si primordia huius Virginis priuilegio singulari fuerunt Dei gratia circumfusa, & ipsius intellectus singulari lumine illustratus à Deo; vt tota purissima absque vlla contradictione licèt nobis confiteri Mariam maiorem cognitionem, & de Deo, & de diuinis illis mysterijs clariorem, & puriorem, quam quamlibet aliam creaturam, habuisse scientiam, & noticiam. Audiamus de hoc quid dicat Diu. Bernardinus tract. de B. Virg. serm. 4. art. 1. cap. 4. *In prima sanctificatione quantum ad rationem, & intellectū, tanta ei sapientiæ claritas à Deo superfusa est, quòd perfectè intelligebat creaturas, & Creatorē, & spiritus, & omnia bona amplectenda, & mala fugienda*: & subdit D. Eusebius Emissenus serm. de Assumpt. Virginis. *Ipsa non solum humanitatem, sed etiam secundum Diuinitatem, & contemplari, & plus omnibus cognoscere meruit*.

Mat. Eu. — D. Bern. — Euseb.

Vt quæ dicimus, clariora fiant, velim scias tres illos actus quos D. Dionysius appellat purgari, illuminari, & perfici, & ascribit inferiori Ierarchiæ, qui actus sic disponuntur, practicantur, & diriguntur, vt ad purificationem immediatè sequatur illuminatio, ad illuminationem verò sequatur perfectio; & sicut maior perfectio exigit maiorem illuminationem, sic illuminatio exquirit maiorem purificationem: si Maria ab instanti sui esse fuit singulari, & maiori gratiæ lumine, non dico purificata; sed præseruata; quòd nulli puræ creaturæ datum est: quid miraris? si supra omnem aliam creaturam vides eam maiori luce, clariori splendore, et puriore sapientiæ radio illuminatam, purificatam, et perfectionatam, et in perscrutādis diuinis mysterijs, Prophętarum oraculis, et Sacræ Scripturę sacramentis; altiorem, et clariorem habuisse de Deo cognitionem, et in via sublimiorem obtinuisse notitiam et scientiam de imperscrutabili Sanctissimæ Trinitatis arcano, de ineffabili mysterio Incarnationis filij Dei: insuper et per specialem reuelationem cognouisse suæ dignitatis altitudinem, suæ gloriæ sublimitatem, et suæ prædestinationis certitudinem; quòd nec Adam in illo sopore, et extasi, nec D. Paulus in suo raptu ad tertium Cœlum, nec Ioannes Euangelista in suis reuelationibus: imò nec Angeli ità clarè lumine fidei in eorum creatione vt hæc nostra Sacratissima infantula de qua sic scribit D. Anselmus in lib. de excellentia Virginis cap. 7. *Accepisse Virginem ea hora, qua filium concepit suę prædestinationis, & super omnes Choros Angelorum exaltationis, atque indubitatam reuelationem*.

D. Dion. — D. Ansel.

Cognitio autem, et scientia, quam An-

Angeli habuerunt de Deo, nostra fuit altior, clarior, & purior, & ex eo, quia ipsi magis de propinquo accedebant ad Deum, & sic de diuinis effectibus, & de mysterijs illis supercœlestibus, plura quam nos possumus: poterant illi, & magis manifestè cognoscere; quia in eis non erat fides, qua quæreretur ab eis Deus absens, quemadmodum quæritur à nobis: erat in illis Deus magis præsens per lumen sapientiæ, scientiæ, & cognitionis, quàm sit in nobis; vnde lux reuelatæ veritatis, quam illi spiritus cœlorum habebant de Deo, nostra erat purior, & clarior, & species veritatis occultæ, & mysteriorum supercœlestium manifestationes, quibus ipsi obrixè credebant, & confitebantur, non erant de visis, nec de auditis, sed de infusis, & per specialem Dei gratiam specialiter Auge is apertis, & manifestatis.

Hæc si largitus est Deus ipsis Angelis, qui gloriam in illo instanti nacti consecuti erant, quantò magis, ac magis congruebat præstare matri, quæ in ipsa gloria, & hominum, & Angelorum vt Regina erat lauteanda: si hæc operatus est in primo homine; ex eo quia tantum futurus erat Pater totius humanæ generationis, quam pulchrè, quã aptè, quàm magis decebat, vt conferret Mariæ, quæ futura erat mater ipsiusmet Dei, qui dignitatis gradus secum trahebat omne bonum, et illud bonum, quòd est summum bonum; quo si plenam intueris, et confiteris Mariã, quid sapientiæ, quid gratię quid lucis, quid splendoris, quid verè cognitionis, et intelligentiæ illi deesse potuit, si plena fuit illo bono, quòd est Deus.

Si Deus Pater in ventrem, et in Virginis mentem dedit Verbum suum quid potuit de diuinis arcanis Virgini illi celare, et non aperire. Audiamus Virginem ipsam quid de hac suę sapientiæ, et cognitionis plenitudine dicat in Canticis cap. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam & ordinauit in me charitatem*; quæ verba Rupertus Abb. de Virgine interpretatur: *Quæ sunt ista cellaria Regis Dei? nisi Sacra mysteria; nihil enim Rex Cœli, & terræ à me abscondit, sed omni dulcedine sua me inebriauit, qui enim Verbum suum, quod est in corde suo mihi totum infudit, quomodo nõ etiam cum illo mihi omnia donauit.* Sic

Cant.
Rup. Ab.

exclamasse Mariam fatetur Rupertus Abbas, quando se ad internam suauitatem spiritualis intelligentiæ vidit introductam à suo sponso, qui est Spiritus Sanctus, & vino suæ sapientiæ, cognitionis, & intelligentiæ poculo quadruplici eam inebriauit: hoc est sensu historico, tropologico, allegorico, & anagogico; at qua mensura indiuinorum mysteriorum cognitione eam repletam inebriauerit? Supra omnes, in hoc sensu intelligenda sunt verba illa *Ordinauit in me charitatem*.

Et qui charitatis ordo in Maria? Nisi ipse amoris ordo; & ordo amoris est, vt primo præcedat cognitio amabilis, vt iam sic cognitum, quæratur; nam voluntas, eo motu, eoq; gressu, & quibus passibus potentia cognitiua seu intellectus mouetur ad cognitionem amabilis, mouetur, & illa ad amorem, cum nihil sit volitum quod primo non fuerit præcognitum: altitudo ergo amoris oritur ab excellentia, & altitudine cognitionis, ex qua nascitur motus, & feruor voluntatis.

Si Deus amor in Virgine amoris ordinem: quem expostulat ipsa charitas seruauit, & custodiuit, & Virginis amor erga Deum fuit immensus, fuit intentus, fuit præstans, & excellens inquit D. Anselmus in lib. de excellentia Virginis cap. 4. *Superat omnium rerum creatarum amores, & dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in filium suũ*, & dulcedinis immensitas qua exultabat: & liquefiebat anima eius in eundẽ Dominum Deum suum: huic amoris magnitudini meritò præcessit cognitio, & intellectus operatio, qua ascẽdit ad amabilem, & vnita amanti, & amato non tamen in omni cętu virtutum, & perfectionum eam constituit, & sublimauit, sed ita ordinauit in ea charitatis ordinem, vt verè esset ipsamet charitas, quo honore, & nomine coronauit; & condecorauit eam Sponsus Deus in Canticis cap. 3. quando dixit fidalibus suæ sponsæ. *Ne suscitetis neq; euigilare faciatis dilectam, seu dilectionem*, vt legit lectio hebræa.

D. Ansel.
Cant.

Si Maria vi suæ dilectionis Amanti, & amato fuit vnita, & in ipsum transformata quando fuit introducta in cellam vinariam, & ibi inebriata vino dilectionis, & cognitionis Dei; si creaturis omnibus se le Virgo præstitit amore, &

re, & dilectione, præstitit, & omnibus sapientia, & cognitione amabilis Dei amantis, & amati.

Intuere infantulam Mariam in hac cellula potata vino sapientiæ, & inebriata potibus dilectionis, primus est in intellectu hoc est in luminis cognitione, & alter in affectu, & feruore amoris, & dilectionis, & contemplare si vales cellulas Virginis intellectus, & repletas inuenies clarissimo lumine sapientiæ, & cognitionis: in ea est sapientia cognitiua, meditatiua, contemplatiua, prophætatiua, raptiua, seù extatica, & expectatiua manifestæ visionis.

Prima est cognitiua, quæ habet respectum ad creaturas in quantum sunt signa, & viam aperiunt nobis, quà ad Dei cognitionem ducimur, & ascendere possumus. Secunda habet etiam respectum ad creaturas in quantum sunt ordinatæ ad nostræ salutis eruditionem, dum in ipsis legimus quid à nobis sit faciendum, & à quibus declinandum. Tertia contemplatiua, quæ habet respectum ad mundi creationem, qua eruditur anima de Dei sapientia, et de gubernatione vtriusque Regni, nempè cœlestis, et terreni. Quarta est Prophætatiua, quæ habet respectum ad illuminationem, et reuelationem cœlestis consilij, et arcanorum Dei, qua et viri sancti cognoscunt seipsos Dei amicos, et familiares. Quinta extatica, et hæc habet respectum ad excessum, seù ad raptum mentis in Deum, et secretorum eius verè ineffabilium. Sexta dicitur expectatiua, et habet respectum ad Dei claram visionem, et perdulcem fruitionem bonorum omnium supercœlestium, et hoc tantum erit in Patria.

Qua sapientia sic repleta Virgo, et in Deum rapta, et transformata intuere si vales quomodo amabat, et quantum amabat, quantum diligebat, et quàm feruidè se eleuabat ad Deum amatum, et amantem; et si quid amatur, vt dignè ametur, non prius amatur, quam cognoscatur: qui charitatis ordo a Deo sponso seruatus in Virgine, quam et si sapientia doctrinæ lumine cognitionis claritate reddidit præstantiorem omnibus, et cæteris omnibus fecit eruditiorem. Huius veritatis testis est Diuus Bernardus in sermone de Beata Maria: *Ad turbas Deus locutus est in parabolis, & Apostolis omnia fecit nota vt amicos; quædam tamen credendum est præ cæteris matrem suam, quemadmodum dilexisse ita propensius erudisse, quædam & secretius intimasse*; et ex amoris pondere perpendè trutinatus est D. Bernardus in Virgine altitudinem sapientiæ, et cognitionis. D. Bern.

Et quum Virgo aliam vitam non profitebatur in templo Domini, nisi contemplatiuam tantum pro comperto haberi potest, quòd toto illo tempore ardentissimis desiderijs, et frequentissimis orationibus incarnationem filij Dei postulauerit, tanto maiori amore, merito, et efficacia, quam omnes superiores Sancti, atque prophætæ, quantò eos perfectione gratiæ, sapientiæ, et sanctitatis superabat. Contemplare legentem, et orationi, meditationi, contemplationi, et lectioni vacantem: intuere pro salute generis humani orantem, scripturas diuinas de aduentu filij Dei frequentissimè legentem, et videbis sapientiæ luce miro modo præfulgentem, dum quidquid de Verbi Dei incarnatione inueniebat in scripturis, has præ dulcedine amoris osculando amplexando, meditando, et contemplando peruoluebat in corde suo, et relegebat, et relegendo tanto replebatur lumine, vt meritò dicat Diu. Bernard. serm. de verbis Apocalypsis: *Mulier amicta Sole: iure Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimum diuinæ sapientiæ vltra quàm credi valeat, penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur luci illi inaccessibili videatur immersa*. D. Bern.

Et quàm immersa? attende, penetrauit abyssum, et quæ hæc abyssus, vt capias velim scias, quòd licèt sit solius Dei aliorum cognoscere cogitationes, et hominum corda penetralia intueri; nec hoc potest esse donum alterius creaturæ, nisi per reuelationem datum esset ei à Deo: Virgini verò nostræ infantulæ, non hominum omnium datum est agnoscere cogitationes, sed vltra quàm credi potest penetrauit abyssum illam pectoris filij Dei, et quod latebat omnes, Virginem non latebat, erat enim luci inaccessibili tota immersa.

Vocatus Iesus ad nuptias in Cana

Galileæ vocata fuit et mater Maria, et deficiente vino, dixit mater Iesu, efflagitans vinum à filio pro conuiuantibus: *Vinum non habent*, cui Christus: *Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea*: ita ne Deus tempori additus est, & veluti ligatus sit, nondum venit hora, quæ statim, & quasi post parui temporis momentum venit, vt petitioni matris, sic efflagitantis vini signum, obstare, opponere imò & quasi negare videatur: destitit ne tunc Virgo? non equidem; nouerat enim quid erat facturus Dominus Iesus, licèt aliter præmonstraret in verbis; idcircò conuersa ad ministros, dixit illis: *Quodcunque dixerit vobis facite*: Cur hoc nisi certa de miraculo, & de signo admirabili, quòd tunc filius facturus erat, & vndè illi spes certa, & certitudo itá indubitabilis? intellexit quidem Virgo filij loquentis tam verba, quàm animum, quo illa proferebat ideoque ministris dixit: *Quodcunq; dixerit vobis facite*: & vndè illi hæc intelligentia, vtique ex lumine scientiæ, cognitionis, & reuelationis qua vltra quam credi potest penetrauit abyssum cordis Dei, pectoris Dei, & Iesu filij sui in cuiùs corde nisi legisset, nisi vidisset, nisi clarè cognouisset filij cogitationes, & quòd facturus erat, non assertiuè præcepisset: *Quodcunque dixerit vobis facite*. Audi quid dicat pijssimus Eusebius Gallicanus in sermone Dominicæ primæ post natalem Domini, de hac re sic habet: *Filij sui cogitationes cognouisse ex eo intelligere possumus, quòd ad nuptias vocata, hoc, quòd ille facere disponebat, ipsa vt faceret admonebat, dicens vinum non habent cui cum ille responderet, quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea, ipsa futura prænoscens ait ministris, quodcunque dixerit vobis facite, hoc enim illa non dixisset si cogitationes eius non cognouisset.*

Ioa. Eu. cap. 2.

Euf. Gal.

Si Dei pectoris abyssum, sapientiæ, scientiæ, cognitionis, reuelationis lumine penetrauit, vt Dei cogitationes intelligeret, cur non hominum, cur non Angelorum? nihil Virginem latebat, cum esset omni scientia plena, & superplena nobis; trahe me ignorantem, vt reddas scientem: vt curram in odorem, & fragantiam virtutum tuarum; non te latet quidquid in pectore abscondit anima mea, nota tibi sunt desideria cordis mei, perfundantur tuæ sapientiæ lumine, vt discam te amare, te amplecti, & tua sequi vestigia, & illo, ò Maria, etiam repleri bono, quo te Deus repleuit diuinæ cognitionis munere, & altissimæ sapientiæ claritate, qua sicut te euexit ad rerum supercœlestium cognitionem; sic scientiæ dono te adduxit ad morum, & actuum tuorum compositionem.

Vbi non est scientia, non est bonum. Scientia cœlesti repleta nostra infancula ita repleuit se omni bono, & composuit in cunctis actibus, motibus, & moribus, vt esset norma virtutum. *Soli Deo vacans*, inquit D. Ambrosius lib. 2. *de Virginibus, forma virtutis effecta est*: animæ gressibus ingredere anima mea in templum Domini, & intuere infantulam Sanctarum Virginum collegio, & numero ascriptam, & Deo sacratam, quam tempestiuè in domo Domini Dei sui, igne illo diuinò, qui intra sui pectoris claustra feruidè ebulliebat, æternorum cæpit emicare desideriorum flammis, & splendore coruscare virtutum, & perfectionum omnium.

D. Amb.

Siquidem de ea scribitur in lib. de vita Virginis Diuo Hieronymo ascripto, quòd in vigilijs matutinis ipsa erat prima omnium, in ieiunijs nulla alia ea obseruantior, in oratione ea nulla magis assidua, in psalmodia ea nulla frequentior, in charitatis operibus nulla sollicitior, in contemplatione nulla feruentior, in pietate nulla flexibilior, in liberalitate nulla munificentior, in fide nulla stabilior, in spe nulla magis secura, in fiducia nulla certior in dilectione nulla ardentior, in humilitate omnium humillima, in innocentia nulla purior, in puritate nulla candidior, in omni genere gratiarum Maria sola plenissima, in rebus aduersis ea constatior nulla, in prosperis nulla fortior, in obedientia semper parata, & ea nulla promptior, in castitate nulla castior, in virginitate nulla hac virginior, in integritate mentis nulla mundior, in moribus nulla verecundior, in verbis nulla taciturnior, in laboribus semper indefexa, in gestibus modestissima, incessu grauis, aspectu delectabilis, præsentia venerabilis, silentij amica, in sodalitate deuota, in sensuum mortificatione exemplaris, & admirabilis, in perfectione consumata, in sanctitate singula-

D. Hie.

laris, temperata in cibis, & in potibus parca, in paupertate diues, in patientia inuincibilis, in solitudine hilaris, & lætabunda, & Deo soli vacans effecta est forma virtutis; *& cum esset solitudinis amica*, inquit D. Ambrosius lib. 2. de Virginibus, *tunc minus sola esse videbatur, cum sola esset*: nam quomodo sola? Cum tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ: viuebat in terris Maria, & magis versabatur in Cœlis. Audi non me, sed pijssimum Ioannem Thaulerium sermone de Natiuitate Mariæ, quæ digna vt sculpta habeantur in corde: *Cælestis huius, ac beatissimæ Virginis Mariæ cella fuit Cœlum, in quo cum vniuersis desiderijs suis tota inclusa fuit; Schola illius fuit æternitas; enimuerò à rebus temporalibus prorsus remota, & libera fuit: Pedagogus eius diuina veritas fuit; cuncta namque ipsius vita iuxtà hanc solam dirigebatur: liber eius conscientiæ ipsius fuit puritas, in qua nonnunquā non inueniebat, vnde delectaretur in Domino: Speculum illius diuinitas fuit, nullas namque imagines nisi in Deum transformatas, & Deum indutas in se recepit: ornatus eius, illius deuotio fuit, soli quippè vacabat homini, quies eius: vnitas ipsius cum Deo fuit, quandoquidem cordis illius locus; & thesaurus solus Deus erat.*

D. Amb.

Ioan. Thaul.

O anima mea, & vnde impurum? incompositum? & indecorum in Virgine, quæ in se tota composita, & in actibus, motibus, gressibus, verbis, & moribus rectissimè fuit semper ordinata? *Si homini*, vt docet Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 4. *idcircò data est sapientia, vt cognita bonorum malorumque natura, in appetendis bonis, & declinandis malis, vim suæ rationis exerceat*, nisi ergo essent mala, quæ caueret, quæ à bonis vilibusque distingueret non esset ei sapientia necessaria: Cur non Mariæ copiósius? quæ vt esset plena omni bono repleuit eam Deus sapientia ad cognitionem veritatis æternæ, repleuit, & scientia ad sui ipsius compositionem, & ad tui ipsius instructionem. Audi pijssimum Lodulphum de Saxonia de Natiuitate Virginis, sic habet, *Exercitium, & assidua Virginis occupatio, erat omni tempore contemplationi, aut orationi, aut lectioni, aut operationi vacare pro salute generis humani: sine intermissione orabat, scripturam de aduentu filij Dei frequenter legebat, & quidquid in scripturis de incarnatione Dei inueniebat, has osculando, & amplexando dulcitèr relegebat.*

Lactan. Firm.

Lodul. de Sax.

Et quidquid legebat ad tuam instructionem, & ad tui salutem, & eruditionem legebat: sic est mens Diui Bernardi, *Parabolas, Enigmata, legalia, & mirifica verba, gesta, dicta, facta, opera auidius ebibit, & sincerius, & luculentius alijs edidit.* O Maria quis vnquam te altiora, & ineffabilia penetrauit: quem vnquam suis mysterijs, suis arcanis, suisque donis, & gratijs: sic in suo pectore potauit Spiritus Sanctus, sicut te superabundè potauit, & super impleuit; ò magistra Euangelistarum, ò doctrix Apostolorum, ò fax fidelium, quis vnquam clarius, sincerius, luculentius, et dulcius te edocuit, et prædicauit? *O Mater sapientissima*, exclamat Eusebius Emissenus in sermone de Aurora, *& sola talis filij dignissima, quæ omnia verba hæc, in corde suo ideo conferebat, nobisque conseruabat, vt postea, ipsa docente, ipsa narrante, & annunciante, scriberentur, & in vniuerso mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nunciarentur.*

D. Bern.

Eusèb. Emiss.

Et mysteria illa omina filij Dei, quis aperuit Ioanni Euangelistę quis eum docuit, nisi Maria? teste Diuo Antonino 4. par. tit. 15. cap. 22. §. 9. cuius verba sunt hæc: *Virgo parauit viam Ioanni, portas aperuit, & reserauit arcana: quid si dixero, Virginem fuisse Ioannis doctricem, & per hanc diuinitatis notitiam habuerit, & peruenerit filius recommendatus Mariæ ad illud scire supremum: testimonio Christi facta est Maria mater Ioannis, & sicut interest matris docere filios, sic & filij audire matrem*; non publicè prædicauit Maria, vt mulieribus præberet exemplum, sed Ioannes, vt Mariæ filius, ab ea edoctus, verbum diuinum toti mundo disseminauit, scribendo, et prædicando.

D. Antoninus.

O si vidisses Mariam legentem, addiscentem, speculantem, rimantem: et sacræ scripturæ verba scrutantem. O si audisses eam loquentem, docentem, enarrantem, et dulciter instruentem, et clarius illuminantem corda audientium, quæ et lucis doctrina reddebat perlucida, et diuino amori ardentia: qua gratia loquebatur, quam eruditè instruebat, quam doctè docebat: quam dul-

Cant. dulcitèr promebat verba; Verè ò Maria vox tua dulcis, et doctrina tua suauis: vndè stupebant Cœli, admirabantur Angeli, et perterrefactus mundus totus pauidè tacendo loquebatur: *Mel, & lac sub lingua tua* ò Maria.

Lactis locus pectus est matris, hic generatur, hic seruatur, hic à paruulis sugitur: si omnium matrum est lac seruare in pectore, cur de Virgine sola legimus, quòd seruabat sub lingua, & in ore? cur hoc? nisi vt quam perfectè Maria matris fungatur officio tibi præmonstraretur.

Inter aues, & volatilia, & animalia terrestria, in alendis, seù educandis filijs, hæc versatur differentia, quòd cuncta terrestria, nudatis mammis, pectore lactant, & nutriunt catulos suos: volatilia verò, seù aues perquirentes escam filijs, quos alere curant materno affectu, illis valdè proportionatam, & ad rem maximè accomodatam, quam ore deferunt, & ore afferunt, ore porrigunt, ore ministrant, ore alunt, ore cibant, & enutriunt, & quasi ore lactare videntur.

O Maria, ò Virgo, ò verè mater dulcissima, verè mel & lac sub lingua tua; vnicum enim, & consubstantialem filium habuit vnigenitum, & primogenitum, & vt natura sibi filium pectore educauit, pectore fouit, & nutriuit, & sui pectoris lacte lactauit, Luc. Eu. vndè meritò ei dicitur: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.*

Nos autem Mariæ filij sumus, non natura, sed lege adoptionis; vndè ipsa ad nostram educationem, nutrimentum, nutritionem, & cibum, seù escam nostræ naturæ magis connaturalem, quasi auis Cœlestis nobis quæsiuit, sed quo labore? quo arte? quo sudore? quo via? & quibus modis? Audi attente, anima mea, & attende illam, primo de fonte diuini pectoris lac diuinorum arcanorum, mysteriorum, sacramentorum, parabolarum, enigmatum, verborum, secretorum, lac in quam diuinæ Scripturæ, cęlestis sapientiæ supercęlestium reuelationum, manifestationum, & illuminationum sugentem diuinitus ebibisse; quæ omnia intuere in corde suo conferentem, & nobis omnibus conseruantem in pectore illo Virginali: intuere dico nunc docentem, nunc instruentem, nunc nunciantem, quæ omnia lac erant in ore Virginis, quo veluti auis Cęlestis nutriebat corda audientium, & sic quando verba, & Sacræ Scripturæ mysteria Virgo loquebatur amoris dulcedine, & affabilitate erant labia eius velut fauus distillans, à cuius labijs stillabatur mel dulcissimum, hoc est secretum illud diuinæ sapientiæ, quo quasi lacte nos enutriuit, & educauit.

In schola huius Virginis, in qua ipsa magistra legit, & docet non multæ vigiliæ, non longa annorum spatia requiruntur, vt anima addiscat veritatis argumenta, & rerum diuinarum arcana: sit paruulus, sit ignarus, doctissimus euadit in scientia, & ad pugnam contra vitia redditur fortissimus. Recordare illorum infantium, qui sub Herode pro Christo in occisione gladii fuerunt, ne puer Iesus, qui quærebatur ad necem, occideretur, ipsi spontè vitam impii Regis furorem retundentes profuderunt, & sanguinem, de quorum nece sic habet Euangelista Matthæus cap. 2. *Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt*: In sinu Abrahæ quiescens hæc sancta mulier, puerorum infantium pro Christo occisorum sic flet necem, & mortem, quòd noluit consolari; eorum mors fuit coronata vita æterna, & laureata triumphali corona: cur tot lacrymis fusis flet, & plorat inconsolabilis? noluit consolari; quæ tantarum lacrymarum origo? & quæ causa sic inconsolabilis mæstitiæ, doloris? vtique *quia non sunt.* Mat. Eu.

Quid est non sunt? ac si diceret, non peruenerunt ad tantam gratiam, vt starent coram Rege, & sapientia, & doctrina illum confunderent, in sinu matrum suarum occubuerunt, paruuli, & imbelles; itant non auderent stare aduersus mundi Principes, & potestates; pretiosa eorum mors in conspectu Domini; quia pro Domino fuderunt sanguinem; sed eorum gloria gloriosior, & illustrior eorum triumphus, & palma victoriæ; si sapientia, si doctrina, si fortitudine dimicando, decertando vicissent, noluit consolari; quia non sunt edocti, non sunt instructi, & eruditi in schola matris Dei; non superuixerunt, vt à Virgine

gine erudirentur sapientia, & roborarentur fortitudine. Sic testatur pijssimus Eusebius Gallicanus in sermone de Sancta Blandina. *O Bethlehem in martyrum nostrorum titulis, tu numero fortasse præcedas, ego merito, in tuis interfectio fuit, confessio non fuit, in meis colluctatio passionis, in tuis sola fuit opportunitas, & occasio fœlicitatis: tu in sanguine paruulorum potuisti videre pereuntes, non potuisti spectare certantes*: hæc ille.

Eus. Gal.

Nam si certantes vincerent illustrior fuisset eorum palma, et corona; at quia non sunt in schola Virginis edocti, in qua dialectio non legitur, nec alia doctrina non docetur, nisi Christi; cuius doctrina licet paruuli, et eruditi, doctissimi subitò euaderunt, et fortissimi ad pugnam contra mundi rectores, potestates, et Principatus, vt patet in Apostolis, et sanctis martyribus; quoniam non est, quod sic vincat, et superet mundanam sapientiam, vt scientia, et doctrina, quæ ebibitur in schola Virginis, et est eadem, quæ Christi est; qui sub sinapis parabola nobis voluit hanc insinuare veritatem. *Simile est Regnum Cœlorum grano sinapis, quòd accipiens homo seminauit in agro suo, quòd minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit maius est omnibus oleribus, & fit arbor; ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.* Matthæus cap. 13. modus loquendi si attendatur aperit profunditatem mysterij: granum sinapis quando in terra absconditur minimum est omnibus seminibus, quando erigitur in arborem, maius est omnibus oleribus.

Mat. Eu.

Accuratè notandum est, quòd semina olerum dum iaciuntur in terram, in folia crescunt, & desinunt: sinapis semen, ex oleribus, solum crescit in arborem, & quòd in oleribus euanescit in folia, in sinape fit arbor, ità statura procera, vt volucres Cœli habitent, & requiescant in ramis eius: quid hic? per semina olerum in folia euanescentia? nisi humana, seu mundana sapientia, scientia, & doctrina hominum; & quid per semen sinapis, nisi sapientia Dei, nisi doctrina, & scientia Christi Iesu, quæ in schola Virginis legitur, & addiscitur, & docetur: mens est Diui Hieronymi in hæc verba: *Confer cœlestem doctrinam dogmatibus Philosophorum, & libris eorum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermonum, & videbis, quantò minor sit cæteris omnibus sementis Euangelij, sed illa cum creuerit, nibil mordax, nihil viuidum, nihil vitale demonstrat, sed totum flaccidum, marcidumque, & mollitum ebullit in olera, & in herbas, quæ citò arescunt, & corruunt; hæc autem prædicatio, quæ parua videtur in principio cum in anima credentis, vel in toto mundo sata fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arborem, vt volucres Cœli veniant, & habitent in eis.*

Si mundana sapientia, & hominum doctrina, vt semina olerum euanescit in folia, & exiccatur in fœnum, & desinit in nihilum: en schola veritatis, & cœlestis alimoniæ, in qua Christi doctrina edocetur, quæ veluti granum sinapis, si abscondes in corde tuo ad exemplum Virginis, quæ audiens omnia verba filij sui conferebat, conseruabatque in corde suo, crescit in arborem, & fructus perdulcissimos affert vitæ æternæ, cuius mysteria, cuius veritatis argumenta, & illarum rerum supercœlestium arcana si abscondit Deus à sapientibus, & tantummodo reuelat, & aperit ea paruulis.

O anima mea esto & tu malitia paruula, veritatis schola tibi aperta est, in qua magistra sapientiæ, & scientiæ Dei, se audientibus, se imitantibus suam doctrinam sequentibus reuelat. In schola hac non est ignarus, non est paruulus, qui satis non erudiatur, & non repleatur scientia, & omni bono: idoneus Virginis docentis auditor non est, qui vocem attendit, & delectatur, & non seruat ea, quæ audit, non imitatur tantæ magistræ virtutes, tantæ doctricis non sequitur vestigia; non est auara suæ scientiæ, dat omnibus affluenter, & non improperat: dic ergo illi: trahe me ignorantem, vt me reddas scientem, vt curram in odorem vnguentorum tuorum, hoc est in fragantiam sanctarum virtutum tuarum.

En ô anima mea te alloquitur Maria, te docendo legit, attende, quid doceat, tibi dicit: *Vbi non est scientia, non est bonum*, si vt decet lacte bonorum supercœle-

Cant. dulcitèr promebat verba; Verè ò Maria vox tua dulcis, et doctrina tua suauis: vndè stupebant Cœli, admirabantur Angeli, et perterrefactus mundus totus pauidè tacendo loquebatur: *Mel, & lac sub lingua tua* ò Maria.

Lactis locus pectus est matris, hic generatur, hic seruatur, hic à paruulis sugitur: si omnium matrum est lac seruare in pectore, cur de Virgine sola legimus, quòd seruabat sub lingua, & in ore? cur hoc? nisi vt quam perfectè Maria matris fungatur officio tibi præmonstraretur.

Inter aues, & volatilia, & animalia terrestria, in alendis, seù educandis filijs, hæc versatur differentia, quòd cuncta terrestria, nudatis mammis, pectore lactant, & nutriunt catulos suos: volatilia verò, seù aues perquirentes escam filijs, quos alere curant materno affectu, illis valdè proportionatam, & ad rem maximè accomodatam, quam ore deferunt, & ore afferunt, ore porrigunt, ore ministrant, ore alunt, ore cibant, & enutriunt, & quasi ore lactare videntur.

O Maria, ò Virgo, ò verè mater dulcissima, verè mel & lac sub lingua tua; vnicum enim, & consubstantialem filium habuit vnigenitum, & primogenitum, & vt natura sibi filium pectore educauit, pectore fouit, & nutriuit, & sui pectoris lacte lactauit, vndè meritò ei dicitur: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, qua suxisti*. Luc. Eu.

Nos autem Mariæ filij sumus, non natura, sed lege adoptionis; vndè ipsa ad nostram educationem, nutrimentum, nutritionem, & cibum, seù escam nostræ naturæ magis connaturalem, quasi auis Cœlestis nobis quæsiuit, sed quo labore? quo arte? quo sudore? qua via? & quibus modis? Audi attente, anima mea, & attende illam, primo de fonte diuini pectoris lac diuinorum arcanorum, mysteriorum, sacramentorum, parabolarum, enigmatum, verborum, secretornm, lac inquam diuinæ Scripturæ, cælestis sapientiæ supercælestium reuelationum, manifestationum, & illuminationum ingentem diuinitus ebibisse; quæ omnia intuere in corde suo conferentem, & nobis omnibus conseruantem in pectore illo Virginali: intuere dico nunc docentem, nunc instruentem, nunc nunciantem, quæ omnia lac erant in ore Virginis, quo veluti auis Cælestis nutriebat corda audientium, & sic quando verba, & Sacræ Scripturæ mysteria Virgo loquebatur amoris dulcedine, & affabilitate erant labia eius velut fauus distillans, à cuius labijs stillabatur mel dulcissimum, hoc est secretum illud diuinæ sapientiæ, quo quasi lacte nos enutriuit, & educauit.

In schola huius Virginis, in qua ipsa magistra legit, & docet non multæ vigiliæ, non longa annorum spatia requiruntur, vt anima addiscat veritatis argumenta, & rerum diuinarum arcana: sit paruulus, sit ignarus, doctissimus euadit in scientia, & ad pugnam contra vitia redditur fortissimus. Recordare illorum infantium, qui sub Herode pro Christo in occisione gladii fuerunt, ne puer Iesus, qui quærebatur ad necem, occideretur, ipsi spontè vitam impii Regis furorem retundentes profuderunt, & sanguinem, de quorum nece sic habet Euangelista Matthæus cap. 2. *Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt*: In sinu Abrahæ quiescens hæc sancta mulier, puerorum infantium pro Christo occisorum sic flet necem, & mortem, quòd noluit consolari; eorum mors fuit coronata vita æterna, & laureata triumphali corona: cur tot lacrymis fusis flet, & plorat inconsolabilis? noluit consolari; quæ tantarum lacrymarum origo? & quæ causa sic inconsolabilis mæstitiæ, doloris? vtique *quia non sunt*. Mat. Eu.

Quid est non sunt? ac si diceret, non peruenerunt ad tantam gratiam, vt starent coram Rege, & sapientia, & doctrina illum confunderent, in sinu matrum suarum occubuerunt, paruuli, & imbelles; itaut non auderent stare aduersus mundi Principes, & potestates: pretiosa eorum mors in conspectu Domini; quia pro Domino fuderunt sanguinem; sed eorum gloria gloriosior, & illustrior eorum triumphus, & palma victoriæ; si sapientia, si doctrina, si fortitudine dimicando, decertando vicissent, noluit consolari; quia non sunt edocti, non sunt instructi, & eruditi in schola matris Dei; non superuixerunt, vt à Virgine

gine erudirentur sapientia, & roborarentur fortitudine. Sic testatur pijssimus Eusebius Gallicanus in sermone de Sancta Blandina. *O Bethlehem in martyrum nostrorum titulis, tu numero fortasse praecedas, ego merito, in tuis interfectio fuit, confessio non fuit, in meis colluctatio passionis, in tuis sola fuit opportunitas, & occasio faelicitatis: tu in sanguine paruulorum potuisti videre pereuntes, non potuisti spectare certantes:* hæc ille.

Euf.Gal.

Nam si certantes vincerent illustrior fuisset eorum palma, et corona; at quia non sunt in schola Virginis edocti, in qua a ia lectio non legitur, nec alia doctrina non docetur, nisi Christi; cuius doctrina licet paruuli, et eruciti, doctissimi subitò euaderunt, et fortissimi ad pugnam contra mundi rectores, potestates, et Principatus, vt patet in Apostolis, et sanctis martyribus; quoniam non est, quòd sic vincat, et superet mundanam sapientiam, vt scientia, et doctrina, quæ ebibitur in schola Virginis, et est eadem, quæ Christi est; qui sub sinapis parabola nobis voluit hanc insinuare veritatem. *Simile est Regnum Cælorum grano sinapis, quòd accipiens homo seminauit in agro suo, quòd minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit maius est omnibus oleribus, & fit arbor; ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius.* Matthæus cap. 13. modus loquendi si attendatur aperit profunditatem mysterij: granum sinapis quando in terra absconditur minimum est omnibus seminibus, quando erigitur in arborem, maius est omnibus oleribus.

Mat. Eu.

Accuratè notandum est, quòd semina olerum dum iaciuntur in terram, in folia cresčunt, & desinunt: sinapis semen, ex oleribus, solum crescit in arborem, & quòd in oleribus euanescit in folia, in sinape fit arbor, ità statura procera, vt volucres Cœli habitent, & requiescant in ramis eius: quid hic? per semina olerum in folia euanescentia? nisi humana, seu mundana sapientia, scientia, & doctrina hominum; & quid per semen sinapis, nisi sapientia Dei, nisi doctrina, & scientia Christi Iesu, quæ in schola Virginis legitur, & addiscitur, & docetur: mens est Diui Hieronymi in hæc verba: *Confer cælestem doctrinam dogmatibus Philosophorum, & libris eorum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermonum, & videbis, quantò minor sit cæteris omnibus sementis Euangelij, sed illa cum creuerit, nihil mordax, nihil viuidum, nihil vitale demonstrat, sed totum flaccidum, marcidumque, & mollitum ebullit in olera, & in herbas, quæ citò arescunt, & corruunt; hæc autem prædicatio, quæ parua videtur in principio cum in anima credentis, vel in toto mundo sata fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arborem, vt volucres Cæli veniant, & habitent in eis.*

Si mundana sapientia, & hominum doctrina, vt semina olerum euanescit in folia, & exiccatur in fœnum, & desinit in nihilum: en schola veritatis, & cœlestis alimoniæ, in qua Christi doctrina edocetur, quæ veluti granum sinapis, si abscondes in corde tuo ad exemplum Virginis, quæ audiens omnia verba filij sui conferebat, conseruabatque in corde suo, crescit in arborem, & fructus perdulcissimos affert vitæ æternæ, cuius mysteria, cuius veritatis argumenta, & illarum rerum supercęlestium arcana si abscondit Deus à sapientibus, & tantummodo reuelat, & aperit ea paruulis.

O anima mea esto & tu malitia paruula, veritatis schola tibi aperta est, in qua magistra sapientiæ, & scientiæ Dei, se audientibus, se imitantibus suam doctrinam sequentibus reuelat. In schola hac non est ignarus, non est paruulus, qui satis non erudiatur, & non repleatur scientia, & omni bono: idoneus Virginis docentis auditor non est, qui vocem attendit, & delectatur, & non seruat ea, quæ audit, non imitatur tantæ magistræ virtutes, tantæ doctricis non sequitur vestigia; non est auara suæ scientiæ, dat omnibus affluenter, & non improperat: dic ergo illi: trahe me ignorantem, vt me reddas scientem, vt curram in odorem vnguentorum tuorum, hoc est in fragantiam sanctarum virtutum tuarum.

En ò anima mea te alloquitur Maria, te docendo legit, attende, quid doceat, tibi dicit: *Vbi non est scientia, non est bonum,* si vt decet lacte bonorum supercęle-

cęleſtium, lacte inqnam dininæ ſapientiæ,& ſcientiæ ſi cupis repleri,enuttiri, & educati en tamuſculus Virgineæ palmæ,collige te ſub vmbra illius, ad hoc ſinum habet apertum, pectus non abſcondit,vbera non cęlat,eſcam non negat,& lac non denegat,conſeruatum tenet in pectore,& in corde ſuo,ad hoc,vt te doceat,te paſcat,te enutriat,& lactet. En ò Maria,ò matet vberum,en paruula tibi derelicta,& commendata,en anima ſerui tui,cuius lingua præ ſiti adhęſit ad palatum ſuum,tu ciba,tu lacta, tu inſtrue,tu doce,vt tuo lacte potata prædulci dulciter tibi canat ſub hoc ramuſculo.

Benedictum ſit perdulciſsimum nomen ſanctum tuum ò humilis Virgo Matia mater Ieſu filij Dei, monſtra te eſſe matrem,& miſerere mei, quoniam in te ſola confidit anima mea: ſub vmbra huius ramuſculi protege me,nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE EXERCITIO, ET VI contemplationis Virginis Mariæ.

RAMVSCVLVS VIGESIMVS QVARTVS.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Cant. cap. 5.

Virginū Virgo formosissima, & puerula Maria plantata iam in domo Domini Dei sui, cui & consecrata, & diuinis eius mancipata obsequijs, & Angelorum ministerio alimentis enutrita prædulcibus, dapibusque pasta cælestibus, quo mirum in modum proficiebat ætate, & maiora corporaliũ virium incrementa in dies suppeditabat sui natura corpusculi membris, eò interius anima illa sanctissima donis sursum eleuabatur spiritualibus, diuinis nutriebatur mysterijs, augebatur affluentia gratiarum, feruenti, dulcique replebatur deuotione, & supercælestibus irradiabatur fulgoribus, dum quãtò à terrahentibus elongabatur longius & velocius, tantò in superioribus dulcius suspendebatur, & diutius, quo sopita somno excubabat feruor spiritus, & mira agilitate, liberoque volatu circumferebatur cor eius quocunque illud iam impetus vehemens diuini ferebat amoris, à quo per cuncta temporis momenta indefexè rapiebatur in Deum amatum: quem retrò relictis imaginibus, & postpositis similitudinibus omnibus, mẽte purissima, & libera, corde mundissimo animo feruenti, deuotione pia, nouo claritatis diuinæ circumfusa lumine, sola vi intellectiua clarè, interruptèque contemplabatur, & scisso velamine incorruptibilium sincerè intuebatur spectanda maiestatis æternæ sacramenta diuinitatis, bonitatis, & immensitatis illius arcana: in cuius nouitate rei, quæ est supra spem, & humanam æstimationem nascebatur in Virgine admiratio, & potentiarum suspensio, & ex admiratione crescebat amor, & attentio, ex attentione cognitio, & ex clara cognitione in ea excessus mentis in Deum.

O anima mea intuere cor Virginis, ingredere, si tibi datum est virginale illud cubiculum, contemplare vim, & potentiam mentis illius intellectiuam: intra si vales fornacem suæ ardentissimæ voluntatis, quæ in actu suæ altissimæ contemplationis erat succensa nimis; Et quo hæc feruentius feruebat dilectionis flamma, & ardebat igne diuini amoris, eò illa suspendebatur admiratione præ multitudine, & altitudine rerum immensarum, & diuinarum supra seipsam.

Quanta tunc attentione & dulcedine fruebatur Dei præsentia, & bonitatis illius cognitione, dicat, qui nouit, & cui datum est hoc experiri, qua vnione, & quibus dilectionis vinculis strictè Deo tunc ligabatur anima Virginis Mariæ? quo sapientiæ lumine, & claritatis luce tunc Virgo irradiabatur, & instruebatur? quo amoris nexu tunc vinciebatur mens eius? quæ vota? quæ desideria, & quos erga Deum suum, dilectum amoris dilectionis, benedictionis, laudis, & gratiarum actionis concipiebat conceptus tunc Virginis intellectus, & parturiebat huius infantulæ amoris igne succensa voluntas? quæ suspiria? quos singultus? gemitus, & lacrymas? & quas erga dilectum suum dulcisonas de imo pectoris sui emittebat voces? & quæ flammigera verba tunc eructabat? & feruoris impetus rumpebat Maria tunc de secreto cordis sui? quibus internis, & persæpè iteratis quasi præsentem circumplectabatur amplexibus, & osculabatur osculo oris sui? Papæ.

Qua magnifica pompa, qua dulcedine, &

ne, et suauitate: qua lætitia spiritali, qua pacis somno, et quiete quibus delicijs, quoue gaudio tunc tenebatur, et iubilo ex præsentia Dei tunc si contemplati in maiestate suæ diuinitatis? Dum ligatis sensuum omnium potentiis tota contemplationis penna sursum leuabatur in Deum, et sic extra, et supra se rapta: et Dei amoris vino sic dulcitèr inebriata, et hóc dulcissimo somno sopita in illius sinu, et amplexu diuino suauiter quiescebat, et consopita dormiebat, et sic obdormiens vigili corde vigilabat, et vigilans dormiebat Deo; quia nunquam Maria fuit corporis somno correpta, quin dirigeret in Deum suę mentis oculum Deum cogitaret, et Dei præsentia quin frueretur in sua contemplatione.

Dormiebat à mundialibus soluta curis, & sic dormiens, ità vacabat contemplationi diuinæ, vt ab illa aliena nunquam cogitatione distraheretur, quin mentis obtutus semper ferretur in Deum, vt magnificaret, glorificaret, laudaret, benediceret, & frueretur, & vigilaret tibi, vt præstò esset, & opem ferret in necessitatibus: contemplare anima mea Virginem infantulam si vales, sic Deo dormientem: intuere si potes eandem tibi, & pro te sic vigilantem, vt possis audire simul, & capere Mariam sic tibi alloquentem.

Ego dormio, & cor meum vigilat: Somnus, & sopor iste in Virgine, erat ille suæ mentis excessus, & alienatio à terrenis in altissima, & nunquam interrupta contemplatione, qua suppressis omnibus sensibilibus, omnibusq; intellectualibus operationibus, quæ sunt cum Phantasmatibus, ac intelligentijs transactis etiam Angelicis, penna dulcissimę contemplationis, sic raptim eleuata erigebatur Maria ad Deum intuendum, contemplandum, ac exatiate fruendum, & posita in illa extasi tàm suaui, cùm summa quiete, & dulcedine audiebat, & intuebatur simul, quæ non licèt homini loqui. Dulcis sopor, & vigil somnus, quo sopita magis, ac magis inebriebatur dilectione diuina, & ad Deum contemplandum dormiens vigilanti corde eleuebatur, rapiebatur, & tota inflammabatur: nec mirum ò anima mea, quia raptus ipse ignis est, qui non est in potestate humanæ creaturæ, sed quando Deus dat, Sacerdotis est, hoc est animæ subijcere ligna per orationem, & nutrire ignem, quo succensa pars affectiua Marię, & tot diuini amoris flammis accensa, & inflammata, quòd ipsa viueret, & sensuum posset opera exercere erat assiduè videre miraculum.

Diuus Bernardus serm. signum magnum, Rubum, quem vidit Moyses agmine flammarum circumquaque stipatū absque combustione, Mariæ fuisse figuram intelligit non ipse solus; sed & Diuus Proculus Constantinopolitanus, quos secutus est, etiam Pijssimus Botius lib. 9. de signis Ecclesiæ, qui sic testatur: *Hac animatus natura Rubus, quem diuini partus ignis non consupsit, Rubus vtique Virgo, circumquaque igne diuino circumcinctus, quòd ignis non comburit, non consumat, quid est hoc:* Et qui carbones accensi, & quæ ardentes hæ prunæ? quibus intus, & foris circumstipata Maria comburi periclitabatur, & combustionis fuit in discrimine? Illum siquidem arbitror fuisse ignem, de quo loquitur sacer textus in Exodo cap. 33. *Non videbit me homo, & viuet:* Visio diuina, & vita simul humana non se tolerant videre Deum, & mortali, hac viuere vita non fert mortalis homo, cur hoc? dicam, quæ sentio.

D. Bern.

D. Proc. Constantinopol. Botius

Exod.

Anima in pręsenti vita, quādo eleuatur ad Deum intuendum, ità rapta absorbetur ab illa pulchritudine diuina, quòd extrà sensibilia, & priuata sensibus corporalibus remanet destituta; vt opera corporalia per organa sensuum exerceri haud potest, quia mortua mundo, & ei mundus, tunc ex tunc ingreditur in æterna, & in eis absconditur continuis profectibus, donec totus homo exterior, & interior ordinetur in Deum, prout possibile est statui vitę, & hoc est: *Non videbit me homo, & viuet;* quia ignis ille diuinus talis est naturę, quod surripit animam, vt aliud non operetur nisi videre Deum, & contemplare illam Maiestatem Diuinam: & si inter mentem Virginis, & lumen claritatis ęternæ, nulla vnquam intercessit distractionis nubes, nec vagationis occupatio, ità vt audeat affirmare D. Dion. Carthus. in lib. 2. de laud. Virgin. art. 8. *nulla vnquam inordinata affectio, distractio, seù fragilitas mentem Virginis à contemplationis lumine reuocauit: nec occupatio vlla exterior:* & vt inquit Pijssimus Richar-

D. Dion. Carthus.

Riccard. à S. Laur. chardus à Sancto Laurētio de laud. Virginis: *quòd Maria virtute contemplandi quodammodo patria donata est*: quid est donata? nisi quòd eius degens ipsa in terris erat more beatorum, qui semper vident faciem Patris.

Quomodò igitur viuebat vita mortali? quonam pacto opera sensuum exercebat, & operabatur? Respondet

D. Bern. D. Bernardus opus tunc Virginis non erat opus naturę fragilis, sed miraculosum, & supranaturale: *Magna planè visio*, inquit Sanctus, *rubus ardens sine combustione: magnum signum mulier illesa manens amicta Sole, non est rubi naturæ, opertum vndique flammis, manere nihilominus incombustum: non mulieris potentia, vt sustineat Solis amictum; non est virtutis humanæ; sed nec Angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria est*: hæc ille. Talis ignis circumuallauit cor Marię, vt veluti rubus arderet amoris igne, & non combureretur, & hoc non consumi quid est, vtique miraculum, & quidem.

Quia candens illa dilectionis diuinæ flamma, ità incanduit animam Virginis, quòd tota videbatur ignescere, & in Deum ipsū immersa, quòd si Deus ipse potentissima manu sua non protegeret, non sustineret: impossibile erat naturę, eam seruare in vita, quòd si opera exteriora sensuum operabatur, & viuebat, non est humanæ virtutis; sed nec Angelicę quidem, sublimior quædam necessaria est, & hęc quæ? Nisi illa de qua loquitur Lucas Euangelista cap. 1. *Et*

Luc. Eu. *virtus Altissimi obumbrabit tibi*: & quid mirum? si tali sub obumbraculo, talis etiam à muliere sustineatur amictus: quando Spiritus sanctus obumbrauit Virginem, quid factum est, nisi quia vmbra sua obumbrando refrigerauit, & tanti ignis temperauit ardorem, quemadmodum, & plantarum vmbra protegit à calore Solis ardentis: vt ab illo incendio ignis diuini vita non consumeretur Mariæ, & ne priuaretur vita, necesse fuit, vt Deus manu suę omnipotentiæ, & virtutis obumbrando protegeret eam, & refrigerando seruaret in vita, vt sic seruata viueret, & Deo dormiret contemplationis somno, & tibi inuigilaret, & tuę saluti pręstaret opem, & exemplum.

D. Amadeus. *Ego dormio, & cor meum vigilat*: D. Amadeus hom. 4. de laud. Virg. loquens de somno Virginis, sic pergit super hæc verba, *Sæpè etiam agebat*, quòd in Canticis Canticorum scriptum est: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; carne quippè dormiebat animo vigilabat, nocturna quiete somnians, quæ per singulos dies cogitabat, & vigilans in eisdem se inueniebat, & actus sopori concedens in pace in idipsum dormiens quiescebat; vacare seu inuigilare proximorum saluti non est detinere contemplationem, & hoc est dormiens vigilare, quando Deus relinquitur propter Deum, & Deo cooperari ad salutem proximorum.

Luctabatur Iacob nocte integra cum Angelo vsque mane, & videns Angelus, quia iam erumpebatur aurora, voce supplici, & humili dixit: *Dimitte me Iacob, iam enim ascendit aurora*; quæ autem luctaminis species fuerit; hæc expressit Oseas Propheta fuisse orationis, lacrymarum, supplicationis, & piæ postulationis, seu rogationis, quia apud Deum, vel contra Deum nihil validius, nihilque potentius, quàm oratio comitata lacrymis. *Inualuit ad Angelum*, inquit Propheta Sanctus, *& confortatus est, fleuit, & rogauit eum, in Bethel inuenit eum*: loquendi modus, & sensus est, tota nocte illa in oratione pernoctasse, orationis præsidio fretus, & benè munitus Deum exorabat cum lacrymis, vt ab imminenti periculo, in quo versabatur, è vicino liberaret, præstò esset, & adiuuaret, & in oratione perseuerantem tota nocte, adueniente iam aurora, rogat Angelus, vt dimittat eum: *dimitte me, iam enim ascendit aurora*: propè erat diei crepusculum, quid est hoc, ò anima mea? Si Deus benedictus, tàm iucunde nostris delectatur orationibus & capitur, tàm attentè, & delectabilitèr eos exaudit, intendens orationi seruorum suorum? Et dùm Iacob sopori sopitus feruentissimæ contemplationis Deo à sensibilibus abstractus, in Deo ipso raptus palestricè luctabatur, dimitti rogat; vt cesset ab oratione, & contemplationi non amplius vacet, quia propè erat diei crepusculum: iam enim ascendit aurora dimitte me, exurge, expergiscere à somno, & euigila, cur hoc? sic respondit D. Thom. *Dimitte me, iam ascendit aurora, quia tempus est, vt ab inuisibilibus ad temporalia tractanda descendas*: ac si diceret, vsque modo, ò Iacob

Genes. cap. 32.

Oseas Proph. cap. 12.

D. Tho.

cob non somni tempus fuit opportunum contemplationi, & orationi vacare; at modo, quia Solis auro aurescit aurora, te ad Vigilias inuitat, excitat, & prouocat ad temporales domus tuæ occupationes, & negotia; quam interpetrationem interpetrans Doctissimus Bernardus Perrerius magis clarè enodat, & exoluit. *Iam tibi tempus est ab inuisibilibus, & diuinis ad temporalia, & humana negotia tractanda descendendi, tamquam nocturnum tempus, vsque ad exorientem Solem, conueniens, fit contemplationi rerũ diuinarum, & spiritualium rerũ tractationi, diurnũ verò tẽporaliũ negotiorũ functionibus, & officys, quæ proximo: vel obligatione, vel ex charitate præstanda sunt;* sic ille. Habebat Iacob domum copiosam, et familiam multam nimis, suæ gubernationis erat, & curæ, illi inuigilare, ne ei, quid mali occurreret: idcircò albescente aurora, rogat Angelus, *dimitte me*: vigilantiæ, vt benè cuncta administres, et officium tibi commissum adimpleas, non orationis, seû contemplationis tempus est: dimitte me pro illis, et excubare ex animo, ne quid sinistri, vel incomodi possit obtingere: pro illis me dimittere non est hoc interpellare, vel abrumpere orationem, sed dimittere Deum propter Deũ genus orationis est quidem perfectissimum.

Bernard. Perrer.

Vt filia tanti Patris Maria, & paterni vestigij æmulatrix, dormiens Deo contemplationis somno vigilabat nobis, nostri nunquam oblita, quando dicit, *Ego dormio, & cor meum vigilat*: somnus suæ altissimę contemplationis nobis profuit, quibus inuigilabat, quia Clementior ad nos descendebat post mentis excessum, sic victa nostrarum miseriarum compassione. Audi non me, sed Giliberium Abbatem serm. 14. *Contemplationis gratia compassionem nõ euacuat, sed informat, & mentis excessus temperatos reddit informis*; ad commodum enim spectat filiorum in mentis excessu Marię dormitio, quę dormiens Deo dormiebat, vt nobis inuigilet, & ad nostræ salutis negotia pertractanda semper euigilaret, vt possit dicere.

Gilber. Abbas.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Vigilia, hæc Virginis non erat laboris, & defatigationis, sed dulcedinis, & quietis, quia dormiens vigilabat in inquisitione dilecti sui, quem ardenter amabat: Multa sunt itinera virtutũ, quibus ab anima, quæ Deum quærit, vt inueniat, calcatis, dirigitur, vt ad Deum ipsum perueniat; sic de se testatur Propheta Dauid Psalm. 26. *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea*; & vt demonstraret, qua diligentia, & quo affectu inquirebat subdit, faciem tuam Domine requiram: contemplantis animæ verba sunt ista, cuius inquisitio non est laboris, & defatigationis, sed quietis, & dulcedinis. *Contemplatio*, inquit Vgo lib. 3. de claustro animæ c. 5. *claustrum animæ dicitur, in cuius sinu, dum se recipit animus sola cœlestia meditatur: à terrenis separatur, à turba carnalium cogitationum longè ponitur, dulces carnis refugit affectus: Vagos sensuum astringit motus, angelica puritate fruitur, in Deo delectatur, summi Patris potentiam considerat, sapientiam fily inuestigat Spiritus sancti benignitatem amat.*

Dauid Proph.

Vgo.

Et laborãdo in inquisitione nõ deficit nõ deprimitur, sed dulcitèr erigitur, eleuatur, & pascitur, & quiescit, quia labor ipse animæ quærenti Deum in sua contemplatione quietis somnus est. Amoris desiderio tenebatur anima illa dilectum sponsum inueniendi; quando dixit: *surgam, & circuibo Ciuitatem per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea*: non erat vicus in Ciuitate, nec Angelus, quem diligenti animo non explorasset, & peragrando perspiceret; & videns sponsus sponsam in inquisitione sua sic defexam, sic defatigatam conuersus ad filias Ierusalem, sic adinrauit eas: *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam*: laborabat ne sponsa morbo illo, quo tenentur, qui dormientes ambulãt, & ambulando obdormiunt? Si sponsa non dormiebat, sed vigilans perlustrabat singulos Ciuitatis angulos, & vicos, vt possit inuenire quem amabat, quonam pacto sponsus alloquens filias Ierusalem, adiurat ne suscitent eam, sed sinant dulci sopori vacare: *Ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam*: laboriosa quidem licèt sit Dei inquisitio, & discriminibus plena, nihilominus, dùm Deum solum quęrit non laborat, sed quiescit: dormit anima contemplationi vacans, & quærens Deum non parcit labori, nec vigilijs, imò labor ipse somnus quietis est illi. Ità est mens Diui Thomæ in Canticis

Cant. cap. 3.

Cant. cap. 3.

super

D. Tac. super hæc verba: *Adiurat filias Ierusalem*, inquit, *ne eam excitent, quùm paulò superius non dormientem, non quiescentem, sed studio laboriosissimæ inquisitionis insistentem, quæ sponsum inquirebat, introducit: si ergo requirebat sponsum, quomodo requiescebat? sed dulcissimus, & suauissimus est somnus Christum quęrere.*

Circuire Ciuitatem, quærere, inquirere per vicos, & plateas, & multa itinera peragere, vt Deum inueniat anima, vt de se sponsa fatetur: *Surgā, & circuibo Ciuitatem*: non vna vice tantum, sed pluries, & passibus laboriosis; num sic circuendo vigilans, dormit, & quiescit, defatigatio hæc inducit ne quietem, & vigilia somnum? dicam quæ sentio, huius sponsę motus erat circularis, vt patet ex verbo. Circuibo, quo sponsa quærebar, & affectabat sponsum Deum; huic motui colligatur quies: quia vt docet Philosophus: Motus circularis talis est naturæ: quòd vbi incipit, ibi definit; Et qui in inquisitione rei dilectæ motu vtitur circulari semper stat intra circulum, intra quem etiam cursitando semper versatur: quærere Deum non est extrà, sed intra ipsūmet Deū, & qui quærit, vt inueniat, iam intra se habet, & tenet, quē auidè quęrit, & diligit, vt docet Iustinus Orgilitanus; qui sic legit: *Ne erres me alibi vltrà te quærendo vllo modo, in te quippè, vbi hactenus me non quęrebas, requiesco*; & solus amor inuenit, quia qui Deum amat, Deum habet, vt amet, & amat, vt habeat, & sic non laborat, sed quiescit, qui quærit, quem amat, vel saltem dormire sibi videtur.

O fęlix Mariæ inquisitio non laboriosa, sed suauis, & dulcis, quando surgebat in sua contemplatione, & Ciuitatem illam superceąlestem circuibat quærens dilectum per vicos, et plateas, vigilabat quęrendo, sed hęc inquisitio somnus perdulcis illi erat: non laborabat, quiescebat, non fatigabatur, sed dormiebat, quia quærebat, quem iam habebat, exquirebat, quem iam tenebat; motus inquisitionis à Deo incipiebat, et in Deo terminabat, quærens Deum intra Deum, quia ipsa incumbebat Deo sine medio, dùm contemplabatur in imbilo cordis sui, in quo quiescebat sine tędio, hilarescebat sine modo, et habebat sine termino, et hic nexus somni, et vigiliæ, est sensus verborum, quando dicit Diu. Bernardus. *Quærit anima Verbum, sed quia à Verbo primò quæsita, sic quando nos quærimus Deum, vt inueniamus, Deus iam primò quæsiuit, & requiescit in anima illum affectante.* D. Bern.

Ego dormio & cor meum vigilat. Connectit Virgo somno vigilias, & vigilijs somnum, vt præmonstraret vim, & excellētiā suæ altissimę contęplationis: quādo nec sōno sopor potuit vnquā illam interpellare, seu impedire, quin cogitaret de Deo, & quasi pręsentem semper haberet, & id accidit Mariæ in studio suæ contemplationis, quòd testatur D. Chrysostomus hom. 10. de pœnitent. adducens hæc eadem verba; *ego dormio, & cor meū vigilat*, idipsum, & nobis cōtingit; nam somni necessitas palpebras ipsas contrahit: *Tyrannus verò amoris vestri oculos nostræ mentis excitat, & sæpè numero per somnum vobiscum loqui visus sum: etenim consueuit anima, quæ interdiū cogitat, eadem in somnis per phantasiam cernere*; hic effectus est amoris, qui solus habet cogitare in somno de re dilecta, & quasi præsentem per memoriam habere, frequens enim rei dilectæ memoria ignem amoris excitat, & adurit amantem, & erga rem amatam indicat eiusdem quanta sit vis amoris: indicium amoris est, memoria amati. D. Chrysostom.

Quadam die elongauit se sponsus à sponsa, quæ feruens amore dilecti sui, cœpit affectare, & exquirere, vt inueniret, & qui quærit quem amat, & peroptat inuenire, quemliber, qui ei obuiam venit, interrogat, & pro sua spe certò nuncium habet; cui cum occurrissent filiæ Ierusalem statim adiurauit eas, *adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo*: nunciate ei, quia amore vulnerata sum, præ amore deficio, amore eius infirmor: Si fatetur sponsa se sponsi sui amore febricitare: vt explorarent illæ quantum amaret, & hæc vis amoris quanta erat, vt caperent, si vera febris amoris erat, sic ei respondisse, notat sacer textus: *qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum*? Qualis est dilectus tuus ex dilecto? quia sic adiurasti nos: ac si dicerent, tu dicis, quia langues amore dilecti tui, præmonstra nobis huius erga illum amoris signum, videtur mihi non loqui ad rem: illa adiurat, *si inueneritis* Cant. cap. 5. Cant. cap. 5.

nunciate dilecto meo, quia amore langueo; Consentanea, seu ciuilis responsio, vt scopum sponsæ languentis attingerent, & eius proposito satisfacerent; si inueniemus, faciemus, vt edicis, & mandas; Cur ergo quæstionem habent de qualitatibus sponsi, & nota eiusdem, *qualis est dilectus tuus ex dilecto?*

Paul.Ap. Verborum istorum mysterium aperit Apostolus ad Philipp. quibus scripsit: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri (semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens)*: quibus verbis voluit Apostolus ostendere amorem, quo amabat Philippenses: Si D.Paulus non loquitur de charitate, non de dilectione, sed tantum de recordatione, & memoria, qua quasi præsentes illos semper habebat in cunctis suis orationibus; vnde potest hic amor argui in Apostolo? dicerem, si non dixisset Primasius Vticensis hæc verba exponens Apostoli, ex memoria ipsa qua recordabatur eorum in suis orationibus: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper, ostendit*, inquit ipse, *circa eos dilectionem suam, pro quibus semper exorat.* Si per obliuionem à corde Pauli nunquam exciderunt Philipp. sed testatur, & protestatur se in cunctis orationibus recordari, aperit charitatem, & dilectionem multam, quam habebat ad illos, & amabat, quoniam qui multū amat non potest obliuisci, sed semper recordatur amati.

Primas. Vticens.

Hæc fuit mens filiarum Ierusalem, quando sponsæ responderunt: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto*, tu dicis, quia amas, & langues amore, & amarum affectus inuenire, cuius amoris sagitta te fateris percussam, probemus hoc: ostende nobis notas eius, & signa, si recordaris, si in tua memoria viuit, & repræsentatur hoc nobis erit signum amoris, quia ex memoria amor: *Dicis*, inquit Vgo Cardin. in Cant. *te amore languere, num sic comperiamur, si verè langueas; qualis ex dilecto est tibi dilectus; quia vbi frequens rei dilectæ memoria, ibi erga eum feruens voluntas, quæ amoris sedes est.*

VgoCar.

D. Greg. Nanz. Diuus Gregorius Nanzianz. vt ostenderet amorem, quo amabat D.Basilium scribens ad ipsummet epist. 9. sic fassus est: *Equidem ipse te magis, quam aerem spiro, idque solum viuo, quòd tecum sum, vel coram, vel absens per animi simulacrum*: quid est animi simulacrum, nisi memoria rei amatæ; ac si diceret, si attendis. Quia sæpè recordor tui, erit tibi aperta cognitio, quantum te amo; si vita corporis aere viuit, ergo tui memoria mihi non est, nisi te habere præsentem, vel in tui absentia te habere in memoria, cui soli dominatur voluntas, quę si ardet Dei dilectione, & amore, memoria erit signum, & frequens Dei amati recordatio; quia sicut nihil capimus per intelligentiam, quòd non sit præsens apud nostram memoriam: sic pariter nihil amamus, quòd non sit præsens per memoriam: per operationes igitur memoriæ apparet, quòd ipsa anima est imago Dei, & similitudo adeò sibi præsens, & eum habeas præsentem, quòd eum actu capit, & per potentiam capax eius est, & particeps esse potest, & mouetur ad eumdem amandum: Angelus per præsentiam, & homo per memoriam. Duos illos Seraphim, quos vidit Isaias Prophæta, stare ante thronum Dei, D.Bernardus accipit, & intelligit vnum obsignare naturam Angelicam, & alterum naturam humanam: *Et ego quidem fratres*, inquit Sanctus, *si licet in hac parte vnicuique abundare in suo sensu, in duabus Seraphim dupliciem arbitror creaturam rationalem, Angelicam, & humanam. Duo Seraphim*, inquit Petrus Damianus serm. 52. *Angelum, & hominem accipe, qui incendentes, & ardentes dicuntur*: Et Seraphim, vox est hæbraica idem significans, quòd igniti, candētes, & signant illos, qui amori ardenti feruent, & fumant, & qui Dei amore æstuat, & ardet licet sit homo fragilis, nomen Seraph sibi vendicat: Angelus ignescit, & ardet Dei præsentia, & solaribus radijs diuini conspectus quo fruitur præsentialiter; homo verò accenditur, & inflammatur memoria, qua ex Dei recordatione, & maiestatis illius eleuatur ad Deum ipsum, quē contemplatur, quo fruitur, & quem meditatur, & videt quasi præsentem, quia ex frequenti memoria arguitur voluntas igne amoris succensa.

D. Bern.

D. Petr. Dam.

O anima mea, si homo fragilis memoria ardet Dei amore, quo ardet Angelus præsentia, quid nostra infantula Maria, quæ & ipsos Seraphim supergrediebatur in sua contemplatione: *Cuius corpus*, inquit D.Ambrosius, *cum quie-* D.Ambr

sce-

fecret, vigilabat animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, quòd ipsa exprimit, quando dicit: *Ego dormio, & cor*, &c.

Somnus, & sopor iste in Virgine erat mentis excessus, & alienatio à terrenis: dulcis sopor, & vigil somnus, quo sopita magis, ac magis inebriabatur Dei amore, & ad ipsum contemplandum obdormiens vigilanti corde eleuabatur, ducebatur, & rapiebatur. Corpore dormiebat Iacob, sed vigilabat corde, dum clausis corporis luminibus, mentis tamen oculis scalam vidit eleuatam à terra, vsque ad cœli cacumina, & ascendentes, & descendentes Angelos per eam vidit; & apertè, & clarè vidit Deum ipsum scalæ innixum: more Iacob multi sunt, qui quietis otio, ab omni mundanorum strepitu animo vacant, & vacando quietè dormiunt, sed vigilant corde, meditando cœlestia, & contemplando Deum, & ipsiusmet Dei opera, & mysteria: alij sunt qui corpore cubantes somnum ducunt, sed animo vigilant, dum facta super eos manu Domini, reuelationes, & cœlestium visiones accipiunt, sicut promiserat Deus per Ioelem Prophetam cap. 2. *Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt*; quòd in Sanctis multis experientia probatum legimus.

Gen.

Ioel Pr.

O Maria, ò diuina infantula; licèt aliquando necessitate naturæ cubabas corpore, & quiescendo somnum ducebas, quiquidem paruus erat, & modicus, vt gratia plena, & Spiritus sancti luce irradiata, semper super cæteros corde vigilabas, & clariora de Deo, & de bonitate, & magnificentia copiosius, & clarius ipsius mysteria contemplando accipiebas, vt de te testatur Ruper. Abbas in Cant. lib. 5. cap. 5. his verbis: *Sed ò tu Cœlum Dei, vnica sedes Domini, in vtroque vigilantiæ modo cunctis mortalibus, siue terrenis hominibus longè eminentior extitisti, longè studiosior ad contemplandum eum, in quem desiderant Angeli semper prospicere*: dic ergo, & sola dic: *Ego dormio, & cor meum vigilat*.

Rup. Ab.

O lucis æternæ domus, & sapientia; cur dormientem te offers, & ostendis animæ serui tui, quorsum hic tuus somnus? & quæ huius somni ratio? si tantum dixisses ego vigilo, & vigilares absque somno: qui vigilat vtique non dormit, sed dormiens dum fateris vigilare hoc mirabile, & scitu quippè dignum est, quia miraculosum, & rarum, & in Maria sola, & à Deo operatum legimus: Virgo sola vigilat dum dormit, & dormit dum vigilat: non dicit nostra infantula, dum dormiebam, vigilabam, sed ego dormio, & cor meum vigilat: donec dormiens dicit, quòd operatur manifestè demonstrat, quòd vigilat, dum dormit.

Quando Iacob dormiebat non dixit dormiens, quòd tunc videbat, sed à somno iam expergefactus, vigil locutus est, vt ostensam sibi scalæ visionem aperuit, & exposuit, ità sacer tex. in Genesim cap. 28. *Cumque euigilasset Iacob de somno, dixit, & narrauit quæcumque vidit*: at nostra infantula Maria, iam dormiẽs & præoccupata somno, id, quòd in somno agit, & operatur, loquitur, propalat, & aperit, hoc vtique est vigilare, & proprium vigilantis. O miracula, *Somnus*, teste Aristotile, *primum, quòd occupat in dormiente est cor*, à quo quidem eleuantur spiritus, & vitales vapores sursum ascendunt; quibus conciliata quiete, cuncta dormientis membra graui sopore tenentur, & conquiescunt: si somni naturalis nuturalitèr hic est ordo, & hic somni naturæ effectus, totum animal occupare, & cuncta eius membra sopire. Genes. Aristot.

Cur in nostra infantula Maria sola in toto corpore eius, & in qualibet parte eiusdem, somno, seù sopore inducto; cor non dormit, sed vigilat, & sic vigilando loquitur, & dormiendo loquitur, quæ in somno operatur, hoc est illius somni mysterium: non de somno quem spontè, & voluntariè ducimus, dum dormimus, ipsa loquitur, dum de se dicit: *Ego dormio*, sed de somno, quo in nostra infantia cuncti tenemur vsque ad vsum liberi arbitrij, cuncta in nobis dormiũt, cuncta graui detenta sopore tenebrarum somno occupantur.

Maria non duntaxat in illa paruula sua ætate, sed ab ipsomet suæ creationis instanti, in vtero matris concepta fuit gratia, & diuina luce plenissima, dormiens dormiebat non somno, sed in luce cognitionis perfectæ, & contemplationis æternæ; idcircò vigilabat corde: ò vita verè laudabilis potius cœlestis, quam terrena. Vitam actiuam, & contemplatiuam, docet Petrus Damianus orat. 1. de Natiuitate Virginis, Virginẽ

sum-

D. Petr. Dam. summoperè ambijsse: *adeò vt nec actio contemplationem minuerit, & contemplatio non desereret actionem*: vita actiua in Virgine non aduersabatur contemplationi, nec contemplatio reluctabat vitæ actiuæ, seù actioni.

Actus contemplationis Virginis, nec vnquam paruula præpeditauit ætas, nec somnus interpellauit; nam somnus, qui in nobis omnibus abyssat, sepelit, obstat, abripit, & auocat actus merendi, & nos ab actu liberi arbitrij, & eius vsu prorsus abducit, in Virgine aliter se gessit; nam semper liberè operabatur, & meritoriè, etiam existens in illis maternarum viscerum latebris, actu semper tendebat ad Deum: Deum semper meditabatur, & ipsius Dei mysteria contemplabatur, quia Virgo Maria, vt testis est D. Dionysius Carthusian. etiam D. Dion. Carthus. dormiens semper vigili corde erat coniuncta Deo. & sic coniuncta, & vnita, D. Bern. Senens. ait D. Bernardinus Senens. tom. 1. serm. 6. art. 3. cap. 3. quòd fuit ad tantam contemplationem subleuata, *vt perfectius in vtero matris ipsa contemplaretur Deũ, quam vnquam fuerit contemplatus aliquis in ætate perfecta*.

O Virgo benedicta, ò cœlorum ciuis domestica, & æterni tabernaculi commoratrix, si adhuc degens in vtero matris in contemplationis actu, & perfectione omnes Sanctos post te relinquis, quid factum est iam nata mundo? Præsentata Deo? & Deo consecrata? & à luce illa diuina sic edocta? si eius contemplatio magis clara, magis viua, magis efficax, magis intensa, magis feruẽs, magis immensa, & magis eleuata, quid miraris anima mea, si Virgo plus in contemplando excessit dormiens, quã alius vigilans; dic ergo Virgo sacra, dic tu sola: *Ego dormio, & cor meum vigilat*.

Ex splendidissima, & exuberantissima sapientia sibi diuinitus infusa eleuabatur anima Virginis ad illam excellentissimam, & clarissimam Dei sui cognitionem, & contemplationem, quòd nullus alius.

A Spiritu sancto fuerunt edocti illi primi sancti Antistites, & Christi Apostoli; sic enim dixit illis Dominus Iesus, vt annotauit Euangelista Ioannes D. Io. Eu. cap. 6. *Ille vos docebit omnem veritatẽ*: si omne lumen veritatis acceperunt Apostoli à Spiritus sancti lumine, quid vltra aliud restat discendi? si omnis veritas adhæsit cordibus eorum, numquid præter hanc Spiritus sancti veritatem erat alia veritas edocenda? quomodo Virgo magis excessit in contemplatione dormiendo, quam quilibet alius vigilando? si vna, & eadem veritas ab vno, eodemque docetur lumine, & Doctore?

Ad hoc, in libro de excellentia Virginis cap. 7. sic respondet D. Anselmus: D. Ansel. erat, & hic quidem videtur vtilis, & necessaria fidei nostræ Virginis conuersatio post ascensionem Domini, inter Apostolos eius; & quæ necessitas hæc non sequi filium? sed inter eos remanendo conuersari? *Quia*, inquit ipse, *licèt ipsi per reuelationem Spiritus sancti edocti in omnem veritatem fuerint; incomparabilitèr tamen eminentius, & manifestius Virgo per eumdem spiritum veritatis illius veritatis profunditatem intelligebat, & propter hoc multa eis per Virginem reuelabantur, quæ in se non solum simplici scientia, sed ab ipso effectu, & ipso experimento didicerat de mysterijs Christi*; hinc meritò meruit appellari magistra Apostolorum, quia ipsa sola illa arcana pectoris Dei, & cuncta mysteria Maiestatis Diuinæ, & clarius agnouit, medullitus penetrauit, tenacius didicit, & interrupta contemplatione cõtemplata est, & eò manifestius, & altius, quò & vicinius super cæteros adijt, & approximauit.

Cuius contemplationis celsitudinem nobis ostendere voluit Sanctus Euangelista in sua Apocalypsi cap. 12. sub figura mulieris: Apocal. *cui*, vt volaret, *datæ sunt duæ alæ Aquilæ magnæ*, quòd mysteriũ de nostra diuina infantula intelligunt D. Bernardus, Anselmus, Bonauentura, & Augustinus: D. Bern. D. Ansel. D. Bona. D. Aug. vt nobis Virginis volatum describeret Ioannes, & quò peruenit, & quò ascendit contemplationis penna, dicit, quòd datæ sunt ei duæ alæ Aquilæ magnæ; cur non dati sunt potius duo oculi Aquilæ magnæ, qui cæteris omnibus perspicaciores sunt, & corpus Solare fixissimè intuentur; cur non vngues, vel pedes Aquilæ magnæ ad defensionem, & ad prædam cæteris omnibus fortiores, & rapaciores, sed tantum alæ datæ sunt, & alæ Aquilæ magnæ: ò profunditas mysterij, ò altitudo Virginis contemplationis, ò Mariæ volatus nimis sublimis.

Nam

Nam cæteris Sanctis Aquilarum oculi, & vngues quibus se defenderent, & prædam caperent, datæ sunt, dum actus & voluntatis affectus ad Deum contēplandum habuerunt agiles, veloces, & leues, sed alas, Virginis alis multò inferiores, multum dissimiles, & impares, ascendendo ad Deum; Deo proximè accedere non valuerunt, & diuinorum spectacula sacramentorum, & rerum supercœlestium cernerent mysteria, & aliqualem de eis prædam sibi arriperēt oculi dati sunt illis, & vngues, hoc est scientiæ lumen, & luminis intellectus, & voluntatis amor, & affectus.

At nostræ infantulæ datæ sunt alæ Aquilæ magnæ, quibus contemplando altius, & profundius, & tantò sublimius volauit, quòd peruenit vsque ad solium Maiestatis diuinæ, & clarius penetrauit diuini pectoris secretum; intentius ascendit vsque ad cordis Dei arcanum abscondit um, & alarum remigio, volatu celerrimo superuolauit omnia, & proximius quò non alius appropinquauit Deo.

Dicam & hoc, nonne Ioannes, & ipse potitur Aquilæ nomine, quando velut Aquila supra cæteros Euangelistas, & ipse volauit, vt testatur D. Augustinus tract. 36. in Ioan. his verbis: *Nam cæteri tres Euangelistæ tamquam cum homine Domino in terra ambulantes, de diuinitate eius pauca dixerunt; Ioannes autem quasi piguerit in terra ambulare, rexit se non solum super terram, sed super omnem ambitum aeris, & cœli, & super etiam omnem exercitum Angelorum, omnemque constitutionem inuisibilium potestatum, & peruenit ad eum, per quem facta sunt omnia*: Hoc idem attestatur Diu. Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum, postquam tribuerit Matthæo faciem hominis, Lucæ faciem vituli, Marco faciem Leonis, iuxtà Ezechielis visionem de Ioanne ait: *Ioannes verò noster quasi Aquila ad superna volat, & ad ipsum Patrem peruenit*, quem supra cæteros volatum annotauit Prophæta Sanctus, quando inquit: *Et facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor.*

D. Aug.

D. Hier.

Ezech. Proph. cap. 1.

Aquila erat Ioannes, qui fixis oculis contemplatus est solem æterni luminis, quo lumine multa vidit, multa scripsit, & super cæteros multum se eleuauit, & extollit: Aquila erat, sed non Aquila illa magna, sed potius pullus seù filius huius Aquilæ magnæ, dicente Christo: *Mulier, ecce filius tuus*, Aquilæ magnæ nomen Virgini tantum congruit: quia ipsa sola est auis Regia: imò & omniū Regina, ipsa sola altius euolauit, clarius agnouit, intensius penetrauit, & sublimius contemplata est: Virgini soli debetur corona huius volatus, & sublimitatis solium: Vnde exclamat D. Damascenus serm. de Natiuitate Virginis: *Quid grandius Virgine? attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quidquid maius est minus Virgine*; Solumque opificem opus iste supergredi; sola ergo Virgo dicat, *Ego dormio, & cor meum vigilat*; bonus somnus, quo sopita anima Virginis amplius vigilabat, in Dei amore, & in Dei contemplatione: dulcis somnus, quo obdormiens Virgo, Dei vigilias custodiebat, & vigilanti corde Deum contemplabatur, Deo fruebatur, & Cœli deliciis pascebatur: fælix Virginis somnus, quo dormiēdo hęc nostra diuina infantula vigilias cordis non amittebat, sed custodiebat, non sibi soli, sed & tibi ò anima mea; licet enim ipsa in sphęra maiestatis diuinæ esset tota immersa, & à luce diuinitatis illa clarissima tota, & totaliter absorpta, vt vidit Ioannes; erat enim amicta Sole, tamen hæc inferiora, sicut tunc non ignorabat, sic nec modò ignorat: imò quo sublimius illa diuina arcana degens ipsa in terra intelligebat, & modo commorans in sede gloriæ suæ, intelligit, & cōtemplatur libera mentis intelligentia, & suspensione quadam intuetur cuncta illa spectacula rerum supercælestium, eò nostra inferiora perspicacius capit, intelligit, compatitur, & miseretur.

Io. Eu. cap. 19.

D. Dam.

Sensibile quando excedit sensum, sensus ipse minus est ad percipienda hæc inferiora, dicente Aristotile: *Excellens sensibile corrumpit sensum*; vt quando quis intentius, et fixè intuetur Solem, quò intentius, eò fortius allucinatur sensus ad hæc inferiora percipienda: potētia verò intellectiua secus se habet circa sua obiecta, quę quo sublimiora sunt, et excellentiora: eò clarius, facilius, et aptius hæc infima intelligit, & capit: quoniam à suo obiecto nec læditur, nec obnubilatur; imò perficitur, illustratur, & adiuuatur à lumine, & illustrior ad hæc infima capessenda fit, deuenit: & capacior euadit.

Arist.

Tale

Tale quippè erat cor Virginis, in sua contemplatione custodiebat contemplationis vigilias; vnde etiam dormiēs corde vigilabat Deo, non ad sui profectus tantum, sed ad tuam salutem, necessitatem, & vtilitatem: O quoties in noctis medio vigilans, orans, & contemplans, repetitis vicibus, & congeminatis singultibus, et suspiriis ad Deum exclamabat: Intret in conspectu tuo Domine Deus cordis mei oratio mea, et dignitas mea.

O vim amoris, ò ardens cordis illius desiderium, vt obtineat, et impetret, quæ tuæ saluti sunt necessaria, maternam memorat dignitatem in conspectu Dei sui.

1. Reg. c. 14. Si Abigail furentis Dauidis iram, et furorem sedauit paruis muneribus. Si Thecuitis illa simulatis lacrymis temperauit cor Regis in filium Absalonem subiratum: quid faciet Maria, quę mater est plena muneribus supercælestibus, si pro te orauerit non fictis, sed amorosis lacrymis? Numquid matri roganti pro filio negabit filius, quidquid ad salutem adoptati postulauerit? quomodo præstò non erit Deus matris orationibus, qui nunquam defuit seruorum suorum petitionibus?

Bonitati diuinæ proprium est semper benefacere, et munera largiri; nam vt dicit Clemens Alexandr. lib. 6. stromat. D. Clem. Alex. *Cum Deus sit bonus, si cessaret vnquam benefacere, cessaret vtiq. esse Deus, quòd nefas quidem est dicere*: si Deus non potest non esse Deus, ergo non potest esse, et benefacere; et si cessaret benefacere, cessaret et esse; quòd nefas est dicere, ergo si non cessat esse, nunquam cessat suâ creaturis, quas condidit dona communicare, et affluentèr largiri, et bonitate sua misericorditèr donare; attende efficaciam orationis.

Elias homo erat similis nobis passibilis, ait D. Iacobus Apostolus cap. 5. *Et orauit ne plueret*, & oratione Eliæ clausum D. Iac. Apost. est Cœlum ne plueret, & non pluit tribus annis, & sex mensibus; quibus trāsactis orauit vt plueret, & illicò pluit: quando voluit, orando clausit Cœlum, & deficiente pluuia, sterilitatem adduxit, & quando voluit ad pluuiam, clausum aperuit Cęlum; quando tribus illis annis, & sex mensibus oratione sua ad iustitiam clausit Cœlum Elias, si quis diceret Deo, ò Deus omnipotens, dum in his tribus annis, & sex mensibus negat terræ pluuiam tua diuina manus: cessat bonitas tua creaturis benefacere, & tu vtique cessas esse, ne ergo cesses tuum esse, aperi Cœlum, & mitte pluuiā super arentis terræ faciem; Deum, quid credas responsurum? Non vult Elias, ipse orauit, ne plueret, & sua hac oratione clausit Cœlum, & oratio iusti est clauis cœli, & omnipotentia mea, Elias orando est veluti omnipotentior, vsque dum ipse velit, clausum erit cœlum, & non pluet; si vt orauit ad iustitiam, orauerit ipse ad misericordiam, erit pluuia super terram. *Clauis Cœli fit sermo Eliæ sanctissimi*, inquit D. Chrysostomus ser. 2. de Elia, *iubet enim & clauditur cœlū, orat postmodum & aperitur, vt factorum meritum monstraretur, non solum in terris posse quòd voluit: sed etiam in cœlestibus posse impetrare quodcunque petierit*. S. Chrys.

Si tantum valuit apud Deum serui oratio, vt clauderet, vel aperiret cęlum, prout ei libuerit; quid erit Virginis matris, & nostræ diuinæ infantulæ assidua deprecatio? Cuius cor, idcircò dicitur vigilans, & orationis vigilias continuò custodiebat, nō ad inferenda supplicia; quia misericors est, & mater misericordiæ; sed ad remouendam censuram, & animaduersionem auertendam, non ad cœli ostia claudenda, sed ad aperienda, & cœli pluuiam impetrandam totum se impendit.

Cor Virginis non solum clauis cœli factum est; sed & ipsum Dei, & omnium supercælestium bonorum penu, seu armarium; non clausa sed aperta sunt Mariæ arcana, & cuncti Dei thesauri in manu Virginis repositi sunt; vnde & tibi consulit S. Bernardus; *Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quòd quærit inuenit, & frustrari non potest*; Si Deus seruos suos frustrari non patitur, numquid patietur frustrari matrem? & deiectam à spe suæ petitionis proijciet. D. Bern.

Eu ò anima mea siuè in templo orantem, & contemplantem conspicis Mariam, siuè in illo empireo Deo fruētem contemplaris; audi vocem eius, & intuere quam sedulum, & vigil ad tui salutem est cor eius; illius cordis est vox illa, Intret in conspectu tuo necessitas generis humani, & animæ illius quidquid rogat, quidquid orat, quidquid petit

petit, nunquid non imperabit? Non obtinebit? Si Deo proxima, & Dei mater, & mater misericordiæ est.

Sub vmbra huius ramusculi collige te ò anima mea, vt merito tantæ Virginis, & sui cordis amoris flamma dirigatur cor tuum ad vigilandum Deo, & ad Deum ipsum contemplandum, simul, & ad nomen Virginis semper collaudandum; dic ergo toto corde.

Sit nomen tuum perdulcissimum benedictum in æternum o humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei, te præcor o Maria monstra te esse matrem, & misererere mei, quoniam in te sola confidit anima mea; sub vmbra huius ramusculi tuæ altissimæ contemplationis, & protectionis protege me nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE VIRGINITATIS VOTO à Maria emisso in templo.

RAMVSCVLVS VIGESIMVS QVINTVS.

Sicut lilium inter spinas, sic anima mea inter filias. Cant. cap. 2.



N templo Dei, ô trima mea puellula, vbi te pene constitutam, & vix iam plantatam in domo Domini Dei tui, cuius limina vix adhuc, non ægrè, sed propemodum pessundaueras, & te nouo Virginitatis flore velut lilium inter spinas coronatam contemplatur, & intuetur anima mea. Virgo hæc tenella, & delicata, regali stirpe progenita ingressa domum Domini inter puellarum & Virginum collocata collegia, stans ad aram templi in conspectu Dei sui, (vbi Virginitatis lilia colebantur, & offerebatur pudoris hostia, & victima castitatis) vt sui cordis amorem diuino sponso exhiberet indiuisum, & corpus, & animam illi Virginitate consecraret perpetua, & tota se totam perpetuo dicaret Virginitatis voto: primò prima indissolubilitèr se astrinxit, cuius nouitatis propositum, vt inassuetum, & insolitum miratur, & stupet D. Bernard. serm. 3. super missus est, quando Virgini sic alloquitur. D. Bern.

O Virgo prudens, ô Virgo deuota, quis te docuit, Deo placere Virginitatem? quæ lex, quæ iustitia, quæ pagina veteris testamenti, vel præcipit, vel consulit, vel hortatur, in carne non carnaliter viuere, & in terris Angelicam ducere vitam? vbi legeras Beata Virgo sapientia carnis mors est, & curam carnis non perfeceritis in desideriis? vbi legeras laudatos esse, qui se castrauerunt propter Regnum Cœlorum? vbi legeras, in carne enim ambulantes, nō secundum carnem militamus? & matrimonio iungit Virginem suam benè facit, & qui non iungit melius facit? vbi audieras, volo omnes esse sicut & me ipsum: Bonum est homini si sic permanserit secundū meum consilium? de Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do? tu verò non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum, nisi quòd vnctio docebat te de omnibus: sermo Dei viuus, & efficax ante tibi factus est magister, quam filius, prius instruxit matrem, quā indueret carnem: Christo ergo deuoues te exhibere Virginem, & nescis quòd ipsi exhiberi te oportet etiam & matrem.

O nouitatis prodigium, fœcunditatem, quæ tunc temporis propter Messiæ aduentum magno ab hominibus cūctis, & fœminis habebatur in honore, & pretio, & præmonstrauit Deus in Deuter. c. 7. *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus*: & testatur D. Chrysost. hom. 79. in Matthæ. quando inquit Sanctus: *Nec in veteri testamento à priscis illis, & sanctis viris virginitas culta fuit: sola hæc Virgo abhorruit, & primò aufugit ab ea, amplectens sterilitatem, quæ erat in opprobrium, & sola inter omnes decorata Virginitatis candore, & castitatis flore purissimo apparuit coronata*; imò ausim dicere Virginitatem Mariæ non solum fuisse virginitatis corona redimitam, vt vidit Ioannes in Apocal. c. 12. *Et in capite eius corona stellarum duodecim*, quòd vtique castitatis virgineæ erat insigne, sed & ipsammet Virginem virginitatis extitisse coronam, decus & gloriam. Deuter. D. Chrys. Apocal.

Extitit Virgo virginitatis corona, quando pudicitiam, quam Deo vouerat, sic perfectissimè ornauit in suo corpore conseruando, quòd meritò sub hoc titulo eam salutat D. Cyrillus Alexandr. hom. 6. contra Nestorium: *Salue per nos Beata Deipara pretiosissimus totius orbis thesaurus, lampas inextinguibilis, corona Virginitatis, cuius extitit & de* D. Cyril. Alex.

cus

cus, quia castitatem ornauit, quàm semper purissimè coluit: Hoc nomen illi ascripsit D. Andreas Cretensis in Annunc. Virginis sic eam salutando: *Aue Deo gratissimum Virginitatis decus*: extitit & gloria; quia virginitatem, quam illibatam seruauit, sic decorauit, & illustrauit, vt de ea dicat D. Proculus orat. 6. in laud. Virginis: *Hæc est Virginum gloria, & gloriatio.* D. Proc.

Et tunc Maria extitit Virginitatis gloria, decus, & corona, quando Virginitatis voto se astrinxit Deo, qui delectatur Virginitatis lilijs, & non pascitur nisi inter lilia Virginitatis: ideò Maria sacrauit Deo virginitatem suam, ac si diceret, Deus amat, & desiderat virginitatis lilia, & ego ei exhibeo duplicis Virginitatis lilia scilicet mentis, & corporis; temporis verò quo hoc Virgo emiserit votum, non vna est omnium sententia: sunt qui affirmant, votum hoc virginitatis Mariam emisisse ante matrimonium: alij dicunt, quòd hoc emiserit votum antequam nasceretur, existens adhuc in vtero matris in ipsomet suæ Conceptionis instanti, vt videri potest apud Iacobum Episcopum Constantinopolitanum super illa verba ad Magnificat: *Quia fecit tibi magna qui potens est*; quidquid sit de hoc, sinamus Deo, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, hoc duntaxat dico, quòd trima ingressa est templum Domini, stans ante altare in conspectu Domini; vel tunc virginitatis votum primo emisit, vel saltem illud in vtero matris emissum ratum habere voluit: cur hoc? ò anima mea, nisi vt coronaret te virginitatis corona, & te doceret suo huius virtutis dignitatem exemplo, modum, & præmium, vt & tu ad laudem eius dicere possis. Iacob. Episc. Costant.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quanti apud Mariam esset hic flos virginitatis, agnosce anima mea ex hoc, quòd iam adulta, & desponsata cum ab Angelo venerabilitèr salutaretur, & ei promitteretur, quòd ex ea filius Altissimi nasceretur, quòd enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, & hic erit magnus, & filius Altissimi: tanti faciebat virginitatis florem hæc Virgo prudens, quòd non est oblita virginitatis voti, nec cordis sui propositi castitatis, quando sic ei respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & licèt esset inter spinas, tamen virginitatis candore, & castitatis, & puritatis pulchritudine, & odore semper lilium, vt de ea dicere posses sicut lilium inter spinas. Lilium inter spinas erat Virgo, dum erat in templo inter puellarum, & Virginum choros: ò profunditas mysterij: ò pulchritudo, & integritas virginitatis Mariæ; dum viuimus in hac carne inter spinas versamur, & necesse est, vt tentationum tribulationes, & impugnationum aculeos patiamur: caro enim, & mundus pleni sunt spinis, & conuersari, & commorari in his, & non lædi diuinæ est potentiæ, & non virtutis humanæ. Luc. Eu.

Virgines illæ, quas templi septa seruabant, & excubabant ad ostium tabernaculi, quia ibi nutriebantur, & educabantur, non vt Deo sacrarentur, sed vt nubiles sub viri potestate humiliarentur, fierentque matres, licèt essent modestæ, & castè viuerent, si Mariæ virginitati comparetur eorum virginitas, spina erat, qua pungebatur concupiscentiæ spinis, & impugnationum, & tentationum aculeis, & stimulis, & spectata pungebat lacerans spectatores eam incautè spectantes, & etiam nolentes; & quò Virgo blanda est, & venustior, eò facilius fœdius vulnerat corda eorum, qui eius pulchritudinem vident, & intuentur; quæ idcircò lilij candori assimilatur, quia lilij tanta est teneritudo, & tam delicatus eius candor, vt nec minimũ quidem ferat cuspidis contactũ, quin vel fędatur, vel perforatur, quãdo instar floris lilij solo tactu marcescit.

Nostræ Virginis verò virginitas, & pulchritudo licèt esset lilium inter spinas, non pungebatur ab ipsis, nec pungebat, quando & visa pulchrificabat, cogitata castificabat, & ad memoriam reuocata castitatis amorem ingerebat intuentibus eam, vel de ea cogitantibus. D. Dionysius Carthusianus exponens verba hæc Canticorum sic testatur: *Quamuis fuerint multæ Virgines Sanctæ, tamen respectu Virginis, quasi spinæ fuisse videntur, quamuis enim in se fuerint mundæ, fuerunt tamen alijs spinæ, qui ex earum intuitu concupiscentia pungebantur: porrò Virgo Deipara intuentium corda sic penetrauit inæstimabili castitate Virginea, quòd à nullo potuit concupisci; imò potius extinxit ad horam eorum libidinem.* D. Dion. Carth.

O verè lilium puritatis, ò candor virginitatis, & nouitatis miraculum, donum hoc illi solum collatum legimus, vt testis est Alexander de Ales p.3.q.2. *Tanta, inquit, fuit in Virgine sanctificatio, vt etiam extenderetur ad alias; vndè etiam dicunt infideles, cum Maria pulcherrima fuerit à nullo tamen vnquam potuit concupisci, & hoc erat, quia virtus suæ castitatis, & sanctitatis extinguebat omnem motum carnalem in alijs aspicientibus ipsam.*

Aley. de Ales.

At si non piget probemus hoc testimonio Sanctissimi Ioseph huius Virginis sponsi, qui dormiens præceptum accepit à Deo per Angelum, vt peregrinaretur in Aegyptum cum Maria, & puero: *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum*, Matth.cap.2. & vt obtemperaret Dei mandatis, inquit Euangelista: *Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum*, quam antequam ingrederetur, nullam adhibuit cautionem, ad sui, & ad suę sponsæ custodiam: vir prudens erat, custos tantæ Virginis: & huius cautionis exemplum præcesserat in Abraham, qui quando à Deo idē mandatum acceperat, vt egrederetur de terra sua, de cognatione sua, & de domo Patris sui, & egressus peruenisset in terram Chanaam, & perlustratis aliquot regionis illius partibus; quando facta est fames in terra illa, coactus fuit vir sanctus descendere in Aegyptum, & antequam ingrederetur Aegyptum, intelligens suæ vitæ discrimen, quòd capiti suo imminebat, si Aegyptij animaduerterent Saram suam esse vxorem; vt suæ saluti, & vitæ consuleret, sic eam affatus est: *Noui quòd pulchra sis mulier: & quòd cum viderint te Aegyptij, dicturi sunt, vxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis: vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.*

Matth. Eu. c.2.

Genes. cap.12.

Diuus Chrysostomus hom.3. in Genes. hortatur nos considerare sanctitatem, & castitatem huius mulieris, cui Abraham tantum confidebat, vt vitam suam poneret in tuto. *Considera*, inquit Sanctus, *quantum cōfidebat moribus mulieris, non timens, ne fortè laudibus remissior fiat; tam humilis erat Sara quòd laudata non fastu se extolleret, & tam modesta quòd sua pulchritudine non subduceretur, illi totum se committit, & securus ingreditur.* Timuit Abraham, & meritò quidem, quia vix sponsa cæpit pede premere terram Aegypti, quando inquit sacer tex. Genes. cap.12. *Videntes Aegyptij mulierem, quòd esset pulchra nimis nūciauerunt Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & sublata est mulier, in domum Pharaonis.* Si eodem in discrimine versabatur Ioseph, in quo & Abraham: si eadem vtique imminebat calamitas, cur hic tantum timuit sibi, & Saræ pulchritudini? & non ille sponsæ suæ pulchritudini, quæ vtique Sara pulchrior erat? nonne sponsus erat Ioseph, & Mariæ custos? quem solum elegerat Deus ad tantæ Virginis custodiam? dicerem, nisi supra dixissem, Sara pulchra erat nimis, sed quia spina erat pungens sua pulchritudo, & visa punxit Aegyptios, & nondum obiecta Pharaoni, sed nunciata, & laudata tantum lancinare valuit cor eius; at nostra infantula lilium virginitatis erat, at non spina, licèt inter spinas, candor lilij, & pulchritudo eiusdem, & odor suæ virginitatis non vulnerabat se intuentes, sed castificabat, ad sanctitatem prouocabat, suo odore ad puritatem vrgebat, spinarum concupiscentiæ stimulos sopiebat, & extinguebat: timeat Abraham suæ vitæ periculum, quia pulchritudo suæ sponsæ, licèt casta esset, & pudica. Spina erat, at non noster Ioseph, qui experientia iam didicerat, Mariæ pulchritudinem vitam spirare non mortem, salutem immittere, non vulnus: quando Maria, & visa, & cogitata carnis motus, & sensus incentiua reprimebat, & exiccabat, & corda se intuentium, & contemplantium eius pulchritudinem virgineam ad castimoniā excitabat, & alliciebat. Ad hoc spectant verba illa Simeonis de Cassia lib.2.cap.22. qui sic ait: *Non vt Abraham Saram præmonuit Ioseph Mariam, vt diceret se ipsius esse sororem, veritus propter eius pulchritudinem si se fateretur vxorem, quæ specie sua, & pulchritudine sua Saram, & Rebeccam superauit, nec ipsa sublata est in domo alicuius Aegyptij Regis vt Sara in domo Pharaonis: sciebat enim quòd melius, quàm Sara custodiebatur ab Angelo, & talem gratiam in matre Virgine Deus posuit, vt nec propter eius excedentem pulchritudinem potuisset ab aliquo ob immunditiam concupisci nouerat hoc Ioseph experimento sui*, hæc ille. Quia pulchritudo virginitatis Mariæ non

S. Chrys.

Genes. cap.12.

Sim. de Cassia.

non solum sua pulchritudine non vulnerabat mentes intuentium, sed & vulneratas odore suæ virginitatis medebatur, & sanitati, & saluti donabat: en ò anima mea, quam verè Maria est lilium inter spinas.

De spinis, seù de progenitoribus culpæ spinis tactis, & confixis oritur hæc trima infantula, & velut lilium non solum peccati originalis spina ipsa sola non pungitur, non tangitur, non fœdatur, non conficitur, nec spinæ punctură vllam patitur, sed nouo candore, noua pulchritudine, inter spinas decoratur, dum inter Virgines plantata in domo Domini earum virginitas Mariæ virginitati comparata non erat virginitas, sed spina.

Eo namque tempore virginitatem mundus detestabatur: lex non exigebat, vsus ignorabat, populus abhorrebat, & ipsa natura fœminea vix illam sustinere valebat: fœcunditas, & non sterilitas, seù virginitas tunc erat in pretio, & virtus æstimata nimis.

Tunc triennalis hæc puella, hoc admirabile sola aggreditur opus, non cedens imbecillitati sexus, nec mundi iudicio, nec carnis illecebris, nec iuuenili ætati, nec muliebri affectui: sed tantum virginitatis amore, & Dei illecta dilectione, cui se totam consecrare peroptabat, perpetuæ virginitatis voto, & omnium prima se dicauit. Prima fuit vt testis est Venerab. Beda hom. de Annunciat. cui collatum est diuino munere, vt prima inter fœminas Deo virginitatis munus offerret: prima fœminarum Maria tantæ virtutis virtuti mancipare curauit, vt prima sine præcepto, sine consilio, sine exemplo, virginitatis votum Deo vouit, & mentis integritatem, & suæ carnis puritatem prima omnium sic consecrauit, vt in laudem eius, huius primatus ascribat vexillum Spiritus sanctus in Canticis: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.*

Cant.

D. Amb. Cassiod. Diuus Ambrosius, & Cassiodorus ex originali hebræo legunt, filia Aminadab, quem Euangelista Matth. inter cæteros enumerat in genealogia Christi;

Mat. Eu. fuit enim Aminadab pater Naasonis: *Aminadab autem genuit Naason*, ex quo infertur, quòd Aminadab Atauus fuit, & pater Mariæ; de quo Principe scribit Nicolaus de Lyra, quòd quando populus hebræus de Aegypto iam egressus, in terrâ proficiscebatur promissionis, et perueniret ad mare rubrum, et hoc transmeandi, nec modum, nec facultatē haberent, morti sub dira manu Pharaonis crudelissimæ addictos omnes esse existimabant, à qua miraculosè liberati per Moysen abierunt: percussit enim Moyses mare virga sua, et aquæ steterunt quasi murus diuidens illas Deus iuxtà numerum duodenarium tribuum filiorum Israel, semitas aperiens populo suo in medio maris: cui licèt diuisiones illæ aquarum starent pro muro, pauens populus, et timens, ne iterum reuerterentur in locum suũ, prout factum est in pęna Aegyptiorũ, qui submersi remanserunt in aquis: non erat ex Hebræis, qui primo pedem poneret, et ingrederetur in vnam viarum illarum. Aminadab fide munitus, spe securus, fidens Deo suo, equos quadrigarum suarum stimulo pungens, primo omnium ingressus est, quo exemplo cęteri omnes absque pauore ingressi fęliciter transierunt mare rubrum, et in tuto positi, salui facti sunt à gladio persequentis.

O Maria, ò diuina infantula, quàm pulchri sunt gressus tui vera filia Aminadab, dum prima omnium arduum virginitatis iter tu sola complanasti, et quòd erat timoris, formidinis, difficultatis, et opprobrij, tutum, et securum, dulce, et honorabile tuo exemplo reddidisti; hinc tot millia millium hominum, et mulierum iter hoc fidenter aggrediuntur, et virginitatis corona coronari Deo se offerunt, et consecrant.

Et si hæc infantula huius itineris glebas prima terit, et complanat, meritò à Spiritu sancto laudatur, et ab Angelis canitur: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Aminadab*. Vndè D. Ambrosius lib. 1. de institut. Virginum vocat Mariam magistram Virginitatis. D. Thomas p. 3. q. 28. art. 4. vocat ducem Virginitatis, quæ primo Virginitatis leuauit vexillum. S. Damascenus Reginam vocat Virginitatis, nam oculi omnium ad ipsam imitandam conspiciunt: & S. Hieron. scribens ad Pacomium, vocat Christum, & Mariam exemplaria Virginitatis: quoniam qui Virginitatē suam Deo consecrāt exemplo matris, & filij consecrant.

D. Ambr D. Tho. D. Dam. D. Hier.

Quid miraris anima mea si post Mariam

riam Regi Christo tot millia millium adducuntur Virgines? quando Virginis virginitas, & eiusdem virginitatis flos suauisſimus tantæ suauitatis, & fragantiæ efflauit odorem: quòd non solum traxit post se tot hominū fœminarumque agmina: sed & ipsam cœli cœlorum militiam traxit in sui obsequii famulatum. Sub typo mulieris fuit hoc mysterium præmonstratum Ioanni cap. 12.

Apocal. Apocalypsis: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim*: mira res; quòd hæc vna mulier in suum obsequium traxerit Solem, Lunam, et stellas, ex quibus luminibus, et astris tamquam ex cęlesti textura vestes, calceos, et coronam sibi valuit intexere: quid est hoc? et huic fęminæ, vndè tanta virtus, et sic singularis? et vndè illi aduenit imperium, vt suo subiugaret obsequio et Solem, et Lunam, et stellas cęlorum ornamenta?

Nec mirum? nam vbi primò cœpit in Virgine, hæc irradiare virginitas, & odor suauisſimus effiare integritatis, quòd eam vestiat Sol, calceat Luna, & coronent sydera, & in illius obsequium gestiant, & obsequantur luminaria cœli, & cęlorum decus. Audiamus Diuum Bernardum serm. in Apocal. in hæc verba: *In ijs quoque sydereum planè irradiat Deus, quòd Virginitatis primiceria, quòd sine corruptione fœcunda, vt prima omnium, & Virginitatis Primiceria: nec mirum, quòd millia millium, quocunque ierit Virgo sequuntur.* Si etiam suæ virginitatis odore trahi potuit ipsa cęli sydera, & cœli cœlorum ornamenta, super quæ tamquam virginitatis primiceria principatum habebat. Hoc imperium à Deo fuit Virgini collatum in pręmium suæ purisſimæ virginitatis: in ipsomet deliciarum loco, in quo ex costa primi hominis formauit Deus Euam in eo-

D. Bern.

Gen. c. 1. dem loco, verbis illis: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*: statutę fuerunt illis matrimonij leges: hominum etiam multiplicatio, & terræ repletio futura erat per naturalem coniunctionem maris, & fęminæ, cur in ipso Paradiso horum primorum hominum non fuit consummatum à Deo iam præceptum connubium? Nam & si infra habet textus: *Adam verò non cognouit vxorem suam*; hoc non fuit in Paradiso illo deliciarum, intra cuius septa formata fuit Eua, & multiplicandi acceperunt mandatum, sed post, vterque tamquam inobediens ab eo fuit eiectus. *In Paradiso continuerant*, inquit Vgo Cardinal. *Egressi statim ad carnales delicias transierunt*. Vg. Car.

Dici potest ex textu, quòd hic datum præceptum generationis non singulis hominibus datum est, sed toti speciei; omnibus hominibus in communi, nec in Adam, & Eua sepulta species remaneret humana, expressa verò matrimonij lex sancita fuit, quando dixit illis: *Quapropter relinquet homo patrem suū, & matrē, & adhærebit vxori suę, & erunt duo in carne vna*: vna erit caro non solum, quia ad vnam carnem prolis suscipiendam conueniunt, sed quia ipsi, quasi vnum corpus, & caro se habeant. Ità Rupertus Abbas lib. 2. in Genes. cap. 38. *Erunt duo in carne vna, coniugij copulam omnium carnaliū necessitudinem maximam, atque fortisſimam fore promittat: adeò vt simul copulati, iam non sint duo, sed caro vna, quę inter Adam, & Euam copula corporum coniugalis subsequuta est post eorum eiectionem è Paradiso, tunc & non primò Adam cognouit vxorem suam.* Gen. c. 1. Rup. Ab.

Vxor erat Eua Dei mandato; *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, non adhuc copulata viro, sed promissa in voto: Virgo fuit dum in Paradiso commorauit, & sponsa, sed nō nupta. sponsalia in loco deliciarū celebrata sūt, at nuptię extra paradisū, extra quē perdidit, quòd intra ipsū acceperat, vt spōsa: vt sponsa accępit à Domino matrimonij leges, *crescite, & multiplicamini*: at vt Virgo dominandi mandatum, & imperium super cuncta creata, quando immediatè subdidit Deus, *& dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*: vbi apparet, quòd Adæ, & Euæ largitus est Deus principatum, & dominium omnium creaturarum, cum adhuc essent Virgines, in virginitatis præmium, inquit D. Clem. lib. 8. Constit. Apostol. loquens de Sancto Ioseph, qui constitutus fuit Princeps super totum Aegyptum merito suæ castitatis, *tu Domine*, inquit Sanctus, *non despexisti Ioseph, imò pudicitiæ, quam seruauit, præmium dedisti, ut esset Aegyptiorum Princeps*, D. Clem.

Si Principatus, & dominium, & ius do-

dominādi creatis, debetur in præmium virginitatis; quid miratis anima mea, si Virgo Virginum, licet sponsa nunquā tamen nupta, vt Regina Virginum, vt Deus, magistra, & primiceria Virginitatis Regina constituta est cœlorum, dominatrix, & domina omnium, & hominum, & Angelorum ob meritum, & præmium suæ illibatæ virginitatis; Cuius odore, & fragantia in sui obsequiū, & famulatum, non solum traxit tot millia hominum, & fœminarum, sed etiam ipsamet cœlorum ornamenta, & exercitus.

Vt scias, & capias virtutis pulchritudinem, & præmij meritum, en magistra, & virginitatis decus, & exemplum ad hanc te edocendam virtutem trima ascendit in templum, & Deo virginitatis voto se consecrat; Nam vbi nostra vulgata in Cant. cap. 4. legit: *Collum tuum sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis*, legit Pagninus, *ædificata est ad docendum*: ô miraculum, ô prodigium, puerula triennalis, vix verbulum promere sciens, templo præsentatur, & templi gradus læta conscendit, & voto Deo se consecrat virginitatis: quo exemplo nobis loquitur, nos hortatur, nos docet, & nos instruit non esse imposibile seruare virginitatem, sed tantummodò difficilè; quòd & docuit Vgo Cardinal. expandens, hæc eadem verba: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*: In hoc duo maximè designantur, Dei scilicèt clementia, qua teneritudo lilij inter spinas illæsa seruetur, & timor Ecclesiæ ex testimonio sponsi suam cognoscentis teneritudinem; sic enim debet timere malorum cohabitationem; sicut lilium spinarum circumuallat.ᵐ Duo elucent in præmissis verbis, iuxtà sententiam, huius Doctoris, Dei clementiam, & pietatem, qua protegit; & adiuuat, & sponsæ timorem, quo timere debet suam fragilitatem, & suæ teneritudinis periculum; quòd lilium suæ puritatis seruet candorem tot circumuallatum spinis, quarum punctiones, quòd non sentiat, non lædatur, non fædetur, quòd non pungatur, nec patiatur non est humanæ naturæ potentia, aut fortitudo, sed Dei clementia. Dei donum, & bonitas, qui spinis vallauit lilium: non vt pungeretur, se i vt timeret, & sui custodiam inuigilaret. Non mea est sententia, sed Diui Bernardi serm. 48. in Cant. *Donec ergo in carne est anima, inter spinas profectò versatur, & necessè est, ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos; quòd si lilium est ipsa, iuxtà sponsi Verbum, videat quàm vigilem sollicitam que esse oporteat super custodiam sui, septa undique spinis, hinc indè aculeos intendentibus.*

Cant.

Pagnin.

Vg. Car.

Flos enim virginitatis mollis est, & delicatus nimis, & cùm sit septus spinis, facilè perforatur, fœdatur, & læditur, & sicut tentationum, & occasionum circumquaque vallatus est spinis, ne turpetur, seù vulneretur, necessè est circumuallare eum timore sancto, vt vigilet: tàm fragilis ex sua natura est homo ad resistendum, & huius floris tanta est teneritudo: quòd nec leuissimam valet sustinere punctionem, sed mox, vt premitur, vel tangitur leuitèr perforatur: ne à spinis vulnere, tàm graui; a quo amplius conualere non valet, afficiatur, necesse est, vt cautè inuigelet, & in timore, & tremore vacet suæ custodiæ virginitatis, quò percussus timore exclamat D. Bernardus in Cant. serm. 48. *O candens lilium, ò tener, & delicate flos, increduli, & subuersores sunt tecum, vide quomodò cautè ambules inter spinas; plenus est mundus spinis: in terra sunt in aere sunt, in carne tua sunt, versari in bis, & minimè lædi diuinę potētiæ est, non virtutis tuæ; sed confide*, inquit, *quia ego vici mundum*: si igitur vndique tibi intendi prospicias tribulationum, tamquam tribulorum aculeos: *non turbetur cor vestrum neque formidet, sciens quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationē, probatio spē; spes autē non confundit*: *Considera lilia agri, quomodò inter spinas vigent, & nitent; si fœnum, quòd hodiè est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis amicam, & sponsam suam*: *denique custodit Dominus omnes diligentes se*; hucusque Sanctus.

D. Bern.

D. Bern.

Quòd timeat suæ teneritudinis tot septam spinis fragilitatem, optimè quidem, & non ad insipientiam sibi, quòd autem confidat in Dei adiutorio, & clementia sanæ mentis est consilium: inter præstutatum spinas, inter passionum pressuras, & inter ipsa mortis discrimina, ne Christi discipuli desperarent, aut pusillanimes, aut diffidentes essent, consolatus est eos Dominus Iesus, quòd illis

lis semper adesset sua clementia, vt protegeret, & præstò esset, vt illis præberet auxilium; quòd si tanta cura est illi de minutis passeribus ne vnus quidem eorum pereat, quantò magis inuigilat, ne pereat homo tactus ad suam imaginem? quando dixit illis: *Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos, vestri autem, & capilli capitis omnes numerati sunt*. Quid est, ò anima mea? quòd Deus numeratos habet capillos capitis hominum, & non volucres cœli; non dixit Passeres numerati sunt, licèt nec vnus illorum est in obliuione coram Deo, sed tantum capilli capitis vestri numerati sunt: Numquid Deum, qui numerat multitudinem stellarum lateat numerus Passerum? fatendum dicimus, non latere, sed non habere in numero, cur hoc? quia pennis leuissimis feruntur per æthera, tanta non indigere cura, diligentia, seu vigilantia, quia vt dicit D. Hilarius, *in numerum enim aliquid colligi, diligentia est*.

Mat. Eu. cap. 10.

D. Hilar.

Diuus Thom. in catena aurea ex mente Diui Ambrosij per passares illos intelligit homines, qui veluti passares volando aufugiunt à carnis illecebris, à tentationum stimulis, & ab occasionum spinis. & à spinarum aculeis. *Bonus passer*, inquit Sanctus, *est cui volandi natura suppeditat: volandi enim gratiam nobis natura dedit, at voluptas abstulit, qui pungi non vult volitet vt bonus passer, qui sic volans si spinis non pungitur, non fœdatur, mirum non est si nec numerantur; quia numeratio manifestat diligentiam curæ exhibitæ: qua non indiget homo ille, qui agit, quòd habet à natura, & volat vt passer*. Quare non dixit passares numerati sunt: sed bene, & capilli capitis vestri numerati sũt, per quos intelliguntur homines illi, qui more capillorum inter tentationum, & occasionum spinas viuunt, & versantur: capilli enim ex carne nascuntur, de carne viuunt, in carne cres[c]unt, & nutriuntur, & carnis nihilominus nihil habent, ij benè numerantur, quia acumen diuinæ prouisionis, & protectionis vsque ad hos intendit, & procedit vigilanti cura: *Denique* inquit D. Ambrosius, *numerus capillorum nõ in actu computationis, sed in facilitate cognitionis accipitur, quia non sunt à capilli præter scientiam Dei sed speciali diligentia, sua bonitate, & clementia inuigilat, vt custodiat, & seruet; nam & nos illa numeramus, quæ seruare volumus*, & docet D. Chrysostomus dicens, *vnde hoc dixit, non quòd Deus pilos numeret, sed vt diligentem cognitionem, & multam circa nos prouidentiam ostendat, qui veluti capilli in carne, viuunt inter tentationum spinas ne fœdantur, ne turpentur, ne vulnerentur, quia non est virtutis humanæ, sed diuinæ potentiæ numeratos dicit habere, vt immensam*, inquit D. Hieronymus, *Dei erga homines ostendat bonitatem, & ineffabilem signat affectum*. O maxima Dei mei clementia seruare tot inter spinas lilij teneritudinem, quòd viuant aliqui veluti capilli in carne, & quòd nõ sint caro, & quòd nihil habeant carnis, quid est hoc? Dei vtique est clementia, Dei donum est, & bonitas diuinæ potentiæ. *In carne, & sine carne viuere*, inquit D. Petrus Chrysologus serm. 134. *planè Angelicum est*: seruare lilij teneritudinem inter spinas, & Virginitatis florem supergreditur hoc conditionem humanæ naturæ, flammis circundari, & non ardere: versari inter spinas titillationum, et non pungi Dei est bonitas, non nostræ fragilitatis virtus, paucorum est hæc virtus et victoria; quæ licèt sit ex nostra infirmitate difficilis, quia tamen nobis adest Dei clementia, qui et vires præstat, et modum docet, et ministerio Angelorum nos adiuuat, et ex Dei bonitate, et adiutorio, non est impossibilis. audi S. Ambrosium, anima mea, in lib. de viduitate. *Neque mirum si pro nobis Angeli militant, qui Angelorum moribus militatis*.

D. Ambr.

D. Tho.

D. Chrys.

D. Hier.

D. Petr. Chrysol.

S. Ambr.

Vt impossibilitatem eliminaret D. Paulus Apostolus à fidelium cordibus, et difficultatem præmonstraret ex parte nostræ fragilitatis scribens ad Corinthios Epist. 2. cap. 4. sic habet: *habemus enim thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis; deijcimur sed non perimus*. Væ nobis mortalibus, qui Virginitatis florem omni thesauro pretiosiorem gestamus in vase fictili, quòd si contingat vas fictile ex alta Turri deijci, quòd nõ frangatur, quòd non comminuatur, quòd non pereat, et quidem mirum est, sed valdè mirandum, quòd in vase fragili, vt est corpus nostrum, quòd luteũ est, et fictile, candor Virginitatis seruetur illæsus, non est virtutis humanæ, sed solius Dei potentiæ, inquit Apostolus,

D. Paul.

vt

vt sublimitas sit uirtutis Dei, & non ex nobis. non ex nobis, en nostræ fragilitatis periculum, sed Dei virtus, en impossibilitatis exclusio, et in hoc hæc Dei virtus, qua tot inter spinas tentationũ, tot inter motus blanditiarum, et titillationum: tot inter aculeos carnis illecebrarum: tot inter stimulos concupiscentiarum custoditur Virginitatis lilium, seruatur Virginitatis thesaurus: *dencimur* hoc est circumquaque intus et foris cingimur spinis: *& non perimur*: non pungimur, non turpamur, non lædimur, non perforamur, non laceramur: videtur hyperbole: sic habet text.

text. Grecus. Grecus in hoc loco: *ut hyperbole sit uirtutis Dei*, verè enim quodãmodo hyperbolica, et eminens est Dei potentia: Virginitatis thesaurum in vasis fictilibus in medio tot spinarum integrum seruare, & illesum: non est hic dicendi excessus sed ipsamet veritas, qui Deus est: qui & sua clementia seruandæ Virginitatis in vase tam fictili tollit impossibilitatem, & moderat difficultatem tum ministerio Angelorum, tum huius infan-

D. Idel. tulæ exemplo: de qua loquens S. Hidelphonsus serm. 3. de Assumpt. Virginis Mariæ, sic nos exhortatur: *Habetis*, inquit Sanctus; *egregii ministerii formam, habetis, & exemplar in Virgine perfectæ Virginitatis: Ecce via, qua pergere debetis*. O anima mea Maria hanc tibi primo aperuit viam, à qua disce pudorem, disce castitatem, addisce, & in vase fictili tui corporis Virginitatis seruare thesaurum, & inter spinas conseruare lilij candorem.

Hoc suo exemplo Virgo præstat nobis etiam, & modum illam possidendi, acquirendi, & inneniendi: dum intra claustra templi se recludit, & à curis mundi huius omnibus expedita, et denudata Deo se consecrat, cui Virginitatis voto arctius se ligat; omnia mundialia primo à pectore abijcit, et reijcit, vt in corde suo vnum Deum possideat; turpatur enim Virginitatis perfectio, quãdo in corde aliud recipitur, quòd Christi non est.

Mira res, & non parua admiratione digna, quæ accidit Mariæ, dùm ipsa astabat filio morienti iuxtà Crucem, à quo etiam commendatam, legimus Ioanni, cui dictum est: *Ecce mater tua*,

Ioan. Eu. quid indè? inquit sacer textus cap. 19. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*: Et admirationis, & difficultatis ratio pendet ex hoc, quia Maria erat primogenita virginitatis, forma, exemplar, & thesaurus huius virtutis: imò erat ipsamet virginitas, quàm non potest cor gloriari habere, si præter Christum, aliquid aliud habet: quomodò Ioannes in possessionem intrat virginitatis, si adhuc retinet sua, & Maria, quæ est ipsa virginitas, quomodò vult abire seu connumerari inter bona, seu coniũgi bonis Ioannis? si virginitas non potest esse in corde, nec quiescere in pectore, quòd in se aliquid retinet mundiale, sed necesse est, vt solum Christum habeat, & possideat: si Ioannes adhuc habebat sua, qua ratione valuit Mariam accipere in sua ex illa hora?

Audi anima mea, quid dicat D. Ambrosius in exhortatione ad Virginem, D. Amb. *Quid est accipit in sua*, inquit ipse, *cum reliquerit patrem, & matrem, & Christum sequutus sit? quæ sua habebat Ioannes? qui mundana, & sæcularia non habebat, quia de mundo non erat, quæ ergo habet sua, nisi quæ à Christo acceperat?* bona igitur Ioannis, in quæ intrat Maria, & ipse Ioannes eam recępit, non erant huius mundi, & corruptibilia, sed quæ acceperat à Domino Iesu, erant bona Christi, & spiritualia, per quæ in Ioannis anima abiectis omnibus mundialibus Christi facies sculpta apparebat, quòd si mundialium abdicatio, & Christi Iesu in corde perfecta impressio, et figuræ illius viua expressio, sunt signa perfectæ virginitatis; quid mirum si Ioannes accępit Virginem in sua, et Maria inter bona illius connumeratur? et recipitur? neque enim mater Iesu nisi ad possessorem gratiæ demigraret, vbi Christus habebat habitaculum, commorabatur, et quiescebat.

Hæc est doctrina, quam suo exemplo commendat nobis Maria, dum voto virginitatis, et hanc adipiscendi cęlestem virtutem tibi ò anima mea tradidit modum, et formam quando templum ascendit; non enim perfecta virginitas inuenitur in corde, in quo sculptilia huius mundi sculpta, vel depicta sunt; necesse est vt abijciantur hæc primò, et deindè formetur Christus, qui quòd docuit verbis, mater ascendendo in templum, præmonstrauit exemplo.

Pendens Iesus de cruce inter cætera, seù inter pauca, quæ loquutus est, hæc duo præcipuè splendent, Ioan.Eu. vnum dicendo matri: *Mulier, ecce filius tuus*, secundum quando subdit dicendo Ioanni: *Ecce mater tua*; & vnde Ioanni donum hoc, & priuilegium? vt ipse, & non alius meruerit fieri custos tantæ Virginis, vt ipsius tutelæ crederetur, & non alterius tanta Virgo? vt ipse solus, & non alius hunc virginalem meruerit possidere thesaurum? numquid hoc ille meruit, quia & Virgo erat? an fuit hoc suæ perseuerantiæ meritum? nam ex discipulis Ioannes solus, vsque ad montem vbi Crucifixus est Iesus, perseuerauit, & iuxtà Crucem assistit, quæ Ioannis virtus? & quòd meritum ipsius? vt dignus tantæ Virginis custos solus esset, & Patronus?

De hoc audiamus, quid dicat D.Ambr. Diuus Ambrosius: *Ideò illam Dominus de Cruce tradidit Sancto Ioanni dilectissimo suo discipulo, qui dixit Patri, & matri suæ, nescio vos*: non noui vos; denique vocatus à Christo reliquit Patrem, & Christum sequutus; huic traditur Virgo, qui suos non cognouit, abnegatio ergo bonorum omnium, & carnis, & sanguinis abrenunciatio dignum reddidit Ioannem tantæ custodiæ, vt custos meruerit esse tantæ Virginis: qui nihil habebat, omnia tradidit, omnibus renunciauit, & patrem, & matrem reliquit, quòd de alijs non legimus, relictis retibus, & patre sequuti sunt Iesum.

Quid mirum si Ioannes solus dignus censetur à filio, cui in articulo mortis mater traderetur in custodiam, si de illo legimus: *Qui pascitur inter lilia*: quid miraris ò anima mea, si etiam moriens mori voluit inter lilia? quem & lilia sequuntur quocunque ierit: quò ibit agnus? quò ibit Iesus? vt ipsum sequantur Virgines? D.Aug. in lib. de Sancta Virginitate sic respondet Diuus Augustinus: *Quò eum putamus ire, nisi de Christo in Christum; cum Christo post Christum, per Christum, & propter Christum*. O fœlix Virgo, ò Beata infantula, quò primò diriguntur gressus tui? Nisi in templum? quò tendunt nisi ad Deum? quò vltimatè terminantur? nisi in Deo? Dicat ergo anima mea adorando te, amando te: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis Aminadab*.

Ij Virginis gressus sunt ad te edocendum hanc cœlestem virtutem, vt degens in terris, viuas in Cœlo, quòd naturale, & proprium huius virtutis est homines in Angelos transformare; sic enim docet Diuus Hieronymus: D.Hier. *In carne præter carnem viuere, Angelica est vita*: et licèt sit vt lilium inter spinas, spinis non pungitur, quia vt docet Diuus Cyprianus: *Virginitas est opus integrum, atque incorruptum, imago Dei resplendens ad sanctimoniam Domini*: tam amica Deo est virginitas, quòd vt Deus homo fieret, non nisi de carne Virginis carnem assumere voluit: quòd probat Diuus Ambrosius in lib. de institutione Virginum his verbis: D.Amb. *Vnigenitus Dei filius venturus in mundum puriorem carnis suæ generationem reperire non potuit, quam vt cælesti habitationi aulam Virginis dedicaret, in qua esset immaculatæ Virginitatis sacrarium*: si virginitas non esset, vtique Deus homo factus non fuisset: hoc est puriorem suæ carnis generationem reperire non potuit: & si virginitas potuit Deum hominem facere, quòd maius est, vtique potest, quòd minus est, quòd est homines Angelos facere, & ad Angelicam naturam eleuare, & assumere.

Memorare anima mea, quòd Virgo Maria ab Angelo salutata dum audiuit ab eo: *Benedicta tu inter mulieres*, turbata est Virgo in sermone eius, & quæ turbationis ratio? si Virgo mulier, & si inter omnes à Deo est benedicta: cur non lætatur potius? cur non congratulatur, & lætitia magna non repletur cor eius, & viscera animæ eius: cur ineffabili gaudio redundarunt. Turbationis causam, quando turbata est in sermone, adinuenit Diuus Bernardus in verbis D.Bern. Apocalypsis, quòd hoc nomen mulier est commune Virgini, & non Virgini: Virgo purissima, quæ Virginitatis voto se consecrauerat Deo inter Virgines benedictionem peroptabat non inter mulieres; audiens benedicta inter mulieres, meritò timuit ne

Vir-

Virginitatem aliquando perderet, & cum Virginitate Dei familiaritatem, Dei conuersationem, commercium, & famulatum: Virginitatis zelo in sermone Angelico turbata est, & cogitabat qualis esset ista salutatio: benedici non in mulieribus volebat Virgo, sed inter Virgines: nonerat enim quòd virginitas est virtus illa, quæ animam ad Deum eleuat, & inter Angelos locat, & de hominibus Angelos facit.

Genes. In lib. Genesis cap. 17. loquens Deus Abrahæ dixit illi: *Ambula coram me, & esto, & esto perfectus*: et quæ perfectio fuit hæc? quæ Dei & hominis sic strictè amicitiæ ligamen fuit, & nodus? Dei & Abrahæ, quasi vna voluntas, vnum velle, vna domus, vna mensa, vna consocietas. In lib. Genes. hoc elicitur, quando præcepit illi Deus: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*: obtempetauit Abraham Deo, & vt perfectus eò ipso, quòd circumcisionis accepit mandatum, circumcidit seipsum, & domum eius totam eodem die, sed quòd in hoc est admirabile, & admiratione dignum, quando Sacer textus notat ætatis tempus, quo Abraham se circumcidit, ait enim: *Nonaginta & nouem annorum erat Abraham, quando circumcidit carnem præputij sui*; hic numerus nonaginta nouem pertinet ad nouem Choros Angelorum, hoc est Sacræ Scripturæ sacramentum; nam Dinus Euangelista Lucas in cap. 15. notat parabolam pastoris, quando pastor ille diuinus, vt inueniret ouem vnam de ouili suo iam perditam, reliquit nonaginta nonem in deserto; & vt omnium Sanctorum est sententia: Verbum patris est pastor iste, qui relictis nouem Angelorum choris, venit ad hominem, vt perditum inueniret, & reportaret ad caulas Ouilis sui.

Genes.

Luc. Eu.

Quando præcipitur Abrahæ circumcisio, & ipse tunc se circumcidit, quando nonaginta nouem annorum numerum iam compleuerat, quæ hæc mysteria? & quid ostentant? nisi quòd Circumcisio virginitatem prænunciat, & obsignat, qua integrè seruata, homo, ex homine demigrat ad esse Angelicum, & inter Angelos meretur connumerari: innouatus hoc numero nonaginta nouem annotauit in hoc loco interlinearis insinuatur pertingere ad societatem Ciuium supernorum.

Dicam & amplius, quòd virginitatis virtus altius eleuat animam virginitate amictam, vt sit sponsa Christi, quòd est aliud altius ab Angelo; iuxtà illud Apostoli 2. Corinth. cap. 11: *Despondi enim vos vni viro Virginem castam exhibere Christo*: inquit Vgo Cardinal. *Virgines propriæ sponsæ sunt Christi*, Christus sponsus est Deus, ergo sponsa erit Dea: Christus Rex est gloriæ, & anima desponsata Christo, erit Regina gloriæ, coronata corona illa immortalitatis: Christus sponsus sedet ad dexteram Dei patris in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quantò præ illis differentius nomen hæreditauit, & anima vt sponsa Christi sedebit in gloria Dei patris tantò altius Angelis eleuata, quantò virginitatis dono differentius hæreditauit, vbi dulciter cantabit canticum illud: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia*; non dicit quòd pascitur Virginitatis lilijs, sed quod morari delectatur inter lilia, agens, seu gerens vicem pastoris, & custodis; vt notauit Diuus Bernardus in sermone de Vigilia Natiuitatis Domini: *Non cibo*, inquit Sanctus, *sed consortio pascitur liliorum; nec lilijs vescitur, sed inter lilia versatur, qui pascitur & vescitur lilijs, lilia consumit*: castitatis sponsus non vescitur puritatis lilijs, nec castitatis flores consumit, sed vt custos, & pastor versatur inter lilia, vt seruet, coronet, & præmiet.

D. Paul.

VgoCar.

D. Bern.

Anima mea si tu sponsa Christi, si tu filia gloriæ, si tu coronata immortalitate, si tu Dei familiaritate, si tu Angelorum societate desidetas associari sponso Cœlesti; en virginitatis ramusculus, en nostra infantula Maria, quæ exemplo suo te docet virtutem hanc cœlestem, & modum adipiscendi: munda te ab omni sæculi huius impuritate, laua te ab omni terrenarum affectu, appareat Christus solus in corde tuo, corona te Virginitatis lilijs, esto lilium, & de spinis noli timere, Christum habes in pastorem, qui perseueranter dum es lilium, versatur inter lilia: Maria est custos, &

DE PVLCHRITVDINE CORPORALI Virginis Mariæ.

RAMVSCVLVS VIGESIMVS SEXTVS.

Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in delicijs: Statura tua aſſimilata eſt Palmæ.
Cant. cap. 7.



O Maria, ò Virgo, tu verè in decore venuſtatis tuæ pulcherrima; tu decora in cõpetenti membrorum tuorum formatione, & ordine: tu ſola affluens in delicijs pulchritudinis tuæ; Cur non omnium pulcherrima Maria? ſi nitore formæ ipſa ſola præit cæteras pulchritudines; dùm pulchritudinis candor, qui intus latebat, exterius etiã miro ſplendore prælucebat: & quæ puritate intus gaudebat angelica, vultum etiam foris habuiſſe angelicum, imò ipſis Angelis ſplendidiorem, autumat D. Ignatius, qui in Epiſtola quanta, ſic de ea fatetur. *Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria matre Ieſu, humanæ naturæ, natura ſanctitatis Angelicæ ſociatur.* D. Ignat.

Qui pulchritudinis decor, ò anima mea, ò cor meum, ità percutere, & excitare debet tua viſcera, & ità cogere, & deſiderare aſpectum huius virginis, quę ſi fas eſt dicere, fuit cæleſtę pulchritudinis prodigium, & ſanctitatis ſingulare monſtrum; dùm eius pulchritudo fuit extrà naturæ curſum, & ſuper eiuſdem ordinem: *Quàm pulchra es, & quàm decora charisſima in delicijs pulchritudinis tuæ:* quoniam huius pulchritudinis tuæ ſtatura, quæ per omnia asſimilata eſt palmæ, in ſtatura corporis, & in diſpoſitione membrorum, tanta adoleuit in pulchritudine, quòd meritò ex magnitudine rectitudinis, ex ſpecioſitate celſitudinis: ex iucuditate formoſitatis: ex viriditate, & acuminibus foliorum; & ex fructuum vbertate, & dulcedine, & ex procera palmę tuæ ſtatura, quæ ſempiternæ eſt viriditatis, & pulchritudinis, vt verè dicere valeat anima mea, *ſtatura tua asſimilata eſt palmæ.*

Quæ eſt enim hæc palma ſempiternę pulchritudinis, cuius pulchritudini per ſimilis fuit pulchritudo Marię? niſi Dei? qui ex ea poſtea factus eſt homo: cui quantò in corporis pulchritudine fuit hæc Virgo perſimilis, ipſe permonſtrauit in Canticis, quando ſic cęcinit ad laudem eius: *Equitatui meo in curribus Pharaonis asſimilauit te amica mea.* Cantica: cap. 1.

Bellum quadã vice adorſus eſt Deus cùm Rege Pharaone, & equitibus, & curribus eius; quando nimis adaucter ingreſſus eſt, hic inimicus mare rubrum perſequens populum Dei: ſi cum Diuo Gregorio Nyſſeno intelligimus, hoc ſponſi Epithalamium Turma equitum Dei, ſeù exercitus Dei, non fuit hominum, ſed Angelorum tantùm, qui cum ſint puritate, & innocentia præſtantisſimi, ſunt etiam forma decoris, & pulchritudinis ſpecioſitate pulcherrimi; quorum pulchritudini cum cœleſtis ſponſus dilectisſimæ ſuę ſponſę pulchritudinem videatur comparare. O Virginis pulchritudo, ò Marię ſpecioſitas, & ſpecioſitatis decor, meritò Angelis eſt ipſa pulchrior, quæ Angelos vincit puritate, vt teſtis eſt, D. Anſelmus, quando ſic exclamat: *O benedicta ſuper mulieres quæ Angelos vincis puritate, & Sanctos ſuperas pietate.* D. Greg. Nyſſen. D. Anſel.

Attende anima mea, quia ſermo eſt de corporea non de ſpirituali Virginis pulchritudine, de qua infrà dicetur; cum angelicæ illæ creaturę careant corpore, ſunt enim purisſimi ſpiritus: manife-

nifeftū eft æquiparationē pulchritudinis Virginis non componi, feu non assimilari angelicæ pulchritudini, fed potius corporis illius pulchritudini, qui de ea nasci complacuit, quòd lectio grecca egregiè probat, dùm illud equitatui meo, legit ipsa; *Equo meo assimilaui te amica mea.*

Lectio Græca.

D.Hiero. D.Ambr. Qui equus iuxtà Diui Hieronymi intelligentiam lib. t. commentariorum in Zachariam, & Diui Ambrosij interpretationem in lib. de benedictionibus Patriarcharum, intelligitur Corpus Christi, qui fuit speciosus forma præ filijs hominum: huius corporis sui pulchritudini pulchritudinem matris assimilat, dùm equo suo comparat; quid mirarìs anima mea, si Maria pulcritudine præit illos spiritus supercælestes sem piternæ pulchritudinis, & puritatis, si illius pulchritudo ad Filij Dei pulchritudinis ascendit æqualitatem.

Fuit enim Christus: vt ex monumentis antiquis habetur, & fignantèr ex D. Nicephoro lib. 1. suarum historiarum Ecclesiasticarum, vultu viuido, & perdulci, qui ad quamdam potius longitudinem tendebat, quàm ad rotūditatem: cuius color ad triticum indicum, quòd candore, & delectabili rubore calleat: accedebat modica hinc fulcedine rubescens, speciosus præ filijs hominum, & gratiosus reddebatur, iuxtà Propheticum Dauidis oraculum in Psalm. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum*; ex hoc enim Vaticinio deducitur Dominum Iesum fuisse corpore miræ pulchritudinis; & licèt D. Basilius in hæc verba, & D. Cyrillus lib. 5. in Isai. Prophet. cap. 53. intelligant de pulchritudine diuinitatis fuæ, & Theodoretus, & Remigius exponant de pulchritudine gratiæ; ad rem nostram, eadem verba intelligamus, & nos cum Dino Augustino, Casfiodoro, cum Diuo Chysostomo homil. 18. in Matthæ. & Dino Bernardo serm. t. de Sanctis, de pulchritudine Corporis Christi, qui super omnes filios hominum fuit pulcherrimus: si attendamus, & ex parte temperamenti; & complexionis eiusdem consideremus corpus illud, cuius qualitates à natura diuina fuerunt assumptæ ad pondus, itá vt vna aliam non excederet, vel minimum quid.

D. Nicephorus.

Dauid Proph.

D. Cyril. Isai. Proph. Theod. D. Rem. D. Aug. Cassiod. D. Chrys. D. Bern.

Et hoc ratione principij efficientis, à quo fuit corpus formatum, fuit enim virtute Spiritus sancti, qui in illo incarnationis momento descendit in Virginē; ratione quoq; naturæ humanæ, caro enim illa purissima fuit ex sanguinibus purissimis Virginis Mariæ, & etiam habita ratione ad corporis suppositum, cui erat hypostaticè vnitum, fuit enim Dei Verbum; quapropter D. Thom. p. 3. q. 14. art. 4. & quam plurimi Scolastici in lib. 3. sentent. dist. 15. & 16. docent Corpus Christi ab intrinseco non fuisse capacē ægritudinis, nec alicuius morbi, seu defectus: & si expers erat omnis deformitatis, capax per consequens erat omnis pulchitudinis, vt cecinit Psalmista, quòd erat Iesus speciosus forma præ filijs hominum. D.Tho.

Et quemadmodum ex complexione omnium optimam elegit partem, itá dicendum est de eiusdem corporis statura, quę non minorem corpori addit pulchritudinem, sed maximè prælłat: circá quam, ò anima mea velim scias Christum iustæ fuisse staturæ, itá est sacrorum Doctorum sententia, at tibi satis erit ad veritatis notitiam, & ad perfectam tui eruditionem, hic notare verba Pijssimi Lodulphi, qui in Prologo lib. de Vita Christi, circá finem, hæc verba annotauit. *Christus statura fuit procera mediocris, & spectabilis: vultum habens venerabilem, quem possent intuētes, & diligere, & formidare: Capillos habens ad modum nucis auellanæ pramaturæ, ferè vsque ad aures: ab auribus Cincinnos Crispos aliquantulum Ceruleos ab humeris ventilantes: discrimen habens in medio capitis iuxtà morem Nazarenorum; frontem planam, & serenissimam cum facie sine ruga, & sine macula, quam rubor venerabilis venustauit: Nasi prorsus, & oris nulla fuit reprehensio: barbam habens copiosam, & impubem, capillis concolorem, non longam, sed in mento bifulcatam: aspectum simplicem, & maturum oculis glaucis varijs, & claris existentibus: in increpatione erat terribilis, in admiratione blandus, & amabilis, bilaris, seruata grauitate: aliquando flenit, sed nunquam risit: in statura corporis propagatus, & rectus, manus, & brachia visui delectabilia, in colloquio grauis, rationabilis, rarus, & modestus.* Lodulp.

De cuius corporis statura, & forma sic loquitur etiam Nicephorus; quòd *Christi corporis statura erat trium cubitorum, & semis, hoc est satis procera, &* Niceph.

egre-

egregia: fuluos habebat oculos, cum aliquo nigrore, quos venusta nigra, splendore quodam permixto, nō nimis reflexa, mirū in modum supercilia decorabat: barba flauescens erat ad modum demissa: Coma sufflaua, & prolixior ad occipitium, leniter declinabat: nasus pariter ad Aquilinum: collum sensim decliue, non nimis extentum, sed statui corporis dispositum congrue habebat.

Et si pulchritudo proficiscitur ex optimo, & intimo naturæ temperamento, quid pulchritudinis deesse potuit Christo, qui fuit Spiritus sancti opus, & ex purissimis Virginis matris sanguinibus genitus, & natus; ita vt dicat S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus, quòd *Christus virtute referebat patrem, sed corpore, forma magnitudine, ac decora indole referebat matrem*, si in illa forma corporea, quam Iesus assumpserat à Virgine referebat matrem, & à natura iam insitū est, etiam cunctis animantibus, si impedimentum non aduenerit, similem sibi procreare: ergo quùm natura ipsa non impeditur naturaliter producit, & generat filium patri vel matri semper per omnia similem; ita vt audeat dicere Philosophus quòd pueri vt plurimum matrizant. ergo matrizauit & Christus, qui si præ filiis hominum fuit speciosus, & pulcherrimus, & causa proxima, & vninoca illius pulchritudinis fuit hęc Virgo, & mater; Cur non ipsa præ filiis hominum pulcherrima? dicat ergo filius: *Equo meo assimilaui te amica mea*; dic & tu ex pręcordiis cordis tui ò anima mea, *Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in delicijs? statura tua assimilata est palmę.*

D. Amb.

Omninò videbatur consentaneum, Christum, & Mariam fuisse inter se valde consimiles, non solum moribus, sed etiam corporis statura, facie, & membris omnibus; itaque si Christus fuit pulcherrimus præ filiis hominum: pulcherrima fuit, & Maria præ filiis hominum: libet hic ad tui cordis deuotionē Virginis effigiem in medium afferre, ex traditione Nicephori, qui ex diui Epiphanii mente loquitur in lib. 2. cap. 23. Mariæ Virginis mores, staturam, & faciem describens, sic ait. *Erat in rebus omnibus honesta, & grauis, pauca ad modum eaq; necessaria loquēs, & ad andiēdū facilis, & per quam affabilis: honorem suum, & venerationem omnibus exhibent, statura mediocri, quamuis sint, qui eam aliquātulum mediocrē longitudinē excessisse dicant, sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia: colore fuit triticum referente, flauo capillo, oculis acribus, subflauas, & tamquam oliuæ colore pupillas in eis habens supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra: nasus longior, labia florida, & verborum suauitate plena: facies, & digiti longiores; erat denique fastus omnis expers, simplex minimèque vultum fingens: nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem praecellentem colens, vestimentis natiui coloris contenta fuit.* Vide Canisium quoque de hac re lib. 1. de B. Virgine cap. 13. & Cardin. Baronium tom. 1. annal. anno Christi 48. circa finem.

Niceph.

Canis. Cardin.

E dum pulchritudo Mariæ per omnia respondet pulchritudini filij sui, qui pulcherrimus dicitur præ filijs hominum, pulcherrima erat, & Virgo benedicta: vnde omnibus sua pulchritudine erat gratiosa, suauis, decora, delectabilis, iucunda, & speciosa Deo, & hominibus, et filio omnino persimilis: vt verè dicat matri: *Equo meo assimilaui te amica mea.*

Hæc enim similitudo inter Iesum, et Mariam ferebatur ad conciliandum amorem inter eos, et mutuam beneuolentiam: ac etiam perfectionem; nam eò inter duos fortior inualescit amor, quò maximè in similitudine fundatur vniuoca; quùm inter matrem, et filium maximus intercesserit amor: vtique iurè fatendum est, inter eos maximam, et omnimodam interuenisse similitudinē. Quòd sic forti argumento probat D. Anselmus in lib. de excellentia Virginis cap. 4. *Excedit omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parētes amor istius matris in filium, & istius filij in matrem suam; quia B. Virgo sicut sola genuit hunc filium, sic tamquam mater, & pater amore integro non diuiso illum diligebat, & ab ipso indiuiso amore, vt mater sola, & pater diligebatur.* O anima mea si similitudo est causa amoris, maximus hic, maximus fuit et illa: intuere, et contemplare si vales huius Virginis similitudinem, et amoris excellentiam, et exclama, et læta lauda: et amoris illius vino inebriata exulta: *Quàm pulchra es, & quam decora in pulchritudine tua, ò Maria: verè ò pulchritudo oculorum meorum, statura tua assimilata est palmæ.*

D. Ansel

Hæc

Hæc corporea Virginis pulchritudo erat in optimo humorum temperamento, erat in dispositione omnium corporis partium optimè ordinata: erat in admirabili membrorum ipsorum proportione in alacri, et modi et ponderis mensura: erat in decenti, et mirabili ordinis Simetria: O Maria ò pulcherrima mulierum, cuncta sacrari tui corporis membra: quid aliud ostentabant, nisi copiam benè ordinatam, et in aciei formam, et modum arte quadam Mathematicali diuinitus instructam: quam mens mea non valet sine delectatione contemplare, nec sine stupore simul illam intueri.

Hoc filij sui præcordiale iubilum, dũ equitatui diuino in curribus Pharaonis eam assimilat: equitatus belli, quum personat vocabulum, equitatus, siquidē turmam sonat equitum copiosam, quæ est pars fortissima exercitus, tota enim membrorum corporis Virginis dispositio tantæ fuit speciositatis, formositatis, simul & fortitudinis, quòd triumphauit de Deo; cuius cor, & vicit, & potenti pulchritudinis vulnere vulnerauit: de quo vulnere conqueri ipse vulneratus videtur, dum dicit: *Equitatui meo assimilaui te amica mea*; quòd idem est, ac si dixisset.

O Maria non minus potens est hæc tua pulchritudo ad me vincendum, ad me vulnerandum, & ad triumphandum de me, quàm fuit equitatus meus vinctus curribus Pharaonis ad vincendos, & profugandos hostes populi mei: tuæ enim pulchritudini, quæ terribilis est, vt castrorum acies ordinata, non est potestas, non est potentia, quæ obsistere valeat, dum me vincit, & de me triumphat.

Nec mirum, dum cuncta Virginis membra in ipsomet corpore veluti tot milites, & ad bella doctissimi castrametabantur in acie, seù in castris.

Cuius exercitus frons erat Virginis caput illud aureum, Virginali menti debita proportione erectum, quo spiritus vitalis membris omnibus miro modo vitam erogabat, & motum; cuius capitis comæ, modò vt purpura Regis, modò vt elatæ palmarum, sic frontem illā planam, candidam, & absque ruga, Cœlo ipso sereniorem honestate, & pudicitia florentem, ac nouam rosam vernantem sic decorabant, vt omnium cęlestiū suarum cogitationum Dei esse regale sacrarium, & vernans Paradisus deliciarum.

Quam ineffabili concinnitate, & con decorabant, & coronabant duo illa lumina splendentia quasi duo sydera pur pureo circulo cincta, serena, semper lucem stillantia, pulchra quidem, & clara, sed & grauia, decora, & benigna erant, suauia, & delectabilia, dum duo illa supercilia, quasi arcus speciosi decoro cingebant circulo, & circumuallabant æquali spatio, debita distantia, & non minori gratia modulata quædam pulchri candoris linea reddebant gratissima, et venustissima.

Huius primæ frontis exercitus in Virgine veluti equites, et sagittarij erāt illæ duæ genæ non nimia macie rigidæ non nimis turgidæ pinguedine, sed cādidæ quasi lilia; cui albo candori erat infectus color purpureus vernans velut verni rosa: verè ò Maria *genæ tuæ sicut aureolæ aromatum*, de quarum eleganti decora proportionata longitudine, decenti altitudine, rectaque linea consurgebat nasus, tantæ et sic miræ pulchritudinis, simul grauiraris, et fortitudinis, vt de eo dicatur: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Cant. c. 7

Aures verò alacres, et rubicundę, quò paruulæ et breuiores erant, eò faciei illius decorabant nitida tempora, et reddebant decora, et amabilia: in hac prima exercitus parte mirum in modum renidebat os illud aureum, et perpulchrum labijs florentibus, et purpureo colore tinctis, ornatum, et coronatum dentibus, æqualibus, minutis, spissis, cādidis, auorij candorem referentibus: lingua perdulci, suaui eloquio, et verborū suauitate repletum; ità quòd et si in labijs gratia erat diffusa, et lingua dum loquebatur stillabat mel, et lac perdulcissimum.

Faciei circumferentia, vbi paruo, et aliquantulum eminenti, sed concauo tantisper cum venustate decora concludebatur mento, et percandido gutture cui non erat dissimile collum, quo miro artificio veluti fortissima alabastrica columna, tota huius aciei pars Virginis fulciebatur, sustentabatur, et formidabilis reddebatur; quoniam *mille clypei pendent ex eo, omnis armatura fortium*. Latera huius exercitus erant illa duo

duo brachia, ex duobus æqualibus, & ritè dispositis humeris,descendentia:ità robusta & fortissima, vt valerent dicere: *Posuisti vt arcum æreum brachia mea*: Nonne arcus,& fortissimus arcus Mariæ brachia? quando & Deum ipsa intercludit, & amplexata est:cuius candidum pectus erat velut turris Dauid cum propugnaculis, à quo consurgebant duo vbera illa vino pulchriora fragantia vnguentis optimis.

Pars autem postrema huius pulchritudinis aciei,in qua erant pedites: erat illius purissimi corporis pars vltima,& extrema: En pedes Virginis recti, agiles,parui,sed fortes,mundi, firmi, & veloces:quorum gressus iusti, honesti, decori,humiles,sanctitate, & pulchritudine pleni:quam pulchri,ò Maria. *Quam pulchri gressus tui in calceamentis*: dum non mortalis mulieris, non fœminæ ex Adæ massa,sed ex Deo coronati,& ideò diuini.

In medio Castrorum, & exercitus erat venter ille eburneus, in quo Dux Deus ipse castrametatus erat:ibi ò anima mea tetendit tentoria sua: ibi parauit Papilionem suum, ibi strauit lectulum,& conopęum suum;qui licèt naturæ terminis paruus, & angustus: ò miraculum, ò prodigia cœlo ipso intuere capaciorem,semper vallatum lilijs,semper distinctum Sapphyris.

Nec mirum,illũ sustentabant duo crura, quæ & illi erant veluti duæ columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas, ita vt totius Virginis corporis structura erat decora nimis, suauis valdè,iucunda multum, perpulchra satis: eminens, & recta: vt tu eam amando, eam timendo, eam humiliter rogando, eam deuotè laudando,dicas: *Quàm pulchra es, & quam decora charissima in delicijs,statura tua assimilata est palmæ*.

Attende anima mea quot in Virgine membra,tot erant pulchritudinis illius sagittarij: quot capilli, quot motus, quot sensus, quot gesta, quot verba, quot nutus, quot operationes, quot actiones, quot cogitationes, tot erant astæ,tot erant arcus,& sagittæ tot equitatus, & milites,tot arma bellica: quæ omnia & pulcherrimam reddebant Virginem,simul & formidabilem,& Castrorum aciem benè ordinaram ostentabāt illam.

Et de quo nō triũphat Maria?sic ornata pulchritudinis sagittis: sic formositatis honestata armis? si triumphat de Deo? attende ipsum,quid dicat: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*; En oculi Virginis veluti fortissimi sagittarij Deum ipsum auolare fecerunt, hoc est inflammauerunt, vt legit lectio hæbrea,seù superiores,& fortiores me fuerunt: sed clarius Rabbi Kimmi, quia ipsi concupiscentiam meā superauerunt:si pulchritudo tua,ò Virgo mater, vicit Deum, & benè vincuntur specie formositatis qui armis non vincuntur in prælio:en ferreum cor pectoris mei sagittis pulchritudinis tuæ percute: vulnera, contere, frange comminue,accende,inflamma,adure, transforma: vt tuæ pulchritudinis amore succensus, tota anima, toto corde,tota mente,totis cordis mei visceribus, amē te, & diligam te: ò pulchritudo oculorum meorum, vt sic inflammatus amore: laudans laudando te, tibi canam; *Quàm pulchra es,&c. statura tua assimilata est palmæ*. Cant. c.6. Lectio hebræa. Rabbi kimmi.

Meritò palmæ Christi, qui fuit speciosus præ filijs hominum, pulchritudini compatatur pulchrtudo Palmæ Mariæ: filius erat ille, & istius filij mater Maria; si filius diuinitate, & interna, hac spirituali pulchritudine prę filijs Dei, hoc est spiritibus Angelicis fuit speciosissimus,& externa,& corporea tantæ fuit formositatis, & pulchritudinis; quòd non solum præ filiis hominum, sed etiam Sole fuit pulchrior: adeò vt Sol ipse, & Luna mirentur pulchritudinem eius; nec mirum, dum ex interno glorioso, & diuino splendore eius pulchritudo etiam in facie elucebat humana: vt testis est D.Hieronym. D.Hier.

Certè splendor ipse seù fulgor, & maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat: ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu: O Maria, ò Virgo, quàm enim verè: *statura tua assimilata est palmæ*, quoniam tuæ pulchritudini naturali ex interna animæ tuæ pulchritudine, fulgor quidam accessit, & splendor, qui redundabat in vultu;splendebat,& fulgurabat,& adeò coruscans, & splendens: vt & tu inter homines valeres commorari,& conuersare, necesse fuit fulgorem illum vultus tui vmbra quadam manus diuinæ obūbrare:& licet obumbratus talis nihilominus erat: quòd D. Dionysius Areo-

Hh pagita

pagira vt ipſemet de ſeipſo teſtatur,nec intueri valuit,nec ſuſtinere cuius verba ſunt hæc.

D.Dion. *Cum ductus fui ad deiformem præſentiam altisſimæ Virginis tantus me immẽſus diuinus ſplendor circumfulſit exterius,& plenius irradiauit interius: tanta etiam in me omnium odoramentorum ſuperabundauit fragantia.vt nec corpus infelix, nec ſpiritus poſſet totius, & tantæ felicitatis inſignia ſuſtinere; defecit cor meum: defecit ſpiritus meus tanta gloria maieſtatis oppreſſus*, ſplendor ille, ad ſe inuitabat,alliciebat, & ad ſe trahebat potius quam terrebat:paſcebat oculos, non perſtringebat; mulgebat animos non expaueſcebat, inflammabat corda: & ad ſui amorem caſtè trahebat, & pectora tribulatione, & nimia amaritudine oppreſſa: ſubleuabat, conſolabatur, & lætitia ſpirituali replebat, & gaudio. Huius Virginis pulchritudinem admirans D. Birgitta lib.4.cap.19.ſic eam collaudabat.*Verè Domina tu es pulchritudo pretioſisſima, pulchritudo deſideratisſima;quia infirmis data es in auxilium, tribulatis in ſolatium, omnibus in mediatricem*; hic conſolationis effectus non deeſſe potuit Mariæ pulchritudini,cum Virginis pulchritudo pulchritudini cõpararetur filii: de quo ſcribit eadem Sancta in lib. 6. ſuarum reuelationum cap. 1.& cap.58.*Quòd erat facie, & aſpectu adeò decorus, & delectabilis, & eius viſus,& locutio adeò affabilis,& acceptabilis: vt multi tribulati dicerent, eamus ad filium Mariæ, à quo poſſumus conſolari; Et licèt ignorarent eum eſſe filium Dei; tamen conſolationem recipiebãt magnam ex eius aſpectu.*

D.Birg.

Eadem Sanct.

O anima mea ſi pulchritudo Mariæ ſimilis eſt filii ſui pulchritudini, & hæc filii pulchritudo tanta erat: vt quicumque eum aſpiceret conſolabatur à cordis dolore,& mæſtitia:Cur non matris pulchritudo?ſi data eſt ad ſolatium tribulatis, & qui aſpiciebant vultum Virginis conſolabantur, & cæleſti gaudio quo erat ipſa repleta replebantur;teſtis: eſt oculatus D. Dionyſius Areopagita, quando ductus fuit ad conſpectum Virginis; animæ greſſibus accede ad eam, & mentalibus oculis intuere eam,& dic ei; veni pulchritudo clarisſima, & illumina tenebras mentis meæ: veni pulchritudo pretioſisſima, & aufer à me opprobrium meum; veni pulchritudo ſuauisſima, & mitiga amaritudinem cordis mei: veni pulchritudo potentisſima,& reple animam ſerui tui tua conſolatione cæleſti: veni pulchritudo delectabilis, & lætifica tua dulcedine, & tua charitate inflamma animam ſerui tui, vt te amet,te diligat, te ſola perfruatur, & delectetur in te ſola, ò pulchritudo oculorum meorum. O, ò, ò Maria ſentiat anima ſerui tui in ſe præſentiam tuæ tantæ formoſitatis, intueantur, & contemplentur oculi mei tantæ lucis ſplendore irradiati fulgorem amabilis vultus tui: captiuet cor meum aſpectus tuæ tantæ pulchritudinis,quæ tam pulchra,tam grata, & formoſitate tam immenſa refulgebat, & micabat: vt Rex,& Deus æternus amator factus illius, & captus illius pulchritudinis forma: adeò concupiuit,quòd ipſe ſerui formã dignatus eſt accipere, quando factus eſt homo.

D.Dion.

O anima mea, quam & quanta æſtimanda eſt totius ſtructuræ Virginis pulchritudo,ſi in vno crine colli ſui, ſi in vno oculorum ſuorum vulnerauit Deũ: quo amoris vulnere perculſus non erubeſcit exclamare: *vulneraſti, vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa*: O vulnus, ò vita vulnera cor meum, vt ſanetur,percute,vt viuat, transfige, vt conualeſcat, confige vt vulneratum ſemper tecum maneat;vulnera oculorum tuorum,vitæ vulnera ſunt, animæ te amanti, te deſideranti: plaudat cor meum ò vitæ mater,vitam ei per te datam,per te,& pro te fructum vitæ accipiat, ò vitæ dulcedo, ò palma quæ fructum vitæ attuliſti. Cant.c.4

Adam homo ille primus in crimine tranſgreſſionis repertus à Deo, cum graui vt noxius illa teneretur culpa, qua & obnoxiam totam reddidit ſui generis poſteritatem; vt pœna dignã illum multaret Deus, euaginato iam gladio in illo mortis conflictu, nudus vti morti addictus, & tremens, & pauens præ confuſione ſui ſceleris, ante Iudicem conſtitutus,vultu hærebat terræ, & vbi oculos non audebat leuare in Iudicem, pauliſpèr attollens caput: vidit mulierem ſui criminis ſociam, quã non mulierem tunc cenſuit appellare: ſed Euam,quòd ſonat mater virę,& mater viuentium.

Si ſui criminis cauſa, tunc agitabatur, & mortis ſententiam expectabat à Iudice,cui & obnoxia erat Eua,quæ nõ

ſocia

socia tantum fuit criminis, sed & tanti mali prima causa, & occasio principalis: & Deus vt Iudex in illo iudicio debitas exigebat pœnas ab Adam: & à tota eius posteritate: & massa; qua pœna sic erat deuicta Eua, vt erat Adam: *In* Gen.c.2. *quacunque hora comederis ex eo, morte morieris*, dixit illis Deus, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*; & tunc Eua subiacebat imperio mortis, quando astabant coram Iudice, cur non mortis tunc non appellauit Adam Euam, sed matrem vitæ, & viuentium?

Quę nominari merebatur totius naturę humanæ ruina, damnatio, casus, exitium, interemptio, corruptio, interitum, gladium interfectio, iugulatio, extinctio, & mors, ipse vitam appellat, & matrem viuentium vocat, & nominat, quæ mortis pœna erat afficienda, vt suæ transgressionis pœnas debita lueret, vitæ nomine signat: & quæ mortis filia sua culpa erat effecta, vitę corona coronat, ornat, & decorat, quæ huius nouitatis causa? Quæ huius nominis ratio? vel quæ lux oculos, animum linguam sua luce, tunc rexit Adami? vt auctricem mortis, & peccati, vitæ, & viuentium matrem diceret?

Diuus Cyrillus Alexandrinus in D.Cyril. Alexan. Ioelem Prophætam, sic respondit: *Non enim spiritali gratia prophetiæ carebat Adam: quippè qui antè peccatum peculiari prophetandi munere præditus erat*. Si prophetię dono gaudebat Adam quando matrem viuentium vocauit Euam, tunc prophetauit, inquit Diuus Epi- D. Epip. phanius; ac si diceret: *B. Mater Dei Maria, per Euam significabatur, quæ per ęnigma accępit, vt mater viuentium vocaretur*: in illo tunc Euam subrogauit in locum Mariæ, intendens figuratum in figura; quam idcircò non mortis matrem vocauit, sed viuentium: siquidem Euam morti addictam, & verè morientium matrem corporalibus, tunc Adam intuebatur oculis, sed spirituali luce interius contemplabatur figuratam per illam hoc est Mariam, quę sua pulchritudine, & dignitate tanti, figuræ maioris, fuit meriti, & excellentiæ, quòd Adam Euam primam, ac si non esset, obliuioni omninò traditam, relicta figura, ad figuratam totum se conuertit: & vt mortem, cui in pœnam suæ transgressionis addictus erat, euaderet, ad vitæ matrem confugit, & viuentium matris nomine, meritò eam coronat, & appellat.

O Maria, ò palma palmæ æternę viriditatis, & pulcritudinis omninò similis accingere gladio tuo, quo sola Dei iræ, & diuinę potentię resistis, & quòd Deus ipse dat mortem morti, & morti dãnato deleta noxa, cõmunicat vitam, vt tu meritò dicaris mater viuentium.

Tuæ pulchritudinis species, ò vita dulcedo, cor Adami lætitia, incredibili gaudio, & mentis iubilo, vt in contemplatione positum illius, licèt præfiguratæ, quòd mors horribili suo aspectu excruciari non potuit, nec formidabili, sua præsentia exulcerari, nec suo pauore suffocari, nec sua tristitia contabescere, nec suo timore conturbare, nec crudeli suo imperio subiacere, nec suis molestijs angi, nec suo vultu cruciare, nec suis lanceis conficere, nec suo metu afficere, seù formidare, illud valuit, quin potius illa omnem ab eo leuauit pauorem, liniuit dolorem, dulcorauit anxietates, remisit metum, lætificauit tristitiam, mitigauit timorem, abduxit formidinẽ, molliuit terrorem, & merentis pectus demulsit, & penetralia cordis illius, adeò repleuit gaudio, vt præ nimietate letitiæ mortis iam oblitus pręsentiæ, exultat, consolatur, lætatur, congaudet, iubilat, tripudiat, & certus de vita non mortis matrem, sed vitæ appellat, & nominat.

Ad hanc igitur, verè vitæ matrem, nos tanti Patris, qui ad mortem genuit nos misera proles, leuemus nostrę mentis oculos, dirigamus, & nostri pectoris vota, vt fructus, quem nos ipsa mater, & Virgo attulit vitę, gustando experiamur effectus, sentiamus dulcedinem, & vtilitatem; ad quam pergustandam nos allicit ipsemet filius, qui natus est ex ea, quùm ad laudem eius in Canticis sic dulcitèr canit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*: Cant.c.1 alia lectio legit: *Equo meo in curribus Pharaonis assimilaui te*. Domini Iesu equus, cui ille ad nostram salutem insedit, Crux Sancta fuit, ab Angelo præmonstrata Ioanni sub typo ligni vitæ Apocal. fructus duodecim afferentis, per singulos menses reddentis fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium: qui fructus duodecim ex Scriptura diuina eliciuntur; quorum. Primus fuit Dæmonum expurgatio, iuxtà illud Ioann. cap. 12. *Nunc Princeps mundi huius eij-* Ioan.Eu.

cietur foras. Secundus, carceris inferius
Dauid contractio, ex Psalmo 23. *Attollite portas*
Proph. *Princepes vestras, & eleuamini portæ*
æternales. Tertius, mortuorum pecca-
D.Paul. torum resurrectio, ex Diuo Paulo 1.
Apost. Corinth. cap. 15. *Sicut in Adam omnes*
moriuntur; ità & in Christo omnes viuifi-
cabuntur. Quartus captiuorum redem-
ptio, ex eodem in eadem Epistola cap.
Idē Ap. 1.Corin. 6. *Empti enim estis prætio magno glorifi-*
cate, & portate Deum in Corpore vestro.
Quintus inquinatorum mundatio, ex
Apocal. Ioanne Apocal. cap. 1. *Qui dilexit nos,*
& lauit nos à peccatis nostris in san-
guine suo. Sextus cęcorum illumina-
Isaias tio, ex Isaia cap. 35. *Tunc aperiētur oculi*
Proph. *cæcorum*. Septimus, tepidorum, frigi-
Dauid diuorumque caletactio, ex psalmo 18.
Proph. *Non est, qui se abscondat à calore eius*.
Octauus, deformatorum decoratio ex
psalmo 50. *Asperges me hyssopo, & mun*
dabor, lauabis me, & super niuem deal-
babor. Nonus, sitientium potatio, ex
Ioan.Eu. Ioan. cap. 6. *Sanguis meus verè est potus.*
Decimus, Patris placatio ex Apostolo
Paul.Ap. ad Hebræos cap. 12. *Accessistis ad san-*
guinis effusionem melius clamantem, quā
Abel. Vndecimus, Ianuæ Paradisi ape-
Genes. ritio, ex Genes. cap. 28. *Verè non est hic*
aliud, nisi domus Dei, & Porta Cæli, quæ
nobis aperta est in aperitione lateris Chri-
sti. Duodecimus, hæreditatis Christi
acquisitio, & confirmatio, ex Matthæo
Matt.Eu. cap. 26. *Hic sanguis noui testamenti*:
Nam Chisti Sanguine collatum est no-
bis Regnum Cœlorum.

Hos enim vitæ duodecim fructus
ad vitam produxit nobis lignum San-
ctæ Crucis, quando ad illum ascen-
dit Dominus Iesus, qui dixerat: *Ascen-*
dam ad palmam, & apprahendam fru-
ctus eius: fructus vtique vitę fructus no-
stræ redemptionis.

Huic palmæ assimilauit Virginem
matrem suam, quando dixit; *Equo meo*
in curribus Pharaonis assimilaui te. nam
ex vtero Virginis processit fructus vitę
credentibus, & de plenitudine eius vi-
tam accipiunt vniuersi tùm hominum,
tùm Angelorum, vt testatur D. Bernar-
D. Bern. dus loquens in persona Virginis; *An-*
gelicarum generationum numerus per
meum generatum reintegrabitur, & ho-
minum generatio per Adam maledicta;
per benedictionem fructus ventris mei ad
æternam hæreditatem generabitur; fru-
ctus igitur vitę duodecim carpit homo
ex lignó Crucis; fructus vitę duodecim
legit idē ex Virgine matre, & cōsimiles.

Vndè meritò Maria à filio assimilatur
ligno crucis suæ, & in statura altitudi-
nis, & in pulchritudine frondium, & in
numero, qualitate, & in dulcedine fru-
ctuū; nam si sanatiua sūt folia crucis, &
fructus ad vitam: sanatiuæ dicimus esse
folia nostræ palmę virgineæ, fructus il-
lius ad vitā; cuius folia, ò anima mea, vt
sanemur, cuius fructu, vt viuamus, acce-
damus ad arborem, accedamus ad li-
gnum vitæ, accedamus ad Mariam, di-
camusque ei cum D. Anselmo; *Exaudi* D.Ansel.
me Domina, sana animam serui tui pec-
catoris, per virtutem fructus ventris tui:
fructus ille fructus ligni vitæ est omni-
bus credentibus, vt in hoc Virginis fru
ctu, omnes accipiant vitam, quam ami-
serunt in fructu Adam, & Euæ.

Mortem effugere homo non valet,
nec ad vitam resurgere, nisi per solam
Mariam, quæ vere est mater vitæ, & hęc
est gratia illa, quam inuenit, vt dixit
Angelus, apud Deū: *Inuenisti, quòd quę*
rebas, inquit D. Bernardus hom. 3. super D. Bern.
missus est, *inuenisti, quòd nemo antè te*
potuit inuenire, inuenisti gratiam, apud
Deum, quām gratiam? Dei & hominum,
pacem, mortis destructionem, vitæ repara-
tionem. Egressus fugitiuus de Aegypto
à facie Pharaonis Populus Hebręorum
& fugiens castrametatus est in Ethan
in extremis finibus solitudinis, sic oar-
ctatus à terra, & ab aqua; nam ex vna
parte hābebat mare rubrum, & ex alte-
ra desertum inaccessibile; quòd cùm
nunciatum esset Pharaoni tulit sexcen-
tos currus electos; & quidquid in
Aegypto currum fuit, & Duces totius
exercitus, & persequutus est eos; & inse-
quentes Aegyptij vestigia præceden-
tium, assequuti sunt, & inuenerunt eos
in castris super mare; eleuantes autem
filij Israel oculos suos, viderunt Aegyp-
tios post se, erat numerus persequen-
tium copiosus nimis, fortis, & formida-
bilis, in solo cuius aspectu Hebręi labo-
rare cæperunt conuulsione membro-
rum, & mortis timore perterriti dixe-
runt Moysi. *Forsitan non erant sepulchra* Exod.
in Aegypto, ideò tulisti nos, vt moreremur cap. 14.
in solitudine. A cordibus eorum iam
abiecerat mortis timor omnem spem
salutis, & effugij; locus ipse, in quo sta-
bant, eripiebat ab eis spem euadendi è
manibus inimicorum, & iter, quòd

clau-

clauserat vitæ,morti aperiebat satis patenter.& cum essent in ore gladij morti vicini,spei,& vitæ effecti, iam expertes,pęnituit eos exijsse de Aegypto;vndè lacrymātes dicebāt; *Melius erat nobis seruire Aegyptijs,quàm mori in solitudine*. Si de manibus exercitus Pharaonis spes humana euadendi Hebræis nulla erat, quomodò euaserunt? & de faucibus mortis,quis eos liberauit,& patrocinatus est, & illis viam, quæ clausa erat ad vitam,quis aperuit? sic respon-
Exod. det sacer textus in Exod.cap. 14. *Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua, quasi murus à dextris eorum, & læua. Persequentesque Aegyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis currus eius,& equites per medium maris: & interfecit Dominus exercitum eorum, & subuertit rotas curruum,& inuoluit eos in medijs fluctibus*. O admirabilis Dei potentia,ò ineffabilis bonitas Dei mei, sepeliuntur in aquis currus, & equites Pharaonis,inter quas ambulantes Hebręi sicco vestigio saluantur ad vitam.

Quis namque fuit iste equitatus Dei in curribus Pharaonis? & quomodò in curribus Pharaonis? Dei enim equitatus, quem Deus ipse oppofuit equitatui Pharaonis, non fuit populus hebræorum, qui pedestris, & imparatus exijt de Aegypto? vt constat ex lib.Exo-
Exod. di cap.12. *Profecti sunt filij Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta ferè millia peditum virorum, absque paruulis & mulieribus*: si egressus eorum non fuit in curribus,neque in equis, sed pedestres ambulauerunt,quonam pacto Sacer textus Canticorum docet eos exijsse in curribus,& equitibus,hoc sonat; *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimila-*
Rup.Ab. *uite*: in hoc loco respondet Rupertus, Abbas, & satis eruditè. *Magnum, & mirum spectaculum respicienti inde currus Pharaonis,hinc equitatum meum:currus namque Pharaonis valdè multi ferro armati, equitatus autem meus virga vna fuit,virga Moysis: virga illa contra sublimes currus Pharaonis taliter equitauit,hoc modo pugnauit*: ad mentem igitur huius doctissimi viri, Dei equitatus, quem oppofuit equitatui Pharaonis,fuit illa vna, & sola virga Moysis, qua pugnauit contra Aegypcios,& se & filios Israel de eorum manibus liberauit Moyses, & hostibus demersis in

aquis,quas ipse transfretauit, & populus Hebræorum sicco vestigio, & securus, & gaudens peruenit ad litus salutis, & vitæ. nec est mens sola tanti Doctoris, sed & auctoritas Sacræ Scripturæ in Exod.cap.14. *Tu autem eleua Vir-* Exod.
gam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud,vt gradiantur filij Israel in medio mari per siccum. Ex aqua,quæ antea erat,inquit Spiritus sanctus cap.19.Sapientiæ,*terra arida appa-* Sapient.
ruit,& in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio: aqua fuit pro muro filijs Israel, & terram profundi virentibus herbis vermiculauit Deus,& floribus,vt securi,lęti,& gaudentes de mortis periculo trāsirent ad vitam; at vt eorum inimicos sepeliret in aquis, alterius diligentiæ opus non erat,nisi *Extende manum tuā super mare, & reuertentur aquæ ad Aegyptios super currus,& equites eorum*.

Verè mirum,& magnum spectaculū respicienti indè currus Pharaonis,hinc equitatum meum; equitatus autem meus virga vna fuit,virga Moysis: & hæc cur tot portentorum operatrix,tot prodigiorum effectrix? & illi vndè virtus talia operandi infallibilis? Dicam quæ sentio ex mente aliquorū Hebręorum,qui dicunt in virga illa ducis populi Israelitici, qua portenta talia ipse operabatur, fuisse nomen Dei Thetagrammaton inscriptum; itá vt in singulis virgæ lateribus,singulæ litteræ huius sanctissimi nominis erant sculptæ, & exaratæ in argumentum probabile, quòd illa mirabilia non erant referenda ad nudam virgam,sed in Dei nomen ineffabile inscriptum in lateribus singulis illius. Moysis virgam, & huius sanctissimi nominis decoratam,& coronatam litteris,in sensu allegorico dicimus expresse typum fuisse Sanctæ Crucis,vt multorum est sententia, cui astipulari videtur sancta mater Ecclesia in festo exaltationis eiusdem: *Adsunt prodigia*, canie ipsa,*in virga Moysis primitus figurata*.

Et quòd figuræ præstitum est, figuratæ,dicendum est,non fuisse denegatū; imò cumulatius,& perfectius collatum à Deo,quia mirabiliora,& innumerabiliora sunt,quę operata est Sancta Crux, & quotidiè operatur,quàm Moysis virga: virga crucis anima fidelis fidei clypeo munita frænat,vincit,& cohibet fa-

stum Pharaonis, hoc est diaboli deijcit, deprimit, & prosternit contumaciam eius: subuertit rotas curruum, & equites eius demergit in profundum; hæc victoria non est referenda ad crucem vt ad nudum lignum: hos vitæ fructus duodecim non affert, vt nuda siluarum arbor, sed quia singulis in lateribus eius insculptæ, & exaratæ sunt litteræ nominis Dei Thetagrammaton. Affixum est, & inscriptum legimus nomen ineffabile Iesu: *Scripsit autem & titulum Pilatus*, inquit Ioan. cap. 19. *Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, & posuit super Crucem; & ità internè hoc sanctum nomen inscriptum est, quòd nulla potestate deleri potuit vnquam, sic respondit Pilatus Iudæis, hoc nomen à Cruce delere quærentibus: *Quòd scripsi, scripsi*: annectitur Iesus, copulatur Iesus, & vnitur Cruci, vt addiscas anima mea; qui quidquid tibi per Crucem ad vitam præstandum erat, nomini dulcissimo Iesu ascriberetur.

Ioa. Eu.

Quòd quidem nomen Iesu, vt inquit Ioan. erat scriptum hebraicè *Iesuah* qui & Thetagrammaton; & hic vt patet benè inspicienti duodecim componitur litteris, quæ singulæ singulis in Crucis lateribus inscriptæ, duodecim paritèr vt supra numerauimus nobis afferunt vitæ fructus, & vitæ sunt fructus, quia illo in ligno vitæ equitans Iesus insedit ad nostram redemptionē, quo in aquis submersis hostibus, per siccum deduxit, & deducit credentes ad vitam: huic Crucis equo cur Dominus Iesus assimilauit matrem suam? equitatui meo, seù equo meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea: & equitatus meus vna virga fuit, virga Moysis multò potentior, & portentorum fructibus multò fæcundior, & ad nostram salutē, & vitam multò salubrior: hæc est illa virga, quę mundum innouauit ab erroribus, & hæresum absterfit à fordibus. Sic testatur pijssimus Absalon Abbas serm. 31. de Assumpt B. Virginis: *Virga quoque Moysis, per quam fecit signa in Aegypto, Maria est, per eam Deus fecit mirabilia in mundo, à quibus vnum de maximis est, quando versa in colubrum Dracones Aegyptiorum deuorauit*; quia quùm de se Christum in similitudinem carnis peccati genuit, omnia crimina, omnes hæreses impiorum, quæ Aegypto huius mundi illudebant tum virtute prolis, tum exemplo virtutis suæ deleuit. Hæc est illa virga, quæ mundi voluptates, & delicia tum illecebras amanti puritatem vertit in amaritudinem, & abominationem: sisto ad hoc verba piissimi Richardi à S. Laurentio lib. 12. de laud. Virg. *Maria est virga Moysis: virga percussit Moyses aquas fluminis coram Pharaone, & seruis eius, & versa est aqua in sanguinem, & pisces, qui erant in flumine mortui sunt: similitèr & Maria præcibus suis, meritis, & exemplis cōuersis peccatoribus maximè dilectoribus suis, mundanas, & carnales dilectiones, quæ eiò præterfluunt vt aqua conuertit in abominationem, et amaritudinem.* Hęc est virga, quæ percutiens silicem pectoris humani fluenta educit lacrymarum, & compunctionis. Idem Doctor, & eodem in loco: Maria de cordibus lapideis, & obstinatis educit aquas compūctionis, quòd virga fecit Moyses: & tibi ô anima mea, vndè culpæ mortalis expiatio? pacificatio inimicitiæ capitalis? sanatio plagæ originalis? releuatio inediæ mentalis? euitatio iræ iudicialis? elongatio pœnæ gehennalis? collatio, & donum gratiæ habitualis? repletio animæ rationalis, perfectio vitæ spiritualis? illuminatio cœcitatis humanæ? reintegratio ruinæ imperialis, & perpetuatio gloriæ æternalis? nisi ex fructu, quem tibi ad vitam attulit Maria, quæ vt lignum vitæ, & folia habet ad sanitatem gentium, & hos fructus duodecim, quibus mors arcetur à credentibus, vt conseruentur ad vitam.

Absalon Abbas.

Rich. à S. Laur.

Exod. cap. 7.

Id. Doct.

Et virtus tam potentior, & salubrior vndè huic Virgini? nisi quia in singulis eius lateribus singulæ litteræ Thetagrāmaton insculptæ erant, verius, & perfectius, quàm in virga Moysis legebantur exaratæ. Cuius enim memoriæ adhæsit Iesus tenacius, vt Mariæ? nullus pronunciauit frequentius vt Maria: nullus Iesum cordi suo adnexuit, vt Maria: nullus in lamina sui pectoris effigiauit expressius, vt Maria: quemadmodum nullus nomen Iesu intellexit verius, vt Maria; nullus amauit ardentius, vt Maria: nemo conuersatus est cum Iesu sincerius, vt Maria: nullus nominauit nomen Iesu dulcius, vt Maria: nullus prædicauit conuenientius, vt Maria: *Quæ*, vt inquit D. Ignatius, *nec nominari voluit sine Iesu*: vndè vocitabant omnes

D. Ignat.

Maria Iesu. Et si litteræ singulæ huius sanctissimi nominis Thetagrammaton insculptæ erant in singulis huius virgæ lateribus digito Dei: quid miraris ò anima mea si vna Virgo equitatus multitudini assimilatur? *Si aduertas*, vt inquit D.Bernardus serm. 39. in Cantic. *quanta in ipsa vna, quæ tam sancta est virtutum acies habeantur: quanta in affectionibus ordinatio; quanta in moribus disciplina: quanta in orationibus armatura: quantum in actionibus robur: quantus in zelo terror: quanta denique ipsi cum hoste conflictum assiduitas, numerositas triumphorum*; structura enim pulchritudinis illius sic erat benè disposita, vt liceat dicere: *Quid videtis in Sulamite? nisi choros castrorum*, Cant. cap. 7. terribilis quidem vt castrorum acies ordinata Dæmonibus ad terrorem, & interitum: nobis autem credentibus, & diligentibus eam ad vitam, facta est nobis lignum vitæ, & illud, quòd solum dignū fuit portare fructum salutis, & vitæ. In tuis necessitatibus ò anima mea ad hāc virgam eleua, & dirige oculos tuos: si saxeum est cor tuum virga hac percute illud, & fluent fluenta lacrymarum, & compunctionis: si culpæ lethalis plaga vulnerata es habet folia ad curationem & sanitatem: si laboris ad mortem, en virga, quæ habet fructus ad vitam per menses singulos: toto corde ergo illam inclama. O palma sempiternæ pulchritudinis, tibi soli seruata erat hæc victoria, libera animam serui tui à laqueo mortis, cui iam traditus sum, & addictus: vt salues, vt liberes ò arbor vitæ, ò mater viuentium, accingere gladio tuo, hoc est specie tua, & pulchritudine tua, intende animæ meæ, & dirige eam ad vitam, protege, adiuua, & refoue: sub hoc ramusculo peroptat te contemplari cor meum, & fructus tuæ pulcherrimæ formositatis cupit pergustare mens mea: tuitioni decoris tui, & potentiæ pulchritudinis tuæ, tota se commendat, & committit anima mea.

D. Bern.

Cant.

Hac tua pulchritudine ò Maria, ò mater vitæ placa pro me Deum, flecte Iudicem, præcare Redemptorem, amplectere Filium, concilia Dominum, et morti damnato impetra vitam, vt tua gratia viuificatus non cesset à tuis laudibus: licèt miser, & miserijs plenum sit cor meum, affectat tamen, cupit ardentèr, anhælar, suspirat, & desiderat te amare, simul, & collaudare nomen sanctum quòd sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei, te præcor ò Maria monstra te esse matrem, quæ iuxtà crucem accepisti à Filio, *Mulier, ecce filius tuus*, & miserere mei: idcircò in te sola confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi huius tuę pulchritudinis protege me, & fructibus eius ciba me, inebria me, transforma me, vt amem te, & benedicam in æternum. Amen.



DE

DE PVLCHRITVDINE SPIRITVALI animæ Virginis ex primo ternario lapidum, hoc est, Iaspidis, Sapphyri, & Calcedonij.

RAMVSCVLVS VIGESIMVSSEPTIMVS.

Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem. Cant. cap. 6.



TOto tempore, quo à die Præsentationis tuæ vsque ad annos nubiles, te Deo consecrasti in domo Domini, & in atrijs Dei tui; cui operi, ò Virgo infans, magis incumbuisti? & insudasti? cui præ cæteris vacasti magis, & interdisti satis? & toto tui cordis conatu, cui primum manus admouisti, ac magis accuratè studuisti? ornamento vtique, & thesauro virtutum, quibus cor tuum repleuisti, & exornasti, vt capacius Deo, & magis gratum redderetur, & ipsamet interius diuinis oculis, & nobis exterius omnium pulcherrima appareret.

Pertinet ad rationem veræ pulchritudinis, teste Diuo Dionysio Areopag. lib. 4. de diuinis nominibus, integritas, claritas, rerum consonanria, debita proportio, & totalis, seù consumata perfectio; quoniam vt nos docet D. Nanzianzenus orat. 19. *Illa pulchritudo sola æstimatur perfectißima, quæ creaturam Deo facit similiorem.*

D.Dion. Areop.

D.Nanz.

O Deus omnipotens, ò perfectionum amator, quæ vnquam creaturarum, etiam illarum supercœlestium mentiū fuit magis tibi simillima? vt Maria? quæ vt mater filij Dei, qui solus in Trinitate perfecta, Diui Hilarij testimonio: *Nomen pulchri meretur*, inquit Sanctus, *quòd æternitas est in Patre, species in imagine, vsus in munere*: si in dono, persona notatur Spiritus sancti, & in imagine, seù pulchritudine monstratur persona filij, cuius in carne paßibili fuit illa expressa imago, expressè exprimens imaginem illius, cuius iam erat imago perfecta, & sola: sola etiam internæ, & spiritualis, externæ & corporalis nomen meretur pulcherrimæ: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem.*

D.Hilar.

Non vtique illi terrestri, sed cœlesti Ierusalem comparatur Maria. De cœlestis Ierusalem pulchritudine tria nos docet D. Ioannes Euangelista in sua Apocalypsi cap. 21. Primo quòd Ciuitas illa beata posita sit in quadro: quadratura hæc soliditatem figurat, en soliditas, & spiritualis Virginis pulchritudinis immobilitas, eò quia non corruptibilis & terrena fuit, sed cœlestis à Deo, & ideò pulchra, quia semper amica. Apocal.

Secundò ponit Ciuitatem illam in mensura, dum testatur, stadia habere duodecim millia; quibus exprimitur, & meritorum, & bonorum operum abundantia, & æternorum præmiorum corona Virginis, quæ ideò suauis, quia semper pulchra.

Tertiò describit structuram Ciuitatis, eò quia fundamenta muri illius sūt omni lapide pretioso ornata, quia duodecim lapides in ædificio Ciuitatis sāctæ positi, pulcherrimam reddunt, & nobis signant duodecim virtutum perfectiones fundamentales, quibus cor Virginis ornatur, perficitur, pulchrificatur, & decoratur, & ideò decora ipsa sicut Ierusalem.

Cuius lapidum sicut quatuor sunt ter-

ternarij, sic illis quatuor respondent perfectionum.& virtutum Trinitates in Virginis corde; quarum prima est Iaspidis, saphiri, & Calcedonij, hoc est Fidei, Spei,& Charitatis: harum virtutum in Virgine prima Trinitas eam reddidit amicam, & fecit suauem, & pręstitit decoram sicut Ierusalem.

Iaspis enim cum sit viridis coloris, fidei virtutem adumbrat,quæ est maximum vitæ,& viuentis cordis argumentum,vt viriditas in plantis. Hæc virtus in corde Mariæ fuit prima,& quoad tempus,& quoad excellentiam:quoad tempus cum nulla creaturarum hac Virgine prior accesserit ad Deum;nam ab ipso instanti sui esse Deo fuit perfectissimè vnita,& teste Apostolo ad Hebręos cap. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo; & accedentem ad Deum oportet credere:* si prima accessit, ergo primò credidit.

Paul. Ap.

Quæ Virginis fides,quia fuit semper in gratia,semper in charitate formata, & cor illius semper viuens,semper operans semper amans,semper Deo adhærens,& per effectus sensibiles,quos de Deo in seipsa experiebatur, illum concipiendo,pariendo,lactando,educando, oculis intuendo,manibus tractando,intellectu contemplando,actiones mentis oculo inspiciendo, doctrinam audiendo,miracula palpando, cunctaque corde conseruando, & clarè cognoscendo, quidquid Verbum in carne operabatur, experimento non trium annorum spatio,seu quatuor,sed triginta trium annorum numero, cogebatur credere ipsum esse Deum.

D. Aug. Et si iuxta Diui Augustini sententiā lib. 2. de prædestinatione Sanctorum; *credere est cum assertione cogitare*, quòd

S.Thom. clarius expendit D.Thom.2,2.q.2. art. 1 quæ creaturarum diù, & magis affectuosè,& intensè vnquam cogitauit de rebus diuinis,& signanter de Verbo in carne,vt Virgo Maria? quæ sui cordis fidei actum altissimum formabat erga Deum quoties filij sui mirabilia, & supra naturam in sua præsentia operari intuebatur.

Luc. Eu. Si Pastores primitias gentium, vt Deum crederent, quem pannis inuolutum, & in præsepio positum, videbant non solum exterius, sed multò magis

Mat. Eu. cap. 2. interius circumfulsit lux de Cœlo. Si tres illi orientales Reges,vt Deum quærerent, & Deum crederent: quem paruulum videbant in sinu matris,& vbera sugentem,ductu stellæ non solum foris, sed plenius intus illustrati fulgore agno uerunt. Et si Petrus Apostolus in illa sua confessione; *Tu es Christus filius Dei vivi*. Matth. Euang.cap. 16. nouo,& interno æternæ lucis lumine irradiatus est;quis audebit dubitare, Deum maiori lucis lumine in mysterijs fidei matrē Virginem clarius non illustrasse, & cor eiusdem plenius, & excellentius non irradiasse, & in fide fundatum firmius, & certius non reddidisse? Mat. Eu.

Si puritas, charitas, & humilitas ad producendos actus fidei sunt virtutes dispositiuæ,quibus & si Virgo adeò plena fuit: quod puritate vincit Angelos, charitate transcendit ipsos Cherubim, & Seraphim, actus feruentissimi amoris quos cor eius producebat erga Deū non erant absque cognitione, & fidei lumine: quo eleuabatur supra cæteros: vndè excellentissimè Virgo credidit Virginem posse concipere, & parere Deum,& in partu, & post partum Virginem permanere:credidit, & hunc hominem Deo vnitum, esse Mesiam promissum in lege, & simul esse viatorem, & beatum: O cor Virginis Mariæ, ò fons veri luminis, quæ mens humana simul & Angelica valeat actus fidei, quos in re formabas, comprehendere? Quādo ò Virgo mater in tui vteri aluo intuebaris Deum conceptum corporaliter crescere, & iam paruum natum, gementem,dolentem, & lacrymantem: pannis inuolutum, & vbera sugentem, & talia patientem: vt hominem videbas,cernebas, & manibus tractabas, & tamen Deum esse, & vt Deum amabas, adorabas, timebas, & vt Deo inseruiebas: confitendo credidisti, ò Maria, ò Virgo,quàm firma,quàm stabilis,& immobilis, & quàm inconcussa in fide tu fuisti:Deum credebas,et Deum confitebaris:quem tu genuisti;licèt vt hominē circumcisioni, fugæ,persecutioni,traditioni, capturæ,passioni, crucifixioni,& tandem morti subiectum: nec horror mortis,nec ludibria passionis, nec corpus exanime, quòd amplectabaris in sinu,vnquam fidem labefactauit,nec vnquam actus fidei tui cordis,quin Deum crederes,imminuit,depleuit, nec decreuit:sed creuit.et adeò excelluit hæc tua fides:ò fidei firmamentum, et creden-

tium fundamentalis petra: quòd teste Diuo Bernardino serm. 61. vbi testatur Sanctus, quòd sola Virgo Maria cordis Dei desideria obsecundauit his verbis: *Plus potest facere Beata Virgo de Deo, quam potest Deus de seipso*: quæ verba cum sint intellectu difficilia, vt capias, et tibi captu reddantur facilia, o anima mea, attende; quæ scripsit S. Anselmus in Lucam cap. 10. vocans fidem Virginis Mariæ portam: *Porta*, inquit ipse, *per quam intrauit Iesus, fides est Mariæ*, quid illa excellentius? quid illa sublimius? D. Ans.

Duo supponunt in suis dictis S. Bernardinus, & S. Anselmus, nempè Verbi incarnationem, & incarnationis tempus: certè vehemens erat desiderium, quo Deus pater tenebatur filium habere hominem, propter hominum salutē; at cum esset ipse purissimus spiritus, & substantia omninò spiritualis induere hunc filium veste corporea, & humana solus ipse minimè: vt decreuerat, poterat, et quòd ei ex sua simplici natura negatur, obtinuit Virginis adiutorio, quæ dum obnolueretur, et teneretur tenebris sui non esse, Deus pater cordis sui appetentiam seù desiderium complere non valuit; decreuerat enim de hac Virgine filium incarnandum; at vbi hæc Virgo apparuit mundo circumfusa, et irradiata luce fidei, tantæ virtutis, tantæque potentiæ fuit hæc Virginis fides, vt esset porta: per quam Deus sub carne mortali intrauit in mundum, meritò fidei igitur meruit Maria incarnationis gratiam, et quidquid per hoc mysterium operatum fuit.

Scripsit Euangelista Ioannes quomodo credentibus in Deum, dedit Deus potestatem, et virtutem filios Dei fieri; sed descripta, et prænotata Verbi incarnatione illis verbis: *In propria venit, & sui eum non receperunt*: Verbum patris non venit in propria, nisi per incarnationis mysterium: ad quid, et quor sum hæc noua descriptio? quando subdit: *Et Verbum caro factum est*: O mysterij altitudo, o profunditas tanti Sacramenti, quòd fuit, ac si dixisset, si homo eleuatur ad filij Dei dignitatem; et si Deus dedit illis; qui prius inimici erant, potestatem, et virtutem filios Dei fieri: hæc fuit ratio, quia Verbum, quòd erat apud patrem, caro factum est; et quia Deus factus est homo, ideo homo Ioan. Eu. cap. 1.

ascribitur, et assumitur in Dei filiationem, et fit homo Deus, quia primo Deus factus est homo: Et totum hoc. vnde? nisi ex Virginis Verbo, quando Angelo nuncianti sic respondit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*; Luc. Euang. cap. 1. Quæ Virginis verba contemplans S. Eleutherius Episcopus Tornacensis serm. de Annunciatione, sic affatus exclamat: *O Virgo benedicta, ò Virgo à Conditore mundi prælecta: illum, qui ante omnia sæcula genitus est absque matre ab æterno patre, concipies: ibi enim auricula vxor fuit, Angelicus autem sermo maritus extitit.* Luc. Eu. S. Eleut.

Si aure Virgo concæpit, hoc est per fidem dictorum ab Angelo, quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi, dicatur ergo quòd ex hoc Virginis actu fidei, nostra iustificatio, nostra glorificatio, & nostra ad Dei filiationem assumptio. Quid tibi, ò Virgo, ò salus animę meæ retribuam pro omnibus quæ dedisti mihi? & merito tuæ fidei attulisti mihi? ipsius tuæ fidei merito illumina oculos serui tui, vt hac luce illustratus credam, & credendo operer, & cognoscam, & laudem, & benedicam puritatem cordis tui.

Huic lapidi Iaspidi sicut adhæret Saphirus sic virtuti Virginis coniuncta est spes, qua ornatur, & coronatur cor ipsius Virginis, nam teste Alciato in viridi spes dicitur esse, quæ cor firmat, & ad cælestia eleuat, & subleuat: Est enim Saphirus aerei seù cerulei coloris. Saphirus ceruleus est, & cum purpura habens puluetes aureos, testatur S. Isidorus lib. 16. cap. 9. itaque vestitur Saphirus colore cælesti, purpureo, & aureo, & spem adumbrat, quæ est expectatio certa futuræ beatitudinis. Alciat. D. Isid.

Dum enim fides cognitionem Dei ingerit sub obiecto boni infiniti, spes corroborat voluntatem, subleuat, firmat, & excitat tanto frui, & vniri bonos quæ spes cum funderur in sanguine Christi, & merito passionis illius, cuius sanguinem si Maria, quæ ipsum dedit filio maiorem partem obtinuit, quando sub humanis membris indefexè eum laborare, sudare, & tot labores impendere: nunc doloribus, nunc lacrymis, nunc sermonibus, nunc doctrinis, nunc miraculis intuebatur illum peccatorū salutem quærere, pro qua non dubitauerit etiam animam ponere, & propriū pro-

profundere sanguinem. Contemplare si vales, ô anima mea, quos actus fidei, & spei simul intra viscera cordis sui medullitus Virgo sentiebat, et erga nos concipiebat hæc spei filia, imo et mater, vt ipsa de se testatur: *Ego mater pulchræ dilectionis, timoris, agnitionis, & sanctæ spei.* Eccles. cap. 24.

Spes enim Virginis sancta erat, quia de cælestibus, et de rebus tantum diuinis, in quibus erecto animo indubitantèr, imo certè sperauit pro se, et pro nobis cum Deo quotidie, & suæ exaltationis, et nostræ salutis negotia pertractabat.

Loquente Angelo in illa legatione diuina cum Virgine, fuit Virgo paulispèr timore percussa, et expauit ex magnitudine tanti mysterij, quam cum sic turbatam vidisset cælestis nuncius, sic eam affatus est Luc. Euang. cap. 1. *Ne timeas Maria inuenisti enim gratiã apud Deum*: Titubantis animi spem cũ magnate negotia pertractantis non est quòd sic roboret eleuet, assurgat, fortitèr firmet, et certum de accepturis sic certitudinalitèr reddat, quam apud eundem gratiam inuenisse. Luc. Eu.

Maxime impossibile videbatur Esther Reginæ, Regem sponsum sic præpotentem pragmaticas velle à se factas reuocare, dilacerare diplomata, et sua mandata iam publicata esse irrita, et nullius valoris, et facere ac si non essent facta: et impossibilitas tanti negotij nec Reginæ animum deijecit: nec ab incepto præpedire potuit: firma stetit, secura spe licèt titubans, accessit sui cordis secretum Regi sponso patefecit, et spe munita suam petitionem nec aperire, nec propalare timuit.

Quid est hoc, & vndè? Hæc spes, tàm firma, & constans in pectore titubantis Esther? Quæ sic facilè, & Regis auctoritas, & præscripti mandati, & suæ æstimationis propriæ declinauit impedimenta, & obstacula, fregit, & comminuit: postposita spe quam Regina fidentèr habebat ad Deum, quòd erat principale in facto, post hoc respondit diuina Scriptura: *Tradita est Egeo Enucho, vt seruaretur in numero fœminarum: quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius*: Tàm gratiosa apparuit Esthor in in oculis Regis Assueri, quòd in conspectu illius inuenit gratiam; quæ talis, & tanta fuit, quòd sola sedare potuit timorem, pauorem excludere, titubantis animum roborare, spem erigere, & fortitèr firmare spem, quæ impossibilia possibilia facit, gratia ipsa excitauit, viuificauit, & huius spei merito impossibile, iam spe factum possibile meruit obtinere. Esth. cap. 2.

Quid dicam, ô anima mea de spe, quę quasi Saphirus infixa erat in corde Virginis, quæ gratiam inuenit in oculis Dei sui: & quæ gratia fuit, hæc tua, ô Virgo, quam inuenisti in conspectu Domini? & quam nemo antè te potuit inuenire? Gratia quam inuenit Virgo in oculis Dei, est gratia spei. Pater Abraham de cuius semine descendit Maria, vt fieret pater multarum gentium, inquit Apost. quòd *contra spem in spem credidit*: sic & Virgo, si attendamus ad id, quòd de ea dicit D. Remigius: *In spem credidit contra spem; nam contra spem naturæ, quia Virgo erat, & virginitatis voto se astrinxerat Deo: credidit in spem gratiæ, & potentiæ Dei, quando cotra spem humanam, cui multiplici via erat impossibile mysterium, quòd ei nunciabatur ab Angelo, in spe Dei, cui omnia possibilia sunt credidit, & sperauit*, & sic sperans non est defraudata à desiderio cordis sui sperantis in Deum: quid miraris anima mea si mater sanctę spei effecta est hæc sancta Virgo? Paul. Ap. D. Rem.

Quid est Mariam matrem esse sanctę spei, nisi matrem esse Dei: spes namque virtus est, quæ pro vltimo suo fine, & obiecto Deum habet, & hoc est, pro quo suspirat, quòd sperat, ad quòd anhælat, & expectat, & consequi laborat: huius finis, qui Deus est, & in quo quiescit cor nostrum, Maria effecta mater se gloriatur, & congaudet, quando credidit contra spem in spem: meritò tantæ spei effecta est mater Dei, qui finis est sanctæ spei.

Etiam spes nostra facta est Virgo, nam si hæc virtus attendatur, vt mediũ, quò sperantis cor, & animus eleuatur, & dirigitur ad finem, quem sperat inter cætera medium magis immediatum, & magis efficax ad obtinendum à Deo, quòd speramus est ipsa Virgo Maria, quæ consolando nos de se, sic testatur: *In me omnis spes vitæ, & veritatis*; in te, & apud te, ô Virgo mater, ô viua spes cordis mei, quoniam ab ipsis mundi natalibus, hoc nostræ consolationis donum seù depositum in te depositum Eccles. cap. 24.

positauit Deus ipse, quando et venenati serpentis caput tibi commisit conterendum; ex quo conflictu coniuctrexit victoria, & nostræ deceptionis, & illusionis vindicta, imò & spes punitionis, & pœnę, quam de tanto nostro inimico, iam victo prounnciauit Deus, te futuram esse victricem, & nostræ spei signaculum, & vexillum: vita quoque, quam ille raptor sua deceptione à nobis præripuit, in te ô spes mortalium, ô vitæ principium reseruata maneret, & iam custodita merito tuę spei nobis donaretur, cuius dulcedinis vocabulum intimare voluit Deus, sed tuis labijs, in quibus diffusa est gratia, & tuæ linguæ, quæ mel, & lac, sub se seruat nominandum reliquit.

Deus autem tanti triumphi victorię, & tui pectoris, & virium tuarum fortitudinis simul, & tui inimici prostrationis tantum voluit esse prænuncius: ô pugnatrix acerrima: sed tu vitæ nostræ spes certa, & secura, vt tanti muneris gratitudinis lege mundus totus astrictus debitas persolueret gratias, tibi ô Maria reliquit pronunciandum; nec in tua assertione suspicionis vel mendacij relinquitur vestigium; dùm in te non vitæ solummodo: sed & veritatis est omnis nostræ vitæ spes certa, & fidelis: fidelis absq; mēdacij, vel deceptionis suspicione: certa, quia absq; seducendi, vel fallendi timore fundatur, & radicatur in Virgine, quæ vitam, quam nobis pro mittit ex Dei mandato ore protulit, lingua pronunciat, quam clausam habebat in pectore: longè à Virgine matre omne falsitatis, & deceptionis mendacium, quæ iu promissione sua veritatis spiritu loquebatur. *Per ipsam speramus nos consequi posse*, inquit D. Bernardus serm. 2. in Salue Regina, circa finem: *quidquid totius bonitatis factor dignatus fuerit gratia nobis impartiri, ex eo, quia facta est mater veritatis, facta est nobis etiam spes vitæ.* D. Bern.

Inermis erat puer Dauid, & aulus est ipse solus inire certamen, descendere in arenam, & conferre manus cum bellicoso illo Philisteo, quòd non fuerat ausus totus Israel, & armis præcinctus exercitus Saul Regis: cuius animum, vt flecteret, simul, & induceret, vt sibi soli committeret totius populi salutem, nihil aliud adduxit in medium, nisi quædam facinora à pueritia ab eo gesta, iactans se posse cum viro illo pugnare, & de eo certè reportare victoriam; quùm adhuc puer vicerat, & triumphauerat de Leonibus, & Vrsis.

Quòd cum audisset Rex Saul, dixit illi: *Non vales resistere Philistao isti, nec pugnare aduersus eum: quia puer es, hic autem uir bellator est ab adolescentia sua*; cui sic respondit: *Pascebat seruus patris sui gregem, & veniebat Leo, & Vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprahendebam mentum eorum, suffocabam, interficiebamque eos. Nam, & Leonem, & Vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur, & Philistæus, hic incircumcisus, quasi vnus ex eis*: lib. 1. Reg. cap. 17. Non quidem, ergo securus de victoria, & certus de triumpho. Reg. c. 17.

Quùm opus fuit Dauidi suas, apud Saulem prædicare virtutes, & strenuitatis & fortitudinis suæ obtentare vires absque iactantia, & illum reddere certum de victoria: in suæ promissionis veritatis attestationem, probationem, & testimonium, non protulit pectus denudatum, non animi sui imperturbationem, quo incircumcisum illum bellatorem aggredi, pugnare, properare, festinare vrgebatur nimis; anxiè tenebatur, & angebatur fortiter: sed & cor fidens in Deum cui, & non armis, nec viribus innitebatur humanis, cuius spiritu loquebatur, cuius imperio, & impulsu victoriam de inimico certissimè promittebat, & dùm veritatis spiritu loquebatur, longè ab eius verbis, & promissionis omne dubietatis, & falsitatis mendacium.

Quibus auditis Rex innuit fidentèr; fidit, & credidit: O anima mea, vndè belli inexperto fideiussio tanta?, qua adolescenti Dauid Rex Saul totius populi simul, & Regni sui commisit salutem, certus in verbis illius de triumpho, & de victoria securus suasit ille, & credidit iste, quia quando Dauid dixit, *Pascebat seruus tuus gregem patris sui*, &c. diuino spiritu affatus loquebatur, vndè futurum contingens prounciauit certissimum, hæc dicens, inquit D. Theodoretus quæst. 40. *Prophetauit, os quidem fudit oracula, manus autem se fortiter gerit, & lapide peremit; alienigenam Dei spiritu ductus, veritatis lingua à qua longè est omne mendacium locutus* D. Theodoretus.

est

est Dauid, cui meritò credidit Saul non dubitans de victoria, quæ illi adolescentis Dauid promittebat in verbis. Sic Diuus Augustinus hom. 31. ex quinquaginta *Intellexit Rex cum videret audentem puerum aliquid in eo diuinitatis esse, nec illum tenera ætate sine diuino instinctu talia posse presumere*, hæc ille. D. Aug.

Si in pectore Saulis verba Dauid dubietatis timoris, vel mendacii nullum habuerunt locum, quià veritatis spiritus verba, cur non fortius in promissione Virginis, quæ veritatis genuit auctorem: O vera filia tanti Regis, tuæ promissionis, quòd in te sit spes vitę, & veritatis, quale testimonium affers, & profers: vtrique ipsiusmet Dei, quia mundi primordio me pronunciauit esse tanti pectoris, & fortitudinis vt dimicare valerem, & caput hostis certissimè meo contrituram; & quæ ex Dei adiutorio, sibi victoriam arrogare potuit, & securè tanto periculo se exponere: hæc eadem confisa Dei promissis audet affirmare, in me omnis spes vitę, & veritatis. Hinc in Virgine nullus vnquam diffidentiæ, relinquitur locus, licèt aliquando à nobis frangatur ordo verè, & certè sperandi: in Maria verò, quia facta est mater sanctæ spei, non frangitur, non minuitur, ergo cum Ecclesia ad eam exclama: *Vita dulcedo, & spes nostra salue*: quæ anima, ò Maria non sperabit in te? qui desperat, qui deficit, ad te recurrat, en ad te confugio, ad te recurro ò Maria, quæ mater es veræ dulcedinis vitæ, spei, & salutis.

In nuptijs Canæ Galileæ deficiente vino, quia in necessitatibus ipsa Virgo facta erat spes ęgenorum, dicit filio: *Vinum non habent*: à quo, & reiecta videtur illis verbis: *Quid tibi, & mihi est mulier? nondum venit hora mea*, Ioan. Eu. cap. 2. Numquid spes Virginis ex hoc fuit imminuta? minorata eius fiducia? fracta eius confidentia? confractus spei Saphirus? non quidem, sed firmius credidit, & confidentius sperauit, & Saphirus cęlestes spei emisit radios aureos, & purpureos emisit splendores: spes cordis Mariæ tunc magis velut rosa vernans adoleuit, & excreuit, & sanctæ spei emisit odorem. Contemplare anima mea cor Virginis in hac reiectione, & in his repulsis, quomodo feruentius spe munitum, et spei flammis velut olla ebullire videtur: ollæ nomen tribuit ei Sanctus Dauid: *Moab olla spei meæ*: olla enim quò vehementius supposito incalescit igne, eò sublimius ebullientem aquam extollit, et eleuat. Cor Mariæ, quia fortitèr, et firmitèr erat sperans in Deum, quò difficultatum impossibilitatis, et aliarum necessitatum igne, flammis aduritur, eò certitudinalitèr, et fidentius surgit, et ad altiorem fiduciæ gradum eleuatur: non audis, quòd licèt à filio reijciatur: *Quid tibi, & mihi est mulier?* fidentèr et spe munita dicit ministris: *Quodcunque dixerit vobis facite*, et meritò tantæ fidei, et tam altioris spei fiducia in vinum vertitur vnda, et non subtrahitur causa sperandi, vbi difficultas interponitur, et rerum impossibilitas naturæ occurrit humanæ. Ioan. Eu. Dau. Pr.

In hac olla spem tuæ saluationis repone, ò anima mea, dic ergo confidentèr, olla spei meæ tu o Maria. Audi D. Ambrosium in lib. de institut. Virgin. cap. 12. sic dicentem: *Moab aula spei, vel olla spei meæ: vtrumque enim diuersis in codicibus inuenit* r: Aula realis est Virgo, quæ Deo soli, & non viro est subiecta: est & olla vt ros Virginis, quæ spiritu feruenti, qui superuenit in eam, repleuit orbem terrarum, quum peperit Saluatorem: & Diuinus Ioannes Lansspergius inquit in serm. de B. Virgine: *Hæc est illa superna benedictionis terra, de qua cœlestis figulus ollam spei nostræ composuit Beatam Virginem Mariam.* D. Ambr. Io. Lansperg.

Sit igitur ò anima mea omnium necessitatum tuarum spes, in hac spei olla reposita, quam Saphirus adornat, coronat, & adumbrat; quia spei munus est cor ad cœlestia erigere attollere, & enehere quidquid speras à Deo obtinere: non obtinebis, nisi meritum spei huius Virginis non interpellet, non intercedat: nihil impossibile vbi interuenit spes cordis Mariæ, quæ facta es spes nostra.

Fides in Iaspide figurata, vbi habet Deum tamquam veritatis principium, sic & contemplatur, & credit; spes verò adumbrata in Saphiro intuetur Deum, vt beatitudinis, & æternæ fælicitatis auctorem, sic & meditatur, & sperat; charitas autem, quæ constans est, & fortis aduersus aduersa figurata in calcedonio, qui lapis est pallidi coloris, & omni sculpturæ resistit, & à se repulit, conspicit Deum, vt Deum, & à Deo, &

Deo

Deo ipso comite conducit ad Deum: charitatis virtus non communicatur secundum rationem nostræ dispositionis,
Paul.Ap. sed secundum Dei beneplacitum, quia vt inquit Apostolus scribens ad Rom. cap. 5. *Diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,* & si Spiritus sanctus descendit in Mariam cum omnibus essentialibus eius donis: & si Virgo Deum carne vestiuit, & nouem mensium spatio in suo vtero ipsum Deum conclusit, quid miraris ô anima mea, si Maria facta est idē, quòd ipse, dum Deo sic remansit vnita?

Si Virgo ab ipso suæ Conceptionis instanti mente pura, corde perfecto, & immenso charitatis ardore semper tetendit in Deum, quanta fuit in Virgine hæc charitatis virtus? & ad quem in cor de ipsius gradum ascendit? & in progressu tanti temporis, vsque ad finem vitæ, si tibi datum est comprehendere, dic quantum excreuit? & altitudinis & latitudinis, & immensitatis, & profunditatis quanta incrementa suscepit?

Quàm ardens, et quàm feruens, et hoc charitatis igne succensum erat cor Mariæ? dum in Deum solum amandum totum videbatur occupatum: cur non semper amore occupatum amans, et amatum cor Virginis amando Deum naturali amore, vt filium, et filium vnigenitum amando illum amore morali, videndo illum tam virtuosum, gratia, et virtutibus supercœlestibus plenum, et ornatum; et amando illum amore diuino, vt Deum per charitatem infusam, et hoc triplici amoris nexu indissolubiliter vinciebatur cor Virginis;
D.Dion. Areop. quia vt inquit Areopagita lib. 8. de diuin. nominibus: *Charitas est virtus vnitiua, & reciproca, vnit vt ames, & ameris:* quòd testatur diuina sponsa de seipsa, quando inquit:
Cant.c.2 *Dilectus meus mihi, et ego illi,* amabat Deū filiū Maria, quē Virgo peperit, & amabatur, vt ab eo creata, et ab eo prælecta, ab eo præuisa, et copiosa redēptione redēpta, et quā tantis cohonestabat beneficijs, quorum cognitio, vt grata Virgo in corde ipsius augebat amorem, extollebat flammas ardoris, comparabat charitatem, et perficiebat dilectionem, cuius vulnerata ictu, en quomodo languebat amati desiderio, et amantis dilectione: cuius telo percussa videbatur vita deficere, prout probatum est vitam amore terminasse.

Arsit Maria diuini amoris flamma concepta, quia vt testatur D. Bonauentura in speculo Virginis cap. 14. quòd viuens adeò igne charitatis ardebat Maria, quòd videbatur in charitatis affectum sua viscera commutasse. *Quis dubitare potest,* inquit Sanctus, *omninò in* D.Bona
charitatis affectionem transisse viscera Mariæ, in quibus ipsa, quæ Deus est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit; nec mirum, imò is amoris effectus in ea necessarius erat, cum testetur Ar- D.Arnol
noldus de laud. Mariæ, quòd vna est Mariæ, et Christi caro, vnus spiritus et vna charitas: si vna charitas Christi, et Mariæ, quæ lingua etiam vel Angelica explicet tantæ charitatis ardorem: cuius cor valeat tantæ dilectionis magnitudinem cogitare, intelligere, seu comprehendere, et vim suæ violentiæ capere; nunquā quiescit diuinus amor, si amantem non ducit ad amatum: charitatis ignis, qui ardebat in corde Virginis hic præcipuus, et singularis erat affectus, vt Virgo benedicta semper arderet igne, et vsi Caledonius palleret amore, præ amari desiderio eum inueniendi, et ad eum ascendendi, et inuentum in eum se totam transformandi: ô violentia diuinis amoris, ô vehemens vis dilectionis æternæ, Deo plena erat Maria, et vt spōsa diuinis quotidiè fruebatur colloquijs sui dilecti, et requiem non habebat, sem per siti ardens, semperque famescens fame, languescens, et anhelans semper impellebatur, vt clarius sui sponsi frui posset colloquio, et commercio, et clara Dei visione, non quacunque, sed plena, et totali qua potiuntur illi spiritus cœlorum in Patria.

Et quidem anima mea huius Sacratissimæ Virginis verba sunt illa Canticorum cap. 3. *In lectulo meo per noctes* Cant.
quæsiui quem diligit anima mea. Dum quærebat per noctes, de inquisitione præsentis vitæ, in qua clara Dei visio habere non potest, intelligit.

Et illa, quæ desuper animæ contemplanti præstatur à Deo, vel ministratio intellectus, vel per figuras, seu species in inferiori animæ parte positas, vt puta in imaginatiua, vel sensibus externis, non satiat, non explet cordis desideria, eleuat, et conducit ad Deum amatum, at anima tali vnione non contenta adhuc famescit, et ad clariorem Dei visionem aspirat, et suspirat.

En

En Maria hic tibi datur in exemplũ, in lectulo suo quærebat, ipsa quem diligebat; vt capias, quæ dico, et qui hic Virginis lectulus? nisi ipsemet Deus, qui huic purissimæ suæ sponsæ fuit lectulus, et quietis locus, et eidem semper dilectus; sic interpretatur hæc verba pijssimus Gillibertus Abbas serm. 2. in Cant. *Ille sponsa lectulus, ille dilectus, lectulus dum infirma suscipit, dilectus dum inflãmat, & incendit.* Virginis dilectus erat Deus, qui eidem erat, & lectulus; quoniam anima Mariæ degens in præsenti vita Deum in Deo, quasi in lectulo per noctes quærebat, & inquirebat, & iam inuentum secum tenere, & à se nunquã protestatur dimittere, tenui eum nec dimittam: in lectulo hoc hæc sancta infantula Deum quasi manibus contractabat, colloquebatur, & intimè fruebatur illius præsentia.

Gilliber. Abb.

O Deus cordis mei, ô Deus amor, si te manibus tenebat, si te amplexabatur & tua præsentia, tuo colloquio, & tua societate fruebatur, cur non quiescit, sed ac si longè absentem haberet, adhuc sollicitè quærit?

O Maria, ô Virgo benedicta, quid quæris? quē tenes? si Deus ipse tuus est lectulus, & tuæ quietis locus, & in lectulo ipso languens amore quæris quem habes, quem tenes, quem vides.

Proh dulcis amor, erat Deus Virgini lectulus, & dilectus; at quia quærebat per noctes, nescit Dei amor in præsenti vita in anima diligentis quiescere, quãtuis Deum habeat, non putat se habere Deum: nec reputar se habere, quem habet, ad maiora, ad clariora tendit: fames diuini amoris non expletur in anima dilectionis flamma succensa, licèt Dei cognitione, seù visione perfruatur, nam idem amor ad clariorem Dei visionem, & possessionem semper impellit; & vrget. Audi eumdem Abbatem: *Sancta, inquit, quadam semper eget amor auaritia; semper enim ad secretiora exestuat, & quæ tenet non reputans volubili se reputat in anteriora rotatu.*

Gilliber. Abb.

Quid miraris anima mea, si sacra hæc infantula nostra semper erat in motu, semperque famelica fruendi clara Dei sui visione, & præsentia: mater erat Maria, & Deus eiusdem filius, non loquebatur vt Moyses facie ad faciem, sicur homo ad amicum suum, sed vt mater ad filium, loquebatur, intuebatur, tenebat contractabat manibus, dulcitèr fruebatur illius præsentia, audiebat loquentem, amplexabatur præsentem, deosculabatur vt filium, lactabat pectore, fouebat in sinu, complectebatur brachijs, & semper comitabatur eũ: nihilominus audio pallentem, languentem, & pluries conclamantem, si inueni gratiam coram oculis tuis ostende faciem tuam, vt sciam te; erat hæc vehemens violentia diuini amoris loquebatur facie ad faciem, at præ amoris vi petit, vt Dei facies ei clarius ostenderetur: amor erat qui sic adhuc impellebat, & vrgebat Virginem Deum quærere quem diligebat; & sic ardens amore, vt Calcedonius; quò pallebat in te affectionis ardore, eò inconcussum intuetur te cor serui tui tum in aduersis, tum in prosperis, tum in charitatis ictibus.

Et ne plus solito pergrauetur noster hic ramusculus, ad alium eiusdem amoris, vt lupea tractatum est, ô anima mea, te remitto. O Maria, ô mater pulchræ dilectionis, si excedebas omnes Deum amando, *& solus amor,* teste Nanzianz. *formosum reddit amantem*; quàm pulchram, quàm formosam, quàm suauem, & quàm decoram diuinus te verè amãtem reddebat amor, qui ad hoc, ternario lapidum te coronauit, vt formosa veluti cœlestis Ierusalem appareres: si amor formosum reddit amantem. O Virgo, ô mater, vt te amem, vt te diligam, corona me hoc ternario lapidum, sub cuius ramusculo vi tue charitatis factus formosus, laudem te, & benedicã nomen sanctum tuum, quòd sit benedictum in æternum ô humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei; te præcor ô Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea: sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

D. Nanz.

DE

DE PVLCHRITVDINE ANIMAE Virginis ex secundo ternario lapidum, hoc est, Smaragdi, Sardonij, & Sardij.

RAMVSCVLVS VIGESIMVSOCTAVVS.

Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem. Cant. cap. 6.



Erpulchrè in corde Virginis, ex hoc secundo ternario lapidum, valdè gratiosè collucet spiritualis eiusdem pulchritudo, quæ corporis ipsiusmet Virginis pulchritudinem vincit, et superat, et eo est illa excellentior, et formosior, quò hæc spiritualis stabilis est, perpetua, et stellis ipsis splendidior; corporalis enim fragilis, caduca, mutabilis, et ex sua natura corruptioni subiecta, et sola exterior, et apparenti pelle fulcitur: spiritualis verò in intimis animæ penetralibus radicatur, et fundatur; corporea humanos duntaxat oculos solet mulcere, delinire, et allicere: spiritualis autem habet, iucunditate oculos afficere diuinos, et Angelicos: corporea captiuat hominem, quem allicit: spiritualis verò attrahit Deum, et illectat Angelos: quid mirum, cum Deus sit infinitè pulcherrimus, si pulcherrimas concupiscit et amat animas: ò Maria, ò omnium pulcherrima Virgo, quid hac animæ tuę pulchritudine pulcherius?

Tua enim, spreto ornatu, cultuque exterioris hominis, qui certè corrupitur, diligentia, curaque, et occupatio erat in excolendo interiorem hominẽ, qui ad imaginem Dei creatus est, et renouarur de die in diem.

O custos peruigil, ò vigilans custodia tuæ spiritualis pulchritudinis, quã sic decorauit Deus Smaragdo, qui gratiosus cum sit, à natura habet, vt habentem in se reddat gratiosum: Sardonio, qui candidus est in medio, et Sardio, qui colore rubeo gaudium spirituale ingerit, timorem expellit, et habentem reddit audacem.

Intuere anima mea Mariam Smaragdo gratiæ coronatam, Sardonij candore puritate pollentem, et purpuratam rubore Sardij, et clarè videbis, quòd hic vbi reddit illam confidentem, audacem, absque vllo pauore: Sardius niue candidiorem, Smaragdus gratiosissimam, Deo, quia amica, Angelis, quia suauis, hominibus, quia decora, vt ad laudem eius dicere possis et tu.

Quàm pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem. O quàm gratiosa erat Maria Smaragdo gratiæ; ò quàm pura, et candida puritate, et candore Sardonij: ò quàm decora, et formosa Sardij rubore, quando non hominum tantum oculos alliciebat, non Angelorum duntaxat lumina mulcebat, sed, et ipsiusmet Dei; cuius cordis præscriptum est, suis electis gratiam confer re ad mensuram gloriæ, ad cuius gradũ illos prælegit, et prædestinauit: hinc est, quòd semper corona gloriæ respondet in cęlo, gratiæ sanctis collatę in terris.

O Deus cordis mei, quàm pulchra, quàm pura, quàm gratiosa fuit in oculis tuę maiestatis diuinę Virgo Maria, ex hoc sacro ternario lapidum. Lege ò anima mea, quę de ea scripsit D. Bernardinus serm. 61. *Intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius est electa, ac plus*

bea-

beatissimam Trinitatis diligit gloriam, capit, sentit, & fruitur, quàm omnis alia pura creatura simul sumpta, de cuius gloria post filium participant vniuersi.

Quòd Maria plus omnibus de gloria Trinitatis capiat, & fruatur, et sentiat ? quid mirum, si vt Dei mater plus omnibus fuit gratia plena, et Dei filio plus omnibus simillima ? si filij gratia cæteros omnes excelluit ; cur non gratia collata Mariæ ? quæ licèt vt pura creatura sit filio inferior ; est tamen vt mater filio omnibus vicinior: teste D. Dionysio Carthusiano, qui sic scribit : *Palam est Christum sine mensura omnis gratiæ plenitudinem sortitum : huic plenitudini, gratiaque infinitæ appropinquat Maria.* Si infinitæ Christi gratiæ sic proximè vicinatur gratia Mariç, & plenitudo gratiæ semper respondet magnitudini, & altitudini gloriæ : nimis eleuata illa magna & suprema nimis exaltata & ista, quę ita Virgini gloriosæ fuit collata prę cęteris omnibus in gradu supremo, quòd ipsa sola super nouem choros Angelorum constituat decimū, illis spiritibus supercęlestibus lumine, claritate, splendore, sublimitate, & gloria, sublimiorem, clariorem, et gloriosio rem: hoc attendit Spiritus sanctus in nostro themate: *Pulchra es amica mea: suauis & decora sicut Ierusalem*; nempè illa cœlestis, quæ constituitur in decore suo ex Angelis, et electis Dei beatis ; quidquid igitur post Deum pulchrius, quid quid dulcius, quidquid iucundius est in gloria, hoc Maria, hoc in Maria hoc per Mariam, quia post Deum maior nostra gloria. maius nostrum gaudium est de Maria, inquit D. Bernardus : *Summa gloria ò Maria post Deum est te videre, tibi adhærere, & in tuæ protectionis munimine demorari.*

Cur non pulchra, non suauis, non decora ; & non gratiosa Maria ? si omni Dei gratia plena; fuit gratiosa in se plenitudine gratiæ, gratiosa in nos dum vt Smaragdus gratiosum semper reddit possidentem, & habentem in se.

Cur non gratiosa Smaragdo gratiæ Maria? si cor cui gratia adhæret, inhabitat ; & vestit in Dei templum consecrat Deo, & de sterquilinio Paradisum efficit. quoniam gratia excitat liberum arbitrium ad benè cogitandum, sanat ipsum mutando affectum, ipsumque corroborat perducendo ad actum: gratia est, quæ hominem Deo conciliat, à peccato liberat, & pœnam æternam in temporalem commutat; gratia est, quæ opera nostra facit meritoria, & bona per peccatum amissa restituit: gratia est, quæ animam purgat, illuminat, perficit, mentem eleuat, Deo assimilat, & spirituali iubilo cibat : gratia est, quę stabulum cordis nostri in Dei palatium conuertit, & qua cor ipsum sponsa Christi efficitur, Regis æterni filius, & templum Spiritus sancti.

Quid enim Aegypto olim miserabilius? antequam Dominus iuxtà Oseæ prophętiam illam ingrederetur adeò erat miserijs, & abominationibus plena, testantur Eusebius lib. 9. cap. 4. & Procopius super Isaiam cap. 19. quòd aberat ab ea omnis veri Dei cultus, & religio: cœcitate superstitionum inuoluta viuebat; at vbi Deus homo ingressus est, & terram illius suis dignatus est pedibus calcare : quid factum est de Aegypto ? quæ erat habitatio immundorum, & superstitionum domus ? & à vera religione segregata ? dicam vnico verbo, conuersa est non in Regum pomaria, non in principum viridaria, non in potentum hortos sed in Paradisum deliciarum Dei illi similem, quem Deus ipse plantauerat à principio. Facta est Aegyptus locus deliciarum spiritualiū, delectabilis, Deo decorus, pulcherrimus, fertilis, & abundans copijs gratiarum Dei: *Si quis nunc*, inquit D. Chrysostom us hom. 8. in Matth. *ad Aegypti veniat solitudinem prorsus omnem illum Eremum videbit digniorem.*

Pulchrior est anima Paradiso, quoniam Paradisum illum, vt hominis esset habitatio, & cohabitatio effecit Deus; anima verò vtique Paradiso dignior est, & formosior; quia eam inhabitat Deus infinitæ Maiestatis, & pulchritudinis. & non homo.

O Deus cordis mei, ò fons omnium gratiarum, si gratia tua, cor quòd erat velut Aegyptus, Paradisus Dei efficitur templum Spiritus sancti, sponsa Christi, & Regis patris filius : et quòd erat vitiorum Aegyptus brutorum stabulum, animalium præsepe, superstitionum domus, fit Dei possessio, habitaculum, qua cœlesti formositate, quā pulchritudine, quo decore decorabatur, et vestiebatur cor pulcherrimum Virginis? si nunquam fuit Aegyptus, sed sē-

D. Dion. Carth.

Cant.

D. Bern.

Eufeb. Procop.

D.Chry.

per purum, semper candidum, semper formosum, decorum, pulcherrimum, mundissimum, semperque gratiosissimum: si emissiones tuæ ô Maria paradisum sapiebant, ostentabant & apparebant: si miræ pulchritudinis erant, quę extrinsecus in Maria videbantur, & Paradisi pulchritudinem præseferebant, vtique maioris formositatis erant intrinsecus, & in occulto retinebat, diuinis oculis tantum aperta, & manifesta. Si oculorum, qui cordis sunt iudices, pulchritudine, motu, & venustate intuetur cor ipsum: si formositate genarum iuxta varia colorum genera variati pânduntur cordis affectus; hoc indicare voluit diuinus sponsus in Cantic. cap. 4. & 6. *Sicut fragmen mali punici, ità genæ tuæ absque eo, quòd intrinsecus latet*; alij legunt: *absque occultis tuis*: Si ità decora, & pulcherrima erant exteriora, quæ videbantur in Virgine, humanis solummodo oculis reseruata spectanda, quàm vehementèr pulchrius, & honestius est ô Maria cordis tui desiderium, quòd illibatum interius conabaris retinere, & quam decoram, æternæ beatitudinis claritatem in mente continuò versabaris, & contemplando, & Deo fruendo intrinsecus, cœlando requirebas; vndè & exterius pulcherrimè apparebas, & gratiosa.

Cant.

Cur non Deo interius, Angelis, & hominibus exterius non gratiosa Maria? si cor eius nullo tempore momento ab ipsomet instanti sui esse fuit vnquam gratia vacuum, imò semper Smaragdo gratiæ plenum, ornatum, & circumfusum, vt verè ipsa sola de se valeat dicere: *In me omnis gratia vitæ, & veritatis*: omnis gratia operans, omnis gratia cooperans, omnis gratia consumans omnis gratia vitæ, innocentiæ, & puritatis, & vitæ actiuæ, & contemplatiuæ fuit in Virgine; nam teste D. Hieronymo: *Cæteris per partes præstatur, Mariæ verò tota se infudit plenitudo gratiæ*: & quam partitus est Deus in cæteris, etiā in spiritibus Angelicis, thesaurizando concessit in Mariam: dicat ergo, & sola dicat: *In me omnis gratia vitæ, & veritatis*, cuius Smaragdus in corde ipsius infixus omnibus gratiosam reddidit fieri Ierusalem.

Eccle. c. 4.

D. Hier.

Fecit labrum Moyses, in quo abluerentur Sacerdotes sanctuarium ingressuri; si autem quæratur materia, de qua compactum erat vas illud, crater, seu labrum? respondit nobis sacer tex. illud confecisse Moysen: *de speculis mulierū, quæ excubabant in ostio tabernaculi*: alij legunt, quæ militabant; alij quæ ieiunabant; alij quæ orabant: de speculis ergo mulierum, quæ pijs operationibus se exercebant, & diuino obseqnio præstò erant: factum est vas: numquid deerat Moysi aurum, argentum, gemmæ, & lapides prætiosi? cur ad specula confugit, & manus admouit, & ad specula mulierum Dei seruitio mancipatarum?

Exod. c. 38. n. 8.

Sub nomine labri huius intelligit D. Augustinus serm. 38. ad fratres: Sacram Scripturam, quam anima fidelis sedulò euoluens, & meditans, vitiorum suorū sordes abiuit, tergit, & expiatur; & in serm. 16. de verbis Domini, testatur idē inquiens: *Diuina Scriptura speculū est*: & D. Gregorius in lib. Reg. lib. 4. cap. 4. & in oratione Quadragesimali de suo silentio fatetur D. Gregorius Nanzianzenus, multum se profecisse intuendo hoc Sacræ Scripturæ speculum his verbis: *Ego in diuinis oraculis euoluendis mentis puritatem collegi*: & in lib. naturali ait Seneca: *ad hoc data sunt specula à natura, vt pulchra componantur, & seruentur, & fœda corrigantur*.

D. Aug.

Id. Sanct.

D. Greg.

D. Nanz.

Seneca

O Maria, ô Virgo, tu labrum, tu crater tornatilis, nunquam indigens poculis, in quem summus ille Sacerdos Deus homo ingressus est, non vt ablueretur, sed vt ipse ablueret sordes filiorum Adā. Craterem vocat vterum Virginis, Diu. Ambrosius in collecta Canticorum c. 6. inquiens: *Verè autem aluus ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat Sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum indeficiens, cognitionis pia gratiam diuinitatis suæ plenitudine sumministrans*.

D. Ambr.

Si quæris anima mea materiam, de qua crater, seu labrum hoc Mariæ factū est, respondetur de speculis mulierum: quid enim est Maria Smaragdo gratiæ coronata? nisi speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius: speculum mundissimum Virgo, in quo dum non cecidit puluis, nec macula vlla, meritò pulcherrima, & gratiosa Smaragdo gratiæ viuam bonitatis Dei imaginem verius, & clarius repræsentans: quid plura? quid vltra excogitari potest? intuere cor Virginis, quod si speculum est Dei maiestatis sine macula, & speculum Dei efficitur quælibet ani-

anima sancta, dum reuelata facie Dei gloriam speculatur, iuxtà illud quòd docet Apostolus scribens ad Corinth. epist.2.cap.3. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem,* hoc est ab vna clara visione in aliam; ergo visiones Dei sunt, quæ nos transformant in imaginem, & in viuam similitudinem eiusdem Dei; sed vndè habet anima nostra oculos tam claros, quibus intuens Deum, Deo omninò similis efficitur, & redditur? Respondet Apostolus: *Gloriā Domini speculantes*: à speculi similitudine deducit ipse, quòd virtus nostræ visionis ortum habet à speculo speculantes more speculi.

Paul.Ap.

In speculo illius, qui accedit exprimitur facies speculantis; vndè speculū pulchram faciem, & bonos oculos aliūdè non habet, nisi ab eo, qui accedens ad illud, se intuetur, & inspicit; sic anima instar speculi Deum referens, & in se Deum recipiens, clarissimis Dei oculis insignitur, quibus Deum intuens crebra illa visione in Dei imaginem transformatur: sustine anima mea Dei faciē, Dei gloriam, Dei oculos vt speculum, & approximata speculo transformaberis in Dei imaginem, & similitudinem eiusdem.

Cum Dei gloriam vt speculum in nos recipimus ex claritate illa deuenit anima nostra Dei speculum, in quòd inspiciens ipsemet Deus anima nostra à claritate in claritatem transformatur in Dei figuram, & non Deus in similitudinem animæ, in qua veluti speculo suam Deus ipse contemplatur imaginem.

At in Maria secus se habet, quæ est speculum sine macula, Dei maiestatis, & imago bonitatis illius, in speculo cordis illius introspiciens se Deus: ò prodigia, ò miracula, ò Maria Dei speculū, quòd cor tuum transformetur Smaragdo gratiæ, & plenitudine claritatis Dei, in Dei imaginem, pulchritudinem, & figuram: nec mirum, cum sit speculum conuexum, & planum, cuius est sēper eādem imaginem, & eodem modo repræsentare: valdè mirandum est, & tui solius ò Virgo, & nunquam alterius gratia, priuilegium, & donum, quòd ipse Deus absque sui ipsius mutatione transformetur in imaginem, & figuram Virginis; factus homo; vndè ei dicere licuit, & in ventre, hic vtique fuit speculum sine macula, matris meæ figuratus sum caro.

Verè speculum Dei Maria, quę dedit nobis visibilem, Deum inuisibilem, sed qua via? si scire cupis ò anima mea, & quo modo? accipe, speculum reddit imagines rerum clarissimas, sed stamno, plumbo, vel alio denso corpore ei adiuncto; nam si crystallum solum respicis lucem prospicies in eo, imaginem verò nullam; at vbi stamni puluerem supposueris crystallo clarissimas, & euidentissimas de hoc adiuncto puluere reddebit imagines.

Speculum est Maria, & speculum Dei maiestatis, qui inspiciens in eo, in imaginem transfiguratus est Virginis; at quomodo inuisibilis forma, quę lucem inhabitat inaccessibilem, nobis facta est visibilis? sic respondit: in ventre matris meę figuratus sum caro: hoc est crystallo illi perdulcissimo, & inuisibili adiuncto humanæ fragilitatis puluere, & stāno, vel plumbo humilitatis: Diuinitas, & maiestas illa in luto carnis tamquam imago in speculo vteri Virginalis refulsit, & lutum in Deum solidatum est, & conspicua redditur diuinæ maiestatis imago, & inuisibilis illa Deitatis forma & figura obiecta oculis nostris sub stāno vilitatis humanæ, euidentius in specie visibili manifestatur, & clarius apparet, & expressius proponitur, & vbi? & in quo intuetur? nisi speculo cordis Virginis Smaragdo gratiæ sic circumfuso, qui gratiosam reddit, & plenam gratia.

Vndè gratiosa fuit Maria inundatione gratiæ, & candore puritatis, & pudicitiæ; hinc Smaragdo benè connectitur Sardonix, qui in medio candidus est, & habentem purum, & candidum reddit.

Cur non purissima Virgo Maria si Sardonium habuit infixum in corde ab ipso suæ cōceptionis exordio: Maria nō solū plena fuit gratia; sed & gratiæ extitit regeneratrix, ex eò quia gratia sua ad vitam nos regenerauit: baptismus, quo nos lauamur, lauacrum regenerationis vocatur, quæ vox regenerationis præsupponit primam illam generationem, qua à Deo in primo homine creati fuimus in gratia: peccando ille, perdidit iustitiam originalem, cuius culpa nos omnes nascimur peccatores, vt te-

Paul. Ap. ſtatur Apoſtolus ad Rom. cap. 5. at quia in baptiſmate per gratiam mediatoris nobis confertur nouum eſſe, meritò lauacrum vocatur regenerationis, & reſpectu noſtri, qui regeneramur gratiâ; gratia velut mater noſtra appellatur regeneratrix; quæ cum ſecus ſe habeat reſpectu Mariæ, vt filia vnica gratiæ à gratia maioris pulchritudinis incrementa plus ſola Virgo recepit, quam omnes filij Adæ: eò quia nunquam cecidit, nec patris Adæ labe fœdata fuit. Inter filios Adæ ſola Virgo iuſtitiæ originalis gratiam nunquam amiſit, & illud eſſe ſpirituale, quòd ſemel in primo parente collatum eſt: ipſo peccante ipſa nunquam perdidit, ſed ſemper Sardonij candote fuit circumfuſa, & amicta; quòd D. Bern. confitetur D. Bernardus in ſerm. de B. Maria, quando inquit: *Maria à natura eſt rêuerentèr conſeruata, dum in ſui eſſe conſtitutione cedit gratiæ natura, & in Maria gratia anteceſſit naturam*; vt non infecta culpæ paternæ veneno, hęc diuina ſoboles naſceretur, ſed cãdida, immunis, & puriſsima fuit eius Conceptio, & ſubdit Sanctus, & à lege fuit diligentèr venerata. A lege illa, quæ præcipit *omnes moriemini, qui in Adam peccauiſtis*: fuit diligentèr Maria venerata, vt ipſa ſola legi non eſſet obnoxia, & concludit Sanctus, & à gratia eſt clementèr prælecta: Virginem prælegit gratia ad illud primum eſſe purum, candidum & mundiſsimum; vndè gratia cunctos theſauros diuitiarum ſuarum effudit in Vir- D. Damaſcen. ginem; ita vt dicat D. Damaſcen. orat. de dormit. Vir. *Omnes res creatas ſupe-* D. Hidel. *rat Maria incomparabilitèr*, & D. Hidelphonſus de virginitate Marię vocat ipſam: *Vas ſanctificationis, Virginitatis æternitatem, matrem Dei, Sacrarium Spiritus ſancti, & templum ſingularitèr vnicum factoris ſui*: cur Sardonij candore non candida Maria? ſi pulchritudinis, ſi caſtitatis, ſi puritatis, & innocètię æternitate nũnquam amiſit, nec eius candor diceretur æternus, ſi aliquando à candore Sardonii cecidiſſet.

O candor lucis æternæ, & verè ſpeculum ſine macula: ſi vitam tuam peroptas benè componere ò anima mea, ſi fœda cordis corrigere, & emendare deſideras, ſi quæ recta ſunt, ſi quæ bona, ſi quæ iuſta, ſi quæ Deo grata conſeruare velis, en ſpeculum rectitudinis, pulchritudinis, pudicitiæ, & integritatis, hoc inſpice, & pręmanibus ſęper habeto: cor Virginis, quòd Dei maieſtatis ſpeculum eſt, à corde tuo non elongetur, non declinetur, ſed vt ad te inclinetur, illud ama, & dilige, illud amplectere, & contemplare, illud habe, & intuere, quia vt conuexum, & planum, pulchra, & candida præmonſtrat: Smaragdo, qui gratioſum, & Sardonio, qui purum, & candidum reddunt, coronatum reſpicies; quibus duobus adhæret tertius Sardius qui lapis rubore ſuo candido adiunctо pulchrius, & gratioſum efficit, & accendit ad pulchritudinis augmentum cœleſte, & ſpirituale gaudium, timorem expelleos mundanum, et contra hoſtiũ inſidias, perſecutiones, et tribulationes de Domino preſumentem, et in Domino fidentem reddit audacem.

Non ſemper audere eſt temerè præſumere; ſed etiam et fidentèr confidere, abſit à Virgine, quæ omnium virtutum fuit Sacrarium: hoc temeritatis vitium, quam ſi Smaragdus cumulauit gratiarum omnium delicijs: ſi Sardonius decorauit puritatis candore; Sardius foras expulſo omni humano timore, & Paradiſi affluentijs cor Virginis, cui erat infixus, cœleſti gaudio ſimul repleret, & victricem de hoſtibus redderet ſui ruboris virtute audacem, hoc eſt in Domino non in ſuis viribus fidentem efficit.

Et quidem victricem de hoſtibus Mariam ſemper reddidit Sardius, color cuius ruboris, dũm Dei fiduciam immiſit in cor eius, quaſi diuino quodam glutino illud agglutinauit Deo, vt non videretur cor humanum; ſed potius diuinum, dũm Dei fortitudine, Dei omnipotentia videbatur indutum, iuxtà ſententiam Philon. in lib. de migrat. Abra. Philon. *Agglutinabetis ad Deum*, inquit ipſe, *quo glutine? Nimirum pietate; & fiducia: nam in virtutibus mortalis natura cum immortali vnitur, & coaptatur.*

Hęc noſtra ſacratiſsima infantula, dũ erat in domo Domini; ità ſe mundanis, ac proprijs ſpoliauit viribus, ità ſe denudauit meritis, & in ſui ſe annihilauit cognitione: & ità firmè, & fortitèr credidit Deo, & fidit in Deo ſuo, vt videretur agglutinata Deo: & quodammodò videbatur induta Dei fortitudine, qua in arduis, & culmen virtutum potuit aſcendere, & cunctos ſuos proſtrare hoſtes, & edocta Patris ſui Dauid exem-

exemplo, suis inerma viribus potuit omniũ inimicorũ reportare triumphũ.

Congressurus Dauid aduersus Philisteum; narrat sacra historia, quòd antequam veniret cum eo ad singulare certamen, induit eum Rex Saul armis suis, quibus iam indutus, quum liberè non posset incedere, abijecit arma, dicens; *Non possum sic incedere, quia vsum non habeo*; & ilis depositis, descendit inermis pugnaturus cum hoste armato: proh' Dei sapientia; & quæ spes victoriæ? Et qui triumphus coronæ? à milite sine armis? vt Sanctus iuuenis (erat tunc impubes Dauid) de hoste veterano triumpharet; illumque securè vinceret, arma abijecit regia, & denudatus militaribus armis induit se Dei fiducia, Dei fide, Dei confidentia, confidit in Deo suo; quid tunc hac fiducia, hac armatus fide, quasi diuino glutino agglutinatus est ipsi Deo, & illi sic coaptatus induit Dei fortitudinem, Dei omnipotentiam, quæ sola cuncta valet mundi machinas, & arma conterere: ità est mens Diui Chrysostomi homil. 1. in psalm. 50.

D. Chrys. *Proijecit arma, & induit fiduciam; egreditur nudus; & loricatus fide*: En quò inermis ad pugnam egreditur Dauid Regijs, & militaribus armis, eò lorica fiduciæ loricatus fit fortior, & Dei omnipotentia indutus vicit hostem, prostrauit armatum, & triumphauit de Philistæo. Cur non fortior Maria? quę armis denudata humanis, viribus spoliata regijs, inermis semper prosiliuit ad pugnam: Et cur semper victrix? & nunquam victa? causa virginalis triumphi fuit sua in Deum fides, per quam restitit, & omnia fortitèr tulit. Attendè illam tu anima mea induta tribus illis lapidibus pretiosis, quorum si Smaragdus reddebat Deo gratiosam, sardonius Angelis purissimam: quid miraris si Sardius suo rubore omnem ab ea expellens mundanum timorem, non temerè audacem, sed fidentem in Deo reddebat fortissimam, bellatricem inuictam, & semper de hostibus triumphatricem.

Cant. Quòd clarius hoc adumbratum legimus in Canticis cap. 8. quando cœlestis sponsus hanc diuinam infantulam Sardonio ornatam ascendentem ad arcem omnium virtutum vidit plenam, & onustam delicijs spiritualibus; quapropter exclamauit; *quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens innixa super dilectum suum*: quia Virgo nõ tendebat ad aliud, nisi ad Deum; cuius donis, cuius muneribus, gratijs, delicijs, & delectationibus ipsa frueretur, illi omnia referebat, à quo gratiosè ei sic donabantur, suo diuino sponso omnia sua ascribebat, nihil de propria virtute, de proprijs viribus, de sua industria, nihil de sua fortitudine, & de sua prudentia presumebat; idcircò quidquid operabatur dilecto suo; & in Dei sui fortitudine innitebatur: alias delicijs gratiarum, Smaragdi puritate Sardonij candore non mereretur cor Virginis sic affluere, nec de hostibus tot reportare coronas, si suis meritis, si suis viribus, & non in Domino fidens: ità testatur Gulielmus in hoc loco, quando inquit; *Quia ergo pia mater quantò magis; apud eum excelluit, tantò humilius de se sentit: docta & assueta non in se, sed in Domino spem ponere; nec in se, sed in Domino de acceptis muneribus gloriari; aptè postquam dicta est delicijs affluens, dicitur etiam innixa supra dilectum*. Gulielm

Eia ergo ò anima mea sardio coronata imitare Virginem, sit illius vita, tuæ vitæ speculum, addisce ad ipsa non in te confidere, sed in Domino Deo tuo: si ad culmen virtutis aspiras, si delicijs affluere spiritualium donorum Dei anhælas, diffide de viribus tuis, iacta in Deum spem tuam, Deo tuo innitere, & in Dei gratia, & in Virgine repone fiduciam tuam, spem colloca, & confidentiam fortitèr tene: quoniam si tecum habes Mariam, hos et tecum habebis lapides, & lapidum virtutes, quibus eris grata Deo, delectabilis Angelis, et tibi ipsi inexpugnabilis, secura de salute, certa de victoria, et tuta inter hostes tuos absque timore munita Sardij virtute.

Nondum aperuerat Deus cataractas cœli, sed fabricata duntaxat Arca; dixit ad Noe: *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: ex omnibus animantibus mundis tolles septena, & septena: de animantibus verò immundis, duo, & duo*: Gen. c. 7. Cùm pręceperit Deus Noe, & filijs suis, vt ingrederentur in arcam, & cum eo cuncta animalia, vt securi de salute saluarentur ab aquis illius vniuersalis diluuij, & in vnius arcæ mansiunculis conclusit Deus ad salutem illas octo animas, & tot animalia ferocissima, erit ne tutus Noe, & filij, & vxores filiorum,

eius erunt ne securi à Leonibus, Lupis, & Pardis? In conuictu ferarum præcipit commorari Noe, qua fiducia? vel qua spe? Non alia, nisi arcæ: *Ingredere tu, & omnis domus tua in Arcam.*

. Aquarum inundantia erat certa, dixerat illi Deus: *Post dies septem ego pluā super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus:* Creaturarum omniū subuersio, & extinctio erat certissima: *Et delebo omnem substantiam, quam feci de superficie terræ;* illius inundationis finis erat Noe ignotus, suæ liberationis tempus ipse ignorabat: poterat tantummodò esse securus ab aquarum inundatione, & submersione: à ferocissimorum verò illorum animalium morsibus, vnguibus, & deuoratione securitatis, seu promissionis verbum à Deo acceperat nullum, vel saltem scriptura diuina non commemorat; & cum parua illa arca contra tot vndarum impetus in medijs illis fluctibus se tutè committit, non diffidit, non formidat, non pauet, non timet mortem; sed tutus & securus cohabitat, versatur dormit inter ferocissima illa animalia: Vndè securitas tanta Noe? Audiamus nos Diuum Chrysostomum homil. 15. in Genes. *Ego supra omnia virtutem iusti admiror, Dominiq; bonitatem, & ineffabilem misericordiam, quòd potuerit versari in medio bestiarum Leonū, dico, & Pardorum, & aliarum immitium ferarum:* Egregius ille magna fœlicitate ferebat conuictum ferarum, & neque loci angustia, neque temporis productio: neq; quòd sic inclusus erat, morosum, & difficilè reddebant; sed ob fidem in Deum omnia ipsi facilia videbantur.

D.Chrys.

Et quòd Sanctus hic loquitur de fiducia in Deum, dicamus & nos de fiducia in Mariam, cuius figura erat arca illa Noe: vt est omnium Patrum Sanctorum sententia; & D.Chrysippus Presbiter Mariam arcę Noeticę non solum comparat; sed etiam præfert, sic habet in lib. de laud. Mariæ hom. 2. *Illa erat animalium Arca, hæc autem vitæ incorruptibilis: illa ipsum Noe, hæc verò ipsius Noe factorem portauit: illa duas, & tres contignationes, & mansiones habebat, hæc autē vniuersum Trinitatis complementū: denique illa animalia & bruta in se continuit: & ea in alia non mutauit, nostra homines brutorum more viuentes, in Angelos mutat.*

D.Chrysippus Presbit.

Virgineam hanc arcam tibi ô anima mea fabricauit Deus, vt à communi omnium naufragio te tutā redderet, atque saluaret; quapropter tibi præcipit: *ingredere tu, & omnis domus tua in Arcam:* quam & si Smaragdus facit gratiosam, Sardonius purissimam, & Sardius perficit confidentem absque vllo timore: quid timebis in Virgine, si ferocissima etiam animalia mutat in Angelos? fortè timebis ne ab impetu obrui aquarum multarum? Et vndè hic timor? Si arca hæc semper fertur super aquas, ædem aquæ, si in sublime eleuant arcam, eos tantùm obruunt, quos extrà arcam inueniunt viuentes; arca enim hæc Virginea, vbi obdurati, & impijs facta est in ruinam, vt illa Noetica, bonis & Deum timentes facta est in salutem, & in præsidium.

Ingredere igitur tu, & domus tua tota in arcam, & Virgo vestiet te Smaragdo, vt sua gratia reddat te gratiosam: induet te Sardonio, vt efficiat purissimam: amiciet te Sardio, vt omni de corde tuo excusso timore reddat confidentem: Esto secura, esto confidens in Mariam, quæ arca est animata: illa Noetica lignea fuit, & si lignea ab aquarum diluuio potuit securum reddere Noe, & domum eius totam; Cur non animata? si nuda figura valuit semen saluare generis humani, & animalium, quæ erāt in arca: cur non magis, & præstantius figurata per ipsam.

Ne igitur tu anima mea tribulationum obruaris vndis, ne aduersitatum obruaris fructibus, & ne suffoceris persecutionum, vel furentium bestiarum tentationum procellis, & scopulis iactetis malorum: scito quia in medio aquarum inundantium tua versatur vita; quam & si in tuto aues sistere, ingredere tu, & domus tua tota in arcam, & de tua salute esto secura; nam qui sub regimine viuunt huius arcæ, ij tamen eius qui sentiunt auxilium, & patrocinium, vicini sunt morti, & damnationi, qui extra arcam hanc viuunt virgineam: certi, & securi de eorum salute sunt, qui fidenter arcam ingrediuntur: ij enim cum arca ipsa feruntur in sublime. Audi pijssimum Gulielmum c. 7. in Cant. *Beatæ Mariæ intercedentibus meritis, in ipso feruore malorum secundum Apostolum mente excedunt Deo, vsque ad obliuionem.* Gulielm.

Men-

Mentis oculis intuere huius arcæ virgineæ ingressum respuentes, & sepultos videbis eos damnationis vndis; qui verò fidentes ingressi sunt, intuere si vales, & inuenies eos ad cęlū euectos, & collocatos super astra cœli: fulti patrocinio Mariæ ab aquarum diluuio salui facti sunt, & nunc per æternitatem æterna requie, fælici illa patria, & Dei, & huius Virginis præsentia fælices beantur, & perfruuntur, vbi pleno ore, & læto corde semper collaudantes Virginem, ad cuius laudem, & gloriam semper cōcinnunt Rithynum pijssimi Anonymi.

Hæc est arca testamenti,
Nec portans in præsentis,
Maris huius fluuio.
Quam Messias introiuit,
Et intactam custodiuit,
Clauso foris ostio.

Claude, & tu anima mea, ramusculum hunc, cuius fructibus vt plenè saturis, amicire te Smaragdo, induere Sardonio, & sic exornata Sardio, omni à te depulso timore, ingressa in arcam, de fera facta Angelus, Smaragdi gratia, Sardonij candore, & Sardij confidentia possis & tu fidenter Virginem laudare, & eius perdulcissimum collaudare nomen: quòd sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te præcor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei: quoniā in te sola confidit anima mea: sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE PVLCHRITVDINE ANIMAE Virginis ex tertio ternario lapidum, nempè Chrysoliti, Berylli, & Topázij.

RAMVSCVLVS VIGESIMVSNONVS.

Quam pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem: Cant. cap. 6.



DVuodecim illius cęlestis Ierusalem fundamentalium lapidum, cœlestis ille sponsus dum cordis suæ sponsæ suauitatem, decorem, & pulchritudinem sic accuratè comparat pulchritudini: pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem: quanta fuerit huius Virginis animę, simul & corporis pulchritudo, vt tibi innotescat ò anima mea, & capias, & intelligas ex tertio lapidum illius Ciuitatis sanctæ præmonstrat ternario, qui constat ex Chrysolito, Beryllo, et Topazio.

Chrysolitus totus aureus est, et adeò perlucidus, vt scintillas videatur emittere: Mariæ vita, si attendas, tota aurea fuit, et perlucida; et tam in factis, quam in dictis semper verecundiæ, castitatis, pudicitiæ, et modestiæ scintillas emisit: modestia exterioris hominis moderatrix cum sit, meritò illi connectitur Beryllus, qui lapis eximiæ claritatis est, et cœli colorem, et pallidi simul admixtũ dicitur habere: En nostræ Virginis vitæ claritas, hoc in lapide adumbrata: quæ vtique cœlestis fuit, et Angelica, integritas corporis, cordis puritas, et mentis munditia: non solum Angelorum soror, et fidelis comes: sed et mater, dicente Diuo Ambrosio in lib. 1. de Virginibus: *Castitas Angelos facit, & qui eã seruat Angelus est.* O Maria, ò Virgo mũdissima, si Angelos ipsos vincis puritate, tua puritas puritatis Angelicę pulchritudo fuit, et vita tua plusq̃ angelica. Amb.

Cui rectè consociatur Topazius, qui aerei coloris est, et aurei, iubarque suum circumquaque spargit; lapis iste signat Mariam, cuius vita non solum aurea fuit: sed sicut aurum probata per ignẽ afflictionis, tribulationis, et asperitatis, quas quoad vixit sponte sibi ascripsit: quid mirum si pulchra fuit, suauis, et decora sicut Ierusalem: dum ex his lapidibus structa fuit, coronata, et ornata ad sui nominis laudem, et ad tuę consolationis lætitiam, exclama ò anima mea *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem.*

Ex Chrysolito adeò pulchra apparuit Maria, vt meritò vocet eam pulchritudinum pulchritudinem D. Gregorius Nicomediensis admirans huius Virginis pulchritudinem sic illum exclamasse legimus in sua oratione de oblatione. *O pulcherrima pulchritudo, ò Dei genitrix pulchrorum omnium ornamentum: sua pulchritudine Maria omnia coronat, cuncta decorat, vniuersa illustrat, ornat, & perficit.* D. Greg. Nicom.

Vitæ namque Virginis institutum, et ordo totus aureus fuit, et vt Chrysolitus omnium virtutum scintillas semper emisit; inter quas maximè resplenduit modestia, quæ licèt sit exterioris hominis moderatrix, moderatrix est, et actuum internorum cordis; nam sæpè ex habitu corporis cognoscitur habitus mentis, et cordis, sic habetur in 19. cap. Eccles. *Amictus corporis, & risus dentiũ egressus hominis enunciant de illo.* Eccles.

Hæc virtus non defuit in Virgine,

quæ

quæ mater extitit omnium virtutum, cum sit virtus: vt testis est D.Thom. in 2.2.q.143. qua moderantur, & ordinantur hominis actiones, in cunctis motibus, & actibus corporis, & habet tres partes: prima, dicitur bona ordinatio, secunda, ornatus, & tertia austeritas. S.Thom.

Prima ordinat externas corporis actiones, vt conuenienter agantur opportuno tempore, & modo debito. Secunda, quæ est ornatos, vt quidquid operatur decorè & decenter operetur. Austeritas, quæ est tertia pars modestiæ iuxtà rerum proprietates, & qualitates personarum: pondus requirit in verbis, & grauitatem in cõuersatione eluxit hæc virtus in Maria: dum cuncti sui corporis sensus, motus, gesta, verba, actiones, & opera, & quidquid membris ipsa operabatur externis, subdebantur rationi, & ratio voluntati diuinæ; vndè & modestissima, & tota tum in sermone, tum in opere ordinata, & lucida fuit: nihil habens tenebrosum, vel sinistrum, sed totum aureum, & perfectum etiam in aspectibus inruentium in eam, iuxtà Diui Apostoli præceptum ad Philipp. cap. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*: vt exemplum præberet semper induta erat vestitu deaurato virtutum, & circundata varietate meritorũ; miro modo splenduit hæc virtus in Virgine: quæ in operibus, & in factis, in verbis, & in conuersatione semper modum seruauit honestè, & hęc virtus erat quæ Virginem erga nos mouebat ad compassionem, inflammabat ad dilectionem, ornabat ad conuersationem, vt modesta Maria erat pariter, & misericors. PaulAp.

Modestiæ legem in verbis seruauit Virgo modestissima, vndè adeò fuit grauis, verecunda, & parca: quòd testatur D.Nicephorus: *Mariam pauca, eaq; necessaria semper locutam fuisse: ad audiendum facilem, decenti dicendi libertate aduersus hominem semper vsam*: Et D. Bonauentura in lib. meditationum vitę Christi cap. 4. inquit. *Omnis sermo Mariæ ita erat gratia plenus, vt cognosceretur in lingua eius Deus; & ne fortè in salutatione sua à Dei laude tolleretur seu deflecteretur, si quis salutabat, illa pro salutatione sua, Deo gratias respondebat, vt homines dum salutantur, Deo gratias respondere addiscerent ab ea.* S.Nicep. D.Bona.

Contemplare anima mea lapidem hunc Virginis cordi infixum, quot pudicitiæ, verecundiæ, castitatis, timoris, & modestiæ scintillas emitit: ex Diuo Damasceno in serm. de B.Virgine addisce, qui sic de ea scribit: *honorificè salutata ab Angelo tacet, non resalutat, non respondet, silentio orat, & primò quid respondeat, consulit Deo.* D. Dam.

Mittitur à Deo Angelus Gabriel, qui in humana specie, ab altis in momento fuit in conspectu tantæ Virginis, *& ingressus ad eam* salutando dixit, *Aue gratia plena Dominus tecum*; ipsa verò turbata nihil respondit: rogo te cor meum, præcor te anima mea, quæ dicuntur ab Angelo, & quæ fiunt à Virgine, spiritu, & mente exhibete vos prę sentes, vt audiatis quæ dicuntur, & quæ fiunt videatis: intuemini modestiæ modum, & legem in omnibus, & corporis & cordis actibus, & gestis seruatam à Virgine, quæ & modestiæ, & verecundiæ: quòd sequi et imitari debetis, hic vobis reliquit exemplum. Luc. Eu cap. 1.

Huius facti norma nobis præscribitur in Canticis cap. 4 ad laudem Virginis; *Sicut fragmen mali punici sic genæ tuæ absque eo quòd intrinsecus latet*: modestiam et Sanctæ Virginis verecundiã, quando turbata fuit in salutatione Angelica, mali punici fragmini comparat sponsus: cur non integro, sed tantummodo aperto malo punico modestiam, et Virginis verecundiam assimilat cœlestis ille sponsus. Cant.

Cortice fracta fragmini mali punici idcircò Mariæ genæ comparantur, vt ad internæ pulchritudinis tibi viam aperiret externa genarum pulchritudine, pulchritudinem pandit, et aperit spiritualem: pulcherrima siquidem, et admiratione digna erant, quæ in genis Mariæ apparebant exterius, sed multò pulchriora, imò et ineffabilia solis diuinis oculis aperta: erant quæ ipsa interius occultabat in corde, sub cuius cortice veluti grana latebant in malo punico: quorum albedinis candorem, et purpurei nitorem, nisi fracta cortice nemo videre potest.

O Deus cordis mei, quot virtutes seruabantur in abscondito cordis Virginis, sicut grana sub cortice mali punici, quæ nisi frangatur cortex, nisi aperiatur, et scindatur in partes, videri non possunt. Si genarum Mariæ pulchitudo in albedinis candore, et vetustatis rubore

bore consistens, quæ talis, et tanta erat: quòd pulchritudinis sibi nomen meritò vendicat, & licet aperta, & patens: vt pudicitiæ honestatis, puritatis, venustatis, & verecundiæ spiraret odorem, fractionem præcedere opus erat, dum quæ apparebant dulcedine, & suauitate non redolebant nisi scissa cortice.

Quid erat de pulchritudine animæ, quæ latebat sub cortice? ò pietas, ò bonitas diuinæ clementiæ, vt tibi sterneretur via, panderetur ingressus, quantũ tuis lippis oculis fas est, ad interiora cordis Virginis corde ascende, quia iam tibi fracta est cortex, quando salutata ab Angelo turbata est in sermone eius.

Salutanti Angelo si resalutationis vicem Virginem non legimus præstitisse, imò hoc vrbanitatis officium omisisse; velim scias hoc factum fuisse non fausto supetbiæ ab illa, quæ mater est humilitatis, sed tacuisse verecundiæ pudore, & honestatis, & puritatis modestia: tacuit lingua, tacuit & verbo, sed hoc turbationis ictu fracta est cortex, dum genæ illius, & humilitatis modestia, & verecundiæ purpura purpurescunt, & exornantur.

O verè laudabilis verecundia, vbi & intus conscientia munda, & foris facies verecunda est, & si malum punicum nõ redolet, nec granorum pulchritudinem quam intus in secreto seruat, non ostentat, nisi prius cortex frangatur in partes: hinc meritò genæ Mariæ fragmini mali punici, & non integro, sed fracto in partes comparantur; vnde & verecundiæ, puritatis, innocentiæ, castitatis, honestatis, modestiæ venustatis grana ostendat, & odorem effundat, & tu suauitatem odoris capias, & sentias amore virtutum inebrieris.

Ex hac fractione, non solùm, quid in corde latebat, voluit innotescere; & ad tui salutem clementer effluere: sed vt præberet tibi humilitatis exemplum: quando vt humilis sui commendationem ab Angelo audire non potuit sine rubore, & turbatione: turbata fuit non turbatione culpabili; sed honesta, & virtuosa: quando vt prudens, & modesta nihil respondit: quòd elicitur ex Dĩno Ambrosio lib. 1. officior. cap. 18. *quamuis esset humilis* (hæc sunt verba ipsius) *præ verecundia tamen nõ resalutauit Angelum, nec vllum responsum retulit, nisi* D. Amb.

vbi de suscipienda Domini generatione cognouit.

Intuere anima mea, & contemplare cor Virginis velut malum punicum granis virtutum circumquaque repletum, & ineffabili ordine dispositis, quæ videri nequeunt, nisi fracta cortice: præ verecundia tacuit; sed modestiæ rubore locuta est, & aperta cortice pudicitiæ odore redoleuit.

1 Quando sic respondit Angelo: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco*; tunc fracta est cortex, & fragmen istud virginitatis, & discretionis emisit odorem.

2 Quando eidem dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi, secundum verbum tuum*: fracta est cortex, & hoc fragmen, & promptæ obedientiæ, humilitatis perfectæ inflammatæ dilectionis, & indubitatæ ardentis fidei redoleuit odorem. Lu. Eu. cap. 1.

3 Quando salutauit Elisabeth, odorem effudit gratiæ sanctificationis, & consolationis; O, ò, ò suauitas odoris, ò vehementia dulcedinis, scissa in partes cortice; audi anima mea, quid exclamat Elisabeh repleta Spiritu sancto, & tantò perfusa suauitatis odore: *Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*: Vndè hæc Ioannis exultatio? vndè in matre Spiritus sancti repletio, & alta illa confessio: Virginem videbat, & matrem Dei confitetur, & tot, & talia portenta, quæ ad apertionem huius mali punici in domo Zachariæ operata sunt, nisi ex corticis fractione, vt facta est vox salutationis tuæ. Luc. Eu. cap. 1.

4 Quando perdito filio, & post triduum iam inuento, dixit; *Fili quid fecisti nobis sic? ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te*: Cordis Mariæ tunc fracta est cortex, & fragmen hoc materni amoris, & suæ afflictionis pectoris redoleuit odorem. Luc. Eu. cap. 2.

5 Quando in nuptijs canæ Galilea, deficiente vino, dixit: *fili, vinum non habent*: ex hac corticis apert one misericordiæ, charitatis, & pietatis cor Virginis tunc efflauit odorem. Io. Eu. cap. 2.

6 Quando conuersa Ministris, dixit illis: *quæcumque dixerit vobis seruate, & facite*: scissa cortice fragmen hoc instructionis, diuinæ voluntati subiectionis, fidei, spei, & confidentiæ, suauitatis spirauit odorem, & impetrationis effectũ. Luc. Eu. cap. 1.

Quan-

7 Quando in Deum rapta beneficiorum Dei memor, ne ingratitudine criminaretur, vt gratissima debitas Deo persolueret gratias, cecinit: *Magnificat anima mea Dominum*, tunc fragmen hoc, & orationis, & gratitudinis, & gratiarum actionis, pro acceptis donis, & beneficijs à Deo dedit odorem suauitatis; quem vtiq; non spirasset, si hoc malum punicum cordis virginis integrum permansisset: *Nihil est candoris, nihil est splendoris, nihil est virtutis, quòd non resplendeat in Virgine gloriosa*; sed splendor hic non splendescit, nisi fracta cortice. *Fragmen mali punici*, inquit Rupertus Abbas in Cantic. lib. 3. *& rubet, & amplius quam integrum malum redolet; sic tu ò Maria, & singulariter verecunda es, & multis per bonam opiniōnem bono exemplo proficias*.

Luc. Eu. cap. 1.

Rup. Ab.

En ex Chrysoliro quomodo totus aureus fuit Virginis vitæ decursus, & quantarum virtutum splendoris scintillas emisit, & sparsit, vt tibi pariter esset in exemplum verecundiæ, & modestiæ: quas virtutes addisce ab ea, vt eluceant in cunctis tui cordis motibus, & tui corporis factis, & gestis, si Dei matris, & tantæ Virginis peroptas esse filia, serua, imitatrix, & æmula.

Chrysolito huic lapidi Virginis vitam verecundiæ, modestiæ splendore auream præmonstranti meritò connectitur Beryllus, qui cum sit maximæ claritatis, ipsiusmet Virginis, & mentis puritatem, & corporis integritatem suo candore præsignare videtur.

Fuit enim Virgo Maria corpore, & mentæ, desiderijs, & cogitationibus in motibus, & actibus corporis, in verbis & cōuersatione, in sensibus, et potētijs purissima: quòd nobis astruere voluit Angelus missus à Deo: alio titulo nō est vsus in exordio suæ narrationis, nisi virginitatis, et puritatis, sic scribit Sanctus Euangelista: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria*: si semel nominare Virginem satis erat, ad quid bis Virginem vocat? Nisi indicare nobis, quòd Virgo Maria tota erat purissima, nempè puritate mentis, et integritate carnis.

Luc. Eu. cap. 1.

De puritate altercentur illi spiritus cœlorum: et vt puritatis competitores super omnes attollant integritatis vexillum; & super omnes coronent seipsos pulchritudinis palma, & corona: re vera relinqnunt post se cunctos, qui profitentur puritatem; at non Mariam, quæ non duntaxat super homines; sed & ipsos Angelos vicit puritatis decore, & Angelorum semper extitit vexillifera; imo audim dicere si attendamus ad id, quòd de Angelis mysticè scripsit Sanctus Iob cap. 25. *Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius*, sub nomine stellarum Angelos intelligere voluit Propheta Sanctus, quorum puritas si conferatur cum Virginis puritate, non æstimatur puritas; nec in conspectu tantæ Virginis illorum mundities apparet munda; sed vide ur quodammodo impura. Tanta puritate floruit, & polluit Virgo purissima, quod ipsa angelica puritas cōparata Virgineæ puritati appareat impura, & immunda: nec mirum si attentè inspiciamus mentis nostræ oculis ea, quæ de huius Virginis puritate scripsit D. Eligius Nouiomensis Episcop. hom. 7. in die purificationis Virginis: *Nequaquam immunda indicatur, quæ sancto Spiritu obumbrante totius munditiei, & sanctitatis auctorem genuisse probatur*: hæc ille. Si Virgo sola meruit generare, & parturire, lactare, & educare auctorem puritatis: cur non ipsa super ipsos puritatis spiritus non purissima?

Iob.

D. Elig. Nouiomens.

Excelluit enim Maria Angelos puritate: nam ipsos Spiritus Angelicos superauit Virgo in tribus, in quibus excedebat cæteros homines, videlicèt gratię plenitudine, in familiaritate Dei, & in puritate: sic docet D. Thomas opusc. 4. Et Isaias Propheta his verbis: *Gloria Libani data est ei. Libanus*, vt docet Diuus Hieronymus; *Candidatio interpretatur*: certum est, nos omnes ab Adam descendentes non esse natura, seù naturalitèr filios Libani; nam geniti nascimur in tenebris, si tenebris inuoluti nascimur, non Libani candore; sed culpæ nigredine amicti prodimur in lucem: hoc non sine lacrymis cecinit Sanctus Dauidin psalm. 119. dicens: *Habitaui cum habitantibus cedar*.

D. Tho. Isaias Proph. cap. 3. D. Hier.

Dauid Proph.

Cedar Ismaelis filius fuit: Ismael autem homo ferus, & malus: & ideò per Cedar mali significantur, & peccatores. Cedar ex sui nominis interpetratione sonat tenebrosus; vel tenebrę, dicendo Propheta Sanctus; *Habitaui cum habi-*

tationibus Cedar: fuit ac si dixisset, habitaui cum tenebrosis, & peccatoribus: Peccatores de terra nigredinis, ide massa tenebrarum, de vmbra peccatorum, & non de Libani candore ortum trahunt, quòd testatur idem Propheta in psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

De Monte Libano nascuntur tantummodò illi spiritus supercœlestes, quia candore puritatis suam ducunt originem, creati in gratia, formati in candore iustitiæ, candidissimi, & purissimi sunt absque macula, splendidissimi, & mundissimi apparent absque ruga: Quid est Libanus ò anima mea, nisi candidatio, & candidatio quid sonat? nisi cãdida natio: natio limpidissima, & purissima est natio Angelorum.

Et licet à natura Angeli candidissimi nascantur, puritatis tamen corona, innocentiæ vexillum, & integritatis palma, cui debetur? Respondet Isaias Propheta, *Gloria Libani data est ei*; hoc est, Mariæ, quæ Angelos vincit puritate. Audi anima mea, quid dicat Diuus

D. Dion. Areop. Dionysius Areopagita sic scribens ad D. Paulum Apostolum: *Perspexi, atque proprys oculis intuitus sum Deiformem, atque super omnes Angelicos spiritus Sanctissimam matrem Domini Iesu*: cui

D. Greg. Thaum. astipulatur D. Gregorius Thaumaturg. serm. 2. *Quoniam, & tu sancta, & omni humana creatura gloriosior, ac purior, sãctior effecta, ac nunc quidem candidiorem habens mentem; quouis autem auro, quãtumuis probato purificatum magis corpus; idcircò purissima, quia & mentis puritate, & corporis munditia, super omnes polles, & vexillum obtines.*

Illa sola perfecta puritas, quæ ex corde postulat, & in carnem se diffundit, in corde radices fixas tenet, & in carne, in florem pulcherrimum erumpit. Nam quum intima cordis diuinæ gratiæ nitore nitescunt, & effulgent, statim exterum corporis sui anima quærit mun-

D. Clem. ditiei candorem: itá est mens D. Clementis Romani epist. 1. Ferè enim si mens mundetur luce scientiæ, cum ipsa fuerint munda, ac splendida, tunc etiam eius, qui deforis est hominis ipsa necessariò curam gerit, idest carnis suæ, vt & ipsa purificetur, vbi autem ista, quæ deforis est, purificatio carnis negligitur, certum est neque de puritate mentis, ac munditia cordis curam gerit; itá ergo fit, vt is qui intrinsecus mundus est, mundetur sine dubio & extrinsecus: Deus enim, qui puritatis, & munditiei amator existit, & hanc infantulam sibi elegit in matrem, vt capias anima mea, quanta fuerit corporis mundities huius Virginis luce suæ scientiæ, suæ gratiæ eam repleuit, & super impleuit, ita Gabriel Angelus eam salutans ait: *Aue Gratia Plena, Dominus tecum*: Deus enim non habitat, non amat, non quærit nisi loca munda, & puritate splendentia.

Incarnationis mysterium non perficit Deus solummodo in vtero puritatis, in quo factus homo, à Virgine fuit hospitio receptus, sed in Ciuitate Nazareth, sic habes apud Lucam: *Missus est Angelus Gabriel à Deo, in Ciuitatem Galilcæ, cui nomen Nazareth*: cur in Nazareth, non duntaxat, vt Iesus iuxtà prophetiam vocaretur Nazareus, sed vt sibi præmonstraret, quòd Deus puritatis, & munditiei est amator, & non habitat nisi in loco vbi omnia sunt munda, & pura: Nazareth floridus interpretatur, & puritatis flore olebat. *Vbi enim Deus*, inquit Theophilatus, *ibi nihil impurum, nihil non Sanctum: in loco sancto mundo, & puro, meritò fit salutatio, & illius incarnatio nunciatur, & perficitur, qui est puritatis amator.* Si Ciuitatis locus à Deo non eligitur ad incarnationis mysterium, nisi sanctus, & purus: quid de vtero Mariæ, & de carne eiusdem, de cuius sanguine formanda erat caro filij Dei? Luc. Eu. cap. 1. Theoph.

Intuere, anima mea cor Virginis interius, contemplare mentis oculo corpus illud virginale exterius, & inuenies quòd si puritate itá viget, & viret cor illius, ita vt Angelos vincat puritate, & corpus nitore integritatis, & munditiei candore ita florescit, vt sanctos superet integritate, & Beryllo circumfusa candore tu possis dicere, & cantare: *Pulchra es amica mea suauis, & decora sicut Ierusalem.*

Meritò corpus Virginis figuratum reperio in arca illa Noe, quæ linita bitumine intrinsecus, & extrinsecus saluat ab impudicitiæ diluuio, quodlibet cor in illam ingrediens, ne impuritatis suffocetur aquis: qui puritatis bitumine tantum extrinsecè liniuntur, facilè naufragantur; vt de salute sint securi, & sal-

saluentur, liniri oportet, vt linita fuit Maria intrinsecus in corde, & extrinsecus in carne.

Anima mea, vt in hac Arca Virginali te recipias, & inundantium aquarum impuritatis diluuium vites, puritatem ama, puritatē quęre, puritatē dilige, puritatē amplectere, integritatem serua: si integritatis, si puritatis bitumine linita ad hāc animatā arcam casta accedes, pura, & munda ingredieris, naufragium vitabis, & eris secura de periculo mor-

D. Dam. tis. Sic testatur D. Damascenus lib. 4 de fide orthodoxa cap. 25. de Noe, & filijs eius, et vxoribus eorum testatur, effugisse pelagus, et vniuersum illud mundi naufragium, non alio remigio nisi castitatis adminiculo: hæc sunt verba ipsius.

Castitatis adminiculo pelagus & vniuersum illud mundi naufragium effugerunt, quando in arcam se receperunt: castitatis proposito vitarunt imminentis mortis periculum. Hoc indicare voluit sacer

Genes. tex. Genes. cap. 7. quando inquit: *In articulo diei illius ingressus est Noe, Sem, et Cham, & Iaphet filij eius: vxor illius, & vxores filiorum eius*: separatim se receperunt in arca viri à fœminis, separatim in testimoniū propositi castitatis.

Quantò castius, quantò purius accedendum est ad arcam puritatis, & integritatis: domum linire anima mea intrinsecus, & extrinsecus te Virginitatis bitumine, et castitatis proposito, tui cordis maculas absterge, sordes ablue, impuritatem laua, commissa piacula expia, vt sic puritatis expiata piaculis expianda non committas, & digna accedas, vt salueris, et effecta pura digna sis conspectui tantæ Virginis, et sue protectionis.

Quę si ex Chrysolito nitore modestiæ tota aurea fuit, ex Beryllo tota pu-

D. Effr. rissima, et vt inquit D. Effrem Syrus de laudibus Mariæ: *Sublimior est cœlicolis, purior Solis radio, & splendoribus*: et sic

D. Ansel decebat, exclamat D. Anselmus in lib. de Concept. Virgin. *Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi.*

Ex Topazio verò, qui lapis aurei, & aerei coloris est, pendet puritatis candor cordis, & integritatis nitor corporis, imò oritur sicut nutritur, seruatur, & pascitur ex carnis abstinentia, afflictione, & mortificatione, & potus cibique temperantia, quibus mentis puritas, & corporis munditia probatur, vt igne probatur aurum.

Aurea ex Chrysolito fuit tota Virginis vitapurissima ex nitore, & splendore Berylli; qui & si claritate micat pallore, quem habet admixtum: pallet ò Maria, ò purissima prælucebat in te integritatis, & puritatis candor; quia pallebant in te abstinentia ora ieiunij: hoc signat Topazius, qui aurei, & aerei coloris est. Aureus, color ad pallorem tendit, quo figurantur, qui mortificationis igne, & afflictione corporis probantur.

O fons omnis puritatis, & munditiei, & vnde tibi cum tuæ pulchritudinis candore Topazij pallore, & ærumnarum, & afflictionum probatio: pallere voluit Virgo, & mortificationis indui Topazio, vt humanæ deceptionis innotesceret ignorantiam, & aperiret secretum, quando & insli sunt etiam ex positi temporalibus ieiunijs, & mortificationis tibi præberet exemplum. Nostræ mortalis vitæ talis siquidem est cōditio, quòd licèt sit homo iustus, purus, & candore innocentiæ polleat nimis dicere tamen semper potest cum San-

ćto Iob cap. 10. *Et si fuero iustus, non leuabo caput, saturatus afflictione, & miseria*; quamuis homo se exerceat Sanctis operibus, & sectetur viam iustitiæ declinans à malo, & faciens bona, dum vita viuet temporalia damna, ærumnas & afflictiones multas sustinere compellitur, ita vt vita hominis non impij tantum, sed etiam & iusti ob temporales molestias semper est in suspirijs, gemitibus, & afflictionibus. Iob.

Cum Dominus Iesus, & qui cum eo erant, & cuncti, qui eum ducebant peruenissent ad Golgothæ, seu Caluarij montis locum, inquit Sanctus Euangel. quòd *crucifixerunt eum, & cum eo duo latrones vnum à dextris, & vnum à sinistris*, Matth. cap. 27. O mysteria, ò sacramenta diuinæ sapientię: Cruces erant à dextris, & à sinistris filij Dei; quem Matth.

locum exponens D. Hilarius cap. 23. in Matth. sic habet: *Omnem humani generis Vniuersitatem vocari ad Sacramentum passionis Domini ostendentes*: & iuxtà mentem Doctoris Sancti omnes indiscriminatim vocantur ad Crucem, & ad passionem Domini. Si ad laborem, & ærumnas vocarentur illi tantum, qui à si- D. Hilar.

à finistris sunt;nec mirum,sed valdè mirandum,quòd ij, qui a dextris sunt, & nihil habent finistrum, cogantur crucem portare,& passionem ærumnarum sustinere: cur hoc? ò anima mea audi quid respondeat doctissimus Origenes hom.31. in Matth. *Est videre discipulos Christi testimonium dantes culturæ Dei, cum iniquis reputari, & cum eis crucifigi,& passiones reliquas sustinere, sicut & illi; mundus enim summos semper persequitur viros,& punit, quia non est mundus dignus eis: mundus persequitur, quia boni sunt,quibus ipse indignus est,at Deus cruciat iustos,& ærumnis eos affligit, vt seruet in bono, & præmiet in æternitate cœlesti præmio.* Orig.

Ad hoc induitur Virgo mortificationis Topazio, & pallere voluit pallore abstinentiæ,vt amica virtutum: sic testatur Angelus apud B.Birgittam c.14. ferm.angelici de excell. Virginis: *Desiderabat insuper voluntas Virginis omnes mundi tribulationes gaudenter sustinere, vt in portum securitatis, scilicet in sinum Dei Patris ipsa perueniret hoc incessantèr desiderans,quòd scilicet Deo,qui sibi erat charissimus ab eius anima pro sua recreatione honor ad gaudium redderetur.* Angel.

Et vt simul scias,quòd vitę pręsentis; talis est conditio & natura,vt nullus vacet ab ęrumnis, à quibus si non vacauit Maria,quę fons erat puritatis, quę nullum habuit finistrum, sed semper stetit à dextris Dei; vndè meritò & puritatis portat vexillum, integritatis coronatur palma,& Virginitatis obtinet Diadema,cui infixus cernitur Topazius, vt mortificationis amica, & amatrix abstinentię.

Quę enim erat magistra virtutum, sapientię domus,& puritatis sacrarium, ignorare non potuit, quòd fames amica est virginitatis,inimica lasciuię;saturitas est,quę pudicitiam prodit, et nutrit illecebram,sic esuries est mater pudicitię, ita gula est libidinis illecebra & vorago: sic docet D. Bernard. ferm. ad clericos cap. 12. et valet ratio: *Nam quos ingluuies opimat, luxuria facilè inflammat,& quos abstinentia desiccat,concupiscentia non adurit: ingluuies & luxuria concordes sunt,& inter se confœderatæ. Ventris saturitas,*inquit D.Hieronym.lib.2.aduersus Iouinianum, *seminarium libidinum est.* D. Bern. D. Hier.

Horum vitiorum consociale consortium non ignorabat Rex Dauid, quando Vriam vocauit ex bello, et venientem ad se blandè excæpit, et consuluit: *Vade in domum tuam,& laua pedes tuos:* hoc est vtere balneis: et egressus Vrias à conspectu Regis Dauid, statim secutus est eum cibus Regius: quorsum hęc Dauidis erga Vriam tam anxia de balneis,et epulis sollicitudo? et cordis sui tā sollicita anxietas. In li.2.Reg.c.11. sic respondet Lyranus:*vt sic per balnea, & cibum delicatum ad libidinem prouocaretur.* 2.Reg. Lyran.

O cœcitas tanti Regis,ò fœlix abstinentia tanti militis: cum ex his omnibus delicijs se abstineret Vrias,sequenti die notat Sacer textus,quòd vocauit eū Dauid,et pręmissa prius illa dura increpatione compulit,vt comederet coram eo,et biberet,et inebriauit eum: si huius Vrię ebrietatis causam postulas, et simul cur Rex instabat tic sedulus Vriā inebriare vino,dicam quod sentio, aduertit Rex quia ex ingluuie nascitur,nutritur,et pascitur luxuria, et ingluuies in luxuriam terminat; quòd docet Theodoretus quęst.25. *Frequenti,ac liberali inuitatione vltra modum coegit eū bibere, vt sic incitaret ad libidinem.* Si tot mala ex ingluuie, si tot bella ex saturitate; quid miraris, si Maria Virgo ex auri pallore, quia domus erat puritatis,vt tibi seruaret, et tibi simul pręberet exemplum,semper amica ieiunij, semper sectatrix abstinentię, parsimoniæ amatrix,quibus corpusculum affligebat,vt mentis niteret puritate,et corpus Virginitatis floreret odore,et redoleret suauitate. Theod.

Quantum fuisset ieiunij, et abstinentiæ amatrix Maria, et quàm seuerè corpusculum temperantię lege frænaret,abstrahens illud à cibis,et à cunctis delicijs: ducam in medio verba D.Ambrosij lib.2.de Virginibus, qui de Maria sic scribit: *Quid exequar ciborum parsimoniam,officiorum redundantiam, alterum vltra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse illic nulla intermissa mora, hic congeminati ieiunij dies; & si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret,non delicias ministraret, dormire non prius cupiditas,quam necessitas fuit.* D. Ambr.

Tanto abstinentię amore, et deliciarum odio, seù subtractione tenebatur

Ma-

Maria, quòd adhuc lactans in pectore matris, non mater, sed ab vberibus ipsa se subtraxerit. Ità docet Nicephorus lib. 1. cap. 7. *Infans à lacte materno iam abhorruit, & mammam attingere noluit: maiori desiderio tenebatur esse in templo Domini, quam sugere ab vberibus lac, à quo non est à veritate alienum, si fateri volumus, in hebdomada aliquando abstinebat.* Niceph.

Cur tam arctam ieiunij legem tibi ò infans Maria indixisti? quæ necessitas te compulit? te astrinxit? non tui vtique corporis rebellio, non tuæ carnis illecebra, quia purissima erat, & gratia perfecta, sed amoris lex te adduxit, te ò Virgo ligauit, primo vt fracti damna ieiunij à primo parente tuo ieiunio repares, & tua abstinentia acquirendæ & seruandæ mentis, & carnis pudicitiæ mihi præberes exemplum, & carnis delicias amaras mihi redderes, & efficeres.

Quòd ex tuo nomine sperare debeo: Maria enim mare amarum interpretatur: *eò quia*, inquit Richardus de Sancto Laurentio lib. 1. de laud. Virgin. cap. 2. *mundanas delicias amaricat amatoribus suis, & amaritudines præsentes dulcorat charitatis igne, gratiam eius subministrando.* Richar.

Vt omnis carnis illecebras, tamquã venena effugiat anima mea: ieiunet tuo Virgo Maria, per inuocationem, & dulcedinẽ tui nominis amaricetur mihi omnis mundana dulcedo, & si pane de cœlo tibi allato corporis tui fugabas necessitatis famem, & quem à ministris templi in alimentum tibi præbebatur, in pauperes erogabas, vt docet D. Gregorius Turonensis. D.Greg.

En puapercula anima serui tui, quòd tibi superest de tui ieiunij abstinentia, & de tuæ modestiæ candore, de tuę puritatis nitore, eroga illi, vt tuo nutrita ieiunio, ieiunium amet, abstinentiam diligat; & tibi ò ieiunij magistra placeat, seruiat, te imitetur, te sequatur, & obsequatur: sub vmbra huius ramusculi gustet fructus tuæ modestiæ, tuæ puritatis, tuæ abstinentiæ.

Et commoretur tecum, vt ex vmbra huius ramusculi, & ex tuo commercio hac mortificationis coronetur gemma, quæ vbi te coronauit ad gloriam, & honorem me coronet ad mearum purgationem culparum; sic tuo exemplo virtutis huius amatrix, & tui imitatrix, ò fons omnis boni, quid deerit animæ serui tui: vt non impleatur omni bono, si te habent in matrem. Si in Ioanne data est tibi in filiam, filius ille. filia & hæc, ò Virgo, & mater, & vnde tuo huic primo adoptiuo filio tanta lux, & oculorum acumen, vt qui primo rudis. & rusticus piscator erat, sic nunc scrutator diuini pectoris? ad illos diuinitatis thesauros, qui introduxit? & Verbi Dei quis illi patefecit æternæ generationis secretum? Et aperuit cuncta illa cælestiã sacramenta? dicam quæ sentio, conuictus, vicinitas, & familiaritas, quam tecum habuit, tot diuinitatis ditaui, & locupletauit thesauris.

Pendens de Cruce Dominus Iesus, & morti vicinus, ad solatium matris dixit illi: *Mulier ecce filius tuus*, & ad consolationem dixit: *Ecce mater tua, & ex illa hora accæpit eam discipulus in sua*; at vbi Ioannes in sua accæpit Mariam, & secum habuit, securè & tutò accessit, & appropinquauit Virgini, cum qua erat eiusdem Virginei propositi, & illi semper nitebatur conformari, & assimilari: & hæc conformitas operabatur, vt in duobus esset anima vna, & cor vnũ, et vnus amborum affectus, quid vicinius? Ioan. Eu. cap. 19.

Et vicinitas hæc non ex sanguinis cognatione, ait D. Arnoldus tract. in hæc verba, *sed ex munere gratiæ; probato, dilectoque discipulo pudor Virgineus assignatur, vt testis esset idoneus Virgo Virgini, vices filij naturalis filius accæpit adoptiuus, & transfunditur in ministerium filialis affectus, firmaturque, & firmatur in ambobus pietatis vnica gratus, & concors complexus, non ex traduce naturæ, sed ex munere gratiæ*; vnum igitur contubernium Ioannis, & Mariæ Virginitas accipit, & vnius moris in domo: vnum integritatis propositum, vnam habitationem me retur, communemque conuictum, & ex vicinitate, & conuictu Virginis, non solum Ioannes accæpit, vt haberetur alter Iesus, sed vt ita eleuaretur acies sui intellectus, vt penetrare posset lucem illã Diuinitatis inaccessibilem, & diuinorũ arcanorum locupletaretur, & ditaretur thesauris. Non est meum hoc, sed pijssimi Guarrici Abbatis in sermon. 4. de Assumptione: *Quia fidelis probatus est Ioannes in obsequio incorruptæ matris, mysteria quoque Diuinitatis, & arcana Verbi incorruptibilis sibi credi promeruit* S. Arnol. Guarric.

ex

DE PVLCHRITVDINE ANIMAE Virginis ex quarto ternario lapidum, Chrysopassi, Hyacinthi, & Amethisti.

RAMVSCVLVS TRIGESIMVS.

Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem. Cant. cap. 7.



Ordis, & animæ pulcherrima Virginis pulchritudo, & supercœlestis Ierusalem comparata pulchritudini, nó modò assimilatur, consociatur, & æquiparatur, & identificatur: verum & supergreditur, & extollitur; quid ni anima mea? si ipsorum sinum Cœlorum excessit latitudine, & capacitate? quod eosdem superet, & vincat pulchritudine? quæ sui decoris splendorem, dum non aliunde trahit originem, nisi ex fęcundissimo fonte virtutum; quæ quamuis inter se sint concretæ, & cognatæ, singularũ tamen forma, & expressio non nisi ex iustitia desideratur: est enim ipsa sola fons, & mater cunctarum, quæ omnes complectitur, & commendat.

Hæc enim virtus in Maria, sicut non defuit, ità deesse non potuit (quum sine iustitia cunctæ virtutes labuntur in vitium) vt ex quarto hoc ternario lapidum, nempè Chrysopassi, Hyacinthi, & Amethisti manifestè præmonstrat Diu.

D.Bona. Bonauentura In sua dieta salutis tit. 10 cap. 5. his verbis: *Ista trinitas lapidum*

D.Ambr. *signat iustitiam*, quæ à Diuo Ambrosio lib. 1. offic. cap. 11. sic describitur: *Iustitia est virtus, vnicuique reddens, quòd suum est: ipsa seruat sola ius alienum, & est proprietatis vindex.*

Intuere anima mea cor Virginis, quomodo emicat, & splendet, radiat, & lucet tribus iustitiæ speciebus sic perfectè coronatum, & decoratum.

Prima species reddit sibi ipsi munditiam cordis, & mentis innocentiam signata per Chrysopassum, qui lapis est ignei coloris: de nocte, & de die aureus apparet.

Secunda reddit proximo pietatem, & munificentiam signata per Hyacinthum, qui est aerei coloris: color enim cœlicus figurat cœlestem amorem, quo omnia tendunt ad proximum propter Deum.

Tertia reddit Deo cultum, & honorificentiam, signata per Amethistum, qui lapis est purpureus violaceo colore permixtus, & sæpè flammescit.

Contemplare ergo, quid ergà se sollicitè Chrysopasso ornata exhibebat Maria: quid ergà te benignè circumdata Hyacintho conferebat, & continuò confert: quid erga Deum purpureo vestita Amethisto feruidè excogitabat, meditabatur, & quem ardentèr amabat & cui toto corde inseruiebat, vt et tu tantæ Virgini reddas quæ debes: ex hoc lapidum ternario addiscas eam laudare, & ad eius laudêm exclamare: *Pulchra es amica mea: suauis, & decora sicut Ierusalem.*

O Maria, ò pulcherrima sicut Ierusalem, & quæ vnquam puritas tui cordis, puritate purior? Quæ innocentia, tuæ animæ innocentia innocentior? quæ mundities tui cordis munditiei valeat compatari, vel æquari? vel quæ pulchritudo tua pulchritudine pulchrior? si cœlicos spiritus superes pulchritudine, innocentia, & puritate? ò pulchritu-

do animæ meæ, ò perlucidum speculum cordis mei, cor tuum mundissimum, vt testis est D. Damascenus orat. 1. de Natiuitate: *Erat continuò in sublimissimis absorptum, & occupatum contemplationibus; ita vt nulla actio, licèt paruula, & minima immutauerat perfectionis statum, nec retardabat augmentum*: nulla in ea vnquam inordinata affectio, nulla distractio, nulla fragilitatis vagatio; nec vlla vnquam exterior occupatio labefactauit à perfectionis ordine, nec tabefecit à contemplationis lumine.

D. Dam.

Quid? ò Maria corde tuo perfectius, & pulchrius? quid eo purius? & mundius? quando nec somnus, qui in nobis abyssat, & sepelit liberi arbitrij, & rationis vsum, & actus: in te sola ò Religionis magistra, ò schola virtutum, & omnis perfectionis abyssus, neque quando dormiebas in vtero matris tuæ præpediri potuit, vt docet Diu. Bernardinus Senens. serm. 52. art. 1. cap. 2. quin cor tuum purissimum meritoriè, & liberè non tenderet in Deum, cui illud obtuleras, & sacraueras; hinc ò anima mea, etiam quietis tempore obdormiens Maria perfectior erat contemplatrix, quã vnquam fuerit aliquis alius vigilans, & contemplationi vacans.

D. Bern. Senens.

Et cum esset munditiei, & puritatis speculum, fons, & origo, vt purius, & mundius semper seruaret, & custodiret cor suum, Chrysopasso coronauit, decorauit, & vestiuit, quo induta, in toto suę vitæ curriculo veluti, vt hic prætiosus lapis ignei coloris splenduit de nocte, & aurei nitoris emicuit de die.

De die vt Chrysopassus quasi amittens splendorem, in speciem auri pallebat Maria: cur hoc? & quæ ratio palloris? de die? & quæ causa flammescendi vt ignis de nocte? dicam quòd capio, dicam quòd sapio: de die, hoc est in manifesto, in publico, in conspectu aliorum, veluti aurum pallere voluit, hoc est, vt cordis sui Virgo munditiam, innocentiam, puritatem custodiret, seruaret, & tueretur; hoc fieri non potest, nisi per studium, & exercitium perfectæ, & rigidæ mortificationis, occultando quòd in abscondito, & occulto flammescere fecit, vt ignis de nocte.

O Deus cordis mei, si spinarum aculeus, nec intus, nec deforis nullus vnquam pupugit, nec stimulauit cor tantę Virginis: si nullius hostis, nec ictus, nec lancea vulnerauit, nec vnquam vulnere læsit, nec fœdauit, quæ necessitas vestis mortificationis in Maria? ad quid mortificationis tunica? mortificationis pallium? mortificationis indumentum? mortificationis tegumen? mortificationis operimentum? si sola nuditas Euæ Maria confusionem nec vnquam portauit, nec vnquam sensit, si fuit gratiæ semper vestimento circumamicta.

Et quæ libidinis nuditatem nunquã incurrit, nec concupiscentiæ æstus vnquam sensit, vt senserunt primi parentes post peccatum. Sic docet Rup. Abbas lib. 2. in Cant. *Eua ignominiosa per pruritum libidinis, quæ statim scaturire capit; vndè & nudam se cognoscens, folia pudenda contexit: tu verò Maria nuditatem libidinis non incurristi, imò Spiritus Sanctus obumbrauit tibi*: ergo mortificationis velaminibus nunquam indiguit, quę nuditatem vllam nunquam sensit, nec passa est. Rup. Ab.

O cunctarum virtutum scopus, ò puritatis, & munditiei theca, mortificationis velamen vt cor mundissimum seruares, & cordis tui munditie Deum ipsum quæreres, quòd est primæ speciei iustitiæ munus, tibi opus non erat, ò magistra perfectionum omnium, ò zelotypa animarum sanctarum, Chrysopasso hoc est mortificationis tunica sponte, voluntariè, & liberè voluisti operiri, ut quæ tui muneris erant perficeres, & mihi præberes exemplum, Deum quærendi in munditia cordis, & cor ipsum mundissimum Deo offerendi, & eiusdem puritatem seruandi; totum hoc fieri nequit ab anima, nisi pallio mortificationis induta ad exemplum Virginis, quæ tali pallio operiri non erat obnoxia; nos uerò sic, quia nudi sumus, ut filij Euę, emolliti carnalibus, carnis æstus sæpissimè toleramus, carnis pruritum ardentèr sentimus, concupiscentiæ feruorem parimur, illecebros sensus motus grauiter portamus, sæpè carnis stimulis crudelitèr pungimur, carnis fœtorem sustinemus: heu miseri quoties per momenta temporis immũditiei, et libidinis agitamur impulsibus: quoties carnalium cogitationum fluctibus, quoties cordis uagationum sibi inuicem succedentibus undis ad illicita fluctuamus. & carnalium desideriorum colaphis cedimur, & colaphizamur, percutimur, emollimur, perturbamur

mur; heu et sæpè abiecta mortificationis tunica succumbendo uincimur? et obruimur? et suffocamur.

Eia anima mea si ab hoc concupiscentiæ, & petulantiæ igne anhelas esse immunis,& libera ab ijs immundis per turbationibus secura, nutriatur mens tua vmbra non huius sæculi, cuius delectationes velut vmbræ euanescunt, & fugiunt,vt de primis illis nostris progenitoribus testatur D. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 13. *Postquam spoliatos se illa simplicitate, & sinceritate viderunt integra incorruptaque naturæ quærere mundana,& manufacta cæperunt,quibus nuda suæ mentis operirent delectationes delectationibus, & mundi huius vmbratiles voluptates, velut folia folijs affluentes,quibus obumbrarent genitale secretũ, quæ vt vana meritò euanescunt.*

D. Ambr

En vmbra stabilis puritatis æternæ, en vmbraculum integritatis perpetuæ; en folia protectionis veræ: *Est enim Maria,* inquit Idiota cap. 5. *spiraculum hominis: peccator per Mariam respirat ad spem veniæ,& gratiæ, ad spem dulcedinis,& suauitatis,qua non respirat, nisi in Mariam aspirat?* sub hoc ramusculo ergo ò anima mea addisce imò experire quòd mortificationis tunica se induit anima fidelis,vt quærat Deum, vt inueniat Deum, vt fruatur Deo, vt & Deo offerat mundissimum sui cordis sacrificium,non est dura,non aspera,neque rigida,sed dulcis,& mollis: non est fatigationis,et laboris,sed quietis: non asperitatis, sed dulcoris, et dulcedinis.

Idiota.

Suum sponsum inueniendi ardore nimio,et eiusdem amplexibus perfruendi desiderio vehementi tenebatur cor illius Sanctissimæ sponsæ, et amoris illius stimulo sic agitata laboribus plurimis,et mortificationis exercitijs sponte,et totaliter illa se adiixit: hæc erat illa vox: *Surgam,& circuibo Ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea*: Surgere se protestatur à lectulo huius mundi,à mollitie carnis, à torpore otij: in hoc lectulo non inuenitur sponsus; idcircò de lectulo surrexit,et multo labore illum quęsiuit.

Cant.c.3

Et dum esset ipsa tot sic accincta laboribus, fatigationibus, peregrinationibus,vigilijs,lacrymis,suspirijs, corporis macerationibus, periculis simul & cordis contritionibus, doloribus, & desiderijs in sponsi inquisitione tantum intenta,qui non inuenitur nisi in campo certaminis;& quum sponsa in lectulo suæ quietis cupit vacare sponsi amplexibus,sponsus inuitat ad laborem; cuiquam sponsa liberè propter amorē sponsi se offert tunc sponsus propensius indulget sponsæ suæ vacare amplexibus,& quieti.

Et iam inuento,illum stringit,amplexatur,osculatur,deliciatur,consolatur, satiatur,quietatur,exultat, & iurat, & vouet non dimittere donec introduxerit illum in cubiculo cordis sui, & in secreto pectoris sui,quem tanto labore quæsiuit.

Sponsus ipse suæ sponsæ sic laborantis sodales adiurat ne suscitent illam, nec eam euigilare faciant:ò mysteriũ,ò dilectionis sacramenta, de lectulo suo sponsa nonne surrexerat?nonne circuibat per vicos,& plateas? nonne lassa peregrinatione, & itinere tam duro, quærebat,quem diligebat, maximo cũ labore,quando sponsa hæc operabatur, & patiebatur,numquid erat dormiens? & in somno erant ne veri labores, vel somnia?

Et si vigilans sic fatigata quærebat, cur adiurat; *Ne suscitetis,neque euigilare faciatis dilectam.* Dormire vtique nō poterat,quæ sic sollicitè quærebat: dicam & hoc,demus inuentum, vt ipsamet testatur: *Paululum cum pertransissem inueni quem diligit anima mea.* Nũquid oblita sui cordis desiderij, & sui corporis laboris statim fuit somno correpta? seu aggrauata? anima mea quomodo dormire poterat quæ paulò ante clamabat? *Surgam & circuibo Ciuitatem per vicos,& plateas.*

Quid est,quod sponsus dormientem appellat,quę tantis vigilijs erat oppressa? in his verbis voluit tibi aperire, quòd inquisitio sponsi Dei tui, licèt sit laboriosa,& dura,& ardua, non est animæ laboris,sed quietis; non est difficultatis,& amaritudinis, sed dulcoris, & dulcedinis: non laborat,sed quiescit anima,& dormit,quę vt Deum suum inueniat,intra se habeat,vt suis amplexibus perfruatur non parcit labori,non vigilijs,non mortificationis exercitijs.

Non est labor, sed requies, sed quies quærere quem amat; dormire sibi videtur anima,dum amorem suum inquirit. Lege Diuum Thomam in hunc locum

D. Tho. cum 1 *Adiurat*, inquit Sanctus, *filias Ierusalem ne eam excitent, quum paulò superius non dormientem, vel quiescentem, sed studio laboriosissimæ inquisitionis insistentem, qua sponsum inquirebat, introducat: si ergo requirebat sponsum, quomodo requiescebat? sed dulcissimus, & suauissimus est somnus Christum quærere.*

Si Deum inuenire cupis, si Deum amplecti desideras, si Deum inquirere sollicitè studes, sub hoc ramusculo, & ab vmbra illius addisces, non nisi vestita mortificationis pallio, non nisi induta mortificationis tunica, tuum inuenire amatum, & amantem te ad exemplum Virginis, quæ licet tali non indigeret velamine, vt Chrysopassus in die sub tegumento mortificationis occultans vir tutes suæ puritatis, & innocentiæ, in nocte, in occulto, in abscondito cordis sui velut ignis ardebat, radiabat. O quas amoris, & dilectionis diuinæ emittebat flammas: ò quos suæ puritatis spargebat radios; ò quos experiebatur amati, & amantis amplexus, quæ colloquia, qui conceptus, quæ dulcedinis, qui raptus? quæ flammæ dilectionis erumpebantur de profundo pectoris sui, vt amatum inueniret, & iam inuento: ò profunditas dulcedinis, ò vehementia amoris, quibus amplexibus? quibus osculis fruebatur? quãdo labores, vt inueniret, illi conuertebantur in requiem, & dulcedinem. Hæc fuit pars illa optima, quam Virgo elegerat in domo Domini ab ea nunquam auferenda: sic canit Ecclesia: *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum*: & quæ pars hæc? vtique creata cuncta transcendere, & vni vacare, seu assistere Deo, quem non inuenit Virgo, nisi indura mortificationis tunica, quam lapis hic Chrysopassus suo aureo colore adumbrat, quãdo veluti auro infantula pallebat, & est prima species iustitiæ.

Et huic lapidi meritò annectitur Hyacinthus, qui aerei coloris est, & signat cœleste desiderium in corde iusti, qui amicum amat in Deum, & inimicũ propter Deum; qui amor proximi cũ radices immittat in Dei amore iure illi ascribitur color cœlestis, quò nobis exprimitur Virginis pietas, humanitas, munificentia, dilectio, & charitas, quam ipsa habebat ad proximum reddens illi quòd sub vmbra latet in hoc lapide; Hyacinthus enim suo cęlesti colore signat secundam speciem iustitiæ, & est dilectio ad proximum: quanta verò fuerit Virginis dilectio erga nos, vno verbo dicam, quantus fuit eius labor nobis impensus. Vt capias, quæ dico, velim scias, quòd nullum est testimonium magis euidens, nullus character, nullaque littera vt sunt labores, & dolores pro re amata perpessi à Virgine in totius vitæ suæ decursu.

D. Paul. Vt innotesceret D. Paulus, quanta dilectione, & quo amore Galatas dilexerat Deus hoc vtique argumento vsus est: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus?* quorum verborum sensus est: in Cruce enim Christus, clauis, spinis, flagellis, & lancea quasi calamis, & sanguine quasi atramento descriptus, & depictus est, quasi victima mactata pro peccatis vestris: vt ab eis instificemini, & salui sitis, fieri ne potest vestros oculos fascinari, obnubilari, & obcæcari, vt Redemptorem vestrum, & saluatorem animarum uestrarum penè ante oculos uestros pendentem non intuemini? & tam viui recentisque beneficij redemptionis vestræ obliuiscamini: ò insensati Iesum non agnoscitis? viuis adeò coloribus, imò sanguine proprio depictum non videtis, præsentem non habetis, & obliti estis laborum, dolorumque suorum, quos pro vestra tantummodo salute in sua sustinuit passione; & quot in suo corpore fuerunt vulnera, dolores, defatigationes, tot sunt apices, tot sunt characteres, qui uiua uobis referunt testimonia suæ dilectionis: irà est mens cuiusdam pijssimi Doctoris in orat. de exaltatione Sanctæ Crucis. *Nihil est ex omnibus rebus creatis, quòd nobis modo tam admirando, & tam perspicuè beneuolentiam, & humanitatem Christi proponat, oculisque subijciat quam Crux; Crux est eius, quam circa nos filius Dei gerit, paternæ sollicitudinis repræsentatio; magis efficax non datur testimonium erga nos sicut Crux, passio, labores, & dolores, quos in cruce pertulit Christus Dominus; sunt enim labores pro aliquo suscepti omnium velocissimi, & efficacissimi ad ostendendum erga illum singularem affectum.*

Ad ostendendum Virginis affectum erga te, ò anima mea, liceat mihi eodem hoc vti argumẽto in persona Virginis, quo

quo vsus est D. Paulus in persona Christi, qui clauis affixus: cruci doloris, simul, & dilectionis clauis illi confixa erat & mater; filio per omnia effecta persimilis: vt meritò appellet Virginem Diuus Epiphanius, *Cruciformem*: Hoc idem et clarius iuxtà mentem pijssimi Gulielmi sonāt verba illa Cantic. *Statura tua assimilata est palmæ. Per palmam*, inquit Doctor, *qua manus victoris antiquo ritu ornatur insigne illud ac victoriosum crucis signum notatur: Cui nimirū Euangelista staturam piæ matris assimilatam insinuans, ait, Stabat iuxtà crucem Iesu mater eius: planè ille foris, illa intus patiebatur crucem, Stabat illa iuxtà crucem sui Iesu, atque ea ipsa sibimet quodammodo erat in cruce erecta stando iuxtà crucem, ipsa sibi per affectum quodammodo maternum erat crux*: hæc ille.

D. Epiphanius.

Gulielm.

Cur non cruciformis Maria? quam vt potui, sub typo palmæ in hac nostra palma virginea, quasi in tabula depictā tibi descripsi ante oculos tuos nunc caudacis sui vestita corticis asperitate: nunc peracutis, & durè pungentibus onustam folijs, vt ex multitudine, & grauitate laborum, dolorumque intuens in eam intelligeres sui erga te vehementiā; & magnitudinē amoris, & affectus, & si nunquā hęc sacra infantula otiosa: cur pro tua salute nō semper laboriosa?

Intuere cor Virginis Hyacintho circumamictum cum adhuc esser paruula in domo Domini, & ardentissimorum flammis videbis desideriorum illud æstuare, & excandescere, vt iam ad generis humani salutem descenderet desideratus cunctis gentibus, hic sui amoris, sui cordis desiderii, suarum orationum, lacrymarum, suspirium, & suæ intentionis erat scopus, & finis: quæ omnia tanti fuerunt meriti, & efficaciæ, vt incarnationis temporis mererentur accelerationem.

O anima mea in silentio noctis intuere infantulam illam, positis genibus, expansis manibus, & cœlum versus subleuatis oculis, & in Deum fixis Patrem misericordiarum, vt iam effunderet misericordiam suam in genus humanum. Ignota, & à nobis abscondita sunt incendia, flammæ, odores, dulcedines, & diuini amoris deliciæ, quibus tunc anima Virginis perfundebatur, & fruebatur; & vbi languentem amore quùm video, & desiderio tuæ salutis audio sic inclamantem; *Mitte Domine; quem missurus es; veni Domine, & noli tardare, ostende faciem tuam & salui erimus.*

Et quoniam in tota palma virginea huius Virginis vita conscripta conspicitur, in argumentum, & attestationem sui erga te affectus, & amoris, satis erit pernotare, quæ passa est in passione filij sui; nam pœnalitates, & tormenta, quæ patiebatur, & sustinebat in cruce filius, eadem sentiebat & tolerabat mater in corde; claui igitur, qui manus Domini, & pedes configebant, spinæ, quæ cerebrum, & Christi caput terebrant flagella, quæ Corpus Christi lacerabant, & reliqua passionis Christi instrumenta, hæc eadem animam sauciabant Virginis, cor scindebant, vulnerabant, & pectus. O anima mea, si maior est animi cruciatus, quam corporis, quantus fuit dolor Virginis stantis iuxtà crucem filij sui? Grauius doluit, & acerbius in corde cruciata fuit Maria, quàm filius in corpore. Ad hæc spectant verba Pijssimi Simonis Metaphr. hom. de dorm. Virginis: *Hæc omnia illam transuerberabant profundius, quàm vlli claui; & pro vna filij plaga innumeris ipsa plagis sauciabatur*: Et D. Arnoldus tract. de laud. Virginis; *Christum tunc in matre amplius, quàm in se pati videbatur: omninò tunc erat vna Christi et matris voluntas, vnumque holocaustum; ambo pariter offerebant Deo, hæc sanguine cordis, hic sanguine carnis.*

Simon Metaph.

D. Arn.

Si ad primum ictum in flagellatione filij sui fuit Maria abducta sensibus, & exanimis facta, vt ipsamet Beatę Brigittæ reuelare complacuit lib. 4. reuelat. cap. 70. *Ad primum igitur ictum ego, quasi corde percussa sensibus adducor*: quę dolorum acerbitas in corde eiusdem, quando vidit eum cruci affixum, & morti proximum? Dolor vtique fuit acerbissimus iuxtà Simeonis oraculum; qui licèt cruciauerit matris animam crudelitèr, & minuerit vires corporis; ità vt vix stare valeret super pedes suos, quin non corruerit in terram, sic vulnerata dolore, & tot oppressa lacrymis, & amaritudine; tamen idem dolor sensus Virginis non affecit, non contraxit, nec rationis vsus vnquam intercessit: compatiebatur filio secundum rationem magis, quàm secundum partem sensitiuam: itaque dolebat, & lacrymabatur præ dolore, at lacrymæ

B. Birgit.

erant

erant cum ratione coniunctæ, & effusæ cum mentis iudicio: hoc non est meum, sed ex Diuo Augustino, qui in ser. de passione Domini referens verba, quando Christus matrem cōmendauit Ioanni verbis illis; *Ecce mater tua*: *Curam*, inquit Sanctus, *illius habe eam tibi commendo, suscipe matrem tuam; imò magis suscipe matrem meam: dùm hæc pauca diceret, illi duo dilecti lacrymas fundere non cessabāt: tacebāt ambo illi martyres & præ nimio dolore loqui non poterant; isti duo Virgines Christum audiebant, & voce loquentem, & ipsum videbant paulatim morientem, amarè flebāt, quia amare dolebant, nam gladius doloris Christi animas vtrorumque transibat*: & ità vehemens erat hic dolor in corde matris, quòd vtique præ doloris magnitudine obijsset, nisi diuinitus à Deo in illa hora roborata fuisset. Sic testatur Diuus Anselmus in lib. de excell. Virg. cap. 5. *Quia gladius mortis Christi penetrauit animam Virginis*, inquit Anselmus, *& tantò dolore illam affecit, vt nisi speciali gratia confortaretur viribus prorsus defecisset*: Si potuit dolor vita priuare Virginem, cur non potuit debilitare viribus, & exanimem reddere; qui defectus cum non sint à culpa, nec ad culpam, quæ nulla fuit in Virgine, quòd fuerint in Maria, verisimilior est, hæc sententia, quàm illa, quæ partem sequitur negatiuam.

D. Aug.

D. Ansel.

Primam voco verisimiliorem, quia illi fauent multi Sacri Doctores, in primis D. Laurentius Iustinianus de Christi agone cap. 5. Dionysius Carthusianus in Ioan. cap. 19. Lodulphus de vita Christi 2. par. cap. 64. & 70. Lanspergius in lib. elucidat. in Christi passione, D. Augustinus Epistol. 58. cuius verba refert Lodulphus 2. par. cap. 70. *Illa pia mater immani dolore eiulans, ità viscera fatigauerat, & membra, vt iam sensu deficiens, vix potuisset ad funus Christi peruenire*; Est & D. Anselmus in dialogo de passione Domini, qui sic loquitur in persona Mariæ; *cum venissent ad locum Caluariæ, nudauerunt Iesum filium meū totaliter vestibus suis, & ego exanimis facta fui*: idem affirmat D. Bonauentura lib. meditar vitæ Christi cap 77. *Cernens eum oneratum ligno tàm grādi, quòd primo non viderat, semi mortua facta est præ angustia*; postremo addam verba, quæ D. Bernardus scribit in lib de lamentat. Virg. *Iuxtà Crucem stabat mortua mater, quæ ipsū ex Spiritu sancto conceperat: vox illi non erat, quia dolore attrita iacens pallebat, quasi mortua viuens, viuebat moriens, moriebatur viuens, nec mori poterat, quia viuens mortua erat*: O, ò, ò anima mea quanta erat, & quàm inexplicabilis huius Virginis erga te dilectio, affectus, & charitatis amor: si dolores, si pœnalitates, si labores, pro re amata impensi, sunt viua dilectionis argumenta, & testimonia, vt suprà demonstrat Apostolus, si pro te, pro tua salute laborauit Virgo, & doluit Maria vsque ad mortem: si vitam pro te effundere non solum parata; sed exposita erat. O anima insensata, quis te fascinauit, non amare, non diligere Virginem, quæ tantum te dilexit, vt parata veniret ad mortem: ante tuos oculos tene eam depictam, & sculptam in corde, illam imitare in hac secunda specie iustitiæ.

D. Laur. Iustin
Dionys. Carthus.
Lodulp.
Lansper.
D. Aug.

D. Bona.

D. Bern.

Quæ sic resplenduit in Maria, quòd non solum illam pulcherrimam reddidit, sicut Ierusalem; sed facta est mater pietatis, abyssus charitatis, & fons misericordiæ, à quo in nos, & erga nos semper ad nostram salutem scatent miserationum riuuli. Duabus coronulis redimitum legimus fuisse cor Moysis; Prima, qua potestas ducalis super populum Israel ei à Deo collata est: Secunda, qua diuinale imperium ab ipsomet Deo ei datū fuit super Regem Pharaonem: Ducalis potestas in illis verbis, *Mittam te, vt educas populum meum*: Diuina verò super Regem: *Ecce constituit te Deum Pharaonis*: Exod. cap. 7. Exod.

Et vndè Moysi tanta dignitas, & prærogatiua? quòd constituat hominem Deus super homines, nec mirum; sed valdè mirandum, quòd Deus hominem constituat Deum super hominem.

Deum se ostendit Moyses non in tot portentis, & prodigijs, non in tot signis, & mirabilibus: sed quia Pharaonis duritiem patienter sustinuit, & expectauit ad pœnitentiam, cohortatus est ad veniam, & digno supplicijs, indigno beneficijs pepercit, & tot beneficia contulit, quando teste Chrysostomo; *Relicta aula Regia captiuis, & in luto assumptis se adiunxit*. D. Chrys.

Lege lib. Exod & Num. & cognosces quomodo Deum etiam se præbuit erga populum: erat populus duræ ceruicis,

quot

quot tolerauit probra, irrisiones, detractiones, murmurationes, inuasiones rebelliones, & tot ingratitudinis actus; vndè in homine isto longanimitas tanta? patientia? tolerantia? compassio? & benignitas? in miserando miseris? Vndè tanta humilitas, vndè in Moyse tanta pietas, & misericordia, vt mitissimi nomen sortiretur.

Riuulus erat, & paruus, necesse est, vt à fonte emanet, & à quo? Dicam si attendes? à Virgine, ipsa est fons pietatis, & misericordiæ abyssus; attende Moysis vocationis, & electionis, & coronationis locum. De medio Rubi vocauit eum Dominus, & in Principem elegit Israelis, & in Deum Pharaonis; Rubus ille expressa Virginis figura fuit, non est, qui neget, cum Ecclesia doceat; sed notanda sunt verba D. Damascenè orat. 2. de Assumpt. Virginis sic habet. *Per simulacrum quoddam, & vmbram Mariæ tantus legislator, & Princeps creatus est, ex Rubo, ex Virginis fonte hausit Moyses pietatem, misericordiam, munificentiam, clementiam, patientiam, longanimitatem, & virtutes, quibus tàm insignis euasit, vt fieret Deus Pharaonis, & Dux populi Israel:* si tot viscera patientiæ contulit riuulo, qui creuit quasi in fontem, quid & quale erit cor Virginis, quanta eius misericordię, quantaue viscera suæ pietatis, & liberalitatis, & munificentiæ, & charitatis, si ipsa facta est mater misericordię, & fons benignitatis. D. Dam.

Accede anima mea ad fontem: vt & tu haurias aquas pietatis, & misericordiæ, & non solum opem ferendo miseris, Deo sacrificium, cui dignum offeres: sed vt diuinitatis particeps fias, conijce oculos tuos in Virginem: & vbi videris cor eius Hyacintho coronatum, ad eius exemplum addiscas seruare hanc iustitiæ speciem, vt scias, quæ reddere debes erga proximum proptèr Deum.

Vt tibi consocietur amethistus, qui miro modo lucet in corde Virginis; est enim hic lapis purpureus violaceo colore permixtus, quo docemur, quid reddere debemus erga Deum, non aliud anima ò mea, nisi cultum, & honorificentiam: hoc totum perfectè reddebat cor Virginis Deo, culus amore vulneratum languebat, æstuabat, & velut noua Ethna amoris flammas de profundo cordis sui erumpebat, & eructabat: hic amor purpurabat cor illud, quòd vt carbo videbatur ardere, & vrificam & hoc adeò ab hoc diuino igne erat totum ignitum, vt non cor carneum videbatur; sed diuinum iuxtà illud Augustini tract. 2. in Epist. in Ioannem. *Si Deum diligis, Deus eris*: vndè & Diuus Bernardinus serm. 51. art. 3. cap. 2. affirmat, quòd mens, seù cor Virginis in ardore dilectionis continuè tenebatur, ergo semper purpureo dilectionis colore circummamicta videbatur, & amoris purpura prælucebat. D. Aug. D. Bern.

Quidam aiunt, quòd vbi quis habuerit, seù portauerit hunc lapidè Amechistum, virtute huius vigilans efficitur, & sollicitus. O anima mea siste gressus mentis tuæ, & attende Virginem hanc in templo commorantem, & Deo toto corde mancipatam, quo feruore spiritus Deo inseruiendi feruebat, qua flamma ad Deum eleuabatur? quo charitatis ardore ardebat? quo ardenti desiderio tendebat ad cœlestia? qua diligentia? qua sollicitudine, qua vigilantia, officia, & ministeria cuncta sibi comissa prosequebatur, & virtutibus, & perfectioni in dies inuigilabat, sollicitudine non pigra, spiritu feruens, Domino seruiens, spe gaudens orationi instabat, & necessitatibus cunctorum communicabat: et quid virtutis illi deesse potuit, quæ tota erat in Deum transformata, et Deo vnita, si hoc lapide amoris igne tota purpurabat?

Vt multiplices et varias huius Virginis exprimat Spiritus Sanctus virtutes, varijs eam plantulis assimilatam, seu comparatam reperimus, vt videri potest in lib. Ecclesiast. cap. 24. modò comparat eam Cedro Libani: modò Cypresso in monte Sion, modo palmæ in Cades: modò rosæ in Ierico, et modò cæteris, et nullam illarum flammas ignis ardentis legimus emittere nisi tantum rubum, cui ob immarcescibilem eius Virginitatem etiam comparatur Virgo, sic enim Moysi demonstratum est in lib. Exodi cap. 3. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non comburetur.* Ecclesi. Exod.

Cur Deus non in Cedro, non in Cypresso, non in palma, nec in nulla illarū apparere voluit in flāma ignis, sed dun taxat in rubo? Nonne plantula silue-

stris

stris, nodosa, plena sentis est rubus? sine pulchritudine, et absque vllo decore? et de tot, et tantis plantulis Mariam figurantibus maiestas illa diuina, vt flammesceret, vt ignis flammas emitteret, et tota ignita appareret; cur rubum et nō non aliam illarum elegit? dicam, quòd sentio.

Maria Virgo tantæ erat perfectionis etiam respectu donorum naturalium, et tantæ pulchritudinis, quòd potius videbatur Angelus quam pura filia Adæ: tantæ pulchritudinis erat etiam corporeæ, quòd mundus totus expauit, et cœlum posuit in stuporem, et in admirationem; nihilominus respectu verò donorum supercælestium, quæ Deus cumulauit in corde Virginis, illa externa, et corporalis pulchritudo licèt pulcherrima, rubus, spinosa, nodosa; siluestris, et inculta videbatur, et erat.

O fœlicem rubum, in quo, relictis cunctis omnibus plantulis, in flamma ignis apparere elegit Deus maiestatis æternę; vt eius altitudo, eius pulchritudo nasci nosceretur ex præsentia Dei: vnde visio illa visionis magnæ meruit nomen, et tam magnum, quòd terra, et homines cœlum, et cuncti spiritus cœlorum habent; quid videre, quid contemplari, quid venerari, quid colere, et adorare.

In rubo, et non in aliis facta fuit visio, et Dei apparitio in flamma ignis, quia rubus inter cuncta ligna siluarum, et hortorum est magis disposita, magis apta ad ignem, cum sit natura mollis velocius arescit, et igni minus resistit: quum parum vel nihil retinet humiditatis.

O Virgo benedicta, ô rubus verè flāmescens, quid dicam de te? inter arbores à Deo creatas in cœlo, et in terra productas, et plantatas; non est quæ magis sit ad Deum amandum magis aptā nec magis disposita, nec ad ignem illum recipiēdum magis accomodata, vt hoc virginale cor tuum: rubus diuini amoris, rubus in quo erat Deus ignis ardēs & non consumans, & si naturalis ignis nutritur lignis, & ignis diuini amoris in corde nutritur, & pascitur memoria beneficiorum à Deo acceptorum. O Deus cordis mei dà cordi meo intrare in penetralibus cordis Virginis, quæ gratissima beneficiis à te acceptis, sępè voluebat, & cuncta conseruabat, et assiduè conferebat in corde suo: si magna, si immensa, si singularia, si diuina, si infinita fuere hæc dona, infinitè amabat, ardebat, et infinitè crescebat hic ignis.

Verus amor non est, vbi amatus amantis non cumulatur donis: hæc sūt, quibus verus amor vim sui ostentat. Mesopotamiam petiit Iacob vt fratris sui declinaret furorem, at vbi spoliatus bonis omnibus ad locum peruenisset, in quo morabatur Rachel, quam cum vidisset illius amore captus, affectuosè salutauit eam, et fleuit, sic habes in Genes. cap. 29. *Quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesque Labari auunculi sui, amouit lapidem quo putens claudebatur, & adaquato grege osculatus est eam, & eleuata voce fleuit.* Genes.

Et vnde hæ lacrymæ, et earum fons, et origo quæ? et quorsum lacrymatus est amator Iacob? dicam quæ sentio cū Diuo Gregorio, qui testatur, quòd vis amoris per lacrymas emanat, et vbi amor non est, lacryma cessat: non fleuit doloris causa, sed vt ostētaret amorem, quo diligebat eam. Cum bonis omnibus esset Iacob spoliatus, et verus amor vim sui amoris nescit proferre, nisi per dona: cum non haberet aliud Iacob vice donorum lacrymas obtulit, lacrymas donauit, vt lacrymis veritatem sui proferret, et innotesceret amoris. Audi Nicolaum de Lyra: *Non habuit aurum, & argentum, seu iocalia ad dandum sibi, sicut seruus Abrahæ dederat Rebeccha, cæpit lacrymari*; nam vbi amor non est, lacryma cessat. D. Greg. Nicol. de Lyra.

O Maria, ô Dei vera amatrix, ô schola virtutum omnium, quando eras in domo Domini, qua sollicitudine? quo spiritus feruore? Deo, et in ijs, quæ Dei erant inseruiebas? quo amore cor tuum ergaDeum ardebat? feruebat? incalebat? ad Deum amoris alis continuè eleuabatur, earnoris igne accensum, quomodo purpurabat? quos dilectionis cōceptus concipiebas? quæ ignita suspiria? quæ flammigera verba? quas flammas eruThpebas? eructabas de præcordijs cordis tui? O, ô, ô amoris Aethna, quoties vt pura creatura, et memor tantorum beneficiorum non habens in manu quæ offeras Deo, videns maiestatis thronum, intuens bonitatis suæ sapientiam, contemplans amorem, charitatem, perspiciens pulchritudinem faciei illius, adaquato grege potētiarum animæ tuæ in fontibus diuitiarum Dei, laudās, benedi-

nedicens, gratias agens, glorificans, magnificans: eleuata voce quoties ò Maria, ò ſpes animæ meæ, ò lumen oculorum meorum, ò Dei ardens amatrix, lacrymata es: O, ò, ò ſi in noctis ſilentio, ò ſi clauſa ſola in cubiculo te vidiſſet anima mea: ò ſi in ſpeculo meditaditationis tuæ ſaltem te flentem videre poſſet; quas et quot lacrymas erumpebant illi tui oculi diuini? quot ſuſpiria? quæ, et quot, et qualia erant deſideria cordis tui? quæ Deo vice donorum offerebas, vt erga eum tuum proferres amorem.


Collige te ſub hoc Virginis ramuſculo, et illius exemplo ad tui ſalutem ſcias pallere in die, et lucere in nocte, ut Chryſopaſſus: addiſcas pietatem, et miſericordiam exhibere erga proximos amicta Hyacintho, et purpurata Amethiſto intelligas quid, et quantum debeas Deo pro beneficiis accæptis; Sit tibi Maria Amethiſtus ama illam, dilige toto corde, amplectere, imitare, inuoca, ſaluta, lauda, benedic nomen ſanctum eius, ut umbra amoris ſui cor tuum incaleſcat, ut ſic feruidè ames, adhæreas, inſeruias, et collaudas.

Dic ergo ſit nomen tuum benedictū in æternum ò humilis Virgo Maria mater Ieſu filij Dei te pręcor ò Maria mōſtra te eſſe matrem, & miſerere mei per merita ſerui tui Diui Bonauenturæ: in cuius die terminari tibi complacuit trigeſimus hic ramuſculus, quoniam in te ſola confidit anima mea, ſpes mea tu, & merces laboris mei hic, & in patria cœleſti, ò pulchra, ò ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem.



DE VMBRA SECVNDÆ PALMÆ VIRGINEAE.

Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Cant. cap. 2.



Ecunda hæc palma Virginea, li è paruula nimis (erat enim triennalis, quando translata à terra sæculi huius sitienti, & sterili, fuit secus aqueductus aquarum viuentium plantata in domo Domini Dei sui:) & vt plantula parua paruulam quoq; suæ infantulæ, suæque pueritiæ tunc efficiebat, & efformabat vmbram; at quia sub Dei adiutorio viuebat, & vmbra, sub qua sedens augebatur in dies, & proficiebat, semper virens, semper erat parata victoriæ, & tibi ò anima mea semper vestita folijs, semper coronata floribus: semperque onusta fructibus, suauis ad cibum, honorabilis ad triumphum, & vmbrosa ad requiem.

Sub vmbra Dei hæc infantula veluti palma sua radijs solis illius æterni luminis ledens, & vinens, virens, & vernans, adeò creuit in altum, vt sicut ponderi vitæ actiuæ nunquam cessit; ita vt palma alis vitæ contemplatiuæ eleuans se supra cacumina montium etiam Angelorum vmbram emittit, & format obũbrantem Deum à euius vmbra simul ipsa tota cernitur obumbrata, quando sub ea sic lætabunda, & laudans cecinit: *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, &c.*

O fælix, ò suauis vmbra Dei sub qua ingressa domum Domini, & consecrata Deo suscipitur Maria: erat adhuc veluti palma in primo flore suæ infantiæ. De Plin. palma naturali scribit Plinius lib. 13. cap. 4. quòd duobus fermè à suo ortu decursis annis, quia arbor est amica aquis, non qualibet terra est apta suæ plãtationi, sed quę humida est, & affluẽs, aquis, & exposita soli: aquarum enim odore, & humore facilè crescit, coalescit, frondescit, florescit, & fructus gutturi, & gustui comedẽtis affert perdulcissimos.

O Maria, ò paruula palma sub vmbra Dei semper virens, & vernans, semperque fæcunda, quando tuorum progenitorum manibus translata, & plantata fuisti in hortulo domus Domini Dei tui secus decursus aquarum gratiarum omnium, quarum irrigatione in altitudine, & rectitudine tui caudicis, in altitudine ramusculorum, in densitate, & vmbrositate frondium, in suauitate, & pulchritudine florum, & in fæcunditate fructuum tuorum: dic animæ serui tui quàm sublimè, & fæcunda creuisti? vt totum in Deum, & quòd nouit esse Dei, referret: audi non me, sed ipsammet dicentem, Luc. Euang. cap. 1. *fecit mihi magna qui potens est*; sed quam magna? inquit D. Thom. de Villanoua conc. 3. de Natiuitate Virginis. *Nescio an ipsamet valeat suam comprahendere magnitudinem. Inexplicabilia sunt quidem, quæ fecit Virgini Deus, ita vt nullius creata mentis sinu excipi planè possunt, fortassis nec mens ipsiusmet Virginis.* Sistamus hic verba Diui Bernardini Senens. serm. 52. artic. 3. cap. 1. *Tanta fuit perfectio Virginis, vt soli Deo cognoscenda reseruentur* iuxtà illud Ecclesiast. cap. 1. *Ipse creauit eam in Spiritu Sancto: vidit, dinumerauit, & mensus est:* Si aues partem saltem illius magnitudinis paruulam attingere, collige ex ipsa vmbra Dei, sub qua viuens semper sedit, sub qua sedes semper vixit, & sedens, & viuens semper læta cecinit.

Luc. Eu. Tho. de Villano. D. Bern. Ecclef.

Sub vmbra illius, quem desideraueram, &c. Palma naturalis gradatim, & paulatim, & longo in temporis interuallo crescit, & ad perfectum ascendit: at nostra palma virginea, nec per instãs retardatur, nec per momentum præpeditur; en quam citissimè creuit, vix fixerat pedem in primo gradu ex quindecim, quibus ascendebatur in templum, quando virtute diuina, & Angelorum mini-

ministerio peruenit ad vltimum, vt quã celerrimè perueniret ad Deum, & sederet sub vmbra illius, & degustaret fructuum suauitatem eiusdem; qui ad hoc nostram paruulam adduxit in templi sui solitudinem, vt mammilla sui pectoris lactaret eam, & lactauit, & cum lacte communicans illi Deus spiritum suum: mores, & virtutes simillimam sibi reddidit, et in imaginem diuinarum suarũ pulchritudinum præstitit transformatam, et deiformem; O anima mea, qualis erit vltimus, et consumatus sublimitatis, altitudinis, et perfectionis huius palmæ virgineæ gradus concurrẽtibus septuaginta duobus annis, si adhuc infantula, et paruula lactens, et sedens obumbrata sub vmbra Dei; ita in altum ascendit, vt non videretur creatura, sed deitas quædam creata, et creatura quædam diuinitus deiformata, et deificata: ò quam dulcis Mariæ, ò quam suauis, et desiderabilis Virgini hæc vmbra Dei et gutturi animæ ipsius quam perdulcissimus illius fructus, vt meritò canat: *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, &c.*

Sedens sub vmbra Dei, et cohabitãs in adiutorio altissimi, & protectione Dei cæli hęc nostra Palma Virginea plãtata iam secus decursus aquarum viuentium supercælestium in domo Domini, quam altè creuerit, & quam sublimè super ipsam humanam, Angelicamque naturam extulerit, & erexerit suæ sublimitatis, suæ altitudinis, suæ formositatis, & pulchritudinis comam cœlum versus conijce tu anima mea ex ipsa Dei obrumbantis vmbra, ducentis in solitudine simul, & lactantis, qua obumbrata, transformata videbatur in ipsammet vmbrã Dei; qui sic loquitur per Oseam Prophetam cap. 2. num. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*: atquo lacte Deus lactans lactauit eam? & quo cibo pauit eam, & aluit eam in illa templi sui solitudine? quo lactata, & enutrita Maria, non amplius videbatur pura creatura, sed quædam creata deitas, & tota deiformis? Osea.

Vt capias, quæ dico, necesse est primo videre, quo cibo vescitur Deus, pascitur, & viuit: cibus hominis panis est, Angelorum verò esca est obiectum cognitum rerum intelligibilium, est illud intelligere res diuersas, vndè Angelus vidit de obiectis cognitis, homo mortalis de pane: Deus autem proprio intuitu suæ diuinæ essentiæ; Dei namq; cibus est ipsa suæ deitatis plenitudo: alia mensa non fruitur Deus, nisi contemplationis sui ipsius, intimè intuendo naturam suæ diuinitatis, quam perfectissimè intelligendo comprehendit, comprehendendo aspicit, contemplatur, delectatur, gaudet, lætatur, & viuit, qua Deus Pater intimè seipsum aspiciendo, & contemplando, dat vitam Verbo, quòd ex sua substantia generat in illa æternitate; itaque ex ipsamet sua vita viuens generat Verbum, & quoniã in diuinis vna est trium personarum cognitio, & intellectus vnus, vna & simplicissima est & vita: vita igitur Dei, & esca eiusdem est ipsemet Deus: Dei viuere est cum iubilo, & lętitia, perfectissimè intelligere, intueri, & comprehendere suũ esse; En quomodo in hac perfecta cognitione sui ipsius, & totius sui esse Dei vita consistit, quæ vtique non diuersificatur, non distinguitur vt nostra ab ipsomet Deo, sicut ab eo non est distincta, nec diuersa; sed vna sui ipsius cognitio, vita viuit Deus, sed de seipso & non alia: Esca Dei est ipsemet Deus, & suum viuere est frui seipso, intelligere seipsum, & comprehendere totum quòd est; quo cibo uescitur anima beata in patria, uidendo Deum, uiuit de Deo, qui solus uiuit de seipso: Beatorũ uerò cibus, & esca consistit in illa uisione beatifica uidendo Deum, quòd nos docuit S. Bernard. in suis meditationibus cap. 4. quando inquit. *Præmium est videre Deum, viuere cum Deo, viuere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo: qui erit omnia in omnibus habere Deum, qui est summum bonum, & vbi est summum bonum, ibi est summa fælicitas, summa iucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, & secura æternitas: ibi est vera letitia, plena scientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo, dulcis concordia, sempiterna requies, vita perennis*: hæc ille. D. Bern.

Anima igitur beata in illa gloria beatitudinis uiuens Dei uita per participationem, & cibo illo diuinissimo enutrita, & exatiata ita uiuit, quòd ei non restat, quòd famescat aliud, ne testatur Propheta Sanctus. *Tunc satiabor cum apparuerit gloria tua*, & plenam hanc satietatem non affert animæ esurien-

rienti nisi illa clara, & sola Dei uisio, & fruitio; quæ sola explet animę capacitatem, & ex omni parte satiat plenè; undè idē Psalm. psal. 35. *Inebriabūtur*, inquit, *ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* In quo loco sic habet S. Augustinus. *Cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia: perit quidem mens humana, & fit diuina*, & clarè patet ex uerbo, quo usus est Propheta, inebriabuntur quando enim homo laborat nimia ebrietate, tunc temporis non uiuit uita humana; Et quidem quia usus rationis humanæ tumulentia illa uini ligatos tenet ebrietas, ut uita brutorum uiuat, eò magis, sed altius & perfectius operatur in anima lætitia illa ineffabilis uisionis diuinæ, ut mens, quæ simpliciter erat humana, hac ebrietate efficiatur tota deiformis & uita uiuit Dei; dum uiuit, cibatur, pascitur, nutritur, alitur, satiatur: & inebriatur illo cibo, illoque uino; quo uiuit ipsemet Deus. qui beatorum est beatitudo, & satietas; nam ubi nostra uulgata legit in Canticis; cap. 2. *Ego flos campi*: Exemplar hebræ. legit: *Ego flos saturitatis*; Satiat suos Deus in patria, & exatiatè satisfacit animæ nostræ potentijs, & desiderijs non alio cibo, nisi qui Deus est.

Dau. Pr. — D.Aug. — Cant. — Exempl. Hebr.

O Deus cordis mei, ò Deus fœlicitatis æternæ, quando palmam hanc Virgineam de sterili mundo gratia tua transplantasti in templū domus tuę, & duxisti eam in solitudinem eiusdem; vt lactares eam, quibus mammis? & lacte cuius pectoris, & vberum? sic responDere Deum legimus in Isaia cap. 60. nu. 16. *Mammilla Regum lactaberis*: Qui Reges isti? quorum mãmilla lactabatur Maria? Nisi tu Deus meus, qui vnus es in subståtia, ac trinus in personis; trium harum personarum mammilla lactatur, pascitur, & alitur Virgo infans, & non alio lacte, nisi illo deitatis, quo seipsum lactat Deus, & dùm lactat sui diuini pectoris lacte, Virginis Deus declaratur nutrix: & vt nutrix cibat, pascit, lactat, augmentat, vt nutrix millies osculatur, blanditur, vt dormiat, & dormienti assistit, & suis brachijs sustinet, protegens ab aduersis, custodiens à malis, quasi pupillam oculi sui, & hac obumbrata ab vmbra Dei, & hoc lacte lactata Maria, & hoc dulcedinis inebriata vino, & voluptatis domus Dei, tota effecta est diuina et deiformis, licèt adhuc esset in terris, & in humanis viueret; Verum quia mentem eius, vt testis est D. Dionysius Carthusianus lib. 2. de laud. Virginis cap. 8. *Nulla vnquam inordinata affectio, distractio, seù fragilitas à contemplationis lumine reuocauit, nec occupatio vlla exterior: sed in perpetua Dei, & diuinarum rerum contemplatione semper fuit ita fixa, & immobilis vt cor, & mentē in Deum semper dirigeret, Deum cogitaret, & intueretur mentis oculo, ac si esset in patria, par beatis*: nec videatur hoc incredibile, cum de ea dicat pissimus Richardus à Sancto Laurentio lib. 4. de laudibus Mariæ; quòd *Virgo virtute contemplandi quodammodo patriæ donata est*, vndè de ea dictum est, Sap. 18. nu. 16. *Cœlum attingebat stans in terra.*

Isai. Prophet. — Dionys. Carthus. — Richar. à S.Laur. — Sap.

Quoniam inter Virginis charismata, & dona cœlitus illi collata, hoc fuit vnum, et singulare: vt etiam viuens in hac vita mortali repleretur, vt Beati in cœlo gratia fruitionis diuinæ; Audiamus quid dicat D. Bonauentura in suo speculo B. Virg. cap. 7. *Consideremus charissimi, quomodo plena sit Maria fruitione lætitiæ diuinæ*. Et præ stupore exclamat D. Anselmus relatus à D. Bonauentura. *O fœmina plena, & super plena gratia claritatis, de cuius plenitudinis exundantia respersa reuiuiscit omnis creatura*. Quanta autem Dei claritate fuerit ipsa plena, dicam quæ sentio, quanta erat vmbra, qua obumbrabatur, & lactis mamma qua lactabatur, & esca, & cibo quo vescebatur; qui si erat Deus ipse, quid miraris anima mea, si sedens sub vmbra Dei deiformis apparebat, & deitas quædam creata videbatur? Nam cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quidem mens humana, & fit diuina: cur non diuina tota Maria? quæ mammilla Regum, vt electa filia, mater, et sponsa lactata fuit, quid mirum? si sub hac vmbra dulcitèr canit, *sub umbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

D. Bona. — D. Ansel.

O anima mea, qui fructus hoc dulcior, et suauior? quo anima vescitur, & pascitur, & in Deum tota transformatur? obumbratur, & amicitur Dei amictu? anima, quæ terram incolit, & in terra adhuc degens, terrenis omnibus, terrestribusque spoliata, & denudata affectibus, apta & digna est, ut

vt cœlestibus induatur charismatibus, & diuinis vestiatur splendoribus: Hanc doctrinam edocuit nos Apocaly. cap. 12. suarum reuelationum D. Ioannes,
Apocal. qui de Virgine loquens ait; *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius*: Sole amictam vidit, quam vidit pedibus calcare Lunam: quæ vestis ista solaris? Et quæ Lunaria, hæc calceamenta, quibus calceata Virgo incedit, & terram calcat, & premit: Lunam pedibus calcat in signū neglectæ nobilitatis, & in contemptum diuitiarum, & totius terrenæ gloriæ: Audiendus est Pijssimus Ricchardus à
Richar. à S. Laur. Sancto Laurentio lib. 12. de laud. Virg. *Virtus altissimi obumbrauit ei, vt omnem motorem temporalis gloriæ, omnem fauorem blandientis fortunæ ab effectu, & aspectu eius præ amore cœlestium intercluderet*: hoc est Lunam habere sub pedibus eius, idest omnem gloriam mundi, & omnia mutabilia sub affectibus calcare.

Luna sub pedibus Mariæ in signum quia omnis instabilitatis, mutabilitatis, omnisq; corruptionis expers fuit Maria, vt colligitur ex Diuo Bernardo su-
D. Bern. per hæc verba, signum magnum; *Nam & defectus omnis sub ea, & quidquid fragilitatis, & corruptionis est, Excellentissima quadam sublimitate præ cæteris excellet, vt meritò sub illius pedibus Luna esse dicatur*.

Præcipuè tunc apparuit Maria Lunam habere sub pedibus, quando ascendit in templum, & Deo se consecrauit, & ab omnibus se denudauit mundialibus affectibus, non solum auulsa ab omni conuictu humano, & sæculi huius vanitate; sed à seipsamet se seduxit, di-
D. Greg. cente D. Gregorio lib. 33. moral. cap. 3. *Quid prodest solitudo corporis, si deficit solitudo cordis; qui enim corpore remotus viuit, sed tumultibus conuersationis humanæ, terrenorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine*. Virgo Maria magistra virtutum sic edocta ab hac vmbra Dei, sub qua sedebat in templi solitudine corpus, se consecrans Deo, auulsit à temporalibus cor, & mentem seduxit ab affectibus, & à seipsa: quid miraris si Sole vides amictam? Dei obumbratam vmbra & in Deum transformatam? Et totam esse deiformem? quando inquit Damascenus lib. 4. cap.
D. Dam. 13. *Adducitur in templum, deindè in domo Domini plantata, & impinguata spiritu, veluti oliua fructifera omnis virtutis habitaculum facta est ab omni sæculari vita, & carnali concupiscentia procul mentem sequestrans*. hæc illæ. Sic ab omnibus, & à seipsa denudata se consecrans Deo, solis splendore Dei vmbra, Deique amictu meruit vestiri. Hanc veritatem tibi aperuit Spiritus sanctus in lib. 4. Reg. c. 2. Abeuntem in cœlum Reg.
Eliam sic obsecrauit Eliseus; *Obsecro, ut fiat in me spiritus tuus duplex*: hic petitionis modus Elisei, nō fuit arrogātię motus, sed charitatis erga populum impulsus, & ei benefaciendi ardens amor; Caietan.
at Caietanus docet, idem esse Eliseum duplicem spiritum postulasse sibi dari, seu impetrari, ac se præferre in benedictione, cæteris spiritualibus filijs Eliæ, tamquam omnium primogenitum, vt mos erat illorum patrum ex hac vita demigrantium filios suos varijs consolari benedictionibus, at Primogenitum duplici semper ditabant benedictione.

Agnita hac discipuli petitione ad rem nostram; est magistri profunda, & mysteriosa responsio: *Rem difficilem postulasti, dixit, attamen si videris me quando tollar à te, erit tibi, quòd petisti: si autem non videris, non erit*; vt duplex, & alactis spiritus fieret in eo hoc singulare remedium, nempe visio abeuntis: ô fęlix visio, & beatus intuitus, in quo clauditur cœlestis hominis thesaurus: extrà se, & super se attendere ascendentem: quid est anima mea? si videris me: itá fixum oportet esse in visione, vt non solum degas in penetralibus deserti ab omni strepitu mundanorum auulsus, & ab hominum frequentia, sed extrà te fias.

Quòd factum videmus in Eliseo, cuius anima amoris igne succensa magistri currum sequebatur, & quantò altius ferebatur currus Eliæ cœlum versus, tantò Elisei anima per mentis excessum, quasi mortale corporis pondus destituens suprà se leuabatur; O vis amoris, ò dilectionis vehementia, itá denudauit huius discipuli animā à terrenis affectibus vt Eliç pallio mereretur amiciri, & indui; nam anima, quæ terrestribus se spoliat affectionibus, è cœlo cęlestibus æquum est, vt vestiatur splendoribus, & operiatur vestibus.

O Maria, ò verè signum magnum in cœlo, terram incolens, dùm pręsentatur

in templo, ducitur in solitudine, recluditur claustris, consecratur Deo depositatur in domo Domini, Dei obumbratur vmbra, commoratur in protectione Dei cęli, & habitat in adiutorio altissimi, solo cibo, quo vescitur Deus ipsa alitur, nutritur, & cibatur; æquum est, si Lunam pedibus calcat, & ab omnibus mundialibus se denudat affectibus, & à seipsa, vt vestiatur Sole, amiciatur Dei pallio, & amictu, & tota videatur transformata in Deum. Non est
D. Bern. meum hoc; sed audiamus Diu. Bernardum in serm. super signum magnum: *Iure ergo Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimum diuinæ sapientiæ, vltraque credi valeat, penetrauit abyssum; ut quantò sine personali vnione creaturæ patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa*; hæc ille: Et eàm immersa, vt videretur quædam deitas creata, & tota deiformis: cur Virginis gutturi super mel, & fauum non perdulcissimus, hic fructus? si deitas, & totius diuinitatis vmbra est fructus? quapropter sic dulciter accinit: *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*.

En perdulcissimæ vmbræ, & fructus connexio, cur hoc? Nimirum, quia non inanis, non vacua, non sterilis, sed fœcunda est Dei vmbra: En fructus illius? ab hac plenissimè vmbra obumbrata Mariamater efficitur, non hominis tantum: sed & Dei, quem Virgo genuit peperit, & Virgo permansit, mater effecta est, & deiformis; Audiamus quid, & quam scitè annotauit hoc Pijssimus
Richar. à S. Laur. Riccardus à Sancto Laurentio lib. 12. de laud. Virg. ait enim: *Et virtus altissimi obumbrauit ei, ut assumptę carnis uelamine interiecto susceptrix, & conceptrix Maiestatis effecta, nequaquam opprimeretur à gloria*; & ideò dixit ipsa in Can-
Cant. tic. cap. 2. *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi*: proptèr fructiferam autem, & suauem superuentionem Spiritus sancti subiungit; *& fructus eius dulcis gutturi meo*.

Qui hic fructus? Et quæ magna, & ineffabilis dulcedinis eius multitudo? Vtique fęcunda facta est Virgo Deo, quùm, quæ caro erat purissimæ Virginis, caro facta est Dei: ità vt vna effecta sit matris Virginis, & Filij Dei specifica & corpulenta substantia, & natura: ò prodigia, ò miracula. Hæc contemplans sub Virginis vmbra Diu. Petrus D. Petr.
Damianus in serm. 1. de Natiuit. Virg. Damian.
præ stupore exclamauit: *Taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis, & dignationis immensitatem, vt habitet Deus cum Virgine, cum qua vnius naturæ habet identitatem, quia idem est, quòd ipsa*: Vndè Verbum Patris manens, quòd erat, ità naturam assumpsit humanam, internam substantialemque formam hominis, vt esset visibilis, & spectandam illam obiceret omnibus, & homo similis nobis appareret: quæ species non fuit phantastica & accidentalis, sed vera, & substantialis: itaq; Christus Dominus vt Deus, omnipotentia Patris, Deo Patri genitus est similis: at vt homo, homini factus est persimilis ministerio matris; quæ obumbrata vmbra altissimi in sui vteri sinu, ita sanguinem suum, & carnem copulauit, ita inuisceràuit, & identificauit cum Filio Dei, vt hic Deus esset & homo Deus, & idem quòd ipsa & Virgo mater, quæ genuit eum, esset deiformis, & tota in Deum transformata.

Et quæ concipiens, & generans præstitit carnem, & sanguinem, vt Deus esset homo, dedit eidem, & viuere, vt viueret hominis vita? Vt capias animam meam, quæ dico, velim scias Verbum Patris, filius factus Virginis, & homo, dixit per Ioannem cap. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit, & filio vitam habere in semetipso*: Et quemadmodū à Patre habet esse; habet, & viuere Ioan. Eu.
& deitatis vita, qua pater viuit, viuit & filius; & si vna est Patris filij vita, vna est vtriusque simul & esca & cibus: & si trium personarum in diuinis vna est deitas, vna natura, & vna cognitio, ergo vna est earum vita, & vnus cibus.

Et viuens Dei Patris Filius vita, quando sibi complacuit etiam viuere vita humana, vita hominis, quid factum est? Conceptus in vtero Virginali, & natus de Virgine matre non vixit, nisi de lacte, quòd suxit de mammis matris suæ, & cibus, quo viuebat Maria factus est etiam, et filij, vt eo viueret vita hominis.

Eadem esca, qua viuit mater, viuit natus ex ea, sanguis enim quo partus in vtero matris, & nutritur, & sugit per aqueductum vmbilici, ex materno cibo generatur, & quem mater sumit, & accipit

cipit in nutrimentum suæ vitę, vt viuat, idem cibus diuersimodè tamen fit matris, & filij nutrimentum ad vitam: extrà vterum viuit infans ex lacte pectoris suæ genitricis, & quòd fuit matris alimentum, efficitur idem prolis alimonia.

O anima mea sede sub vmbra contemplare Virginem obumbratam, & lactentem sub vmbra Dei: & vt trimam intuere sugentē lac de pectore, & mammillis Dei sui, cui se consecrauit: simul intuere obumbrantem Deum ipsum, tùm in vtero virginali, veluti sub vmbra virginalis vteri sedentem per assumptam humanitatem: dùm inter brachia matris de ea iam natum lactentem, & de mammis illius suggentem lac; lac enim hoc primo matris cibus fuit, & per venas mammillarum Virginis, fugens illud puer Iesus, factus est cibus Dei, qui si naturam habet à matre, & cibum à genitrice, & vna est vtriusque vita.

Et vnus est etiam vtriusque cibus, ità identificantur simul, vt Deus fit homo per Virginem, & Virgo appareat tota deiformis, & in Deum tota transformata per Deum: ò anima mea siue contemplaris Deum sub vmbra Virginis lactentem, siuè Virginem sub vmbra Dei deitatis vbera sugentem, semper fatetur verum, quòd dulcis est fructus eius gutturi meo.

Cuius fructus dulcedine inebriata Maria omni carnali affectui effecta insensibilis, reliquit domum, parentes abdicauit, amicos non agnouit, honores abiecit, voluptates sæculi, & vana cuncta calcauit, & arbitrata est, vt stercora, vt citissimè volaret sub vmbra Dei: intra septa domus Domi Trima se conclusit, in qua Deum ipsum habuit in nutricem: quid ni? non tota deiformis Maria? quæ vbi à matre Anna traxie naturam, à Deo nutrice hausit lac, & cum lacte hausit, et mores, quoniam quales sunt nutrices tales efficiuntur, et paruuli, quos nutriunt; vndè Aristot. in li. de somno, et vigilia scribit, vinum non conuenit bibere pueris, nec eorum nutricibus, quia nihil differt pueros vinum bibere, et nutrices, quę mores suos vel probi sint, vel secus in filios cum lacte ipsos transmittunt.

O fęlix Maria, ò beata infantula, cur non totam diuinam, et in Deum transformatam, sub hac vmbra Dei te contemplabitur anima mea: si mammilla alia lac non præbet, nisi Dei, & si in nutricem habeus Deum solum, qui te lactans cum lacte mores suos diuinos in te trāsmittit; vndè factum est, quòd omnesmotus, gesta, gressus, verba, facinora, & quælibet huius Virginis actio, licèt minima diuinitate olebant, diuinitate radiabant, diuinitate sapiebant, quò ascendit per tot curricula suæ purissimæ vitæ, si sic altissimè eleuauit eam Deus adhuc paruula, & in primo ingressu, quò illi se consecrauit.

Intuere anima mea infantulam hanc sub Dei vmbra somno contemplationis fruentem, sugentem lac dulcedinis, suauitatis, consolationis, & lętitiæ spiritualis de mammilla pectoris Dei, quando orabat, meditabatur, contemplabatur. O quoties in silentio noctis eleuata facie, fixis sursum oculis, expansisq; manibus eleuata à terra, Angelorum multitudine circundata, & cęlesti splendore circumamicta, intuere nunc suspirantem, nunc collacrymantem pro tua salute, nunc feruidè inclamantem, *surge Aquilo, & veni Auster, & persla hortum meum, vt fluant aromata illius*; Cant.cap.4. hæc erat Virginis oratio. Cant.

Et quæ aromata, hæc cordis huius infantulæ? Nisi sui pectoris vota, nisi puritas, et innocētia sui cordis, nisi perfectiones, virtutes, et cunctæ suæ actiones Deo, cui se dicauerat soli placendi, gratissimæ; quamuis autem aquilo, & auster sint venti inter se oppositi, & contrarij in motibus, in qualitatibus, in effectibus, & in situ; Aquilo enim quò in principio sui ortus præceps est, & impetuosus, nihilominus quò magis crescit, eò statim vires amittit, & deficit: Auster verò debilis est, et delicatus, sed quò magis pflat, eò magis crescit, et grādis moritur; Huius differentiæ causa ex Arist. colligi potest in suis problematibus probl. 41. Aquilo oritur non nimis longè à nobis, sed propè: Auster verò multum distat à nostro Emisphærio; hinc est, quòd primus nos crudelitèr, et totis suis viribus aggreditur; secundus verò antequam ad nos perueniat, quia distans est, aliò diffunditur, et debilis congreditur. Aristot.

Et licèt inter se sint contrarij, confœderantur tamen in Virgine, quia signa sunt vnius spiritus diuini: ambo auras uita-

vitales perflant ambo sunt onusti odoribus, & gratijs cœlestibus; nam vbi aquilonaris filiali timore ô trima mea puellula te impulit, & humilitatis impetu te stimulauit, vt consnmatum videretur, in hac prima tua ad Deum cõsecratione, quòd scriptum legimus Eccles. cap. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei sta in timore*; relinquens australi amoris, & dilectionis vento libertum per totius vitæ tuæ ingressum, progressum, & motum: vbi aquilo timorem sanctum immittebat in Virginem. Auster accendebat, & inflammabat charitatem; aquilo surrexit, vt vrgeret infantulam Mariam, vt in spiritu vehementi, vt celeriter quindecim templi gradus ascenderet, & reposita iam in illa Sancta Sanctorum insufflans feruidus auster in cor Virginis ventum amoris, & dilectionis: tu Deus, qui odorasti, tu qui serena facie recepisti, tu qui acceptasti in suauitatem odoris huius Virginis sacrificium, & holocaustum, & sui ipsius hostiam, quæ odoramenta tunc efflauit? & quos dulcedinis tunc emisit odores, cum ipsamet testetur: *Cum essem paruula placui altissimo*; vel quos tunc protulit suauitatis fructus? hæc palma Virginea? & quam dulciora faucibus verbula illa quibus tibi se sacrauit? obtulit? & donauit?

Eccles.

O Deus cordis mei obumbra umbra tua animam serui tui, ut capiat, ut intelligat quibus delicijs tu illam cibasti, & potasti: si non alio cibo, nisi quo tu uesceris, hanc infantulam lactasti, refecisti & satiasti; cur non ipsa tota dulcis, totaque suauis, & tota tibi Deiformis? sub hac umbra tua exatiatam contemplor Mariam puellulam simul, & esurientem, quoniam tuæ dulcedinis cibus satietatem præstat, & esuriem generans esurientem facit comedentem: ô cibus uere diuinus, ô satietas uere beata, quæ famem dum expellit, famem parit, iuxta illud Ecclesiastici cap. 24. *Qui edunt me adhuc esurient*, quid est hoc, ô anima mea? nam ubi satietas, fames inesse non potest, & vbi fames, satietatem necesse est abesse: quid est hoc, vt capias, quæ dico, velim scias, quòd sicut in fame reperitur simul molestum, & dulce, sic in satietate inuenitur nociuum, & vtile.

Eccles.

Molestia in fame est illa, qua cruciatur, & languescit stomachus carens cibo sufficienti, dulce verò quia acuit, & excitat comedendi appetitum, in satietate nociuum est fastidium illud, & nausea illa, quam generat, & qua stomachatur homo; vtile vero satisfactio illa, qua plenè reparat indigentiam naturæ.

Existens Virgo in templo Domini, sub vmbra Dei sedens enutrita, & cibata mammillis diuini pectoris, spiritualibus delicijs, cœlestibus consolationibus exatiatè implebatur, & famis, & sitis etatis nociuis dimissis simul famescebat, ex desiderio perfectius placendi Deo, videndi Deum, fruendi Deo, approximandi Deo, & in virtutibus amplius proficiendi sic trahebatur cor illud, sic auidè vrgebatur, vt exatiata famesceret, & famelica exatiaretur, & tali desiderio sic intimè agitata exclamabat: *Surge Aquilo, & veni Auster perfla hortum meum vt fluant aromata*.

Surrexit Aquilo, flauit Auster, & effusa sunt odoramenta, & aromata virtutum Virginis, tua interest anima mea, vt surgas & tu, & sedens sub vmbra illius, vt protectionis perguftes fructus suauissimos, exclama: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*, quæ hæc vnguenta Virginis? nisi sua puritas, virginitas, humilitas, sanctitas, & plenitudo gratiarum omnium: & quæ hæc aromata, nisi sua materna pietas, dilectio, misericordia, clementia, charitas & amor; quarum fragantia, & odore trahitur anima, sed non trahitur quæ non sedit sub Virginis vmbra, non pascitur, & non saluatur, nisi a te ô pietatis mater non obumbretur, non protegatur, non adiuuetur, & custodiatur tua sub vmbra. Cantic. cap. 1.

Electa Maria in filij Dei matrem, tunc gratiarum, & gloriæ ipsa thesauri claues accepit, vt suis seruulis stipendia praberet & munera, & dona gratiarum virtutum, prærogatiuarum, & charisma tum quæ Deus in ea reposuit veluti in Gazophylacio, de thesauro Mariæ, & per Mariam voluit elargiri. Audiamus quæ scripsit D. Bernardus sermone de aquæductu. *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam*: cur totum quod est ad nostram salutem, nos voluit habere per Virginem, ex eò quia respondet D. Bern.

D. Bern. det D. Bernardinus tom. 2. sermon. 11. *Beata Virgo Maria ab ipso patre æterno fontalem fœcunditatem accæpit*: fontalis hæc fœcunditas non Dei tantum est, quando genuit Verbum patris, sed & nostra, vt dona Spiritus sancti, quibus ipsa plena fuit, nobis communicaret.

O mira circa nos Dei bonitas, ò admirabilis tantæ Virginis prærogatiua, & dignitas; nam vbi negatum est illi, quia impossibile spirare Spiritum sanctum: vt eluceret in Maria hæc fontalis fœcunditas, datum est Virgini Sacratissimæ posse nobis Spiritum sanctum communicare; quoniam quando Deus peccatori contrito, & pœnitenti infundit charitatem, & gratiam, vt nos docet

Paul. Ap. D. Paulus Apost. cum diuinis ijs habitibus donat & Spiritum sanctum, qui inhabitat in anima iusti: *Charitas Dei*, inquit ille, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, at non datur nisi meritis, & Virginis intercessionibus, & sedenti sub vmbra illius, hoc est totum, quod dicit dictus meus Bernardus, & nos voluit habere per Mariam, quæ organum est, & collū illius capitis, à quo originaliter descendunt; sed ad nos non defluunt, nisi per

D. Bern. Virginis aqueductum. Ipsius Diu. Bernardi est hæc doctrina in serm 4 de Assumptione: *Ad hunc fontem, inquit, properet anima nostra: ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat*: en quam perdulcis gutturi tuo huius Virginis vmbræ fructus; vmbra obumbrata ipsa fuit primo à Spiritu sancto, vt esset plena sibi, eodemque superueniente, nobis quoque superplena, & superefluens fiat, & hoc est totū, quod nos habere voluit Deus per Mariam.

Isa. Pr. Conquærebatur Prophæta Isaias, & non sine lacrymis labia se habere immunda: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum*, quæ vt ab immunditia mundarentur ministerio vnius Seraph calculo mundata sunt: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum*: non purgantur labia Isaiæ nisi apposito carbone per manus vnius Seraph, qui calculum, seu carbonem illum ignitum non manibus proprijs accepit, sed forcipe vti voluit: nonne purissimus est spiritus, & igne dilectionis Dei totus incalescens, & incandescens, quid timoris? quid formidinis? vt forcipe, & non nudis manibus tulit calculum, cùm mitteretur, vt mundaret immunda labia vnius hominis, quia opus Dei nō vacat mysterio, quòd nobis adaperuit D. Methodius martyr, D. Meth. mar. & Tyri Episcopus serm. de purificatione Virg. appellans Virginem forcipē: *Benedicta tu, inquit, prorsus benedicta, omnibusque desiderabilis, in benedictionibus Domini nomen tuum Dei mater: tu mater Saluatoris: tu nutrix altaris: forceps carbunculi illius purgatory. Forceps illa aurea, quæ calculum de altari accæpit spiritus ille*. Seraphicus Virginem signat, quæ semper inter carbonem ignitum Spiritus sancti, & Christum, qui velutiSeraph ardens igne amoris, ignem hunc venit mittere in terram, vt re mūdaret, & purgatam igniret suæ dilectionis igne. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur*: sed pec- Luc. Eu. cap. 12. catoris anima non mundatur contritionis igne, non lauatur aqua lacrymarum, non iustificatur lumine gratię, non ignitur, non accenditur in eo charitatis flamma, quiquidem effectus sunt Spiritus sancti, nisi Dominus Iesus Seraph ille diuinus primò hac non vtitur forcipe Virginali; quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.

Quidquid spectat ad nostræ salutis, & vitæ tum animæ, tum corporis profectum, totum nos voluit Deus habere per Mariam; at cur hoc ò anima mea? nisi quia ipsa sola oculatior est præ omnibus Sanctis ad nostras intuendas necessitates, ad subueniendum nostris inopijs, ad occurrendum nostris indigentijs, cunctas enim nostras miserias non potest intueri, cum sit mater pietatis, & non opitulari, & omnibus non interesse; Morte iam audita Ioannis à Domino Iesu, secessit ipse cum discipulis suis in locum desertum seorsum, quòd cum audiuissent Turbæ, inquit Euangelista Matth. cap. 14. secutæ sunt eum pede- Matt. Eu stres de ciuitatibus, & videns turbam tam copiosam, tum ex longitudine itineris, tum temporis famescentem, & fame nimis laborantem; quia non habebat quid manducaret; misertus est eis; quis nam tunc pietatis viscera Christi Iesu ictibus misericordiæ sic intimè percussit? vt thesauros aperiret suæ omnipotentiæ, & esurientibus præberet cibum

bum in deserto? quando quinque panũ, & duorum piscium edulio, nouoque miraculo multiplicans paucos illos panes satiauit quinque millia hominum, & conuescentibus turbis in partes per centenos, & quinquagenos super viride fœnum,& præ nouitate miraculi mirantibus præstitit Christi omnipotens manus,quòd deserti loci negabat penuria,& egestas, quando *accipiens panem benedixit fregit, & dedit discipulis, & discipuli turbis, & manducauerunt omnes,& saturati sunt,et de fragmentis collegerunt duodecim cophinos.*

Matt.Eu. cap. 14.

Et vt Christus hoc operaretur miraculum quis ei suggessit? & vt erga turbã famelicam tantæ multitudinis suæ flecteret viscera pietatis,quis prouocauit? Et pia intercessione coegit? Apostolorum, qui aderant ibi, & quidem nullus,imo à tanto pietatis officio potius auertere videbantur, quam flectere; nam accedentes ad Iesum dixerunt, *Desertus est locus,& hora iam preterijt, dimitte Turbas vt. euntes in Castella emant sibi escas,* Et quando dixit Philippo, *Vndè ememus panes,vt manducent hi,*& respondit *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt, vt vnusquisque modicum quid accipiat*; Similiter et Andreas Apostolus, videns paucos illos panes, dicens, *Est puer vnus hic qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces.sed hæc quid sunt inter tantos?* quibus verbis potius auocare nitebantur discipuli, quam mouere vel deflectere ad misericordia.

Matt.Eu cap.14

Ioan.Eu. cap.6,

Proh dolor,in tanta multitudine nullus erat, qui tantæ multitudinis misertus oculo miserationis inopiam videret,& suggereret Christo, vt sua omnipotentia,bonitate, & misericordia suppeditaret,quòd deserti locus denegabat turbis: quid ni aderant Apostoli,sed rei difficultate perterriti, quòd miraculo famescentibus turbis præstandum erat à Christo,dixerunt: *Vndè ergo nobis panes tantos in deserto, vt saturemus turbã tantam*: non flectere,sed auocare,non mouere,sed amouere ab hoc officio pietatis videbantur: turbarum ergo necessitati,& loci deserti penuriæ,& egestati quis tunc occurrit? nemo quidem,nisi Christi pietas,& misericordia: *Videns misertus est eis.* Hoc autem cum sit opus misericordiæ,& pietatis officium, piè dicendum, quòd in deserto aderat, & Maria mater Iesu,quæ cum sit oculata nimis ad benefaciendum propensa, & parata satis ad succurrendum subueniendumque indigentibus vt pietatis mater,ipsa filij stimulauit pectus, instigauit viscera,sollicitauit præcordia, & flexit ad miserendum, & ad occurrendum necessitatibus, & miserijs tantæ multitudinis; & quæ in nuptijs Canæ Galileæ vini defectui occurrit,non rogata conuersa ad filium rogauit dicens, *Vinum non habent*; quia cum sit oculatior omnibus non potest nostras indigentias videre,& opem non ferre,famescentem animam non potest Maria intueri,& non subuenire; itaque quæ in nuptijs suggessit filio occurrere indigentiæ vini,ipsa quidem fuit,quæ flexit filium, vt aperto suæ omnipotentiæ penu,sua bonitate aleret turbam, subministraret cibum, & subueniret egentibus,& esurientibus.

Ioan.Eu.

Quòd tanto miraculo interfuerit Maria in deserto, Scripturæ diuinæ testimonium non habemus; at verum fateor,quòd cum fuerit illud magnæ pietatis,& misericordiæ opus,deesse non debuit pietatis mater,abesse nõ debuit illa ab hoc miraculo, per quam totum nos voluit Deus habere, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; *Vt proinde*,inquit D.Bernardus serm. de Natiuit.de B.V. *si quid spei in nobis est, si quid gratiæ,si quid salutis, ab ea nouerimus redundare.* Hinc D.Bonauentura in lib.vitæ Christi cap.34. satis piè interrogat: an Beata Virgo erat in deserto quando Christus de quinque panibus,& duobus piscibus satiauit multitudinem illam, de qua dicit Euangelista Matth.cap.14 *Manducantium autem fuit numerus quinque millia hominum, exceptis mulieribus, & paruulis*: & si aderat (vt piè fateor,& credo) num ipsa suis manibus distribuit panem multiplicatum à filio mulieribus, an Apostoli,quibus dedit Dominus distribuendum tribuit?sisto primò verba eiusdem Sancti Doctoris: *Numquid ibi fuit Domina nostra? vt & ipsa de panibus libenter mulieribus porrigeret, & de ipsarum recreatione gauderet.* Scriptura de hoc non loquitur; & licèt Scriptura de hoc non loquatur,tamen non prohibet posse nos piè meditari matrem huic miraculo interfuisse, & Christum merito matris, & precibus eiusdem hoc fecisse mi-

D. Bern.

D. Bona.

Matt.Eu.

miraculum: sua quidem omnipotentia diuina panem multiplicauit, at intercessione tantæ Virginis, cui tradidit panem distribuendum mulieribus, quemadmodum & Apostolis hominibus: hoc fortasse indicare voluit nobis credo ordo ille discumbentium ab Euangelista Marco cap. 6. descriptus, quando præcepit Dominus discipulis, vt accumbere facerent turbas super viride fœnum secundum contubernia, hoc est seorsum homines à mulieribus, non tantum ob modestiæ, honestatis, & congruentiæ actum, sed vt omnibus innotesceret, quòd quidquid habebant agnoscerent habere per manus Mariæ, & quòd Virgo præ omnibus Sanctis ad nostras miserias subleuandas oculatior, & ad opẽ ferendam nostris necessitatibus est omnibus sollicitior; & si acutius nostras intuetur inopias ita citius succurrit, & subuenit: vbi adest Maria, abest omnis inopia, fugit omnis egestas; quia sic est voluntas eius, qui totum nos voluit habere per Mariam: *Nulla gratia uenit de Cælo*, inquit D. Bernardus, *nisi transeat per manus Mariæ.*

Scito te anima mea dum degis in hac vita, peregrinari in deserto vbi fames grassatur omnium bonorum, & panes, quibus alimur in hac vita tres sunt vt docet D. Bernardus in lib. moralium sententiarum: *Primus, Purgatorius cum amaritudine, quem mulier Sareptana ministrat in fame. Secundus, consolatorius in dulcedine, quem Angelus apponit quiescenti in umbra. Tertius, solidus cum fortitudine, qui perducit ad montem Dei Horeb*; puritatis pane indiges, & purgari à fæcibus iniquitatum tuarum, & mundari à tua immunditia, & iustificari à culpa peroptas, en vmbra Virginis, quæ ad tui salutem facta est forceps, & carbunculum tibi offert, præstat, et donat, et mundat, et purgat: quæ in tristitia viuis, et consolationis panis tibi denegatur, en Virginis vmbra, quæ tibi panem cum dulcedine offert, et apponit, vt possis dicere et tu: & fructus eius dulcis gutturi meo, quo cibo enutrita cum fortitudine possis ascendere ad montẽ Dei Horeb, et inebriata illo vino suauitatis æternæ, hic primò mundata labijs, purgata corde, sedens sub hac vmbra Virginea dignè laudare valeas eius dulcissimum nomen simul et benedicere, quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei: te præcor ò Maria monstra te esse matrem, et miserere mei. Sub hac vmbra tua protege me nunc, et in hora mortis meæ. Amen. D. Bern.

Finis Secundi Tomi.



PALMA
TERTIA:
SEV
TOMVS
TERTIVS.

AD MARIAM VIRGINEM DEI Matrem, mei Dominam, & Reginam.



Vo sunt, quæ motu valdè contrario, ò Deipara, ò fons totius boni, quæ ab ascensu tertiæ huius tuæ Palmæ Virgineæ præpediendo, & impellendo viscera cordis mei vehementèr contorquent, angunt, & agitant; quorum vnum est meæ vitæ impuritas, & impuritatis confusio: alterum est tuæ benignitatis dilectio, & tuæ maternæ pietatis abyssus, vbi illa me retrahit, istà dulcitèr trahit: vbi illa me abducit, ista me adducit: vbi illa me detinet, reprimit, & frænat, ista impellit, stimulat, & pungit. Illa sua confusione ruborem effundit, ista leuamen præstat: illa pusillanimitate sua animi deiectionem inducit, & affert, ista virtutis robur promittit, & offert: illa ab vmbra tuæ palmæ meritò me protrahit, & elongat, ista suauitèr lacessit, & prouocat, & proximare me irritat, & cogit, illa me distrahit, hæc me amplexatur, & colligit: illa me terret, & confundit, ista spem excitat, & confortat. O Maria, ò pietatis mater vindica me à confusione impuritatis meæ, refice à pusillanimitate, leua ab impotentia, excute timorem, auoca à molestia, auelle à torpore, eleua ab indignitate, erige iacentem, adiuua prostratum, corrobora indigentem, excita socordem, & segnem, admitte indignum, audi inclamantem, consola ad te suspirantem, & in te sperantem, absorbeat meæ impuritatis illuuiem, tuę benignitatis pelagus, absumat tuæ pietatis abyssus: fugetur ò Maria, & aboleatur omne meæ indignitatis nubilum vmbra huius tuę palmæ Virgineæ, quam gratiarum omnium onustam dactylis, salutans Angelus dixit, AVE.

O consolationis leuamen, ô tuta spes mea veri leuaminis, cur te salutans ille cælestis nuncius, primò tibi dixit AVE? Nisi quia tuo perdulcissimo nomine, MARIA, es tu mihi maris stella, illuminatrix, vt illumines, & me ducas ad palmam. Et cur tibi hoc Mariæ nomen? Nisi quia gratia plena? Et gratia plena cur tuo ô Virgo? Nisi quia Dominus tecum, qui vt totius gratiæ fons perennis totus in te effusus est, vt te Dei Matrem efficeret. Et cur tu sola digna Mater Dei? Nisi quia tu sola benedicta es inter mulieres, & quare tu sola sic benedicta? Nisi quia benedictus fructus ventris tui; & huius alui tui fructus Sanctitas est totius Sanctitatis tuæ origo. Et cur vteri tui benedictus fructus? Nisi quia Iesus, ô Maria, ô mater salutis, & spes animæ meæ, Iesum genuisti, & peperisti Iesum, qui natus est ex te Saluatot omnium. Saluatorem effuderunt ventris tui viscera, salutem edidisti, & sub vmbra huius tuæ Palmæ me posse saluare timebo? Et vnde timor? vnde confusio? grauet me, elonget me, expellat me, arceat me, eneruet me meæ vitæ impuritas, & impuritatis indignitas ô Maria, ô Maria, potentior est tua benignitas, quã confiteor, potẽtior tua pietas, quam præstolor, potentior tua gratia, quam in me effundere obnixè te deprecor: potentior tua charitas, quam flagito, & expecto, potentior tua misericordia, quam inuoco: perdulce nomen tuum, ô Maria fac cum seruo tuo secundum nomen tuum, obliuiscere torpentem, & excusa indignum, piè respice miserum te inuocantem, & in te sperantem.

Nomen confortans, & sanctæ spei est nomẽ tuum ô Virgo; conforta me errantem, sed sperantem in te, ne obliuiscaris tui nominis pietatem, & benignitatem; nàm si ego commisi, vndè me tu ô Mater Dei mei dignè abijcere potes, tu non amisisti, quæ Saluatoris sunt matris, vnde & me saluare vales, & admittere ad ascensionem tuæ Palmæ virgineæ, quæ cum sit amantissima Solis, meritò te Angelus Domini vidit plantatam secus decursus aquarum Spiritus Sancti, quibus adaquata vires, sursum irrigata erigeris, madita frondescis, madefacta florescis, & fæcundata fructificas.

Si vt Palma in sublimè assurgis ô Maria, veluti vt Palma dactylis onusta pendentibus, dimitte te deorsum ad mei salutem, & vtilitatem; si coma tuæ dignitatis ita excelsa sis, vt Cœli fastigium attingis, immò excellis, tuæ pietatis pondere sub-

mitte

mitte te mihi infirmo, vt vbera præbeas tuæ dilectionis, protectionis, & opitulationis, vt possim tuam ascendere Palmam, frui illius vmbra, & eiusdem legere fructus: qui cum sint tuæ purissimæ desponsationis, tuæ dotis, tuæ animæ, ornamentorum, & virtutum, diuini verbi sacri connubij, tuæ dilectionis erga me, & tuæ vocis dulcedinis; nec non, & iugis recordationis beneficiorum Dei: quantæ sint dulcedinis, dicat, cui experiri datum est, vt probem & ego. ò Maria, ò fons pietatis, tuo adiutorio, tuo auxilio da ascendere ad Palmam, dona frui vmbra, præbe fructuum illius sentire dulcedinem, qua inebriata anima serui tui addiscat te laudare, & te benedicere in æternum ò benedicta super omnes mulieres.

Tuæ Maiestatis Virgineæ

Seruorum omnium minimus

Fr. Bernardus à Crypta Mineruæ Capuccinus.

NVMERVS RAMVSCVLORVM Palmæ Tertiæ breuitèr collectorum.

Ramusculus Trigesimusprimus.



PRæmonstrat Deum Ioseph signo visibili ex millibus fuisse à Deo electum in Virginis matris sponsum, cuius coniugij dignitate dignoscitur ex fructu sublimi, qui luit illibata virginitas, et proles diuina, ad quòd coniugium veluti alter Moyses accessit solutis de pedibus suis calceamentis, hoc est renunciatis omnibus, quæ illi debebantur iure matrimoniali; qua de re sponsus fuit Mariæ Ioseph, non maritus, à Deo Virgini datus in adiutorium simile sponsæ, quæ tantæ sublimitatis fuit: vt et sponsum sui sponsalitij dignitatem super omnes Sanctos eleuaret: Mira sublimitas Iosephi, cui non tantum obsequuntur cuncta ornamenta cœlorum: sed et ipse cœlorum fabricator: huius dignitatis figura præcessit in illo primo Ioseph, cuius hic noster sortitus est vocabulum, innocentiam, gratiam, et somniorum veritatem.

Ramusculus Trigesimussecundus.

PRæmonstrat Iosephum fuisse Christi Patrem non in opinione hominum tantum: sed verè iure matrimoniali, cuius gratia, et munere eleuatus fuit hic Sanctus ad ordinem gratiæ vnionis post Christum, et Mariam, cuius sicut erat verè sponsus matrimonio rato, sic et Christi pater non generatione: sed tantum electione, et iure coniugij, quia quàndo accepit Mariam in coniugem, erat hæc Mater Iesu: sic testatur ei Angelus, et nobis Sanctus Euangelista; Christi namque conceptio à nostra fuit multum dissimilis, illa instantanea, nostra verò ex interuallo temporis, et effectus sponsus sponsæ matris, factus est, et filij Dei pater: quæ paternitatis dignitas, cum sit tantum Dei patris, et Iosephi, et nulli alteri communicabilis, hoc tantum illi dixisse sufficiat filium habere Deum: qui idcircò in Euangelio dictus est filius fabri, filius Ioseph, quia veluti altera Sophia educauit, enutriuit, fouit, strinxit brachijs osculatus, et amplexatus est, et nunc super omnes fruitur in cœlo.

Ramusculus Trigesimustertius.

PRæmonstrat Ioseph in sanctitate, et perfectione virtutum fuisse cunctis omnibus sanctiorem, satis apertè ex connubio Virginis, quæ desponsata Ioseph, licèt esset perfectissima, multum proficiebat, & multa virtutum incrementa suscipiebat obumbrata vmbra tanti sponsi: qui iuxtà sui nominis Ethymologiam Sanctior euadebat in dies ex contubernio sponsæ, & Iesu filij eius: somnia fuerunt Herculea illa fictio; at nostri Ioseph ipsamet veritas: qui vt Virginis sponsus effectus est ros diuinus, cuius sanctitatem, vt palam faceret Deus, tribulationis igne probauit, & examinauit: cui tùm in hac vita, tùm in patria, vt iustus Iudex reddidit coronam iuxtà suorum laborũ merita, quando factus particeps laborũ filij, filij sedere meruit ad sinistra in cœlestibus: Virgo sedet ad dexteram vt mater, Ioseph ad sinistram, vt pater; quas sedes ideò negatas legimus illis duobus fratribus, quia non illis parata erant, sed Virginis, & Ioseph, qui in terris velut adeps separatus à carne vixit, & Deo totus concrematus, nunc in cœlis viuit in Deum totus transformat us cum erga Christum, quæ patris erant semper extitit prosequutus.

Ramusculus Trigesimusquartus.

PRæmonstrat Mariam Spiritui sancto fuisse desponsatam, & Iosepho: qui duo sponsi inter se valdè Zelotes, Zelotypia, qua laborabat Spiritus sanctus, erat ardens studium illibatam,& purissimam suam seruare sponsam, & hanc suis donis supercælestibus cumulare;qua de re sponsalia duxit in Virginis Conceptione; sed nuptias celebrauit in Incarnatione Verbi Dei,vt patet ex verbis Angeli nunciantis,& quæ non poterat hic diuinus sponsus per se in corpore Virginis sancta æmulatione æmulabatur Ioseph, qui & ipse ardebat desiderio inseruiendi Mariæ; in cuius anima, quæ ipse non poterat æmulabatur Spiritum sanctum; qui superueniens in Virginem repleuit gratia cælesti; vndè et meruit ab Angelo appellari, *Gratia plena*: & gratia plena dicitur ex Sancti Iosephi connubio: Sancta hac Zelotypia contendentes ij duo Virginis sponsi,illi ardentius deseruiret, Spiritus sanctus in ijs,quæ ad animam spectabant sponsæ,& Sanctissimus Ioseph quæ pertinebant ad corpus: & huius sponsæ seruitus non erat huic sancto sponso grauis, nec molesta;sed suauis & dulcis habere illam pro præmio laborum suorum perfectius quàm pater Abraham, quia seruire Mariæ regnare est: de hac seruitute Virginis si gloriatur filius,qui pro mercede obtulit vt dominium, & regnum, & resurrectionis triumphum ei præberet:quid Ioseph? qui in Schola Christi hanc perfectè didicit doctrinam,seruire huic Reginæ regnare est,& non vilis subiectionis.

Ramusculus Trigesimusquintus.

PRæmonstrat Incarnationis mysterium fuisse nouitatum omnium nouitatis arcanum,tum ex persona mittentis,tum ex persona missi, tum ex persona ad quam fuit facta huius nouitatis legatio tum ex effectibus à naturali ordine valdè dissimilibus,tum ex triplici sponsalitio in vtero virginali à Deo trino, & vno perfectissimè celebrato, quia persona mittens Deus fuit, persona missa vnus de prioribus in ordine Angelorum,persona ad quam fuit purissima Virgo, cuius assensus desiderabatur,quem vt læta,& libenter præberet, quinque recensuit sacer Nuncius generationes Virgini,quæ licèt eligeretur in Dei matrem, primò facta est ipsiusmet Dei sponsa,vt reparationis ordo præuaricationis ordini responderet: & veluti Eua ex Adam facta est mater omnium viuentium,quia Maria vt prima Christi sponsa cum decem Virginibus non exijt obuiam sponso,sed processit cum ipso, vt prima,& purissima sponsa,quæ à Deo nunquam discessit, vndè data est in obsidem pro totius mundi redemptione,& salute.

Ramusculus Trigesimussextus.

PRæmonstrat Mariam per Incarnationis mysterium migrasse in familiam Verbi Dei,cui effecta erat sponsa per idem,& Dei Patris filia, quæ dignitatis sublimitas,quia omni creato intellectui redditur incompræhensibilis, & nomine (vt Deus ipse) gaudet & ipsa absconditæ, quam vbi Ioannes vidit amictam Sole, Angelus obumbraram virtute altissimi,& Abacuch prophæta veluti montem vmbrosum,sub qua vmbra apparuit Maria filia patris abscondita, & filij sponsa: quia prima Dei imago abolita in filijs Adæ,culpa paternæ præuaricationis, in ipsa sola splendet tanto diuinitatis splendore,quòd vt homo cognosceretur, & non Deus, Iosepho primò voluit desponsari Deus,quàm Spiritui sancto: cui vbi non meruit desponsari Maria,vt pura creatura,totum hoc fecit amor figuratus in illis sex Seraphinis,quos vidit Isaias,quo amore effecta est tota Deiformis, seruans sola in se Dei imaginem,& similitudinem iuxta primæ creationis exordium,in ea puritate, & innocentia,prout sculptæ fuerunt in Adam, & Eua, ille typus Christi, & hæc Christi vmbra,quæ meritò comparatur lilio,sicut & filius,qui natus est ex ea.

Ramusculus Trigesimusseptimus.

PRæmonstrat Spiritum sanctum Virginem sponsam, vt esset apta, & disposita ad Deum in suo vtero concipiendum,primò induisse veste nuptiali texta ex suis essentialibus donis, & dignitati maternitatis Dei proportionata: diuina ista, diuina,& illa:infinita illa,infinita,& ista;et tantæ est sublimitatis,vt in admirationem

indu-

inducit, et extrà se ducit non duntaxat mentem Virginis, et ipsius Angeli nunciantis:sed et ipsiusmet Dei,qui sic in Canticis exclamat: *Quid faciemus sorori nostra in die quando alloquenda est*; assimilans vestem hanc Turri Dauid: nec mirum si vestis huius ornamento eleuatur Maria ad identitatem diuinam: ita vt cum Patre eumdem communem habeat filium,qui veste,qua induitur ipse,vestit et matrem: ita Isaias,ita et Dauid,ita et mos inolenit,vt coniux induatur veste, qua amicitur et sponsus, et qui hac veste non vestitur, à nuptijs cœlestis sponsi foras emittitur,vt de conuiua illo non vestito veste nuptiali,et primus homo denudatus abscondit se à facie Dei sui, et est pęna pœnarum hac carere veste, vt et Christus monstrauit in sua passione. *Partiti sunt vestimenta mea,& super vestem meam miserunt sortem.*

Ramusculus Trigesimusoctauus.

PRæmonstrat Virginem à sponso Spiritus Sancti accepisse verecundiæ monile, & pudicitiæ torquem, quando turpari permisit in sermone spiritus Angelici Incarnationis mysterium nunciantis, qui ingressus est ad eam in forma humana, vt Sanctorum est sententia, & sermonem protraxit spatio sex horarum cum Virgine, quæ in suæ virginitatis, & pudicitiæ testimonium verecundiam adduxit in comitem, & coronata verecundiæ torque veluti campus germinans aduenieute aurora tota apparuit florida, & cunctarum virtutum floribus fæcunda, et exornata cuius genæ idcirco à sponso comparantur fragmini mali punici,dum sui cordis respersæ sanguine venustè, & per quam pulchrè purpurabant cuius sanguine vidit Zacharias respersum equum humanitatis Christi, quem videns sic sanguine rubentem interrogat. *Quare rubrum est indumentum tuum*;non passionis sanguine, tunc purpurabat: sed quo in actu Incarnationis intinctæ apparuerunt genæ matris Virginis,vt esset & ipsa primogenita Redemptoris;hinc Bernard.docet turbationem Virginis, dum alloquitur ei Angelus non fuisse formidinis, sed fortitudinis,quæ eò fuit mirabilior,quò fundata erat non in pectore,& humeris, sed in capillis veluti mystici Samsonis:nec mirum, si coma capillorum Mariæ erat non dispersa,sed collecta in vnum,& ad Deum solum.

Ramusculus Trigesimusnonus.

PRæmonstrat Spiritum Sanctum inter cætera dona sponsalia Virgini sponsę suę dedisse fasciam pectoralem,qua prçcincta,& exornata Maria floruit in ea virginitas cum fęcunditatis honore:hinc in Canticis vterū Virginis comparauit Spiritus Sanctus aceruo tritici vallato lilijs, quùm virginitar affecta sit Maria fæcunditate diuina,quàm nuda,& simplici virgitate:hoc quia non capit natura,deficit, exempla non cogunt, sed sola fides reddit credibile hoc Incarnationis mysterium filij Dei, qui factus homo in vtero virginali assimilatur flori, qui nascitur in campo,& non in hortis;et mater quæ genuit eum,assimilatur viti, quæ fructificat suauitatem odoris, et Paradiso terrestri, qui protulit virgulta, arbores, et flores absque cultura, et opere humano, vt florem illum diuinum produceret Maria veluti sponsam suam exornauit Spiritus Sanctus hac fascia pectorali, quæ fuit huius cœlestis connubij dos Mariæ opulentissima, cuius virginitatem debere nos contemplari in speculo, si capi ad eius cupimus amore, vt docent venatores in capite Tigridis.

Ramusculus Quadragesimus.

PRæmonstrat sponsum Spiritus Sancti Virginis suæ sponsæ obsignasse digitum manus sinistræ,qui minimo est proximus,annulo fidei,quo meruit Maria, vt in ea perficerentur omnia, quæ dicta sunt ei à Domino per Angelum,vt dixit Elisabet,*Beata quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino*; qui annulus quia pro gemma habuit charitatem,& dilectionem Dei,& proximi,datus fuit Virgini in pignus,& ad coniugium prolis, & ad custodiam rerum domesticarum domus Dei; quo ad primum perfecta fuit illa octo, quæ de filio Dei nunciauerat Angelus, annulo fidei,quod expressit Virgo,quando dixit: *Dilectus meus misit manum per foramen,& venter meus contremuit ad tactum eius*,& in naturalibus vide-

videtur; porta enim, qua intrauit in mundum Dei filius, fuit fides, & auris Mariæ, quæ & ventrem eiusdem fecit capaciorem cœlo, vt in Abraham præcessit figura, quando tres vidit, & vnum adorauit; fuit enim illius conceptus filius fidei non naturæ, cum esset ipse senex & Sara sterilis, ita & Maria filia fidei, quia ex sterili nata est, ideò ei datur annulus fidei ad custodiam rerum domesticarum Dei: ideo perrexit in montana, vt scias, quia sine Maria non est tuta custodia, vt in Ioab, quòd non in Theophilo: ipsa Virgo sola custodit, curam nostræ salutis gerit, saluat, & reuocat ad vitam, vt de Lazaro diuinitus reuocato ad vitam.

Ramusculus Quadragesimusprimus.

PRæmonstrat Mariam in die desponsationis suæ fuisse à Spiritu Sancto calceatam sandalijs humilitatis, qua ex omnium prima effecta est Maria; omnium nouissima, & ex nouissima prima omnium: cuius calcaneo hisce calceato sandalijs contriuit caput venenati serpentis, quibus auspicijs ingressa est in mundum, cœlesti oraculo sic illi alloquente. *Tu insidiaberis calcaneo eius, & ipsa conteret caput tuum*; Seruata ad hoc, vt ex ea nasceretur Deus factus homo; & huius victoriæ figura præcessit in statua aurea Regis Babyloniæ, et Angelis præmonstrata ab exordio creationis eorum, quam virtutem meritò appellat apparatum officij D. Ambrosius quia humilitate adaptauit, disposuit, et præparauit Virginem ad Incarnationis mysterium Verbi Dei; ad quam dignitatem dum eleuatur à Deo introspiciens in speculo humilitatis ipsa ancillam se nominat, et confitetur, nascens ex radice Iesse in hoc æmulata filium, qui via humilitatis incedens in cunctis docuit, quòd negat lingua, cor famelicè amplectitur, vt in horto orando ad Patrem, sic Maria negando, Ecce ancilla, amplectebatur dignitatem maternitatis Dei, ideo hoc Virginis verbum, fiat mihi, erat apparatus officij, vt ipsa testatur in Canticis. *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suauitatis*; non fuit in filio Dei locus deliciarum, nisi vterus Virginis vallatus lilijs humilitatis, qua et Maria eleuauit ad Dei matris dignitatem, et nos ad filiationem eiusdem.

Ramusculus Quadragesimussecundus.

PRæmonstrat Incarnationis mysterium esse ænigma filij Dei, et matris Virginis inscrutabile, tum ab humana mente, tum ab Angelica; vnde Angelus delegatus ad Virginem, licèt esset etiam, et illius custos, præ stupore discessit ab ea, et remisit pro intelligentia tanti mysterij ad Spiritum Sanctum, qui de hoc arcano semper locutus est sub verbis ænigmaticis: *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles.* Sed non stetit nisi in vtero Virginis, quę erat mons præparatus in vertice montium; Angelus idem pescripsit sub ænigmate. *Ecce concipies in vtero*; nam eius conceptus erat ad partum sub tabernaculo Solis absconditum: licèt exultauerit vt Gigas ad currendam viam, et cum sit tantæ altitudinis mens humana capere non valet; vnde et ipse Salomon testatur ignorare. *Tria sunt mihi difficilima, & quartum penitus ignoro*; Et quidem, quis intelliget; Deum hominem fieri in vtero Virginis verbo ipsius; Nam Verbum caro non fieret, nisi Maria prębuisset assensum, quo præstito cuncta consona, & pacifica: fælix pro nobis hora, quando Virgo protulit: *Ecce ancilla Domini*: tunc adimpleta sunt patrum desideria, Dei vota, & salus nostra, vt prædixerat Isaias.

Ramusculus Quadragesimustertius.

PRæmonstrat Mariam Dei amorem succensam erga proximum, etiam vehementer æstuare, quo ducta cum festinatione perrexit Virgo in montana, vt animam fidelem ad se traheret eadem dilectionis vi, qua trahebatur & ipsa, vndè exclamat & ipsa; *Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*; quo amoris funiculo tractum à fratre legimus Simonem Petrum, quo etiam et leues, velut nubes reddebantur pedes Mariæ, vt cum festinatione currerent cursu celeri, vt Ezechielis animalia: & quid mirum, si calceauit eam Hyacintho Deus, quo & fouet corda nostra ad sperandum in Maria absque pauore: ideo pendens de cruce commendauit nos matri suę cum qua diuisit officia pietatis, sibi seruans iustitiam, matri verò reliquit pietatem, et misericordiam; cuius cum non esset filius, Iudas

damnatus est, quia Maria nunquam dimisit quæ matris sunt, licèt nos filij perdamus, quæ sunt filii: idcirco sollicitior, et velocior nos accurrit ad vitam præstandam, quàm Christus filio viduæ: vnde etiam morti addicti per Mariam non debemus, vt Adam mortem ipsam timere, sed sperare de vita, quia mater est viuentium.

Ramusculus Quadragesimusquartus.

PRæmonstrat uocem Mariæ fuisse efficacissimam ad salutem, et dulcissimam ad alliciendos, & conuertendos incredulos, quia natam ex silentio illam agnouit sponsus, vnde ad laudem eius sic cecinit in Canticis; *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce*; vocis huius efficaciam, & dulcedinem primò experti sunt Zacharias mutus, Elisabeth tacens, & Ioannes imperitus linguæ, & ignarus clausus in vtero: huic præstitit gratiam iustificantem, & mundantem à peccato originali, patri reddidit loquelam, & matrem repleuit Spiritu sancto. Vox Mariæ filia silentij, vt vox Zachariæ, quæ vocem genuit: vox enim erat Ioannes, qui nascitur ex patre muto, & matre silente! ideò & efficax ad conuertenda corda patrum in filios, & incredulos ad salutem. Deus ipse cœlum, & terram creauit silentio; lucem verò voce præeunte, qua tacta corda creaturarum ad Deum laudandum, surrexerunt, cecinit Zacharias, cecinit, & Elisabeth: cantauit Ioannes exultans in vtero, et cantauit et Maria, cuius vox cum sit efficax, et dulcissima, illi mandatur cura pascendi hædos, Petro verò oues, et agnos: dulcis Deo vox Virginis, suauis Angelis, nobis vtilis ad vitam, ad quam respiramus, et aspiramus per vocem Mariæ.

Ramusculus Quadragesimusquintus.

PRæmonstrat Mariam fuisse psalterium decem chordarum, quibus tactis cantabat Domino, & gratias agebat Deo pro acceptis beneficijs, & disponebatur pro accipiendis, & in gratiis agendis erat Maria satis vigilans; inde dicere solebat, *Ego dormio, & cor meum vigilat*; hinc nascebatur in Virgine, quòd quæ erant communia omnibus, sibi soli partialiter data existimabat, vt ex verbis eiusdē capi potest, *Dilectus meus mibi, & ego illi*; leuans oculos suos in circuitu, & considerans quòd, qui Deus erat communis, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob voluit appellari, & ex decem leprosis mundatis à Christo: vnus venit gratias agens Deo, cui tam grata est gratiarum actio pro acceptis beneficiis, quòd & Iudam damnauit vt ingratum: si à Deo damnantur ingrati, cumularissimè remunerantur grati, sic docuit Christus, qui ex quinque panibus satiauit turbam illam copiosissimam ad exemplum Virginis, esto grata, & tu anima mea pro acceptis, vt sis digna de accipiendis.

Vmbra Tertiæ Palmæ.

PRæmonstrat desideria Virginis videndi desideratum cunctis gentibus ardentiora, & vehementiora fuisse desiderijs patrum antiquorum Dei aduentum desiderantium; idcircò desiderauit Maria sedere sub vmbra Ioseph, antequam obumbraretur à Spiritu sancto, vt testis est ipsamet, quæ palmæ se comparare in illo sacro suo connubio; *Ego quasi palma exaltata sum in cades*; cui palma Ioseph non præbuit, nisi vmbram honoris, & honestatis; & hos fructus vt pergustaret Maria sedens sub vmbra assimilauit sponsum hunc malo: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios*; sub cuius vmbra non panem, non vestimenta, quibus non indigebat Virgo; sed fructus comedit honoris iuxtà Isaiæ oraculum. *Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodò inuocetur nomen tuum super nos*. Isai. cap. 4. num. 1. *aufer opprobrium nostrum*; sub vmbra verò Spiritus sancti gustauit fructus perdulcissimos diuinitatis, virginitatis, & intelligentiæ, sub qua intellexit Incarnationis mysterium, & modum Deo soli notum, & non alijs obumbratum sub ænigmaticis vmbris; inter quas fuit vmbra Horologij Ezechiæ, quæ si fuit ad salutem Regis, & vmbra Maria est ad salutem omnium Galbano ad hoc assimilata, cuius vmbræ fructus primò expertus est Ioannes adhuc in vtero matris suæ, &c.

DE SPONSALITIO VIRGINIS; & Ioseph,

RAMVSCVLVS TRIGESIMVSPRIMVS:

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum, electus ex millibus. Cantic. cap. 5.



D. Bern. Vi, & qualis homo fuerit Ioseph, conijce, ò anima mea, non ex proprio vocabulo tãtum, vt inquit D. Bernardus hom. 2. super missus est, sed ex electione, qua meruit eligi à Deo, & sic honorari, vt esset vir iustissimus, Patriarcha Sanctissimus, qua & duobus prçcipuè titulis cohonestari meruit supra cæteros, vt Christi Pater esset legalis, & castissimæ Virginis pijssimus sponsus, & custos fidelissimus, cui ex diuino oraculo seruandus Virginitatis Mariæ committitur thesaurus. *O miranda prorsus sublimitas Ioseph*, conclamat Doct.

Io. Gers. Parisiens. Ioannes Gerson in serm. de Natiuit. Virg. *ò dignitas incomparabilis, vt mater Dei, Regina Cœli, mundi totius Domina, appellare te Dominum non indignè putauerit, cum qua nobilitatur sanguine, genere, flore virginitatis, sponsalitio rato, societate, cohabitatione, familiaritate, gratia, sanctitate, dignitate, officio, bonorum & virtutibus omnibus.*

O Maria quis, & qualis est hic dilectus tuus ex dilecto, & electus ex millibus? qui vt ad dignitatem tui sponsalitij assumeretur signo visibili electus est ex millibus, vt tunc Dei ritus ferebatur, & institutum. Diuina namque voluntas olim signo declarabatur externo, quod & sortem vocabant.

Signo hoc visibili, quando floribus & amygdalis germinantibus in virga electus est Aaron in sacerdotem, Saul in Regem, & Matthias in Apostolatum, D. Gregorius, & D. Fabianus in pontificatum per columbam cœlitus delapsam fuerunt electi; quo signo declarabatur voluntas diuina. *Sors est res in* *dubitatione humana*, inquit D. August. conc. 2. 30. Psalm. *diuinam indicans voluntatem*: & si huiusmodi sortes fræquentes erant ad ostendendum eum, qui ad maiora muuera eligebatur: quid miraris ò anima mea, si Virgo expleto ætatis suæ tempore (quo Virgines & à Deo, & à iure gentium vlterius commorari non permittebantur in templo) vel domum reuersura, vel nuptijs tradenda erat, hoc erat ius templi, & Domini præceptum; cui cum cæteræ Virgines paruissent, Maria sola, tum Dei seruitio, & spontè, & parentum suorum voluntate, & oblatione mancipata, tum Virginitatis voto Deo ipsi consecrata, & obstricta hoc facere non posse liberè respondisset. D. Aug.

Pontifex, & Præpositus templi consulit Dominum; à quo responsum accepit, inquit D. Germanus Const. de oblatione Virg in templo, *virum ipsum esse, cui Virgo desponsari deberet, cuius virga de familia Dauid floruisset, vel columba in eius cacumine consedisset*: at ex cunctis, cum sola Ioseph virga florida apparuisset, et in eius summitate columba de cęlo descendens consedisset, omnibus liquidò patuit Virginem Iosephi tantũ fore futuram vxorem. Audi D. Damascen. orat. 1. de dormit. Virgin. *Cum Virgo ad ætatis florem iam peruenisset, atque intra templi septa manere lege prohiberetur, sponso, hoc est virginitatis custodi Iosepho à Sacerdotum choro traditur*, quiquidem integram, & inuiolatam ad senectam vsque, si cum alijs conferatur, seruauerat illo signo visibili ex millibus electus, simul & ex diuina electione declaratur ex dono purissimæ virginitatis, & ex hoc sacro connubio prę monstratur, & eligitur: nec mirum si D. Germ. D. Dam.

huiusmodi sortibus ostendatur, qui & Virginis sponsus, & Christi nutritius, & pater legalis futurus erat.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, electus ex millibus? ó pulcherrima mulierum? quòd Ioseph inijsset cum Maria ratum coniugium, est illius prima, & suprema dignitas; nam quò maiores sunt coniuges, eò magis est coniugiū: magnum censetur inter nobiles, maius inter Principes, maximum inter Reges; ex ijs ò anima mea intellige, & coniugij huius, & sponsi Ioseph altitudinem, quid Maria sublimius? quæ Seraphinis ipsis est nobilior? quæ & ratione dotis, quam attulit, non auri, non gemmarū, non pecuniæ, non terrenarum opum copia fuit, sed thesaurus infinitæ, & interminatæ sanctitatis, puritatis, innocentiæ, & cœlestium bonorum omniū, vndè inquit D. Augustinus lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia cap. 11. *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum, fidem, quia nullum adulterium, sacramentum, quia nullum diuortium.* D. Aug.

Ex ijs nonnè colligis huius sponsalitij altitudinem, quia nulla sublimior; nam nuptiarum harum bonum fuit infinitum, ex eo quia proles Christus, qui bonum est infinitum, non quia filius fuerit Ioseph, sed tantum Mariæ Virginis, quæ vtique sponsa erat Ioseph.

O coniugium verum, ratum, sanctū, cęleste, & non terrenum ex omni parte perfectum, quia fuit vnus spiritus, & vna fides, defijt solum carnis corruptio. De hoc Sacro coniugio, licet mihi meditari, & dicere, quòd de coniugio parentum suorum testatur D. Gregorius Nanz. orat. 19. *Sic existimo, si quis ab vltimis terrarum finibus, atque ex vniuerso hominum genere præstantissimum coniugium conciliare studuisset, nullum vnquā hoc præstantius aptiusque reperire potuisset; hoc Mariale coniugium solum Virginitate floruit.* D. Greg.

O miracula, ò prodigia ad cognoscendam arboris speciem, regulam dedit nobis Dominus, à fructu, quem producit esse cognoscendam, vnaquęque enim arbor peculiarem fructum affert; nam quòd latet in herba, manifestatur in spica, & quòd celatur in gramine, aperitur in fructu; & sic *ex fructibus eorum cognoscetis eos*: non solum quia non potest arbor bona malos fructus facere, sed neque de tribulis colligunt vuas, neque de spinis ficus: quis vnquā vidit pyrum ficum produxisse? vel ficus pyra? *Vnaqueque enim arbor fructum producit secundum genus suum: inest enim nascentibus singulis, aut semen, aut virtus aliqua seminaria*, inquit D. Ambrosius lib. 3. examer. cap. 8. *& ea secundum genus, vt quòd nascitur ex ea simile eorum, quæ sata sunt, vel quorum de radice fit, germinet, de tritico triticum, de milio milium, de pyro pyrus, & castanea de radice castaneæ surgit.* S. Ambr.

Si habet germinare, & fructum producere vnaquæque iuxtà genus suum, quid est hoc, quòd coniugium Mariæ, & Ioseph produxerit virginitatem illibatam, & illibata virginitas prolem, & prolem vtique diuinam?

Hic fructus declarat, & Virginis dignitatem, & huius coniugij sublimitatem, simul & sanctitatem. Audi Diuum Amadæum hom. 1. de laud. Mariæ: *Omnis arbor ex fructu suo dignoscitur, & ex propria vbertate pensatur, vt palma ex dactylorum suauitate, vitis ex vini liquore, oleaster ex oliuæ pinguedine; ita nimirum laus nati, genitrici exuberat, & honorem puerperæ partus diuinus accumulat: inter coniugia non est maius hoc, quòd celebratum est inter Mariam, & Ioseph; sicut enim solum virginitatis flore floruit, & prolis fœcunditate vicit omnia alia, sic & sublimitate, dignitate, et sanctitate superat, & antecellit.* D. Amadæus

Ad rubum illum flammigerum, qui Moysi visus est ardere, & non comburi; illi quidem minimè datum est accedere, nec terram illam suis pessundare vestigijs, nisi solutis primò de pedibus suis sandalijs; de medio namque rubi hanc enim vocem audiuit: Exod. cap. 3. *Ne appropries huc: solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Quid hic rubus ardens, & incombustus? & quæ hæc terra tam sancta? ad quam non patitur Deus nec accedere, nec premere nisi nudis pedibus? nisi Virgo illa benedicta, quæ quia paritura erat Deum virginitate seruata, licèt tradatur in sponsam Iosepho illi tamen mandatur non accedere nisi solutis de pedibus calceamentis, & renunciatis omnibus illis, quæ illi iure matrimoniali debebantur: non appro- Exod.

prios

pries huc, solue calceamenta de pedibus tuis. Calceamentorum solutio apud hebræos erat ritus renunciandi debitis ex lege nuptijs: si non poterat Moyses peruenire quò vocabat eum Deus, & magna illa Dei visio nisi prius quasi renunciatis nuptijs: ità scribit D. Hiero- S.Hiero. nimus lib. aduers. Iouinianum. *Moyses cum vidisset visionem magnam, & Angelum, seù Dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit ad eum accedere, nisi soluisset corrigiam calceamenti sui, & abscisset vincula nuptiarum.*

Quantò magis decebat Ioseph deponere de pedibus calceamenta, renunciare non coniugio, sed ijs, quæ ex lege matrimonij erant sui iuris, & viam virginitatis arripere, & abijcere à se velut calceas omnem carnalem cogitationē, si ritè vult illud obire munus, ad quòd elegerat & assumpserat illum Deus, & ascendere ad videndam visionem illam magnam, quam perfecturus erat Deus per Virginem sponsam, quæ paritura erat Deum seruata virginitate: hæc est rubus ardens, & incombustus, & terra illa Virginea tam sancta, vt in ipsa nec patitur cadere vmbram carnalis copulæ, vel maculæ; quapropter illi dicitur: *Solue calceamenta de pedibus tuis.*

Et licèt virginitatis voto soluerit Sāctus Ioseph calceamenta de pedibus suis, hoc est omnem carnalem affectionem, & cogitationem, tamen contractum cum Virgine matrimonium, non fuerunt sponsalia solum de futuro, sed matrimonium de præsenti ratum, verū, immò & sanctissimum, quia vt docet D. S.Augu. August. lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 1. Etiam seruata pari consensu continentia, potest permanere, & vocari coniugium non commixto corporis sexu, quòd patet exemplo Virginis, & Ioseph, de quibus etiatè loquitur in lib. Idē Sanctus. 1. de nuptijs, & concupiscentia cap. 12. *Cur non coniuges maneant, qui ex consensu concubere desinunt, si manserunt coniuges Ioseph, & Maria, qui concubere non cæperunt.*

D. Bernardus. Ergo quando D. Bernard. hom. 2. super missus est negat Ioseph fuisse Mariæ virum, hoc est maritum, virum nominat Euangelista: *Ioseph,* inquit ipse, *non* S. Cyrill. Ierosol. *quia maritus, sed quòd homo virtutis erat.* Similiter quando D. Cyrillus Ierosolymitan. cathe. 12. dicit, quòd Maria propter solam desponsationem vxor Iosephi vocabatur. D. Hieronym. lib. S.Hiero. contra Heluidium, quando inquit, quòd Ioseph Mariæ custos potius fuit quam maritus. D. Hilarius cap. 1. in Matthæ. D. Hilar. quando testatur, quòd mater Christi Virgo Maria, quia id erat, non vxor Iosephi est nuncupata, quia non erat. Ità D. Cyprian. de passione Domini, & D. D. Cypr. Ambros. de institut. Virg. cap. 6. quando S. Ambr. negant Mariam fuisse vxorem Iosephi: contendunt ipsi Mariam Virginitatem perpetuam seruasse, & ad consumationem matrimonij non peruenisse, itaque Ioseph non erat maritus, vt D. Hieronymus, & D. Bernard. & Virgo non erat vxor, vt D. Hilarius, & Cyrillus, matrimonio consumato, sed verè Ioseph erat maritus, & Virgo vxor matrimonio rato.

Quia coniugium non facit virginitatis defloratio, seù copula carnalis, sed pactio coniugalis. *Quùm iungitur puella,* inquit D. Ambrosius cap. 6. de institut. Virg. *coniugium est non cum virili admixtione cognoscitur.* Quòd si non esset verum, falsò dixisset Angelus: *Noli timere Ioseph accipere Maria coniugē tuam;* sed quia testis est fidelis, in verbis prolatis non potest esse mendacium: vt exponit D. August. de nuptijs lib. 1. cap. D. Augu. 11. inquit ipse. *Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi non fuerat, nec futura erat vlla carnis commixtio.*

Et quoties à Patribus negatum reperies Ioseph non fuisse maritum, nec Mariam vxorem, & quòd fuit desponsata, & non nupta, & quòd ad nuptias Maria non peruenerit, semper intellige de consumatione matrimonij ad quam verè Virgo non peruenit, firmo & rato manente matrimonio.

Annum igitur ætatis suæ agens Virgo quartumdecimum, quando in sponsam tradita est Iosepho: qui verò quando duxit Virginem, cuius esset ipse ætatis, non vna omnium est sententia, sed D. Dam. variæ sunt Patrum opiniones. D. Damascen. orat. 1. de dormit. Virg. docet Iosephi inuiolatam legem vsque ad senectutem seruasse. D. Epiphan. heres. S. Epiph. 78. annum attigisse octigesimum. Gerson. Gerson tunc habuisse quinquagesimum annum, à quo tempore incipit senectus. Niceph. Nicephorus, quòd erat senio, & he-

Abulése. honestate morum prædıtus. Abulens. in Matth. c. 1. q. 32. quòd erat aliqualiter senex adhuc potens ad generandum.

At quia de hac re nullum nobis adest Sacræ Scripturæ testimonium, dicendū puto, quod inter cæteras causas, ob quas voluit Deus Mariam nubere, vna est & maxima, vt inquit D. Ambrosius

S. Ambr. in Luc. lib. 2. *Desponsata Virgo ne temerata Virginitatis adureretur infamia, cuius grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre.* Igitur non senex erat, sed vir perfectæ ætatis aptus labori, potens ad liberorum generationem, idoneus ad obsequium Virginis, fortis ad onus coniugij, & paratus ad educationem, & substentationem suæ familiæ; alioquin nec matris Virginitatis famæ, nec Christi Iesu honori esset satis consultum si generationi, & labori per senectutem esset ineptus, impotens, & debilis; & si fuisset ætate confectus, potius fuisset suæ sanctissimæ sponsæ tædio, & grauamine, quem elegerat Deus, & contulit illi in solatium comitem, & adiutorium.

Hoc est adiutorium, quòd olim sub figura Mariæ promiserat Deus, formato primo homine adiudicauit Deus nō esse bonum ipsum esse solum, & ex solitudine homines occasionem sumpsit Deus creare mulierem in hominis ad-

Gen. c. 2. iutorium, inquiens: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutoriū simile sibi.*

Quid adiutorij præstitit viro mulier? quæ primo homini, & toti mundo tot intulit damna, & attulit dispendia? quid boni afferre viro potuit mulier, quæ tot malorum causa fuit? fuit in adiutorium ratione vniuersitatis, dum ab ipsa, & per ipsam humana natura propagatur; Eua enim hominum extitit mater origo; vn-

S. Ambr. de scribit D. Ambros. lib. 2. de Paradiso cap. 10. Si igitur viro, culpæ auctor est mulier, quemadmodum pro bono videtur addicta? verum si consideres, quia Deo vniuersitatis est cura, inuenies plus placere Deo debuisse id, in quo erat causa vniuersitatis, quam condemnandum fuisse illud, in quo esset causa peccati. sic habita ratione ad hominum propagationem, Eua data fuit Adamo in adiutorium.

O profunditas diuinæ sapientiæ, ô miracula dignitatis tanti Virginis sponsi, Eua creata fuit in adiutorium hominis in illa naturali generatione, vt suc-cessionis ordo perpetuaretur: at in generatione spirituali homo, hoc est Ioseph, creatur in adiutorium Virginis.

Vtique necessarium, dicat ergo Deus non est bonum Virginem esse solam, nec esse solam decet matrem filii mei, ne hic ignominiæ nota adureretur, tam quam si esset de adulterio conceptus, & mater ne videatur violasse in partu pudicitiam virginalem: *Faciamus adiutorium simile sibi.*

Qualis est dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima mulierum, respondit Deus, tantæ virtutis, tantæ integritatis, tantæ altitudinis, & dignitatis; quòd est similis Virgini, non æqualis, sed simillis. Similis fuit Ioseph Mariæ in puritatis flore, in regali prosapiæ splendore, in candore sanctificationis in vtero, licet diuersimodè: similis in voto virginitatis, in reuelatione, & participatione mysterij incarnationis, Virgo vigilans, Ioseph in somnis: similis in turbatione, & consolatione, Maria turbatur in salutatione Angelica, Ioseph pro nouitate tanti miraculi consolatur ab Angelo Maria: *Ne timeas Maria*, & ab Angelo consolatur & Ioseph: *Ioseph noli timere, accipere Mariam coniugem tuam, quòd* &c. visitat Maria Elisabeth, visitauit & Ioseph. Decantauit Maria canticum Domino, si cecinit Zacharias, cur non Ioseph? quid est in Maria, quòd non eluceat in Iosepho, qui factus est vt esset Mariæ sponsus, & viua imago. *Non est dubium*, inquit D. Bernard. homil. 2. super missus est, *quin bonus, & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater desponsata est saluatoris: fidelis inquam seruus, & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutricium, solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum.*

Luc. Euang.

D. Bernardus.

Si scire cupis ô anima mea, qui & qualis fuerit iste Ioseph, respondet tibi D. Bernard. Talis erat, quòd erat solatiū matris, & nutricius illius, qui dat escam omni carni: est & imago, & vina similitudo matris Dei, hæc est sublimis Ioseph dignitas, quòd extitisset similis suæ sponsæ, cui datum est in adiutoriū simile sibi: en ô anima mea de hac similitudine quid dicat D. Bernardinus Senens. serm. 3. de Sancto Ioseph. *Quomodo rogitare potest mens discreta, quòd Spiritus Sanctus tanta vnione (coniugij scilicet) vniret menti tanta Virginis aliquam ani-*

D. Bernardin.

animam, nisi ei virtutum operatione simillimam; vndè credo, ait ipse. *Ioseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione sollicitissimum pro omni salute, ad similitudinem illius Virginis sponsæ suæ, vt esset adiutorium simile sibi.*

Si quæris qualis homo fuerit Ioseph, en in promptu est responsum, adiutorium simile Virgini Deiparæ; & cum D. Gregorio Nanzianz. orat. 11. de laudib. Gorgoniæ sororis suæ, cum nobis indicare vellet qualis vir fuisset Gorgoniæ coniux, satis esse adiudicauit vir doctissimus dixisse, virum fuisse Gorgoniæ dicens: *Vultis*, inquit, *vno verbo virum describam? vir illius?* vir Gorgoniæ paucis his verbis multa conclusit. Vis ò anima mea, tibi describam, qui & qualis homo erat Sanctus Ioseph, satis est dixisse vir, sponsus, & coniux Virginis Mariæ.

D. Greg. Nanzia.

Ex cuius fonte coniugij ortum traxit dignitas tanta, & excellentia tam sublimis Beato Iosepho, quòd nondum spiritus cœlorum, & omnes Sanctos supergreditur, sed & quadam ratione ipsammet sponsam extare videtur. D. Augustinus ser. 81. de tempore super somniū illud, quòd vidit antiquus Patriarca Ioseph, vbi Sanctos omnes comparat stellis, Mariam Lunæ, nostrum autē Ioseph comparat soli fulgentissimo aducatur in medium somnium, quòd sic aperuit suis parentibus gratiosus puer: *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me*: Et vt testatur Sanctus Doctor, visionem hanc prophæticam tunc non fuisse cōpletè & ad vnguem completam in ipso Ioseph, qui somnium vidit, & narrauit patri. & fratribus suis, tum quia mater eius Rachel, quæ in Luna figurabatur, iam mortua erat, & sepulta in Ephrata, quando Ioseph regnabat in Aegypto. & illum adorare minimè potuit; tum quia fratres eius, qui in visione stellarū nomen sibi vendicant, non rectè stellæ censeri possunt, quia nocte atra odij, inuidiæ, traditionis, & venditionis satis obscurati, lumen nullum habebant. Stellæ enim lumine gaudent, & perfruuntur etiam in nocte, & perpulchrè lucēt, & splendent; ergo in Christo Domino nostro, cuius typum ille Ioseph gessit, dicamus, & verius fuisse vaticinium illud completum ad vnguem: hæc enim sunt verba D. Augustini: *hoc in illo Ioseph implere non potuit, quia iam mater ipsius de hac luce migrauerat, in nostro verò Ioseph, idest Domino Iesu Christo somnij illius sacramenta completa sunt: sol enim, & Luna, & vndecim stellæ eum adorauerunt, quū post resurrectionem sanctam Maria, quasi Luna, & Beatus Iosephus velut sol cum vndecim stellis, idest Beatis Apostolis incuruati, & prostrati sun antè eum.* Hunc siquidem verè procumbentes, & se incuruantes, & genuflectentes adorauerunt stellæ, & astra illa lucidissima Sanctorum Apostolorū: incuruauit, & adorauit Luna Mariæ eius sanctissima mater: incuruauit se, & adorauit Sol fulgentissimus Ioseph, ita quoque est mens Diui Ambrosii in lib. de Sancto Ioseph c. 2. *Quis est ille, quem parentes, & fratres adorauerunt super terram, nisi solus Iesus, quando eum Ioseph, & Maria, & discipuli adorauerunt, de quo solum dictum est: Laudate eum Sol, & Luna, Laudate eum omnes stellæ, & lumen.*

D. Aug.

Genes. c. 31. n. 9.

D. Ambr.

O singularis, ò sublimis dignitas, & excellentia Sancti nostri Iosephi, quid est hoc anima mea, num in conspectu Virginis Mariæ, quæ Luna nominatur in visione sit & vocetur ipse Sol? nonne Deipara, excepto Deo solo, est omnibus illa sanctior, dignior, altior, & excellentior? Cur in conspectu Ioseph Mariam matrem Domini comparat, Diuus Augustinus Lunæ, & Iosephum in conspectu Virginis soli? Nonne Virgo Dei mater, Angelorum Regina, et domina mundi, quid illi pręstat Ioseph, vt hic in comparatatione illius splendeat vt Sol, à quo lumen suum, splendorem, et claritatem suam Luna mutuatur? Et quæ est omnibus altior, excepto solo Deo, sit Iosepho nūc etiam inferior, et quę omnibus mutuat, nunc mutuatur ipsa à sponso suo Ioseph.

Qui licèt in plenitudine gratiarum, in altitudine, & sublimitate dignitatis maternæ, in excellentia perfectionum, & virtutum omnium, sit Virgini inferior, iure tamen coniugij est Mariæ superior. *Caput mulieris vir*, inquit Apostolus, & caput in qualibet re illud dicitur, quòd est primum, & præcipuum. Viri est influere gubernando mulierem secundum illud Genes. cap. 3. *Sub viri* Paul. Ap.

Genes.

pote-

potestate eris, & ipse dominabitur tui: meritò Maria comparatur Lunæ, & Ioseph soli; quia si Virgo careret sponso, & ad partum venisset, atra nocte infamiæ appareret obscurata; ne igitur tali in nubecula inuolueretur, & ne obscuraretur tali nota, sui honoris lumen, suę bonæ famæ splendorem, & suæ virginitatis, & vitæ claritatem veluti Luna à Ioseph mutuata est; quid hac dignitate altius, quid hac excellentia sublimius, qua Ioseph sedens iuxtà fontem huius sacri coniugij sic eleuatus est, vt stellas Sanctorum omnium relinqueret post se, & Lunæ suæ sponsæ Marię lumine suæ præsentiæ instar solis, honoris, famæ, virginitatis, & vitæ splendorem influeret, præstaretque claritatem. En quàm verè hæc sacra sponsa tuo quæsito, quo eam interrogas: *qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum*; satisfacit sic respondens; *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus*, vel ut legit Hebręus: *vexillifer inter millia*: Pagnin. *insignis præ decem millibus*.

Cant. c. 5

Hebr. Pagin.

Verum vaticinium hoc veteris Iosephi contemplemus nos ò anima mea adimpletum in nostro Sanctissimo Iosepho, vt tibi clarius elucescat hæc incomparabilis, & inexplicabilis eius dignitas, & excellentia; & scias primò, quòd hic Sanctus dono, & munere virginitatis ità purissimus fuit, quòd ex millibus, & ex omnibus ipse solus electus est à Deo in sponsum Virginis matris Mariæ: virginitatis merito electus est ipse solus proprijs manibus, (quæ si puritate plusquam Angelica non niterent, illi vtique datum non fuisset) carnem Christi Iesu tangere, contractare, nutrire, alere, & confouere. Per virginitatem cura in Iosepho præluceret quædam futura gloriæ imago, quia illa beata vita hac puritate mirificè gaudet; quam vt nobis persuaderet Dei Filius de patris pectore descendens, & de cœlo veniens non ad aliam venire, nec in aula alterius vteri, nisi Virginis dignatus est. Ita docet nos D. Thom. in opusc. 221. *Ad hoc Dei filius*, inquit ipse, *veniebat in mundum carne assumpta, vt nos ad resurrectionis status promoueret, in quo neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo: vndè & continentia, & integritatis doctrinam introduxit, vt in fidelium vita* *resplendeat aliqualiter glorię futurę imago*, hæc ille. Hæc ita prælucebat in nostro Ioseph: quòd & si natura erat homo, virginitatis tamen puritate erat Angelus: *Angelica planè vita virginitas*; inquit D. Bernardus serm. de natiu. Virg. de aqueductu. Cur hoc? respondet D. Hieronymus: *Quia semper est Angelis cognata virginitas*.

D. Tho.

D. Bern.

D. Hier.

Quid est cognata virginitas Angelis, attende, vel cognatus dicitur à nato filio, & dicuntur cognati fratres, qui simul sunt nati, vel qui sunt de eodem genere nati: vel deriuatur à verbo agnosco, & sic cognati dicuntur, qui vel propinquitate cognationis; vel aliqua parentela, vel consanguinitate inter se sunt coniuncti: si semper est Angelis cognata virginitas, & Ioseph hac virtute prædictus super omnes, & electus ex millibus, virginitate ita fuit Angelis coniunctus, ac si essent simul nati: Angelis Ioseph erat virginitate frater. Et quid mirum, quòd eleuetur, & numeretur inter miriades angelicas, si virginitas tanti est ponderis, quando est purissima, quòd eleuat animam ad cognationem Dei et affinitatem. Testis est huius veritatis D. Cyprianus martyr. in lib. de habit. Virginali. *Virginitas Dei imago est, respondens ad sanctimoniam, & puritatem Domini*. Quòd autumat Diuus Basilius in lib. de vera virgin. *Magnum quidem, vt verè dicam, est virginitas, incomparabili Deo hominem similem faciens*: si illa qua prælucebat noster Ioseph, fuit purissima, si Deo reddebat similem, quid mirum, quòd inter Angelos numeretur, & eorum frater dicatur, & vt frater dum angelicè viuebat sæpè ad eum Angeli veniebant, & erat vitæ socius sæpè apparebant, colloquebantur, conuersabantur, & mille mysteria aperiebant. Si Ioseph virginitatis dono erat Angelus, & Angelorum frater effectus, nunc veniamus ad vaticinium veteri Iosepho præmonstratum; sed in nouo nostro ad vnguem adimpletum: ò quàm verè non in visione per somnium, sed facto dicere potest: *videbam Solem, & Lunam, & stellas incuruantes adorare me*.

D. Cyp.

D. Basil.

Vt capias, quæ dico, ingredere domum illam in qua hospitabatur hæc sancta secunda Trinitas, Iesus, Maria, & Ioseph. & circumquaque stipatam Angelis, & audi Iosephum dicentem, vide-

bam

bam Solem,& Lunam,& stellas adorare me:quid per stellas nisi illi spiritus cœlorum,quid per Lunam,nisi Maria Virgo, & sponsa: quid per Solem nisi puer Iesus,qui verè sol est æterni luminis, & obserua quàm piè,quàm deuotè Angeli venerabantur Ioseph sancta æmulatione æmulantes eum,quando proprijs manibus puerum Iesum contrectabat, amplexabatur,osculabatur, confouebat sinu,& stringebat brachijs:Luna quoq; Maria, vt sponsũ amabat, onorabat reuerebatur, & debitũ referebat honorẽ, & quòd maius est, & ipsemet Sol obtemperabat, parebat, & imperata Ioseph hilari facie faciebat, quæ omnia sub illis paucis verbis aperuit nobis
Luc. Eu. cap. 2. Sanctus Euangelista, *& erat subditus illis.*

O mira res,& grandis nostri Iosephi dignitas,& excellẽtia videre Iosephum imperare Iesum,& Deũ obtẽperare homini, Dominũ obedire,& seruire seruo? quid est hoc? ò anima mea, non mens mea solum non capit, sed neque ipsius Ioseph, de quo eruditè quidem dixit
Orig. Orig. hom. 20. in Luc. *Puto quòd intelligebat Ioseph,quòd maior se erat Iesus, qui subijciebatur sibi: & sciens maiorem esse subiectum,trepidus moderabatur imperium.* Et vndè illi tanta dignitas, & tot cumulata simul exuberantia dona, satis est respondere, quia sponsus vir erat Virginis Mariæ.

De fonte cuius coniugij scaturire videtur in Ioseph,quidquid est virtutis, excellentiæ,dignitatis,sublimitatis, ho-
Petr. Dam. noris, gloriæ. *Si Maria*, vt inquit Petrus Damianus serm. de dormit. Virg. *antecedit merita singulorum, & omnium titulos,merita non solum hominum:sed & Angelorum post se reliquit*: si bonitas in Virginem ad hoc peruenit, vt inquit
D. Andr. Cretens. D. Andreas Cretens. sermon. de dormit. Virgin. vt excepto Deo solo, est omnibus altior. Si bonitas in Maria sic euo-
D. Ans. lauit in altum, vt inquit D. Anselmus; qua maior sub Deo nequit intelligi: Et vxor est media pars sponsi,vt spõsus est media pars vxoris.

D Greg. Nanz. Vt probat de sorore sua D. Gregorius Nanzianzenus,baptizata ipsa, maritus baptismo carebat. *Porrò*, inquit Sanctus, *cum vnum hoc,ad omnia accedere cuperet, vt maritus quoque perficeretur, vt sic toto corpore consecraretur, ac non dimidia tantum ex parte initiata discederet, ipsiusque aliquid imperfectum relinqueretur: hoc quoque præcibus impetrauit.*

Perfectissima, altissima, sublimissima,excellentissima,eminentissima erat Maria, at imperfectam se poterat æstimare si dimidia illius pars, hoc est Ioseph eius sponsus,imperfectus esset:perfectissima illa, perfectissimus iste,quando ex duobus ratione coniugij factum est vnum. Cur imperfectus sponsus? si factus est in adiutorium simile sponsæ, quæ Iosepho duntaxat meruit desponsari, & iste Virginis tantum eligi in sponsum, quòd non solum factum est diuino consilio, signo visibili desuper elapso,& columbæ indicio, vt solus Ioseph eligeretur ex millibus, & tãti coniugii super omnes ipse, & non alius videretur magis idoneus,sed præcessit in eo sui nominis omen, quòd nobis voluit insinuare Sanctus Euang. Luc. cap. Luc. Eu.
1. in descriptione Incarnationis Verbi, inquit enim, *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph*, Ad quid hæc nominis expressio? vel quæ necessitas? nisi vt addiscas omen Iosephi suo nomini ritè respondere, & Virginem iure tanto viro desponsari.

Virgo enim quia fons est totius perfectionis in stadio virtutum semper excreuit,in bono semper aucta est,semper vixit proficiendo,semper & vbique adoleuit,illi igitur desponsatur, qui simul semper excresceret, semperque proficeret,& quantò proficiebat sponsa proficiebat & sponsus, hoc virtutum, & perfectionum augmentum in Ioseph præseferebat sui nominis omen.

Ioseph enim interpretatur accrescẽs, vt ex alio Iosepho deducit pijssimus Riccardus à Sancto Laurentio: *Hic est* Riccar.
igitur ille Ioseph, qui à patre plus cæteris diligitur, qui nouit non solum cum crescentibus virtutibus crescere, cum proficientibus proficere; verum etiam ex fructuũ defectu ad profectum tendere,& ex aliorum detrimentis prudentiæ lucra acquirere:quare merito Ioseph idest augmẽtum, & filius accrescens à patre vocatur: Hæc ille; Illum ergo Iosephum nostri Iosephi vmbram fuisse ostendit D. Ber- D. Bern.
nard. hom. 2. super missus est: *Quis, & qualis fuerit B. Iosep*, inquit ipse, *conijce ex proprio vocabulo; quod augmentum*

non dubites interpretari: simul & memento illius magni quondam Patriarchę venditi in Aegypto, & scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assequutum, & gratiam.

Ille Ioseph virtutibus semper creuit, sanctior semper euasit, & inter malos, impiosque semper signa perfectionis exhibuit insigniora, ò Deus cordis mei quis vnquam sanctior inter malos, vt Maria, & Ioseph? contra eos sæuire potuit Herodes, sed ab augmento virtutum retardare non ualuit. nec ullo modo auocare: inter Aegyptios gentes esse ratas, crudeles, & idolatras quam mitè, quàm prudenter, quàm patiénter, quàm sanctè vixerunt semper proficientes, semper in bono crescentes: crescebat sponsa, crescebat & sponsus.

Albert. Magnus.

Proprietas nominis, & significatio, inquit Albertus Magnus super missus est, *quæ incrementum sonat, ipsi nihilominus optimè congruit qui per hanc desponsationem, quantum ad seipsum, quantum ad proximum, & quantum ad Deum sublimatus fuit virtutum augmentatione, fama celebritate, hominis reuerentia, & dilectione, & matris Dei familiaritate*, Cui si datus est Ioseph in adiutorium simile sibi: en perfecta similitudo crescebat sponsa semper in bono, proficiebat semper in augmento; meritò huic sponsæ desponsatur Ioseph, ut similiter proficeret, & excresceret & ipse, qui & sui nominis augmentum omen habebat, vt virtutũ, & perfectionum omnium festinans ad apicem, crescendo semper auolaret in sponsum electus ex millibus, & in adiutorium simile Virgini illi, quæ fons perfectionum, & in augmento virtutum semper erat.

D. Bern. Senens.

Sic testatur D. Bernardinus loquens de S. Ioseph. *Si Virgo tot, & tanta impetrat peccatoribus sceleratis, quanta putas impetrasse charismata Iosepho sponso*: cum dicat D. Bernard. Senensis. *Quùm omnia, quæ sunt vxoris, sunt & viri, credo*; inquit Sanctus, *quòd Beata Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat et libentissimè exhibebat.*

Quantum creuit Ioseph in augmento virtutum? quantum et Maria sponsa? vt ex sui nominis omine coniici potest, quòd augmentum sonat. sic scribit de eo piissimus Simon de Cassia lib. 1. de B. Virgine cap. 1. *Vir iustus erat Ioseph ex lege, iustus ex fide, iustus ex moribus: Ioseph nomen eius cui sponsata erat, nomen augmenti erat, virginali sponso sibi congruum magis quam mysterio: quoniam omnia augmentanda erant per gratiam, & mundi detrimenta, iam ad incrementa reuoluebantur.*

Sim. de Cassia.

Meritò & iure Virgo illi, qui augmenti omen ferebat in nomine, desponsatur vt esset illi in adiutorium simile sibi, & tibi ò anima mea in exemplum, ex hoc addisce coniugio, quòd Virgo non desponsatur nisi Viro, cui nomen erat Ioseph: nomen sortitur iusti, & omen augmenti. Exemplo igitur Iosephi oportet semper proficere in bono, & ad meliora semper crescendo aspirare. Sub hoc Ramusculo nesciat mens tua decrementa sub illius vmbra non crescere est decrescere, qui non crescit, decrescit, deficit, qui non proficit: si vis ascendere ad Palmam, sit continuus ascensus tuus, dulcis est vmbra, dulciora sunt poma, suauissimę sunt aquę, quę ex fonte tanti sponsalitij fluunt, vt crescas, vt proficias, en fons Virginis apertus est, & Iosephi sponsi vberrimus riuulus tibi patet, bibe, vt inebriata amore digna sis laudare, & benedicere sponsæ nomen, quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu Filij Dei, te præcor ò Maria, monstra te esse matrem, et miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea. Sub vmbra huius Ramusculi protege me nunc, et in hora mortis meæ. Amen.

DE

DE SANCTO IOSEPH; quòd pater sit Christi.

RAMVSCVLVS TRIGESIMVSSECVNDVS.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum; electus ex millibus. Cant. cap. 5.



O Verè ineffabile Iosephi meritum, & donum: ò verè tanti viri incomprehensibilis excellentia, & dignitas, quando ex penè infinita hominum multitudine, inquit ipsa Isponsa, quę nouit, ipse solus vnicè segregatus selectus, & electus est ex millibus, vt deiparæ Virginis eligeretur in sponsum, & in Filij Dei patrem, & nutricium, ad quòd munus designauit, & elegit ipsum solum diuina ratio, quia inquit D. Bernardus, inuenit eum Dominus tamquam alterum Dauid secundum cor suum; cui tutò committeret secretissimum, atque sacratissimum sui cordis arcanum: cui tamquam alteri Dauid incerta, & occulta sapientiæ suæ manifestauit, & dedit illi non ignarum esse mysterij, quòd nemo Principum huius sæculi agnouit; cui denique datum est, quòd multi Reges, & prophetæ cum vellent videre non viderunt, audire, & non audierunt, non solum videre, & audire: sed & portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire, alere, educare, & custodire. Ad hæc solus Ioseph electus est ex millibus, qua electione, dignitate, priuilegio gratiæ singulari, & munere ministerij, & officij non solum super homines subleuatur: sed & super Ipsos Spiritus Angelicos: *cui vnquam Angelorum dixit Deus, Pater meus es tu? si tantum administratorij spiritus sunt, & in ministerium missi.*

D. Bern.

Paul. Ap. ad Heb. cap. 1.

Quòd si Angeli seruorum Dei titulo honorantur à Deo, & Ioseph Christi patris nomine, dicamus & nos cum Apostolo, quòd Ioseph: *tantò maior Angelis est effectus, quantò præ illis omnibus differentius nomen patris hereditauit.*

De quo nomine, quis audebit ambigere; quando hoc honore cohonestauit illum, & Maria? nam nato deperdito, et tribus diebus cum maximo animi angore, cordis dolore, & lacrymis sollicitè conquisito, quid dixit mater iam inuento? *Fili quid fecisti nobis sic? Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Luc. Eu. cap. 2.

O altitudo tantæ dignitatis, ò sublimitas tāti viri, qua nulla alia illa maior nec excellentior. Apostolicà dignitas, & Apostolatus ministerium in Ecclesia Dei inter omnes, & super omnes Sanctos obtinet primatum teste Apostolo 1. Corinth cap. 12. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos*, qui ordine gratiæ gratum facientis, supremum in Ecclesia diuinitatis attingunt fastigium; nihilominus quando Christus eorum magister eos voluit honorare honore illo maximo, non seruos, sed amicos complacuit appellare. *Iam non dicam vos seruos sed amicos*, & sublimius ascendens, fratres vocauit eos: *Ite nunciate fratribus meis*; hoc est non plus vltrà.

Paul. Ap.

Ioan. Eu. cap. 14. nu. 15. Mat. Eu. 28. n. 10.

At Ioseph non amicum, non fratrem, sed dignatus est eum patrem vocare, quia Ioseph intrat in ordinem gratiæ vnionis hypostaticæ, qui ordo ex genere suo cum sit illo ordine gratiæ gratum facientis perfectior, et sublimior, sublimius, et perfectius eleuat Iosephū, qui licèt in hoc ordine obtineat vltimū locum; Primus enim est humanitatis Christi, quæ immediatè vnita noscitur personæ Verbi: Secundus est B. Virginis, quæ carne Verbum indutum genuit, et peperit: Tertius est ipsius Iosephi, cui de alendo, nutriendo, educando fouendo, saluando, & protegendo

Deum hominem specialis cura demandatur, et cui soli et nulli alteri altera consimilis vmquam congredita: et hic Iosephi infimus gradus excedit supremum omnium Sanctorum.

O dignitatis altitudo, quid hac dignius? quid hac excellentius? Homo purus fit pater Dei. O quoties in die infans Iesus more infantium blandiendo, amplexando, deosculando vocitabat Pater mi, Pater mi: *qualis igitur est dilectus tuus ex dilecto*, ò Maria Pater Christi Filij Dei electus ex millibus: stupet cœlum, pauet terra, tremunt Angeli, miratur mens humana, quòd homo meretur vocari Pater Dei. O Ioseph hæc tua dignitas, et sublimis titulus, hæc tua altissima sublimitas, vt ex millibus, tu solus eligi dignus, cui Deus subderetur vt filius: Non ex Dei electione, & Virginis connubio? vt interroganti, *qualis est dilectus tuus ex dilecto*, respondeatur à Virgine; *electus ex millibus*.

Non erat Ioseph Christi Pater naturali generatione, sed ex diuina electione, qui titulus ei aduenit ex fœcunditate Virginis, cuius sponsus, & coniux erat Ioseph, ac propterea non pater Christi putatiuus, seu in opinione hominum tantum, licèt aliquando sic appellatus, quia sicut verè Mariæ sponsus erat Sanctus Ioseph: ità et Christi pater, quàmuis non fuerit illius genitor; sed generationis munus adimpleuit Spiritus sanctus; qui ad hoc nō fœcundauit Virginē nisi desponsatam: Cur hoc? Num non potuit, an pro tempore illo non valuit eam ab infamiæ nota vindicare? Potuit, & valuit, sed noluit eam fœcundare, noluit vt Virgo conciperet, nisi Iosepho esset ipsa primò desponsata sic habes ex Euangelista. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph*; sicque primò Iosephi vxor, seu coniux constituitur, & post mater Dei efficitur. Luc. Eu. cap. 1.

Zelotes fuit nimis Spiritus sanctus erga Iosephum, cui vt Virginem antequam sua virtute Dei matrem efformaret, voluit desponsari, ne Sanctus Ioseph paternitatis filij Dei dignitate, ad quā iam erat electus ex millibus priuaretur, inter causas, cur Iosepho voluit Spiritus sanctus primò Virginem desponsari; præcipua ratio videtur illa, quàm astruit D. Ambrosius lib. comm. in Luc. cap. 2. dicens. *Desponsata est Virgo, ne temerate Virginitatis adureretur infamia, cui grauis aulus corruptelæ videretur insigne præferre*: Sciebat enim Dominus teneram esse Virginis, & lubricam famam pudoris: seruatur itaque Sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas; idem videtur sentire D. Bernardus hom. 2. super missus est. *Tolerabilius, inquit, fuitatque honestius, putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quàm de fornicatione*. D. Amb.

Virginem elegerat Deus sibi in matrem, sed noluit in ea incarnationis misterium consumari, nisi Iosephi coniux primò esset constituta, quòd videtur tenere D. Hieronymus in Matthæ. cap. 1. *Cur de desponsata nasci voluerit, nimirum ne B. Virgo à Iudæis lapidaretur*: quæ stuprum cōmisisse putaretur. Hoc idem Doctissimus Origenes hom. 39. in diuersis; quando inquit. *Propterea Virgo fuit desponsata, quia si non fuisset desponsata omnium bonorum increduli, & inimici Iudæi lapidibus eam occidissent*: Si primò matrem sibi constituisset, & verbo fœcundasset, & paulò post traderet in sponsam, num modus deerat Virgini seruare pudorem? Cur antè desponsationem? Saltem momento temporis eam Spiritus sanctus non fœcundauit? Christi enim Conceptio opus fuit Spiritus sancti absque vlla mora, vt docent omnes Patres Sancti, & clarè, & magis apertè testatur D. Damascenus lib. 3. de fide orthod. cap. 2. *Dei filius per Spiritum sanctum procreationis modo sibi ipsi carnem animam rationali animatam condidit: non ità, vt paulatim, tacitisque incrementis: figura corporis absolueretur, sed vno eodemque momento perficeretur*. D. Hier. Orig. D. Dam.

Cæterorum namque corpora masculorum in vtero materno quadraginta dierum spatio efformantur, quòd satis abundè annotauit D. Augustinus lib. octuaginta trium quæstionum quæst. 56. apud quem sic habes. *Dicitur conceptio humana sic procedere, vt primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus nouem conuertitur in sanguinem: deinde duodecim diebus solidatur, reliquis decem & octo formatur vsque ad perfecta lineamenta omnium membrorū: & hinc iam vsque ad partum augetur*: Christi verò corpus longè aliter temporis

poris momento in membra omnia efformatum est;quò (satis apertè deduxérunt ex verbis illis Angeli, quòd in ea
D.Basil. natum est: D. Basilius orat. de Christi
Theoph. generatione Theoph. in Lucam, & Eu-
Euthim. thimius ibidem,non dixit cœlestis nuncius,quòd in ea cóceptum est, sed quòd in ea natum est.Christi carnis constitutio, & totius corporis organizatio fuit non per temporis interualla paulatim efformata,sed in instanti,non paulatim modo seminis & operationis naturæ, sed illicò & statim quantum ad formationem corporis perfectisimè absolu-
Rupert. ti,& factus est homo.Et Rupert. Abbas
Abbas. lib.1.de operibus Spiritus Sancti cap.9. *Vbi Virgo benè credula os suum aperuit vt diceret, Ecce ancilla Domini; mox iuxtà dictum Angeli Spiritus Sanctus superueniens per apertas fidei aures sese infudit in templum sacri vteri,vt Christi matrem faceret.*

Ergo si opus fuit Spiritus Sācti Christi cóceptio,qui tantæ virtutis est,quòd poterat ante desposationem Virginem fœcundare, & eam in illa paruula mora seu temporis exiguitate ab omni infamia vindicare: Numquid casu factum est, vt primò desponsaretur nostro Iosepho, & postea fęcundaretur à Spiritu sancto? Absit hoc à tanto spiritu, & à tanto ineffabili mysterio. non casu, sed superno, & diuino consilio totum operatum est.

Fuit zelotypia ipsius Spiritus sancti erga Iosephum, quem ipse elegerat, vt in terris suas vices gereret,suum locum teneret, ad hoc substituerat, vt Mariæ curam haberet,deseruiret,obumbraret, & protegeret, cuius sicut erat verus sponsus, sic Christi fieret verus pater; non fuit Christi genitor Ioseph,sed matris sponsus.Si antè Christi Conceptionem Ioseph non desponsasset sibi Mariam,sed post Christum natum,vt dixit
Mat. Eu. illi Angelus: *Quod in ea natum est de*
cap.1. *Spiritu Sancto est*: non esset nec posset Ioseph dici Christi Pater: Filij Dei paternitas illi aduenit ex iure coniugij cum Maria contracti; quòd ins vtique amisisset,si ante Christi incarnationem, Virginem matrem sibi non desponsasset,ne tanto honore,ne tanta, & tam sublimi dignitate priuaretur Ioseph: Spiritus Sanctus sua virtute noluit Virginem primò fœcundare, nisi eam primò Iosephi coniugem constituisset; vt esset verè Ioseph Pater Christi, non natura, seu generatione,sed tantum iure matrimonij.Sistamus hic Diui Augustini ver D. Aug.
ba lib. 2. de consensu Euangelistarum cap.1.*Neque enim propterea,inquit,non erat appellandus Ioseph Pater Christi, quia non eum genuerat; quandoquidem rectè Pater illius esse potuit,quem non ex sua coniuge procreatum, aliundè adoptasset;quanto verius eum sit Iesus natus ex ea cui iam ipse erat desponsatus*:sic paulò Idem
post infert ipsemet Augustinus. *Christi* Sanctus.
Pater multò conuenientius, qui ex eius coniuge natus est,quam si esset aliundè adoptatus;quòd & astipulatur D.Damasce-
nus orat.13. *Licèt Ioseph natura Pater* D. Dam.
Iesu non extiterit, tamen quia ex Christi electione in patrem suum ipse assumpsit, iure quidem honorificum adoptiui patris nomen sibi vendicat,& veluti patri obedientia, & honor illi debetur. Quam dignitatem contemplans piisimus Cancellarius Parisiensis in serm. de Natiui- Cancell.
tate Virginis,sic exclamat præ stupore, & lætitia. *O miranda prorsus Ioseph sublimitas tua,ò dignitas incomparabilis,vt te mater Dei, Regina Cœli, & Domina mundi, & Creator omnium Deus appellare te Dominum non indignum putauerunt.* Et ne Ioseph tanta dignitate euacuaretur, Spiritus Sancti zelotypia fuit Virginem illius primò coniugem constituere,quàm Verbo Dei fœcundare,vt Marię constitutus coniux,esset Pater Christi non in opinione hominum, sed verè & realiter ratione coniugii: Iure enim matrimonii corpus Virginis erat in potestate Iosephi reclamante Apostolo 1.ad Corinth cap 7. *Mulier* Paul.Ap.
sui corporis potestatem non habet sed vir: ergò necesse est, vt partus Virginis in Iosephi dominium caderet.

Iam ab omnibus pro comperto habetur,quòd si domus ædificatur in alieno solo, vel thesaurus inueniatur, vel si arbor plātatur,ad Dominum fundi pertinere,quòd plātatur ędificatur,& inuenitur:hoc & iure sancitū est, vt constat ex §. cum in suo solo, versic.ex diuerso. Et in l. etiam si frumentum §. penult. ff.de rei vendit.& in l.2. C.eod. tit. habetur,quòd id quod plantatur in fundo alicuius, fixis radicibus, & expansis in terra, illius efficitur, cuius est fundus. Et in l. adeo, ff. de acquirendo rerum dominio, statuitur,quòd si arbor plantata in proprio fundo radices emiserit in

in vicinum, vtriusque dominium fit arbor, & fructus. Cum in terra illa virginea, Spiritus Sancti virtute fuit absconditus thesaurus Ille, in quo sunt thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi: quum in terra illa Mariana ædificatum est ædificium illud, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter cum in illo solo Virginis plantata fit Spiritus Sancti manibus plantula illa diuina: sic habes Matth. Euang. c. 1. *Quod in ea natum est de Spiritu Sancto est.* Et radices egisset in vtero Virginis, quæ in corde æterni patris radicata consurgebat.

Mat. Eu.

Cum terra in qua plantata radicetur spectet ad Iosephum tamquam illius Dominum, quia mulier sui corporis potestatem non habet, quidni, quòd ad eū pertinet etiam et plantula, & fructus, & domus & thesaurus, excepta naturali generatione Si Virgo iure coniugij iure matrimonij non generationis transfertur in sui dominium, fructus, & filius, qui natus est in ea, & ex ea. Audi anima mea Ioannem Gersonem in sua Iosephina. *Cur igitur non competat ipsi Ioseph ius aliquod legale vltrà exteros homines in benedicta pueri Iesu formatione, quando natus est in ea, & ex ea carne, cuius dominium iure matrimoniali verè translatum est in ipsum*: sicut ratum sicut verum fuit matrimonium Mariæ & Iosephi, sic verè iure coniugij Pater effectus est Christi. *Gaude Ioseph*, inquit D. Augustinus, *qui per meritum virginitatis, ita separatus es ab vxoris concubitu vt pater diearis Saluatoris.* Et nomē Patris Christi, quòd Spiritus sanctus non valuit sustinere, cuius erat opus, elegit sibi virum, qui Pater esset, & diceretur, & munera patris obiret, & patris nomen sustineret, tùm ad Virginis custodiam. tùm ad Christi Iesu tutelam, cui vt pater nomen imponeret.

Io. Gers.

D. Aug.

Quæ dignitatis sublimitas hac sublimior? paternitatis titulus in diuinis est solius Dei patris: adeò peculiaris est hæc diuina paternitas, quæ ad intra alteri communicari non potest, sola est Dei patris, nulli communicabilis; at ad extra ipsiusmet filij, ratione cuius pater dicitur pater in diuinis, carne visibili obumbrati: paternitas soli Iosepho cōmunicatur, quibuscunque cæteris incommunicabilis, in cuius paterni nominis titulo coaceruantur magnitudines gratiarum, laudum immensitates, & quidquid præconij de Ioseph dici potest.

O Ioseph vir omni laude dignus, ò generis humani singulare prodigium: iure matrimonij huius non solum summam laudem, sed immensam, singularē, incredibilem, imò præstantissimam, amplissimam, non vulgarem, non communem, sed æternam, & peculiarem gloriam assecutus es & tibi peperisti, vt nō modò mens humana, sed nec angelica lingua valet exprimere tuæ dignitatis altitudinem, sit breue silentium tuarum laudum nuncius præco, & eloquentissimus orator.

Volens quidam Philosophus animū suum addicere ad extollendas præclaras res à Philippo Rege Macedoniæ præclarè gestas, & egregium illius laudum facinus aggredi, breui Panagyrico sic exorsus est. Licèt ò Rex inuictissime mihi desit copia fandi, & ad tuę gloriæ extollenda præconia impares meæ sint vires, & huic tam graui ponderi inæquales; illustrium enim tuorum facinorum vastissimus est Oceanus, quem cum traijcere non sit humanæ mentis, Panagyricè loquar: quamuis te possim laudare in fortitudine brachij tui, qua tuo tot imperia subiugasti imperio. Te celebrem acclamare pro triumphis, & tot prostratorum inimicorum victorijs; quamuis possim te extollere de splendore tui ingenij, quo sic prudenter tot populos gubernas, & regis: quamuis possim diuinis te ornare laudibus, & te laudibus efferre vsque ad sydera, tot illustratum triumphis, tot coronatum coronis, tot ditatum opibus, tot cohonestatum regnis: cuncta nihilominus, & omnia tui roboris, tui imperij, tuæ fortunæ facinora, & sic præclata, vno tantum complectar verbo: *Hoc vnum dixisse sufficiat, te filium habuisse Alexandrum.*

Quid gloriæ? quid imperij? quid dominij? quid victoriæ triumphum? quid trophæi? quid encomij? quid laudis? quid excellentiæ, & sublimitatis de Philippo dici poterat, quod hoc duntaxat titulo non perstinxit, non composuit, & perscripsit dicendo: filium se habuisse Alexandrum.

O anima mea, quæ mens, quæ lingua licèt angelica valeat virtutum, perfectionum, & laudum ordinem texere Diuo

Iosepho: nonne ipse de stirpe regia, Dauidica imò & Leuitica? qua linea iuxtà Euangelistas ascendit vsque ad Deum. Si de quolibet Sancto ratione alicuius virtutis inferiores singularis dicitur: *nõ est inuentus similis illi*; cuius sanctitas, & perfectio licèt sublimis, licèt singularis, Iosephi virtutibus semper subsistũt: sed vt alia silentio taceam, hoc vnum ò Patriarcha Sãctissime tibi dixisse sufficiat, te filium habuisse Deum: hoc tuũ stemma, hoc laudum tuarum Panagyricum, te filium habuisse Deum, non ratione generationis, & naturæ, sed contemplatione matrimonij, quia Christus Iesus verè opere Spiritus sancti conceptus fuit in vtero Virginis, cuius opus nón Iosepho ascribitur, sed Spiritui sancto, vt testimonio angelico probatum est, Matth. Euang. cap. 1. *Quòd in ea natum est, de Spiritu sancto est*; quia hæc diuina plantula in hortulo Mariæ, cuius dominium iure matrimonij erat Iosephi, Spiritus sancti manibus iam plantata, sicut verè erat Mariæ, quia concępit, sic ratione coniugij erat, & Iosephi; vndè ad eius laudem benè dicere possumus, hoc vnũ dixisse sufficiat, *Te filium habuisse*, &c. quòd clarius indicare voluit illi, & nobis, quando timore quodam percussus Ioseph quærebat occultè dimittere eã, sic affatus est Angelus: *Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugẽ tuam*. Coniux tua verè est Maria, quæ & si concæpit de Spiritu sancto, sicut fundus ratione matrimonij, tuus est ita & plantula plantata in ea: accipe Mariam vt vxorem, & cum coniuge accipe puerum; & sicut maior Mariæ dignitas, & excellentia est, quòd sit mater Dei, sic & Iosepho quòd sit pater Dei, & Christi nutricius: *Hoc vnum dixisse*, &c.

O magna Iosephi dignitas, qua eleuatur super angelos; nam vt inquit D. Basilius, quoties Deus in Prophętis, vel antiquis illis Patribus loquebatur, erat ministerio angelorum, quorum nomen suum, quòd erat ineffabile manifestabat, ità interrogatus à Sanctis illis viris quòd est nomen tuum, Angelus in persona Dei respondebat, ego sum Deus, ego Dominus: nomen sanctum suum angelis liberè committebat; at postquã Verbum caro factum est, cum esset in Iordane, & in monte Thabor nemini angelorum Pater nomen filii sui credere voluit, sed proprio ore, propria voce, dicente Euangelista: *Paterna vox audita est, hic est filius meus dilectus, in quo*, &c. Matt.Eu.

O Deus cordis mei, & quòd in fide angelorum statuere quodammodo trepidauit, Iosephi manibus, & curæ nullatenus dubitauit, ex quo clarè patet, quòd nobilitas Iosephi, dignitas, & ministerium, sit angelorum ministerio altius, & nobilius & excellentius. O Ioseph, ò vir Mariæ ex qua sola titulus hic tuus, hoc tuum diadema originem traxit: *Te filium habuisse Deum*.

Cuius fuit verè Pater, sicut fuit Mariæ verè sponsus. Paternitatis nomine filii Dei qua gaudet Sanctissimus noster Ioseph cohonestatur à Deo, honoratur ab angelis, appellatur à Christo, vocitatur à Maria, prædicatur ab Euangelistis, & nominatur à cunctis: ò anima mea tantæ est altitudinis, sublimitatis, & excellentiæ, quòd sicut intra suæ intelligentiæ sinum nequiuit compræhẽdere mens humana, sic ad plenè explicandam balbutit etiam ipsamet angelica lingua; verum vt capias quantum tibi fas est, velim scias primò, quòd si Ioseph fuit verus sponsus Virginis Mariæ matrimonio rato, sic & Christi pater non natura, seù generatione, sed tantum iure cum Virgine contracti coniugij.

O incomprehensibilis tantæ dignitatis sublimitatis, ò excellentia tanti viri verè ineffabilis, vt vno, eodemque titulo Ioseph cohonestaretur in Cœlis, & honoraretur in terris, quo & Deus Pater omnipotens: ità docet nos Diu. Paulus Apost. ad Ephes. scribens cap. 3. Paul Ap.
n. 14. *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur*, in Cœlis est generatio filij, paternitas in terris est generatio hominum, & animalium, quæ omnis à Dei paternitate emanat, omnes enim ab eo vim habent generandi, vt sint, & nominentur Patres.

Quæ mens non stupet, quæ ratio creata non caligat, quòd in cœlo sit àlia paternitas eiusdem filii ab illa, qua Deus pater est sui vnigeniti pater, & in conspectu illius diuinæ maiestatis sit, qui vocetur, & honoretur hoc eodem titulo & nomine, quo & Deus Pater, & quòd Iosephi paternitas renideat, & rutilet in

Cę-

Cœlis splendoribus,& radiis eiusdem filii, qnibus & paternitas Dei patris? ò anima mea qnid est hoc? nonne pater Deus æterna generatione in diuinis rãtummodo est pater, qua & ipse solus constituitur in esse patris,nec alteri cõmunicatnr, & sic patris est propria, quòd quando misit filium suum in mũdum,opus incarnationis vbi totum perficere sua virtute datum est Spiritui sancto, nomen patris Verbi incarnati non illi collatum est, sed tantum Iosepho; Spiritus autem sanctus vt operis artifex, nomen auctoris, & incarnationis operarii sibi duntaxat vendicat, & non

D.Aug. patris,ita Sacri Doctores,& D. August. lib.sui enchirid.cap.38.clarè tenet, & à Patribus fuit decretum in vndecimo Concilio Tolerano.

O verè mira res, dignitas illa, quæ non datur Spiritui sancto, & negatur Angelis,conceditur homini, & homini carpentariolo, hic solus electus est ex millibus: & cur ille solus? nouit Deus, qui elegit ipsum, qui explorans singulorum merita, & ex omnibns nullum tantæ dignitatis inuenit digniorem, vt sanctissimum Iosephum, quem præfecit sui filii patrem, & Virginis matris Mariæ sponsum: vt de nostro Ioseph liceat nobis dicere, qnæ de Dauid dicit Diu.

D.Chrys. Chrysostom.hom.de Dauid,& Goliath. *Quærendo indicari Deum singulos homines,cum diuersos attigisset, examinasset cunctos,plurimosque præuidisset, è quorum numero eligeret Patrem filij sui, inuenit tandem Iosephum cuius meritum transire non potuit*: hæc Chrysostomus. Merita D. Iosephi Dens transire non potuit,qnia nouit eum,& elegit eum ex millibus, quia nouit tantæ dignitatis idoneum effecit, & in Cœlis ab Angelis,& in terris ab hominibus eodem paternitaris titulo voluit honorari Ioseph quo honoratur,glorificatur,et ipse. O Ioseph quid est hoc? hoc vnum tibi dixisse sufficiat: *Te filium habuisse Deum*, non electione tantum,sed verè iure matrimonij Christi dicitur,celebratur,nominatur,et appellatur Pater.

Huius dignitatis excellentiam, et tempus, quo illi collata fuit,aperir nobis, et innotescit Sanctus Euangelista

Matt.Eu. Matth.quando inqnit: *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph*:nota verba anima mea,& accnratè signa mysteria,quæ vt clare capias,recordare,quòd duplici sponso fuit nupra Maria, Iosepho,& spiritui Sancto. Hic quando Mariam sibi desponsauit in sponsam, vice dotis,seu in dotem accæpit eius virtutes, & Virginitatis, & honestatis,verecundiam, & decorem. *Dos enim Virginitatis*,inquit D. Ambrosius, *verecundia est*,quæ tanta erat in Virgine,vt etiam D.Ambr. verecundaretur ad conspectum Angeli quando turbata est in sermone eius: eadem dote maritata est Iosepho,quando accępit eam in Vxorem, sed auctam cõceptu filij Dei, qui vt iure matrimoniali esser verè filius Ioseph, inquit Euang. qnòd quando hic sanctus vir dixit Virginem in Vxorem, erat iam Mater Iesu. *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph*.Si sponsa,cur mater? Et si Mater, quomodo Sponsa?

Ad quid mater Iesu, si satis est dixisse: *Cum esset desponsata Maria Ioseph*, quæ hæc maternitatis Iesu, & sponsæ connexio, & sic intimus, & necessarius nexus? crediderim vt tibi, & tempus aperiret, qno & altitudinem dignitatis Ioseph paternitatis Christi assecutus sit, & quàm verè dicatur Christi pater non natura, & generatione, hoc opus erat Spiritus sancti,sed iure coniugij,vt capias attende,si mulier nupta viro cõceperit, & vix duobus, vel tribus post Conceptionem elapsis mensibus morte intercedente solura est à lege viri,nubit alteri: transiens ad secundas nuptias, conceptus in vtero,quærunt iuristę,cuius enim erit filius viri iam defuncti, cnius semine est conceptus,an viuentis qui matrem duxit in vxorem? ipsorum sit in hac causa dimicatio,nos breuitati studentes dicimus cum Erodoto,qui testatnr apud Athenienses hoc ins fuisse, quo decretum erat conceptum ventris mulieris transeuntis ad secundas nuptias filium dici debere non iam patris mortui.sed viri viuentis,qui ex quò iure coniugij dominium accæpit mulieris vxoris,& in possessionem transiuit etiã omnium,quæ sunt vxoris, & quæ intra viscera occultat sui vteri. O altitudo Sapientiæ,& scientiæ Dei: ò ergo Iosephum inæstimabilis dilectio charitatis,vt nobis innotesceret quàm verè Ioseph est Christi pater, & quàm optimè & meritò quidem,& in cælis,et in terris hoc paternitatis filij Dei titnlo,honore,et nomine honoratur, cohonestatur,collaudatur,et colitur, prædicatur & di-

& dicitur: tempus signat, quo ad tam sublimem eleuatus dignitatem dicens, *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph*, quid est mater Iesu si erat sponsa: accipe.

Quod non nisi de Virgine iam desponsata, virtute Spiritus sancti cooperante in vtero matris suæ voluit concipi Verbum patris, & homo fieri, hoc est ab initiatis sponsalitijs vsque ad solemnitatem nuptiarum iuxtà Sanctorum Patrum sententiam quatuor effluxerũt menses, & intra dies hos intercalares missus est Angelus Gabriel ad Virginẽ, quæ nunciantis verbis præbens assensum, facta est Christi conceptio in aluo Virginali, quando inquit Euangelista: *Cum esset desponsata mater Iesu Maria*, non de sponsalibus de futuro loquitur, sed de desponsata per verba de præsenti, & sponsalitio rato, quo sicut erat Ioseph verè Virginis sponsus, sic vt tibi præmonstraret, quòd simul erat iure matrimoniali, non natura verè Christi Pater. Non dixit: *Cum esset desponsata Maria*, sed addidit *mater Iesu*; erat iam Virgo fœta Deo, quando duxit eam in vxorem Ioseph; qui si sponsalitij lege ingressus est in possessionem, & dominium Virginis, eiusdem legis rigore dominium accæpit, & pueri, qui intra matris viscera intercludebatur; & licèt de Spiritu sancto esset conceptus, quia non Spiritus sancti filius dicendus, vel appellandus erat, sed Ioseph. Huic quando desponsatur Maria, desponsatur illi vt sponsa, & mater Iesu, & accipiens ille Virginem matrem in sponsam, accæpit & eiusdem conceptum in filium. Audiamus D. Chrysologum sermon. 149. D.Chryſ.
Suffecerat, dixisse, *cum esset desponsata Maria, quid sibi vult sponsa mater: si mater non sponsa, si sponsa non adhuc mater*, ac si diceret, cur vocat matrem Mariam si Ioseph dabatur in sponsam: si erat sponsa, quomodo mater, & si mater erat quomodo sponsa? sponsa erat, & mater dicitur, vt capias, & tempus, quo collata fuit Ioseph, hæc filij Dei paternitatis dignitas, & excellentia, quia ex vi sacratissimi huius virginalis coniugij aduenit Ioseph hæc dignitas, hæc altitudo, vt sit non in ore, & opinione hominum, sed verè & dicatur Pater Christi. D.Aug.
Quòd satis apertè testatur D. August. lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 1. *Non quòd opinione sola, sed quadam ex parte veritatis quoque Iosephi filius esset, Iesus quippe qui Mariæ verissimus filius*, ac si dixisset, si Ioseph sponsalitij iure verus est Virginis sponsus, sic & Christi Iesu verè pater.

Filius Iosephi Christus Iesus, nõ quia in generatione aliquid fuerit ille operatus, sed tantum quia fuit coadiutor illius Spiritus sancti operis, vt debito modo, & congruenter ad effectum produceretur, alias nec vxoris, nec filij saluari posset honor, & fama: vbi ergo Maria in formatione Sanctissimæ humanitatis Christi carnem subministrauit ex sanguine, Ioseph ingreditur in opere vt talis formationis debitus seruaretur modus, & congruentiæ forma: iuuit ergo, & profuit Ioseph Christi generationi quò ad modum duntaxat.

Aedificatum fuisse templum quoddã in honorem multorum Deorum accæpimus à Martiale lib. 1. & iam completum, cum dies dedicationis aduenisset, & diem festum consecrationis illi antiqui, qui in tenebris cæcitatis eorum ambulabant, celebrare solemniter vellent congregato populo, & spectante Senatu ex repentino in conuexu fornicis, seu testudinis portæ maioris, hoc dictum aureis litteris inscriptum apparuit: *Sophia me fecit*. Martial.

Et facti nouitate stupentes, & admirati, curiosè inuestigare cæperunt, quænam esset hæc Sophia? inquisitione perfecta inuenerunt mulierem quamdam pauperculam nomine Sophia; eò magis admirati eam interrogare cęperunt, quale somptum fecisset, vel quid pecuniæ insumisset: quid auri, vel argenti dispendij, seu expensæ impendisset, vel ero gasset in ædificatione templi? quid auri? quid pecuniæ? sciscitatis me consumere potuisse, vel quid quæstus conterere? quæ ægestate, & miseria superabundo? hoc verum est, quòd Bobus, qui tẽpli ædificationi necessaria portabant, deficientibus præ labore, fame, & siti, ne deficerent in via, fænum porrigebam, & poculum, vt refocillatis viribus inceptum opus deduceretur ad finem.

O anima mea obstupesce Dei bonitatem, et lætare de gloria dignitatis Sãctissimi Iosephi. Corpus Christi quid est nisi templum illud, in quo inquit D. Paulus ad Coloss. cap. 2. *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*: quia natura diuina non tantum vnita est ani- Paul.Ap.

 mæ

mæ sed & Christi corpori, ita vt ex Verbo diuino, & humana natura corporea vna ineffabilis substantia corporea quasi composita sit, quæ est & dicitur Christus, siue Deus, & homo; cuius corpus quòd vocetur templum, Ioannes testatur, quando Dominus Iesus dixit Iudæis. *Soluite templum hoc*, inquit Euangelista cap 2. *hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Ioan.Eu.

In huius templi structura, & ædificatione omnes Sancti progenitores ab Euangelistis recensiti Patriarchæ conuenerunt cum lacrymis, gemitibusque, & singultibus, & suspirijs; Prophetæ cũ suis vaticinijs, reuelationibus, vocibus sæpè repetitis, & accensis desiderijs, & iam ædificato templo, cum dies festiuus dedicationis aduenisset, apparuit Epigramma in ostio templi, hic est filius Iosephi: ah, ah, *Sophia me fecit*, Ioseph me fecit; qui si interrogetur, quid operis consumpsit in ædificatione templi? ò anima mea, vt illa mulier respondere potest & Ioseph.

Cùm vitula illa sacratissima Virginis Mariæ labori incumberet, & ex substantia sui sanguinis carnem subministraret, vt perficeretur opus cęptum à Spiritu sancto; ne deficeret, & ne aduretur infamia, & laboribus manuum mearum sustentabam victum præbendo ei, & potum, & vmbra coniugij protegendo, ne velut si scelus commisisset, Virgo parturiens criminaretur à Iudæis. *Propterea.* inquit Origen. hom. 39. in diuersis, *Virgo fuit desponsata ipsi Iosepho: quia si non fuisset desponsata omnium bonorum increduli, & inimici Iudæi eam occidissent, vt à tanto periculo Virgo esset immunis, & opus ad perfectum duceret primò tradita est Iosepho in matrimonium.* Orig.

Qui vt sponsus suis laboribus sustentaret, & sua vmbra obumbraret, protegeret. & si falsi illi Dii ædificium illius templi Sophiæ ascripserunt, eò quia Boues, qui in vehendis templi ædificationi necessariis ne deficerent, cibauit, fænum eis præbens, & poculum.

Cur non Iosepho, conuenientius eribuere nobis non licebit nomen, & titulum ædificatoris illius templi corporis Christi, quando & vitula ipsa ab ipso enutrita hoc Epygramma ascripsit Luc. Euang. cap. 2. n. 48. *Ego & pater tuus dolentes*, &c. vnde meritò hoc illi tribuitur: *Nonne hic filius fabri? filius Iosephi?* qui ad hoc fuit necessarius vt Virginis partui interesset, non conceptui, qui de Spiritu sancto erat, sed esset vtilis procurationi, inquit D. Thom. nam quando dixit ei Angelus: *Noli timere Ioseph quòd enim in ea natum est de Spiritu sancto est.* Luc.Eu. D.Tho.

Quando subiunxit, *pariet autem filium*, inquit D. Thom. *Pariet filium, & tunc matri, & filio erit necessarius matri, vt ab infamia defendat, filio vt eum nutriat vt pater, & pascat.*

O Ioseph, ò sanctissimus Patriarcha, hoc vnum dixisse sufficiat, &c. O quoties nunc vultum Virginis intuens nũc in faciem filii Dei, quæ aliquando diuinitatis suæ radiis resplendebat vt Sol, lumina sua conuertens Ioseph in contemplatione positus vi amoris extra se raptus tacitè loquebatur in corde suo: vndè hoc mihi, vt mater Domini mei, & ipse Deus meus mecum versentur in paupercula domo mea, & Dei pater appellet. O quomodo eleuabatur, quomodo lætitia ineffabili, consolatione diuina replebatur: ò quantum ex consortio filii Dei, & sponsæ Mariæ in virtutibus, & meritis augebatur anima eius, & tota transformabatur in amorem filii Dei, & Mariæ.

De sancto Moyse legimus Exodo c. 34. splendidam nimis habuisse faciem ex consortio sermonis Dei: quando hic Dei amicus cum Deo, *loquebatur facie ad faciem sicut solet amicus ad amicum suum*, adeò cœlesti lumine radiabat facies eius, licèt ignoraffet ipse, quòd cornuta esset, hoc est splendida facies eius ex consortio sermonis Dei, quòd populus non poterat intueri in faciem eius. Exod.

O Deus cordis mei, ò ignis diuinus si consortium Dei non spatio multorum mensium, sed paucorum dierum seu horarum non manifesta & clara visione, sic fulgentibus fulgoris radiis incendit faciem Moysis, vt non posiint ex nimia illius claritate filii Israel intendere in faciem eius: quid putas anima mea accidisse Iosepho ex consortio tot annorum, & familiaritate filii Dei, quo fulgebat splendore? quibus diuinitatis radiis splendebat? qua lucebat claritate? quo lumine erat amictus? quibus amoris diuini cor eius ardebat flammis? tot annis potitus consortio filii Dei? quem a me super pectus reclinabat, nunc inter

ter brachia strictè amplexabatur. O verè Iosephi beati oculi, qui toties, & primò meruerunt videre Deum carne vestitum: ò Iosephi Beatæ manus, quæ Christum toties, & tangere, & seruire dignæ repertæ sunt: ò Iosephi Beatum pectus Christi infantis puluinus, quies lectulus, & dulce reclinatorium: ò verè Iosephi Beata brachia, quæ toties, & puerum Iesum portare meruerunt, & amplecti: ò Iosephi os Beatum, et melliflua labia, quibus toties Christum laudare, et deosculari datum est: fœlix illa parua domus, verè cælo ipso illustrior, et beatior, in qua habitat illa Beatissima Trinitas, Iesus, Maria, et Ioseph. Sic vocat eam Cancellarius Parisiensis. *Cuperem vt verba mihi suppeterent ad explicandum tam altum mysterium, tam admirabilem, venerandamque Trinitatem Iesus, Mariæ, & Iosephi.* Cancell. Paris.

O quoties rapiebatur mens eius in mentis excessum, et ardens amore, et collacrymans præ dulcedine exclamabat, vndè hoc mihi vt matris Dei mei sim ego coniux, et sponsus? nunc ad se loquens loquebatur, vndè tibi ò Ioseph vt Dei tui pater appellari merearis; vndè hoc tibi vt tibi Deus obediat, et pareat? vt cum Deo, et Maria sedeas in eadem mensa, et vescaris eodem pane, et in eadem paropsyde? hæc meditans, et dicens accendebatur tanto igne diuini amoris, quòd æstuans totus videbatur ardere.

Non potest quis ignem fouere in sinu, & non ardere seù non comburi. Sententia est Spiritus sancti lib. prouerb. cap. 6. n. 27. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, & vestimenta illius non ardeant?* Si ò bone Ioseph ignē illum fouebas in sinu, qui de se dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* quo ardebat pectus tuum? quo æstuabat cor tuum? & amans, & quas incandescens anima sancta tua flammas emittebat? Prou. Luc. Eu. cap. 12.

Aemulare Iosephum anima mea, vt illius imitatione trahas ad te eiusdem ardoris ignem: efficax est imitatio, & morum similitudo ad illiciendum hunc sanctum ad tui protectionem, & custodiam, datus est tibi in exemplum, & in auxilium. Quòd de Sanctis omnibus testatur D. Leo serm. 5. de Epiphan. dicamus & nos præcipuè de Sancto Ioseph. *Per bonam æmulationem,* inquit ipse, *Sanctorum ambite suffragia, cum quibus enim vobis fuerit consortium deuotionis, erit & communio dignitatis.* Aemulare ergo ò anima mea puritatem Sancti Iosephi, si amas eius patrociniū, & protectionem, vt eius intercedentibus meritis sub hoc ramusculo merearis dignitatem tanti sponsi meditari, et laudare, et benedicere nomen sponsæ, quòd sit benedictum in æternum, ò humillis Virgo Maria mater Iesu filij Dei: te præcor ò Maria monstra te esse matrem, et miserere mei, quoniam in te sola sperat et confidit anima mea: sub vmbra huius ramusculi protege me nunc, et in hora mortis meæ. Amen. D. Leo.



DE PERFECTIONE SPONSI, & sanctitate Iosephi.

RAMVSCVLVS TRIGESIMVSTERTIVS.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum. Cantic. cap. 5.



TAntę perfectionis, tantęq; sanctimoniæ splendore prælucebat Sanctissimus Ioseph, quod omniũ hominũ perfectionũ apicẽ trãscendit si nõ, & Angelorum merita, & officia superauit: ad hoc enim electus est ex millibus, vt in coniugem traderetur illi Virgini, quæ teste D. Andrea
D. Andr. Cretens. Cretens. sermon. de dormit. Virginis *Excepto Deo, est omnibus altior, & Sancta Sanctis Sanctior, & omnis sanctitatis Sanctissimus Thesaurus.* Si sanctissimam decuit esse Mariam, quia in Dei matrem eligebatur, cur non Sanctissimus Ioseph? qui est electus ex millibus in sanctissimæ Virginis sponsum? Audi
Gerson. Gersonem virum vtique Doctissimum in serm. de Natiuit. Virg. considerat. 3. *Sicut decuit Mariam, vt summa puritate niteret, sic decuit, vt haberet suo modo parem sponsum purissimum*, qui cum perpetua Virgine, Virgo prius, & posterius permaneret; sic ex postulabat sui officij dignitas sic munus, ad quòd exequendum ex æquo, fuit à Deo electus: magnus Iosephi erat ad Dei genitricis, & ad filij Dei in carne visibili tutelam, & educationem.

Quòd si Deus omnium feminarum optimam, & in sanctitate perspicuam elegit in matrem, sic omnium virorum in perfectione optimum, ac maximum decebat eligere in eius sponsum, cui vtique Deus non defuit in necessarijs, vt munus, ad quòd ex millibus illum elegerat, vt non segniter, sed rectè obiret, perficeretque, illam illi contulit virtutem, & potentiam, qua & disposuit, aptauit, præparauit, & roborauit pro munere dignitatis.

Nam si ad custodiam Paradisi Terrestris cura fuit Deo præficere Cherubinum, cur ad custodiam cœlestis, qualis erat Maria, non magis cura fuit Deo præficere, non Cherub, sed Seraph, hoc est Iosephum, qui velut Seraph, Seraphici amoris flammis æstuabat, & ardebat.

O Deus cordis mei ò cor meum, si sanctificauit Eleazarum vt posset custodire arcam Dei, quam diligentiam putas adhibuisse Deum in sanctificando, præparando, disponendo Iosephum, cui in custodiam tradenda erat arca illa animata, in qua vt canit Ecclesia, Filius Dei claudendus erat: *ventris sub arca clausus est.*

O Maria ò Dei mater, & sponsa, in sanctitatis altitudine, & sublimitate, qualis est dilectus tuus electus ex millibus? dicam, quæ sentio, & si non illi æqualis, tamen per omnia & super omnes persimilis. De septuaginta illis senioribus, quos elegerat Deus, vt Moysi essent coadiutores in populi regimine, loquens ait Moysi; *Auferam de spiritu* Num. c. 21. n.17
tuo, & tradam eis; qui vt in munere erant Moysis consortes, sic essent & ad munus gubernationis gerendum similes, & æquales.

O Dei sapientia, ò bonitas Dei mei, nonne Mariam, & Iosephum elegisti ad munus inseruiendi Deo in carne mortali? si cum sponso Maria communicabat in officio, & administratione eadem, cur non in spiritu? cur non in gratia? perfectione? & sanctitate? quòd declarasse mihi videtur Euangelista verbo illo; *Ioseph vir eius cum esset iustus*, iustitia non accipitur hic pro virtute illa speciali, cuius munus est reddere vnicuique, quòd suum est, sed pro rectitudine animi, quæ ex omni virtutum agre-

gre-

D.Tho. gregatione coalescit, vt docet D.Thomas 2.2.q.58.art. 11. voluit dicere non effulsit vna tantum virtus singularis in Ioseph, vt in cęteris, sed prælucebat cādor omnium virtutum, in quibus in dies iuxtà nominis sui Ethymologiam, quòd augmentum interpretatur, magis ac magis crescebat: ita vt eleuaretur super omnes, vt meritò sponsa respondere posfit; *dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus*.

Interrogationi huic sodalium suarum; qualis est dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum, dilectum sponsum commendans Maria ex virginitatis cādore cum rubore coniuncto dilectionis diuinæ, vt plenè satisfaceret, sic respondit, dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus; quippè qui omnium hominum est perfectisfimus, & solus inuentus est dignus, cui ego iuxtà nominis ipsius Ethymologiam essem desponsata iustitiæ, & virtutibus omnibus. O dignitas, & perfectionis, & sanctitatis tanti viri altitudo, vt perfectisfima, & quæ perfectionum omnium est thesaurus ex perfecti vicinitate perfectionis in dies caperet incrementa, excresceretque virtutibus.

Quando ad Mariam à Deo missus est Angelus, vt Verbi Dei incarnationis nunciaret, & aperiret Sacramentum, non abs re annotauit Euangelista, quòd hæc Virgo iam erat desponsata viro, cui nomen erat Ioseph: non vt tanti sponsi nobis innotesceret notitiam, voluit nomen illius aperire; sed vt eiusdem exprimeret excellentiam, virtutes, eminentiam, & sanctitatem. *Non solum*, Cardin. Tolet. inquit Cardinal. Toletus, *vt quis fuerit sponsus B. Virginis, distinctè cognoscatur, sed etiam, vt virtutes, & excellentiæ eius ipso nomine significentur*. Ioseph apud Hebræos idem significat, quòd apud latinos auctus, seù accrescens: quòd & clarius, D. Bernardus hom. 2. super missus D. Bern. est. *Quis, & qualis fuerit homo Beatus Ioseph, coniice ex proprio vocabulo, quòd augmentum non dubites interpretari*.

Non igitur à Deo mittitur Angelus, nisi ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, sic testatur, & Diu. Mat. Eu. Marth. *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph*, quid enim est desponsata Ioseph? nisi desponsata iustitiæ: Ioseph autem vir eius cum esset iustus, nisi desponsata augmento virtutum, gratiarū, perfectionum, & donorum supercœlestium.

O Deus cordis mei: & quæ hæc perfectio Ioseph? & quæ eius sanctitatis altitudo? vt ex eius vicinitate, cohabitatione, familiaritate, & conuictu perfectionis, & virtutis incrementis excresceret illa, quæ erat omnium perfectissima, imò & mater, & genitrix virtutum.

Cuius rei nouitate mens stupet hominum, imò & Angelorum; ipsorum est enim illa vox in Canticis cap. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata*. Cant.

Ac si diceret exemplo sui sponsi, qui Virgini sacratissimæ erat virtutum, & perfectionum sponsus, nunquam otiosa Maria; at nec vnquam eadem in progresfibus, & profectibus virtutum, sed semper altera, donec ad illarum perueniret consumationem, semper aucta, semperq; accrescens iuxtà vocabulum sui sponsi nominis, de quo pijssimus Isidorus de Insulis p. 1. cap. 16 sic scribit; Isid. de Insul. *Iosephi mores angelici dicendi sunt, munditiam virginitatis semper spirantes: sapientiam exprimentes diuinam, dum prudentissimè consilia perficeret Angelica, ac diuina ardens charitate, & dilectione*.

O Ineffabilis Iosephi dignitas, sanctitas, & perfectionis sublimitas sub cuius vmbra obumbrata sponsa Maria visa est excrescere, & consurgere ad virtutum incrementa veluti aurora consurgens. & proficere vsque ad claritatem Lunæ perfectę seù plenæ: imò & progredi vsq; ad splendorem Solis: nec hic otiosa stetit, quousque perueniret ad consumationem omnium virtutum, quæ vtique perfectorum est, qui in Dei amore, & perfectionis progresfibus nunquam feriantur, nunquam tepescunt, nunquam imminuuntur, seù deficiunt, sed semper innouantur, progrediuntur, & excrescunt: ita vt persæpè seipsos excedant: semper accrescēs, semper auctus Ioseph, semper aucta, semperque accrescens, & Maria: cur hoc ò anima mea? nisi quia ad hoc desponsata erat Ioseph, vt exemplo sponsi pariter excresceret, & sponsa, ita vt verius dicere possimus de Ioseph, & Maria, hæc vt sponsa, ille vt sponsus, quòd de Zacharia, & Elisabeth testatur Sanctus Lucas cap. 1. *Erant autem ambo iusti ante Deum, incedentes in omni-* Luc. Eu.

omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.

In Ioseph, & Maria sicue non erat nisi vna caro, sic nō erat in duobus nisi vnus spiritus, amborum vna erat iustitia, vna virtus, vna perfectio, veluti ac si vna resideret anima, sic procedebant in virtutibus, sic proficiebant, & incedebant in mandatis, & perfectionibus Domini, ac si non duo essent, sed vnum; dùm manum non extendebat Ioseph ad opus virtutis, quin non extenderet & Maria, quæ sic erat desponsata Ioseph: vt & eo proficiente iuxtà sui sponsi nominis Ethymologiam, ad eius vmbram proficeret & ista: imò & ad sponsæ vmbram magis proficiebat & ille, cuius nomen meritò interpretatur augmentum.

Qualis est dilectus tuus electus ex millibus? ò pulcherrima mulierum? ò anima mea, quis et qualis fuerit homo B. Ioseph, conijce ex proprio vocabulo, vt docet D. Bernard. hom. 2. super missus est, *quòd augmentum non dubites interpretari*: cur in virtutum incrementa nō excresceret in dies Sanctus Ioseph, si secus perfectionum fontes Iesu, et Mariæ semper degebat, et morabatur, viuebat, et pascebatur, stabat, et potabatur, bibebat, et inebriabatur, sugebat, et lactabatur, lambebat, et lætabatur, et sanctitate augebatur. — D. Bern.

Conijce ex proprio vocabulo, quòd si à radice hebræa sonat addere, apponere, augere, et colligere: quæ virtutum incrementa non collegit Ioseph de fontibus Iesu, et Mariæ? qui sanctitatis gradus ei non aduenit? qui semper creuit, semper auctus est, semper et vbique adoleuit, ita sicut Deo nullus Ioseph proximior, sic nullus illo sanctior, et in sanctitate sublimior.

Quòd ostendit Euangelista dum iustum appellat: *Ioseph autem vir eius, cū esset iustus*, tanta sanctitate pollebat Ioseph, vt meritò nomen iusti sibi vendicat, quòd vtique non mereretur, si semper non creuisset, si semper non profecisset iuxtà, illud Apocalypsis cap. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Sic gloriabatur Apostolus Paulus per gratiam sibi datam, totum in Christum esse transformatum; vndè dicebat, *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* — Matt. Eu. c. 1. — Apocal. — Paul. Ap. ad Galat. c. 2.

Quid perfectionis incrementa existimas ò anima mea, suscepisse Iosephum ex cohabitatione, colloquio, præsentia, & familiaritate Christi Iesu, & Mariæ; quid profectus illi deesse potuit, qui iuxta perfectionis fluenta sedebat? *Si nos miseri*, inquit Bernard. Senensis in serm citato, *ex cohabitatione Sanctorum virorum, qui respectu Virginis nihil sunt, sæpè proficimus, quantum existimandum est Iosephum cum sacra Virgine profecisse?* tantum profecit, quòd & ipse verè dicere poterat cum Apostolo, *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus:* Vi amoris ità erat Christo vnitus, vt videretur vnum esse cum Christo. — D. Bern. Senens.

Magno, quadam die vex abatur desiderio cor Herculis, vt in suis emblemis scribit Alciatus, vt filius, quem ipse genuerat esset particeps suę diuinitatis, & vt hoc assequeretur, noctis silentio apposuit, & Iunonis pectori adhæsit, vt illius vbera sugens, & lacte potatus, & enutritus tantæ matris fieret particeps diuinitatis, & merum claritatis, & splèdoris, somnia sunt hæc illorum, & deliramenta. — Alciat.

Quibus relictis, erige te ò anima mea ad lumen veritatis: contemplare virum hunc santissimum, qui tantæ fuit sanctitatis, vt verè videretur esse, ctus particeps diuinitatis Dei sui, quādo in suo sinu, in suo pectore tenebat Christum, ò ardens amor, ò flamma charitatis diuinæ erat Deus vberum, & sugens lac diuinum ex pectore illo diuino, & inebriatus lacte exclamabat, *Meliora sunt vbera tua vino:* quo potatus vinebat non vita humana: Viuo autem, iā nō ego: viuit verò in me Christus; cuius lacte doctrinæ, quia vita erat & vita diuina, in Deum transformabatur: quia vt dicit D. Dionysius Areop. li. de diuin. nominibus cap. 4. *Amor est virtus faciès vnionem*, ita viuebat B. Ioseph, quòd magis viuebat vita pueri Iesu, cuius amore tenebatur, quàm sua, hic amor, quo se amabant & redamabant hic vt Pater, ille vt filius, ille vt homo, & hic vt Deus, quibus communia erant, quæ habebant, & vicissim eadem volebat Ioseph, quod Iesus, & amor, qui cor Iosephi suæ fortitudinis nexu colligatum tenebat Christo, iunctas & colligatas nectebat assiduè erga Christum, & eius cogitationes, vt verè dicere posset. *Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus:* ac si diceret, vt exponit Diuus Bernard. serm. 7. de quadragesima, de mor- — Cant. c. 1 nu. 1. — D. Dion. Areop. — D. Bern.

mortuo, & crucifixo: *Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo non curo: si quæ verò sunt Christi, hæc viuum inueniunt, & paratum.* Nihil sentiebat, nihil optabat nihil cogitabat, nihil amabat nisi Christum. in quem iam totum transformauerat, & absorbuerat diuinus amor.

Si Ioannes adhuc clausus in vtero matris colloquijs, & præsentia Christi Iesu & Mariæ irrigatus spatio trium mensium sanctificatus in vtero excreuit, vt de illo dicatur Matthæus Euang. cap. 11. num. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, ad quem sanctitatis apicem ascendisse putas Iosephum, qui non tribus mensibus, sed per triginta annos lac suxit de Iesu, & Mariæ pectoribus. Audi D. Bernard. serm. 1. de Assumpt. *Hæc est cuius salutationis vox, & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudũt. Quòd & si paruuli nec dum nati anima liquefacta est, vt Maria loquuta est:* quid putamus, & quænam fuerit illa Iosephi exultatio, & virtutum progressio, cùm & vocem audire matris, & filij, & horum faciem videre, & beata eorum non solum præsentia, sed etiam coniugali Virginis familiaritate, & amicitia, ac pueri Iesu amplexibus & osculis dulcissimis frui, sic frequenter meruerit O quoties præ dulcedine ad puerum Iesum super pectus eius recumbentem dulciter canebat. *Læua tua sub capite meo, & dextera tua amplexabitur me*, & amplexibus, & amoris vi, in ipsum videbatur transformatus.

Mat. Eu.

D. Bern.

Cant. cap. 2.

Hæc sanctitatis plenitudo dignum reddidit, vt ex millibus ipse solus eligeretur à Deo, vt Mariæ esset dignus spõsus, & Christi Iesus idoneus pater, & nutricius: merita cuius sanctitatis transire non potuit Deus, quin illi meritata dignitas conferretur? Et mihi id accidisse viro isti sancto videtur, quòd sæpè euenire solet in regis senatu: in manibus Regis peruenit liber, in quo scripti sunt omnes illi, qui vacando aliqua præfectura, dignitas, seu officium illius dignitatis adiudicantur magis idonei magis apti, & digni, & enumeratis, & transactis multis, quando Rex aduenerat, & legit, quem ipse iam prænouerat digniorem omnibus, præmeditans istius merita, quæ nefas est præterire, & prætermittere, cunctis alijs derelictis, propria manu eligit, & notat, & dignitatis gradum illi confert.

Dignitas illa tam sublimis, vt esset sponsus Virginis, & Christi pater iam feriebatur, & vacabat, & inter multos sanctitate præclaros, qui menti diuinæ se efferebant: En liber in manu Dei à Matthæo Euang. cap. 1. sic descriptus; *liber generationis Iesu Christi*: En illustris Abraham, Regius Dauid. En Sanctus Isaac, & Iacob, & vt mirabilior redderetur Sanctus Lucas Seriem Genealogiæ texens, incipit ab Adam, & ad Deum vsque peruenit, qui quæsiuit hominem secundum cor suum, & ex omnibus, & ex millibus electus est Ioseph illa dignitate, vtpote dignior, Iacob autem genuit Ioseph.

Mat. Eu.

Luc. Eu. c. 3. n. 23.

Cuius meritis perpensè à Deo expensis, prætermittere non valuit, quin tali dignitate non cohonestaret, ipse solus electus est ex millibus. O quàm expressè annotauit D. Chrysost. hom. de Dauid, & Goliath. *Quærendo iudicare Deum singulos homines, cum diuersos attigisset, examinasset cunctos, non solum ab Abraham iuxtà Matthæum, sed & ab Adam secundum Lucam plurimosque præuidisset, & quorum numero eligeret Regem, inuenit tandem Dauid.* De Dauid loquitur Sanctus, at nos de Sancto Iosepho, dicamusque inuenit tandem Iosepum Filium Dauid, cuius merita transire non potuit; quòd si supra cunctos natos ab Adam transcendit ipse, solus vt Virginis spõsus esset, & Christi Pater prænotatur, & eligitur ex millibus vtpute sanctitate cunctis sanctior, & dignitate dignior.

S. Chryst.

Et qui Ioseph ad dignitatẽ sic singularem, & sublimem contemplantur euectum, & eleuatum, Dei non duntaxat agnoscunt fuisse donum & electionem, sed & simul virtutum illius, & sanctimoniæ fuisse meritum quòd ut manifestè fieret, uoluit Deus illum conterere, et afflictione illa maxima flagellare, quando ab eo conceptum occultauit, quem per eumdem Angelum, qui Virgini notificauit poterat proferre, dum conticuit: eius meritum uobis innotescere uoluit afflictione illa. Ad hæc sunt uerba Rup. Abbat. in Matth. cap. 1. *Vt manifestum tam Sanctis Angelis, quàm nobis hominibus de seipso, quod esset, & talis quòd dignè sic debere appellari.*

Rup. Ab.

Iosephi sanctitas singularis erat, & super

super filios Adæ, quia sicut Deo nullus illo uicinior, sic in sanctitate eo nullus sanctior. Scalam illam Iacob contemplare anima mea, quæ granida mysterijs sic sublimis erat, quòd ubi pars una terram premebat; altera usque ad Cœlum eleuabatur, et descendentibus per eam Angelis, simul et ascendentibus, Deus solus in supremo gradu scalæ stabat innixus.

Qui ascendebant, & descendebant, figurant nobis seruos Dei, & amicos Maiestatis Diuinæ, qui in terris angelicè viuunt, sicque modò in ipsorummet cognitionem descendunt, & humiliant se in conspectu Dei, & opera mortificationis exercentes, gradus multos meritorum sibi extruunt, per quos ad Deum ascendunt, & quò merita sunt excellentiora, eò gradus sublimiores sunt, & altiores, & Deo viciniores; nam si Deus est innixus in supremo gradu scalæ, quantò quis per meritorum gradus altius ascendit, tantò magis Deo appropinquat, & vicinius proximatur.

Hoc est mysterium, quòd Angelorum nullus stabat, sed vnusquisque vel ascendebat, vel descendebat, quia in via perfectionis nullus stare debet: non datur stare, sed aut proficere, aut deficere, vel ascendit proficiendo, vel descendit deficiendo inter profectũ, & defectum nō datur medium. Audi D. Bern. in Epist. 253. sic scribentem. *Vbi non currere, ibi* D. Bern. *deficere incipis*, hinc planè colligitur, quòd nolle proficere, non nisi deficere est. Vidit scalam Iacob, & in scala Angelos, vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere, vel descendere videbantur vniuersi; quatenus palam daretur intelligi inter profectũ, & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medii inueniri.

Quantò anima magis nititur ad Deũ ascendere, eò vicinius proximatur; nam quò gradus meritorum erunt altiores, excellentiores, atque sublimiores, eò quia diuini amoris flamma, vt sunt Seraphini, magis ardent, & æstuant, sunt Deo viciniores, & proximiores.

Scala, quam vidit Iacob præsentem vitam præfigurabat, & in scala naturæ humanæ tot sunt gradus, quot fuerunt sunt, & erunt viri sancti, quorum quem putas anima mea primum locum occupare? omnes ascendunt, & descendunt, sed ascendentium quis maior? quis sublimis? quis supremus? non me sed audi Rupertum Abbatem in Matthæ. cap. Rup. Ab. 1. *Supremus gradus scalæ, cui Dominus innixus est, iste Beatus Ioseph, vir Mariæ, de qua natus est Iesus.*

Cuius sanctitatis gradus, quàm suprà omnes alios sanctos, exceptis duntaxat Christo & Maria, fuerit dignitate sublimior, & altior, muneris, & officij ad quòd fuit electus, & gloriæ loci seu sedis ad quam eleuatus in patria, quoniã electus ex millibus, ipsamet electio non erit improbabile argumentum. Munus fuit, vt esset Virginis Mariæ sponsus, & Christi Iesu pater, hoc enim eleuat, & collocat Ioseph in ordine illo omnium excellentissimo gratiæ vnionis hypostaticæ, qui in genere gratiarum Dei est omnium perfectissimus, in quo genere, licèt tertio ipse potiatur loco, vt docet D. Euangelista, qui tertium vtique numerat post Christum, & Mariam. *Cum* Mat. Ed. *esset desponsata mater Iesu, Maria Ioseph*, sicut primus est humanitatis Christi, secundus Virginis Mariæ, sic tertius est Iosephi, qui si in sanctitatis gradu post Christum, & sponsam Deiparam primum locum occupat supra omnes, sic & in illo regno beatitudinis est Christo, & Mariæ omnibus Ioseph vicinior, quia & in terris fuit illis ipse omnibus in sanctitate proximior. Audiendus est Cancell. hic pijssimus Cancellarius Parisiens. in Paris. serm. Natiuit. Virg. sic habet. *Quantus existimandus est iustus Ioseph in gloria, et in Cœlis, qui talis, ac tantus inuentus est in miseria, & in terris profectò cum dicat Christus, vbi sum ego, illic & minister meus erit: ille proximior videtur collocãdus in Cœlis qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atque fidelior post Mariam inuentus est in terris*, hæc ille.

En quàm verè, quòd ab altitudine officij, & sedis gloriæ deducitur sublimitas, & altitudo Sanctitatis Ioseph supra omnes; certum est enim, quòd Deus vt iustus Iudex instè remunerat, & obliuisci non potest, imò semper est memor nostræ dilectionis, charitatis, misericordiæ, & laboris, vt debitam reddat laboranti coronam, & mercedem. Ita Diuus Paulus scribens ad Hebræos cap. 6. nu. Paul. Ap. 10. *Non enim*, inquit, *iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis.* O anima mea en quam fidelis, & iustus Deus

in

in promissis dando gratiam, quâ pungit, & stimulat cor hominis, vt in dilectione possit perseuerare, & fide, & spe, & patientia, alijsque operibus bonis, simul, & crescere, & proficere: vt possit assequi coronam, & mercedem gloriæ, quam promisit laborantibus, et benè operantibus non est iniustus, vt vel neget, vel minorem, quàm merentur operantis opera reddat, vt iustus; quòd promisit; et quòd iustum est iustissimè præstabit. Vnde dicebat D. Augustinus: D.Aug. *Debitorem se fecit; non tantum sibi, sed Christo, & nobis, vt dicere possumus: redde quòd promisisti, quia nos fecimus quòd iussisti* serm. 10. de verbis Apostoli.

O Dei nostri summa bonitas summa iustitia, si dilectionis nostræ, et nostri laboris non obliuiscitur Deus, vt fidelis et iustus; quid dilectionis nostri sanctissimi Iosephi, et sui laboris, et suorum operum 9 quæ in nomine Christi pro Christi amore in Christum, et Christo ministrãs pertulit, et operatus est: quùm nondum adhuc natus degens in vtero virginali eum est comitatus vix natum, et de aluo matris egressum, nonne Ioseph suscæpit inter genua, fouit in sinu, amplexatus inter brachia, et illi ministrans aluit, educauit, nutriuit. Nonne Ioseph duxit, et reduxit puerum Iesum è Nazareth in Bethlehem, de Bethlehem in Ierusalem, et in Galilæam. Nonne Ioseph puerum Iesum de manibus crudelis Herodis eripuit, liberauit, et abscondit; et vt à crudeli cæde mortis securum redderet, nonne ipse fugiens duxit, et asportauit in Aegyptum, vbi et labore artis fabrilis, et in sudore vultus sui: et matrem sustentans aluit, et puerum Iesum laborans manibus suis pauit. O fęlix operarius Christi, quis pueri Iesu totius peregrinationis suæ indiuiduus, et infatigabilis comes vt Ioseph? qui Christo fitienti potum dabat, famescenti præstabat cibum, et laxato corpusculo sæpè super genua, et proprium pectus dabat somni quietem, et veluti pauper, et hospes; dum sui eum non receperunt, solus hic Ioseph suscæpit in sua, et hospitatus est, et quę amoris sũt, et quæ sunt patris obsequia semper erga Christum, et perfectissimè prosequutus est vsque ad sui obitus vltimum diem. Si Deus non obliuiscitur dilectionis nostræ, et laborum nostrorum, sed iustam, et condignam operum mercedem dabit bonis operarijs, quæ fuit illa promissa Iosepho, et in hac electione, quia fuit ab æterno electus ex millibus ab æterno illi prædestinata? Immensa, incomprehensibilis, alta, et sublimis, et super omnes etiam illos spiritus cœlorum supereminentior ista; supereminentior et illa; Nam si merces, et corona non datur nisi iuxtà dilectionis operantis sanctitatis laborantis mensuram, et operum merita, quantò magis æquipõderant hæc, tantò altior et sublimior eleuatur et illa. Vt in sancto Iosepho capias quanta sit hæc; attende, quæ fuerũt eius merita per sanctitatis vitam, & laborum exercitationem, vno verbo dicam, eadem Iosephi merita, quæ et Christi: hoc siquidem voluit nobis innotescere D. Euang. Lucas cap. 2. n. 51. quando de Christo testatur quòd *erat subditus illis*, quæ verba contemplans D. Basilius agens de Christi ætate pueriliin lib. de constitutionibus monachorum cap. 5. ait. Luc. En. D. Basil. *Prima quidem ætate parentibus subditus, quemuis laborem corporalem mãsuetè, & laboriosè cùm illis tulit: cùm enim homines essent, iusti quidem & pij, pauperes tamen, ac rerum necessariarum haud quamquam abundantes; cuius rei dat testimonium præsepe, verisimile est assiduo corporalium laborum exercitio victum sibi necessarium vna comparasse: Iesus autem istis, vt scriptura inquit, sub ditus obedientiam suam omnem etiam his præstitit, vt simul cum illis laboraret*; hæc Sanctus.

Laborauit ergo Iesus, vt dicit per Prophetam: *& in laboribus à iuuentute mea.* Mi bone Iesu cur laboras? cui laboras? et ad quid tantum laboras? Tibi laborauit, matri et Iosepho laborat, quorum filius gloriabatur, et nomine non erat Iesus natura filius Ioseph: sed electione, et iure matrimoniali, et toto tẽpore, quo filij subdũtur patri, uel matri; et uiuunt sub eorum potestate, mandãt iura, ut uideri potest in l. placet, ff. de acquirenda hæreditate, et instituta, §. igitur liberi uestri totum quod suo labore acquirit filius acquirit patri super bona suis sudoribus à filio acquisita: ita ius et dominium habet pater, quemadmodum et filius ipsesi quæ sunt filij, sunt patris, et Christus Iesus dum uixit sub potestate Ioseph, uixit ut homo, et illi subditus quidquid suo labore acquisiuit, patri acquisiuit, ut saluaret, et suis meri-

meritis ditaret nos: sed præcipuè Mariã ut matrem, et Iosephum ut patrem.

O anima mea, quo ascendunt Christi merita? quòd eorum pondus, et mensura quæ? si nos extollunt, et attolunt ad cælestia, quò eleuanerunt Josephum? si quæ sunt Christi sunt Iosephi, iure paternitatis, quò cumulauerunt eum gloria sanctitatis, eò et in cœlo exaltauerunt gloria sublimitatis, & altitudinis super omnes. Huius veritatis testimonium est ipsa veritas Christus, quando dicit: Matth. cap. 10. nu. 41. *qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet:* ac si dixisset, qui Euangelium prædicanti, vel aliquid boni facienti succurrit adiuuat, auxiliatur modis, quibus potest ex æquo quasi illius fit particeps coronæ. Sistamus hic verba Diui Chrysostomi. *Non potes ieiunium ferre, non solitudinem, non humi cubare, non integras noctes vigilare: licet tibi harum omnium rerum mercedem accipere: si alia quadam ratione rem tuam gesseris, nempè si eum, qui istos labores cupit, cures, recrees, foueasque assiduè, & laborem, qui in illis certaminibus sustinetur leuem reddas, ille quidem stat pugnans, & vulnera excipiens; sic verò à certamine redeuntem cura, obuijs manibus suscipe, sudorem absterge, recrea, solare lassam animam, foue, ac refice: profectò si tanta cum alacritate sanctis inseruiamus participes mercedum, quæ illos manent, erimus:* hæc Sanctus. Si hæc præstantur nobis seruis Dei, pro eius amore, & nomine succurrentibus, vt eorum simus participes coronis, quid nostro Iosepho?

Matt. Eu.

S. Chrys.

Qui Christo laboranti, prædicanti & redemptionem humanam operanti lassum, refecit, sudorem abstersit, obuijs manibus suscæpit, aluit, nutriuit, educauit, curauit, fouit, & consolatus est; qui in sua non Propheram in nomine Prophetæ: sed ipsum Deum suscępit, quam mercedem accæpit? nisi mercedem ipsiusmet Dei. Audiamus Diuum Gregorium hom. 20. in Euangel. *qui spiritualia dona habentibus, temporalia subsidia tribuit, in ipsis donis spiritualibus cooperator existit:* Si Ioseph Christum in sua recipiens, et temporalia subsidia sub labore ministrans, quàm aliam mercedem accipere meruit; nisi mercedem prophetæ prophetarum, quem recępit, ministrauit, subuenit, adiuuit, et curauit.

D. Greg.

Et Christi merita, quò humanitatem illam extulerunt, et qui locus gloriæ? Et quæ eius merces? dicat Paulus Apostolus: *Propter quòd, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c. in gloria est Dei patris.* Et si hæc eadem sunt Iosephi merita iure paternitatis, ò anima mea, quæ eius corona? quæ eius merces? Et qui locus gloriæ eius in patria? Si mercedem accępit illius prophetæ, quem in sua ipse primò suscæpit, ministrauit, seruiuit, et sua laborum largitate sustentauit; et si merces non datur nisi labori, tantò hęc erit sublimior, pretiosior, et altior, quantò vberiora fuerunt ipsius operantis merita, dilectio, sanctitas, et labor, hoc præmonstrat Apostolus illis verbis 1. Corinth. cap. 15. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum:* Christus vt Sol iustitiæ in beatitudinis claritate obtinet primum locum, Maria, quæ veluti Luna est cõgeries omnium gratiarum, secundum occupat, D. noster Ioseph velut stella; sed quia vt idem dicit Apostolus. *Stella enim differt à stella in claritate;* Stella Iosephi differt ab alij stellis in claritate; et in cœlo locum obtinet propè Christum, et post sponsam suam Mariam. Sisto hic verba pijssimi Isidori Isolani 4. p. cap. 2. *Ioseph Virginis sponsus, velut alter Ioseph gemina donatus stola, scilicèt beatitudine animæ, & corporis, Christum Regem Regum ad Cœlos ascendentem associauit, & primus post Christum Regem Regum sedit; considera obsecro dignum veneratione parentem, quantis honoribus, ac beneficiis inclytus filius prosequatur, cogente natura, suadente ratione, ac moribus prædicantibus, quid est moribus prædicantibus nisi viri sanctitas, & vitæ innocentia.* Et deuotus Bernardinus Bustensis 4. p. sui Marialis serm. 12. ex dictis infert; *Ex quibus patet*, inquit ipse, *quòd nullus Sanctus in cælo est maior Sancto Iosepho post B. Virginem benedictam.*

Paul. Ap. ad Phil. c. 2. n. 9.

D. Paul.

Isidor. Isolan.

Bernar. de Busto

Iesus, Maria, & Ioseph; ille vt filius, & illa vt mater, & sponsa, & hic vt sponsus, & pater nexu amoris ità strictè erãt colligati, quod dissolui erat impossibile, & ab inuicem seperari difficilè: vbi spõsa, ibi et sponsus, vbi filius, ibi & pater; quemadmodum si collo, seù pedibus aquilæ stricto nexu alligetur filum serici, quantum volando ascenderet aquila, tantum & ascenderet necesse est &

filum

ſtum. Quantum aſcendit Chriſtus? & quam altè Maria? vſque ad ſolium Maieſtatis Diuinæ ſuper omnes cœlos, & Choros Angelorum,cur non Ioſeph? Si amoris nexu iure coniugij, & paternitatis lege, ſicut Chriſtum propinquisſimè attinxit,& familiatisſimè tractauit, & Virgini vinculo ſponſalitij, & dilectionis ſingularis fuit coniunctisſimus in vita,& peregrinatione; ſic & in gloria inſeparabilis. Si ſanctitate factus eſt Ioſeph Virgini adiutorium ſimile ſibi, cur non in patria?in qua ſi Virgo Chriſti dexteram tenet vt mater, & Ioſeph ſiniſtram occupat vt pater,electus ex millibus.

Poſt Dei patris dexteram nec alia loca,neque aliæ ſedes ſublimiores, ſuperiores, dignoreſque ſunt in cœlo niſi Chriſti dextera,& ſiniſtra. Hos primos accubitus in illa beatitudinis cœna præoccupare,auido corde ambientes Ioannes,& Iacobus, vt annotauit Euangeli-
Matt.Eu. ſta Matthæus cap. 20. *Tune accesſit mater filiorum Zebedei cum filijs ſuis adorans, & petens aliquid ab eo, &c. dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam,& vnus ad ſiniſtram in Regno tuo*;cui præſtò fuit illa ardua, & difficilis Chriſti reſponſio: *Neſcitis quid petatis, ſedere ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo*: Vt iuſtus Iudex non eſt perſonarum acceptator Deus,& quia prima ſedes,merces,& corona illa non datur perſonæ, ſed vitæ, ſed labori,ſed meritis:ideò non eſt meũ dare vobis, qui parati, ſeu digni non eſtis:meum eſt dare, ſed quibus labore, & ſudore præparata eſt dare ſine labore,ſine meritis alienum eſt à Deo; ideò non eſt meum dare vobis. Ita Doctisſi-
Cæſar. mus Cæſarius dialog. 3. *Non eſt meum dare*,inquit,*at neque patris mei ſimpliciter petentibus: ſiquidem obſceni, & adulteri, & quiuis flagitioſus, & intemperans ſi petant, mecum ſesſuri eſſent: non eſt noſtrum dare temerè, & deprauare, quòd iuſtum eſt: iuſti enim Iudicis eſt, vnicuique pro dignitate meriti tribuere, non negligere laborantes, atq; ignauis aliquid elargiri: proinde ſi thronos amatis, nolite ignorare certamina*: hæc ille: deſert Deus ergo ſedes illas meritis non poſtulationibus.

Sed vt capiamus noſtri Ioſephi altitudinem ſanctitatis, & gloriæ, duo ſunt hic obſeruanda; Primum, quid intelligatur ſedere ad dexteram,vel ſiniſtram; Secundum,an hæ duæ ſedes,quas poſtulauerunt hi duo fratres ad dexteram,& ſiniſtram Chriſti,ſint iam datæ,vel dandæ ſint; & quò ad primum dico, quòd Chriſtum ſedere ad dexteram patris, idem eſt ſecundum D.Auguſtinum lib. D.Aug.
de fide,& ſymbolo cap.7. & D.Chriſo- S. Chryſ.
ſtomum hom. 1. de ſymbolo,ac habitare in gloria,& æqualem maieſtatem habere cum patre, ſed ſedere vt homo, de qua ſesſione loquitur Diuus Paulus ad Paul.Ap.
Epheſ.cap.3. *Vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*: ſignificat illius humanitatis excellentiam ſuper omnem excellentiam creatam, ſummam illius gloriam, & beatitudinem tamquam Chriſto quaſi connaturalem,ex vi vnionis hypoſtaticæ, & ex vi propriæ dignitatis, et maieſtatis illi debita, quia omnis honor, omnis laus,& gloria,& quidquid tribuitur Verbo,tribuitur & Chriſto homini per cõmunicationem idiomatum,& ſic ſedere nõ eſt aliud,niſi præeſſe omnibus tãquam Rex,& Iudex. qui tãta dignitate præcellit,vt in eodem ſolio cum Deo ſit, & eadem cum eo adoratione colatur. Si pater ob propriam, & ſummam eius maieſtatem dicitur ſedere in ſummo Throno, & filius à dextera eius ſignat maieſtatem: qua vt Deus æqualis eſt patri, & qua vt homo, proximam poſt Deum gloriam, & excellentiam adeptus eſt,ſic ſedere ad dexteram,& ſiniſtram Chriſti, eſt excellentiorem & ſublimiorem beatitudinis gloriam occupare, & in Regno cœleſti omnibus præeſſe, & omnes antecellere eſt poſt Chriſtum primò, vel ſecundò loco potiri.

Num datæ iam ſint,an adhuc dandæ ſint hæ duæ ſedes? Si inquit Chriſtus, quòd iam paratæ ſunt à patre, illis vtique collatæ ſunt, quibus iam paratæ erant, non eſt meum dare vobis, non Iacobo,non Ioanni,ſed quibus ò anima mea? qui ſunt ij quibus? quibus paratæ erant ſedes,& ſedere ad dexteram,& ſiniſtram Chriſti.

Dextera, quòd fuerit parata Mariæ, non eſt,qui ducat in dubium, præuidit pater ſuus Dauid pſalm. 44. *Aſtitit Re-* Dauid Proph.
gina à dextris tuis: & quòd de Virgine fuerit hoc oraculum, audi D.Athanaſium hom.de Virgine deipara. *Virgo*,inquit Sanctus, *tunc vt Regina aſſiſtens à*

dextris filÿ, quasi in vestitu deaurato incorruptionis, & immortalitatis, circumamicta varietate sacris & solemnibus verbis celebratur. Positus est thronus matris Regiæ, quæ sedet à dextris eius? 3. Reg. cap. 2.

3. Reg.

Sinistra verò cui fuerit parata, anima mea, nouit Deus, qui parauit; sed illi danda esse ratio postulat, qui sanctitate, & meritis post Virginem superat vniuersos, quis est hic? nisi Ioseph, qui in sanctitate, & amore fuit Christo, & Deiparæ omnium coniunctissimus, & amãdo, & ijs inseruiendo plus omnibus laborauit, & quos Deus coniunxit, vt non separet homo, demus Iosepho sedere ad Christi sinistram, dùm ad dexteram eiusdem, sedet sponsa, & mater, & non debet hoc æstimare temerarium, neque impossibile, sed pium potius, & verisimile Sanctissimum Iosephum reliquos omnes in gratia, sanctitate, & beatitudine, antecellere, quia ex scriptura nihil est, quòd repugnet, neque aliquid in patribus; imò lego pijssimum Gersonem, qui sic fatur. *Collocatus est à dextris Iesu, hoc est in potioribus donis suis, & Ioseph gloria beatitudinis, quæ non datur nisi meritis: antecellit omnes, consequens, quòd præcessit, & meritis, & sanctitate.*

Io. Gers.

O anima mea attende, & contemplare virum hunc, siuè in Præsepio, siuè in Bethlehem, in Ierusalem, siuè in itinere fugiens in Aegyptum, siuè rediens in Galilæam, & in progressu suæ vitæ semper super pectus Ioseph, semper in sinu, semper Iesum habere, tenere, amplecti, & reclinari inter brachia, quid hoc erat? Dominus vtique innixus Scalæ, & ipse est supremus gradus, ergo proximior Deo, & Sanctis omnibus ipse sanctior, ipse tantæ dignitatis dignior.

Hanc & in officio, hanc & in dignitate, & hanc in sanctitate super omnes natos ab Adam, Iosephi electionem cecinit in laudem eius. Patet suns David vocans eum electum; *Exaltaui electum de plebe mea*: Exaltare ex Hebræo idem est, quòd sublimare, sublimauit secernens ab alijs, vt legit Paraphras. Chald. quòd nos, exaltauit, legit ipse, secreui electum de plebe mea, vt esset Mariæ dignus sponsus, & Dei pater in carne mortali idoneus, Iosephum elegit Deus, inter quem, &

David Proph. Psal. 20.

alios Sanctos hæc est differentia, inquit Diuus Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 16. & Procopius in lib. primo, Regum cap. 15. *Omnes Sanctos elegit Deus ad vniuscuiusque propriam vtilitatem, at Iosephum elegit ex millibus ad vtilitatem suæ humanitatis, vt sui esset nutricius, & suæ matris custos.*

D. Aug. Procop.

De Sancto Iosepho optimè possumus dicere, quòd Spiritus sanctus scripsit de Dauid in cap. 47. Ecclesiastici: *Et quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filijs Israel.* Adeps carne pascitur, & quasi saturatur; quia pars subtilior carnis, & tenerior & melior sanguinis conuertitur in adipem, nihilominus separatur à carne.

Eccles.

Et erat lex in Leuitic. cap. 3. quòd sacrificium adipis solum, & totum cedebat, & cremabatur Deo. *Omnis adeps, Domini erit iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem, nec adipem omninò comedetis.* Totus adeps dicatus ita erat Deo, quòd præceptum erat, ne quis ex eo tangeret, vel gustaret; Adipem omninò non comedetis: reliqua victimæ caro partim offerebatur Deo, partim cedebat Sacerdotibus, & partim offerentibus: adipis buccea, siuè bolus erat Dei tantum, & non hominis.

Leuitic.

Et quæ differentia versabatur inter duo hæc sacrificia, versare mihi videtur inter sanctitatem Iosephi, & aliorum hominum, ij vt victimæ offerebantur Deo, sed cedebat aliquando diabolo saltem per culpam originalem, at Ioseph, vt adipis sacrificium mente, & corpore totus Deo cedebat, & crematus fuit; nam vt Doctissimus Ioannes Gerson. ipse accepit sanctificationem in vtero matris vt Maria, licèt diuersimodè; ò virum ineffabilem diuino igne totum Deo consecratum, verè adeps fuit Sanctissimus hic, sub cuius typo miro modo amplificatur eius sanctitas; quia vt adeps fuit separatus à carne, nam teste Galen. lib. 2. de natu. facultatibus cap. 3. *Adeps exanguis est, quàm tamen generetur à sanguine*; cùm originem sui esse trahat à sanguine, sanguinis tamen expers est; ita vt non solum dicere liceat, quòd sit separatus à carne, sed à semetipso, existens semper sui similis, quòd de Iosepho dicere possumus.

Io. Gers.

Galenus

Vt filius Adæ, & Dauid origenem habe-

habebat ab illis Sāctis Patriarchis, Regibus, Prophetis, & Principibus, vt adeps exanguis fuit á sanguine genitus, vndè nec sanguis, nec caro præualuit vnquam in eo. Testis est omni exceptione maior Sanctus Euangelista Marthæus capit. 1. describit ipse omnium lineam illam Dauidicam non tantum actiuam, sed passiuam. *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob*; quando peruenit ad Iosephum, dixit; *Iacob autem genuit Ioseph*.

Matt.Eu.

Cui non addidit, sed subiecit actiuam, non dixit Ioseph autem genuit, cur hoc? quia inter natos Adæ ipse solus adeps separatus à carne, electus ex millibus, selectus Deo, & dilectus, & ad hoc Deus elegit, exaltaui electum, secreui de plebe mea, & vt Deo sacratus bene subiunxit; *Virum Mariæ, de qua natus est Iesus*: & vt Deo vicinior, ita & omnibus sanctior, & vt adipis sacrificium igne diuini amoris totus erat Deo concrematus, & succensus, dicam vnum de mille.

Arduum opus est amoris capere incendia, quibus cor Iosephi vehementer ardebat, & ingredi in Cellam illam vinariam, & amoris degustare vinum, quo inebriata anima huius sanctissimi Patriarchę: Puerum Iesum amabat, & Mariam sponsam, quæ enim mens vel Angelica valet sentire flammas illius amoris, quo dilectus hic diligebat, cordis iubilum, ebrietatem spiritus, deuotionis feruorem, animæ vnionem, adhæsionem, extasim, zelum, nexum, mortem, raptum, & transformationem.

Si peccatrix mulier stans secus pedes Domini Iesu deosculando, lauando, lacrymis amplexando manibus, lambendo labijs, & lingua meruit audire à Domino: quoniam amabat multum, quid Ioseph? qui purissimus erat, & millies in die non pedes tantum osculatus est, sed & manus, & pectus, & caput, & genas, & oculos, & os, & labia illa, quæ diuinitatis mella stillabant, & lac amoris & dulcedinis absque vllo increpationis verbo. Ioan. Euang. cap. 1. num. 17. *Noli me tangere*: illa tangendo, deosculando, & quasi pupillas capiendo lactetans lac assiduè sugebat diuinitatis.

Ioan.Eu.

Quando puer Iesus reclinatus super pectus eius obdormiebat, alitu quem

puer ex ore, & naribus efflabat, & spirabat cor Iosephi vulnerabat, feriebat, incandebat, & furabatur: quid dicam in micas vulneratum in millies, suauitate sua dulciter diuidebat, & sic concisum ardens super carbones dilectionis diuinæ fumabat, et sic tot, tantisque amoris iaculis vndequaque percussum dulciter exclamabat: Cant. cap. 4. num. 9. *Vulnerasti, vulnerasti cor meum*. Mi dulcissime puer, et Deus in vno crine colli tui, in vno oculorum tuorum in officio, quo vtuntur Patres Carmelitæ legitur: *Nunc ad Ioseph tamquam patrem, nunc ad Sanctam rapsit matrem, per virgineas ceruices gratas alterando vices*. Cant.

Ioseph in terris Spiritus Sancti gerebat vices: ad hoc sistenda sunt verba Cancellarij Parisiensis, quibus affirmat Iesum, Mariam, et Ioseph constituere in terris nouam Trinitatem, ad similitudinem illius summæ, et diuinæ. Cancellarius Parisiensis: *O veneranda Trinitas*, inquit ipse, *Iesus, Maria, & Ioseph, quam coniunxit diuinitùs charitatis concordia*. Maria igitur vicem gerit patris in generatione filij: filius vtrobique idem est, Spiritus Sanctus cum Ioseph conuenit, vterque sponsus est Mariæ, quæ concæpit Spiritus Sancti virtute, et nomen patris Christi, quod non potuit sustinere Spiritus Sanctus, sustinuit Ioseph, quem elegit ex millibus, vt esset Christi pater, ac patris munera erga Deum obiret, et tamquam pater puerò nomen imponeret, curam custodiam, et tutelam filij, et matris ille haberet: En quam verè Ioseph in terris vices gessit Spiritus Sancti: qui si ad intra procedit à patre, et filio, ee est amor essentialis, et personalis in diuinis; quid miraris anima mea, si noster Ioseph terrestris, et creatura creatus dicitur Spiritus Sanctus, et nomine Spiritus Sancti potitur, et vicem gerit in terris Spiritus Sancti, et amplexus in Ioseph immensus insorgebat amor, et amor ille, de quo dicitur: Nec suos esse amantes patitur diuinus amor. Hic amor in corde Ioseph quò excreuit? quò processit? quò peruenit? Dicam vnico verbo, totus erat amor, totus amatus, totus amans: puerum Iesum amando, et hac ardens charitate diuina Deum manibus pectra-

Cancell. Parisien.

tractabat, & pertractando eò magis æstuabat illius ardore. Paulus Apostolus ad Hebræos cap. 12. num. 19. *Deus noster ignis ardens est*: cui per singulas horas Ioseph astabat, nunquid frigescere potuit, & non ardere coram magno, sic perseuerans igne: ità ardebas ò Ioseph, vt & alios ardere semper cuperes, en frigescens cor meum, igne, quo incalescebas, fac vt concaleat, fac vt æstuet anima mea, vt amet Iesum, Mariam, & te; ò incendium diuini amoris, ò fornax accensa diuinæ dilectionis, vt hoc ego miser purgatus igne, hac accensus flamma amem, & amando laudem sponsam tuam Mariam, cuius nomen perdulcissimum sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei, te præcor ò Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

Paul. Ap.



DE

DE ZELOTYPIA SPONSI ad Sponſum.

RAMVSCVLVS TRIGESIMVSQVARTVS.

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto? ò Pulcherrima mulierum, qualis eſt dilectus tuus. Cant. cap. 5.



VIrgo Virginum Maria, virginitatis voto perpetuo laureata, & corona virginitatis coronata, in æternum permanſura, traductis ætatis ſuæ iam penè quatuordecim annis; cum ad annos nubiles perueniſſet, & intra ſepta templi manere, lege prohiberetur, ſub nomine deſponſationis à Sacerdotibus diuino numine afflatis in ſponſam Ioſepho traditur, & in cuſtodiam, vt mos erat Iudæorum, de quo & loquitur D. Bernard. hom. 2. ſuper miſſus eſt. *Mos ſiquidem Iudæorum erat*, inquit Sanctus, *vt à die deſponſationis ſuæ, vſque ad tempus nuptiarum ſponſis ſponſæ traderentur cuſtodiendæ, quatenus earum ipſi eò ſibi pudicitiam curioſius ſeruarent, quò ſibi ipſi fideliores exiſterent*: ſubarrhatione ergo ſponſalium tantum accepta, & prima inter eos deſponſationis fide ſolum præſtita, & in cuſtodiam duntaxat Virgine à Ioſepho domi ſua recepta, & habita, nondum ſolemniter celebratis nuptijs, ſed tantum ſponſalibus per verba de futuro Ioſepho deſponſata Virgo, deſponſatur Spiritui ſancto, cuius virtute concepit, & Chriſti conceptio fuit effecta intra id tempus cuſtodiæ, & ſponſalium à quibus vſque ad matrimonium ratum, ſeù nuptiarum ſolemnem celebrationem quatuor menſes defluxerunt, vt teſtatur doctiſsimus Driedo lib. 3. de dogmatibus tract. 3. c. 5. & elicitur ex verbis D. Euangel. dum ait, *Antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.*

D. Bern.

Driedo
Mat. Eu. cap. 1.

Spiritus ſancti verò nuptias auctumat Angelus, quando ſciſcitanti Virgini, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*: quibus verbis ſatis clarè probatur, Mariam, & Ioſephum voto fuiſſe virginitatis obſtrictos; integritatis enim voto ſi illi non fuiſſent obnoxij, vtique nec coniugij, nec nuptiarum conſuetudo fuiſſet illis interdicta, nec vlla eſſet pariter cauſa ità illum interrogandi de prolis mox futuræ conceptione; quapropter ſic illum legimus reſpondiſſe: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.*

Luc. Eu. cap. 1.

Luc. Eu. cap. 1.

Obumbrare, verbum ſponſale, ſeù maritale eſt, obumbrabit, hoc eſt, Spiritus ſanctus ſua te gratia, ò Maria, ſibi deſponſabit, vt ſis illi perfectiſsima deſponſatione vnita, ita vt in hac Verbi generatione, nulla alicuius viri ope indigebis, non eſt vt alium ſponſum quæras, Spiritus ſanctus erit tuus, qui vt verus ſponſus obumbrabit tibi.

Et ſi Spiritus ſanctus eſt ſponſus Mariæ? cur ante deſponſata eſt Ioſepho? & ſi ambo ſunt ſponſi, vnus dilectus ex dilecto, qui vtique eſt Spiritus ſanctus, qui ex dilecto procedit, hoc eſt ex patre, & filio: dilecti enim nomine potitur filius dicente Patre. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*: alter eſt dilectus, non ex dilecto, quia non diuinus, ſed ex Dei electione vt homo, hic certè eſt Ioſeph, ad quorum differentiã in interrogatione, vt ipſamet verba ſodalium Virginem ſponſam interrogantium indicant. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto ò pulcherrima*, quando repetunt, qualis eſt dilectus, non addiderunt ex dilecto, ſed electus ex millibus: ergo ambo ſunt Virginis ſponſi, ambo dilecti, ambo ſancta zelotypia coniugem amantes, cuſtodientes, & protegentes, ambo zelotes, & zelati obumbrantes.

Luc. Eu. c. 9. n. 35.

Quorum ſancta zelotypia, vt clarius appareat ò ſponſa, ò Virgo, ò mater, ò

Ma-

Maria, rogo te responde mihi sermo tuo, & primò dic, *qualis est dilectus tuus ex dilecto*, & pariter, *qualis dilectus ex dilectione*, vterque sponsus, vterque zelotypus, vterque amans.

Cant. A zelotypia Spiritus sanctus non fuit immunis, vt ipsemet expressit in Canticis cap. 8. alloquens Virginem, sic habes: *Pone me vt signaculum super cor tuum: vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*. Zelotypiæ locum dedisse videtur Ioseph, qua percussus, quærebat occultè dimittere vxorem suam, sed horum sponsorum zelotypia pectora non percussit, quæ inter coniuges solet esse causa rixarum, cædium, omniumque malorum, quæ & à peritis vocatur ægritudo animi, ex eo proueniens, quòd alter quoque potiatur, vel putetur potiri, quòd ipse concupiuerit, vel timet, ne adhæreat alteri, vel cum alio trepidat habere communem: non erat hęc Sancti spiritus, & Ioseph huiusmodi zelotypia, hæc enim vitiosa est, & vitio callet, sed sancta, ardens, & purissima Spiritus sancti zelotypia erat ardens illud studium tuendi Mariam sponsam, illibatamque seruandi eius puritatem: erat ardens amor cumulandi Mariam semper maioribus beneficijs; & quæ nō poterat per se æmulabatur Iosephum, qui inseruiendi Virgini vexabatur ardore, & quæ ipse præstare non poterat, sancta æmulatione æmulabatur Spiritum sanctum.

Spiritus sancti sponsa effecta est Maria, non tantum iure communi, sicut & quælibet anima sancta, quæ huic sancto spiritui per gratiam copulari, & despōsari dicitur, sed quodam iure proprio, & singulari. Ius enim singulare, quo Maria effecta est Spiritus sancti sponsa, est vltra affluentiam gratiarum, qua ipsam repleuit, quando ab instanti sui esse sponsalia celebrauit, sed & quando iā effecta est nubilis, descendens super eam obumbrauit illam, & sua virtute texit illam; in conceptione ergo sponsalia duxit, sed in incarnatione nuptias celebrauit.

D. Ansel. Quas nuptias sic describit D. Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 4. *Ipse spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris, & Filii: ipse per quem, & in quo amatur omne, quòd benè amatur; ipse inquam corporaliter vt benè dicam, venit in eam, singularique gratia præ omnibus, quæ creata sunt, siue in Cœlo, siue in terra, in ipsa requieuit, & Reginam, & Imperatricem Cœli & terrę facit sponsam suam.*

Desponsata fuit Maria Spiritui sancto quando in Conceptione sponsalijs gratiarum eam prænenit. Quæ enim hæc dona? hæc pignora? hæc sponsalia? Dicam quæ sentio, fuit gratia, & iustitia originalis, quam Spiritus sanctus loco, & nomine ante nuptialium donauit sponsæ suæ Mariæ; dona enim antenuptialia antiquitus vocabantur dona virioria, ex eo quia donabantur sponsæ, quum primum eam clausam, ignotam, aut non anteuisam, videre, & contemplari permittebatur.

O Deus cordis mei, ò Virgo omninò clausa, quando te sponsus hic Deus primò vidit? quando primò te contemplatus est? & prima pignora antenuptialia donauit? te cumulauit? te exornauit? te ditauit? te decorauit? te coronauit? quis negare audebit ab æterno te vidisse, & quando te in Dei matrem præuisam prælegit, qui ante animationem te vidit, & vt sponsam gratia, & iustitia originali in tua Conceptione te pręnenit, te sibi desponsauit, & suis muneribus omnes morulas abrumpens condecorauit, & cumulauit.

Quòd Angelus Mariæ insinuare voluisse videtur, dicendo, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*. Luc. 1. Si superuenturus erat in die nuptiarum, ergo alias venit in Virgine, hoc fuit in sua Conceptione, in qua sponsalia Spiritus sanctus celebrauit, ex quo meritò sponsa æterna, & sponsa Dei, vt docet D. Augustin. serm. 18. de Natiuit. Christi. D. Aug. *Meruit Maria appellari semper Virgo, semper sponsa est, & quæ vocabulo sponsæ non caruit, in æternum Virgo permansit, quæ sponsa æterna dicitur, & æterna Virgo probatur*; quòd vtique sponsæ Christi, & Spiritus sancti vocabulo potiri non mereretur Maria, si in illo suæ Conceptionis instanti secum Spiritus sanctus sponsalia non contraxisset, & donis antenuptialibus, hoc est, gratia, & iustitia originali non condecorasset; imò & Virginem innocentiæ annulo non subharrasset in filij Dei incarnatione, cum Maria Spiritus sanctus non celebrasset nuptias: si in Conceptione antenuptialia non dedisset, & ante nuptialium donis non præue-

uenisset, quòd insinuare nobis voluit D. Idiota lib. de contemplat. Virg. cap.
D. Idiota 2. *Nemo aequalis tibi, nemo maior te, nisi Deus, Spiritus sanctus superueniens in te, & virtus Altissimi obumbrans tibi, qua eras omnium virtutum, & gratiarum ornamentis praedecorata, hoc est pradotata.* Pulchritudinem, puritatem, sapientiam, & omnium virtutum gratiam adiunxit: per antenuptialia venit Spiritus sanctus in Mariam in sua Conceptione, per dotem in incarnatione quando superueniens obumbrauit eam. Quae omnia clarius expressit D. Epiphan. in sermon. de laud. Virgin. Mariae: *Inuenitur Virgo*, inquit ipse, *esse caelestis sponsa, & mater, quae donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit: dotis verò gratiam Caelum vna cum Paradiso.*
D. Epiph

Virgo ergo antenuptias Spiritum sanctum, hoc est gratiam Spiritus sancti sub nomine antenuptialium in sua Conceptione accepit; in nuptijs verò, hoc est in incarnatione Verbi, vberiori gratiarum affluentia dotata est, quando obumbrans eam corporaliter venit in eam, viri vices compensans, foecundauit, & grauidauit eam.

Videns sanctus Ioseph tot, & talia à Spiritu sancto collata beneficia animae, & corpori Virginis suae sponsae, esse digniora, & maiora ijs, quae & ipse eiusdē sponsę corpori tantum poterat impendere, vrebatur non liuore inuidiae, sed sancta aemulatione: *Inter hos sponsos caelestes sic fuisse inter se officia erga sponsam partitos*, inquit D. Laurentius Iustinianus, *vt cura, & custodia corporis ad Iosephum pertineret, animae autem curā, & custodiam Spiritus sanctus sibi sumeret*: à quo si maiora erant beneficia, & digniora munera, quàm quae Ioseph sponsae vtriusque conferre poterat animo inseruiendi Virgini, quodammodo prout fas est dicere, zelotypia quadam tenebatur erga Spiritum sanctum, quòd exprimere videtur D. Ambrosius in 49. cap. Genesis; nam antequam Patriarcha Iacob moreretur benedixit filios suos, ad Ioseph perueniens dixit: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu.* Septuaginta legunt, *Filius zelatus Ioseph, filius zelotes.* Ioseph hic vmbra fuit nostri Iosephi teste Diu. Bernardo, Ioseph zelotes, & zelatus, zelatus à Spiritu sancto, & ipsius Spiritus sancti ipse zelotes; nam in ijs in quibus
D. Laur. Iustin.
Genes.
Septuag.

Ioseph à Spiritu sancto superari videbatur, zelotypia percussus sancta aemulatione imitari conabatur.

Proprium est Spiritus sancti animas fidelium sanctificare, & gratias replere, & gratiam donare; vndè vt Maria aeterna sua esset sponsa, ab instanti sui esse gratiam sanctificationis donauit, gratia praeuenit, & gratia repleuit: sic enim salutatur ab Angelo: *Aue gratia plena*: Luc. Eu. tunc enim vas aliquod plenum dicitur, quando tota eius capacitas expleta est: quae gratia Virgini deesse potuit, quae gratiarum omniū genera habuit, quas capere potuit; vndè D. Amadaeus hom. D. Amad 3. de laud. Virg. sic affatur: *Spiritus sanctus superueniet in te, in alios sanctos venit, in alios veniet, sed in te superueniet, quia prae omnibus, & super omnes elegit te, vt superes vniuersos, qui ante te fuere, vel post te futuri sunt, plenitudine gratiae, meritò ergo Angelus appellat eam gratia plena.*

O sancta Iosephi zelotypia, dic mihi bone Ioseph quando vidisti, & contemplatus es Mariam sponsam à Spiritu sancto sponso accepisse hoc nomen singulare, gratia plena, zelatus es eum, & hac tua zelotypia ductus, vt hęc tua eadem sponsa abs te esset quoque gratia plena, zelatus es ipsum sponsum Virginis Spiritum sanctum, eam replens aliqua gratia, & qua gratia sponsam tu potuisti replere? vt ad tui obumbrationem verè diceretur ipsa. Gratia plena, quemadmodum & sub vmbra Spiritus sancti?

Gratia est summum donum, & beneficium, vel gratia interpretatur pro fęlicitate iuxtà illud Ecclesiast. cap. 26. *Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata*: ac si diceret sicut faelix, & beatus Eccles. est ille Vir in hac vita cui obtigit mulier sancta, sic foelix, & beata est illa mulier vxorata, cui bonus, & pius obtigit sponsus, iusta & casta, & foelix est mulier nupta, quae nacta est virum bonum, & optimum, cui hoc contigit, nam & gratia quidem dicitur repleri, & verè repletur.

Si foelices nuptae, mulieres sunt, quibus obtigit vir sanctus & bonus, quasi gratia super gratiam, & quàm foelix Maria cui à Deo talis, & sic optimus donatus est sponsus, meritò ab Angelo salutatur, *Aue gratia plena*, non solum qua à Deo, & a Spiritu sancto repleta est,

est,sed quà à Iosepho viro sancto, perfecto,& optimo,cuicęlitus desponsata fuit, & gratia cōpleta est,& summa fęlicitate repleta,vt respectu sui dicatur,& gratia plena,& sic Spiritus sancti amorem,seu erga Mariam beneficentiam, Iosephum quis andebit ambigere sancta hac æmulatione hunc diuinum spiritum fuisse quodammodo imitatum.

Quid mirum,si Spiritus sanctus obūbrans Mariam factus est ipsius virginitatis defensor; *nam ad hoc obumbrauit*
D. Aug. *eam*,inquit D.Augustin.*vt ab æstu libidinis defenderet, & seruata Virginitate conciperet*, & Ioseph nonne eiusdem Virginis custos,& vmbra? ô excellentia tanti viri,ô Spiritus sancti æmulator, & zelotes; obumbrando Spiritus sanctus
D. Bern. Mariam,vt docet D.Bernard.ad hoc, vt incarnationis mysterium occultaret,ne palsim ab hominibus cognosceretur, vmbram obtendere regit, sed quæ hæc vmbra? nonne ipse fuit Ioseph? quia Virginis partus non aliter occultatus fuit,nisi per nuptias Iosephi,ergo obum brauit Mariam Spiritus sanctus,obumbrauit & Ioseph, qui cum Spiritu sancto veluti ex quadam zelotypia conten debat.hoc est vt nihil gratiæ, vel operis à Spiritu sancto in Mariam adueniret, quòd non proficisceretur à Iosepho: ex quadam imitatione erant ambo sponsi zelotes,& zelati ad alterutrum contendentes,& zelantes,quis nam eorum pri mus,& magis ardentius tantæ Virgini, & amatæ sponsæ deseruiret. Hac zelotypia sancta ductus diuin. Ioseph deseruire Mariæ,& totum se suæ sponsę mancipare obsequio, non seruitutem habebat,sed suæ seruitutis in Virginem mercedem,seruitutem ipsam, & sui laboris coronam deferebat,et præmij sui consumationem: hoc addisce et tu anima mea ab Angelo,qui in somnis apparuit Iosepho,præcepit enim huic sancto viro fugam in Aegyptum:*Surge*,inquit
Matt.Eu. cap 2. *accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicā tibi*,et itineris et laboris,peregrinationis,et exilij nulla mercedis pollicitatio remunerationis nulla sponsio, præmij promissio nulla.

Iusserat olim Deus Abrahamo, vt egrederetur de terra sua,de cognatione sua,et de domo patris sui; et ne cor, et mens tanti viri succumberet laborum difficultatibus,neuè pendere tanti pręcepti desperaret,lætissima,et prædiuite illa promissione firmauit animum, roborauit pectus, fouit cor, alleuiauit onus,exhilarauit seruum suum,*Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi,& magnificabo nomen tuum*,Genes.c. Genes.
13. num. 2. *Sicut coaceruanda fuerunt præcepta*,inquit D.Ambrosius lib. 1. de D.Ambr.
Abraham cap. 2. *ne quid lateret, ita etiam proponenda præmia ne desperaret*.

Si tot promittuntur Abrahamo, ne iussioni diuinæ pusillanimem se ostenderet,cur non nostro Iosepho,cui similia,imò duriora præcipiuntur, iubetur illi egredi de terra sua, de cognatione sua,& de domo patris sui, & peregrinatio durior, tum asperitate itineris,tum grauitate laboris, tum necessariorum inopia, tum effrenatæ gentis cohabitatione,& fuga periculosior,erat enim ad declinandam immanis Herodis persecutionem, vt à Regis furentis manibus, & à cæde tam immani puerum liberaret, & matrem si coaceruantur præcepta, cur illi non proposuit præmia? & cur non coaceruantur promissa?

Nulla mercedis in iussis auditur pro missio, quid est hoc? ô anima mea, quid est hoc? dicam quæ sentio, merces non promittitur verbis, sed datur factis Iosepho;ô Deus cordis mei,& quæ maior illi merces potuit vnquam dari vt Iesus,& Maria: en iubentis vox, *Surge* Mat.c.2.
Ioseph,accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Surge,fuge,& esto ibi, en præcepti graue onus, ac si diceret, obsequere Virgini, illi seruire, parere obtemperare,ministrare, alere, obumbrare,non sit tibi graue pro laborum tuorum mercede accipere puerum, & matrem eius; hisce præmijs ad labores proferendos allicitur Ioseph, itineris alleuiatur onus, imminuitur asperitas, extinuatur labor, & ærumnarum omnium exoneratur pondus.

Multa incommoda itinera sustinuit in fuga Aegypti, omnibus penè rebus, & necessarijs destitutus; sed laborare pro sancta coniuge sua, labor illi non erat,& deseruire Mariæ non erat illi du rum sed læue,& suaue, imò quietis, & consolationis satis affluens retributio.

Meritò Maria comparatur nubi, cuius

ius est, & ardentis laboris æstum temperare, & pluuia sua terram fœcundare, & coronare floribus, & fructibus: vbi adest nubes hæc Virginea non deest leuaminis pluuia, qua laborantis sponsi animum fœcundat lætissimo gratiæ imbre, exhilarabat rore suæ dilectionis, & fructibus coronabat præmiorum. O Maria laborantium quies, ò solatium operantium, ò animi fatigati dulce refrigerium, qua dulcedine? qua plenitudine? quo dulci leuamine recreabas tui sponsi animum, fœcundabas floribus, & coronabas meritorum fructibus? hæc fuit plena merces, & hæc datur Iosepho ad labores subeundos. *Accipe puerum, & matrem eius.*

Fœlix & libera est hæc seruitus Mariæ, ex mancipijs Reges facit, & qui illi inseruiunt, & insudant, & eius obsequio inuigilant Reges sunt. Audi Diuum Anselmum in lib. de excellentia Virginis cap. 9. *Seruire huic Reginæ, regnare est, & inter illius mancipia numerari plusquam Regnum.* Præstat Regno, Regijsque dignitatibus cunctis, atque coronis hæc seruitus Mariæ, non enim est vilis subiectionis, sed regiæ nobilitatis, & exaltationis apparatus. Contemplans Diuus Ambrosius in Lucam huius Virginis verba, quibus Archangelo incarnationis mysterium nuncianti sibi satisfecit: *Ecce Ancilla Domini: Ecce Ancilla Domini* inquit Sanctus, *apparatus officij est*: ac si diceret quum ex Virginis ore audis, Ancillam, non existimes velim subiectionem vilitatis, vel seruitutis exinanitionem; sed maximum gloriosumque apparatum, quo cor Mariæ se aptauit, & composuit ad Dei maternitatis coronam, ad Angelorum hominumque dominium, & totius creati regnum: seruitutis Dei titulus tantæ dignitatis est, & excellentiæ, quòd eam Virgo prætulit coronis regijs, glorijs, & dignitatibus quibuscunque adiudicauit maiorem, & digniorem, cur hoc? quia est apparatus officij: si matrem effectam Dei, si super Choros Angelorum contemplaris euectam, & eleuatam, sic sublimè Deipara non ascendit, nisi hisce alis seruitutis Dei, quando Dei se confitetur ancillam, quæ in Dei matrem electa, apparatus ad has coronas nullus maior, nullusque efficacior, vt seruitus Dei. Vide humilitatem Virginis, inquit Sanctus, vide eius deuotionem, Ancillam se dicit, quæ mater Dei eligitur: nec repentina est exaltata promissione, mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit, & ipsa proferre: quid est humilem paritura humilitatem proferre, à nisi esse seruum Virginis huius, tantæ dignitatis est, quòd Dei filius factus homo, huius tituli, & seruorum Mariæ numeri, vt omnibus innotesceret, quàm iuridicè ipse primum locum occupet, noluit homo in vtero concipi Virginali, nisi sub nomine seruæ, & Dei ancillæ, humilem paritura humilitatem debuit proferre; tempore namque suæ Conceptionis, hæc verba, Ecce Ancilla Domini protulisse Virginem, & his prolatis, assensuque præstito, nuptialem thalamum ingreditur Christus, accipit stolam carnis, & factus homo, nomen sortitus filij, & serui tantæ Virginis, ò mysteria, ò sacramenta, nec Spiritus sanctus superuenit in Virginem, nec virtus altissimi obumbrauit eam, nec Verbum patris carnem induere voluit, nisi quando Virgo os aperuit, vt diceret: Ecce ancilla Domini: cur hoc? quia semper partus sequitur ventrem, si filius seruæ, & ancillæ concipitur, & serui nomen ipse meretur, sic inscribitur, quia seruus, & filius ancillæ, & seruæ nascitur.

D. Ansel.

D. Ambr.

Qui titulus, & nomen, quòd sit apparatus officij, & dignitatis, ipse Dominus exposuit cum penderet de cruce, & esset morti proximus, rogaturus patrem, & supplicaturus, vt de morte eum quàm citissimè, & gloriosè resuscitaret, licèt multa in se haberet merita, vt patrem flecteret, vt tibi ò anima mea formam relinqueret, &. simul ostenderet, quantæ dignitatis, quantæue virtutis sit seruum esse Mariæ, sic ad patrem suam direxit orationem. *Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & verax. Respice in me & miserere mei: da imperium puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ,* Dauid Propheta psalm. 85. Vt capias mysteria nota verba: *Respice in me,*

& miserere mei, hoc est me mortuum resuscitando, & per resurrectionis triumphum, imperium mihi tribuendo: nam per resurrectionem collata fuit Christo omnis potestas, vt ipsemet testatus est Matthæ. Euangeli cap. 28. num. 18. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*; & vt potestatem hanc vniuersalem, Regnum, & imperium, & ipsiusmet resurrectionis triumphum obtineret à patre, non sua merita, quæ multa habebat, profert, sed tantum quòd filius sit illius ancillæ, quæ quando concepit eum, seruam se nominauit, *Ecce Ancilla Domini:* si filius Ancillæ, & seruus Christus erat Mariæ, quia partus sequitur ventrem, Ancilla, & tua serua me concepit, si ancilla est mater mea, & ego quoque seruus conceptus, & natus ex ea: si Christus Dominus noster vt patris pectus vinceret, & inclinaret ad sui cordis instissima vota, vt suscitet eum à mortuis, coronam suæ resurrectionis, suæ potestatis Regiæ, & vniuersalis dominij capiti suo imponat, matris suæ Mariæ seruitutem illi obiicit, & offert; nouit enim esse apparatum officij vt obtineret, & obtinuit, & quòd voluit huius seruituris meriro impetrauit. Sic est mens Diui Augustini in hæc verba, saluum fac filium ancillæ tuæ. *Cuius ancillæ*, inquit ipse, *nisi illius, quæ dixit: Ecce Ancilla Domini fiat*, &c. O quàm fœlix apparatus officij Mariæ seruitus, quando ipsa, vt inquit Diuus Ephrem Syrus, sublimior Angelis effecta est, superior ipsis Cherubim placens Christo Regi, à Deo in honore habita tamquam ancilla digna: Christus suæ resurrectionis reportauit triumphum, & nos misericordiam Dei, & nostræ seruitutis libertatem, vt clarè patet ex verbis Diui Augustini sermone de Assumptione Virginis: *O vera Mariæ humilitas, quæ mater Creatoris effecta, ancillam se nominat: ò vera Mariæ humilitas, quæ hominibus peperit Deum, mortalibus edidit vitam, Cælos innouauit, mundum purificauit, Paradisum aperuit, & hominum animas liberauit.*

Mat. Eu.

D. Aug.

D. Ephr.

D. Aug.

Si apparatus est officij Mariæ seruitus, quid miraris anima mea, si ad inuicem sunt ij duo sponsi sic zelotes, Spiritus sanctus vt inseruiat in spiritualibus, animam eius Diuinis replendo, & cumulando Charismatibus, Ioseph quæ erant illius corporis, famæ, et honoris necessaria: si non est exinanitionis, nec vilitatis, sed sublimitatis, & gloriæ Mariæ seruitus, esto & tu huius Dominæ serua, & ancilla, si ab eius enim seruitute eiusdem erga te nascitur protectio, & auxilium, & in bonis virtutis perseuerantia: ipsa seruitus erit tibi basis firmissima, & inconcussa, cuius merces erit tibi illa torques æternæ beatitudinis, & tui laboris, & operis tributum, & stipendium, erit corona bonorum omnium, imò plausus hominum hic in terra, & in cœlis Angelorum iubilatio, quæ omnia sic complectitur Spiritus sanctus in Ecclesiastico cap. 6. numer. 30. *Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutes, & torques illius in stolam gloriæ: decor enim vitæ est illa, & vincula illius alligatura salutaris: Stolam gloriæ indues eam, & coronam gratulationis superpones tibi.*

Eccles.

Si seruienti Iosepho merces nulla promittitur, quid mirum? si seruitus ipsa merces plena illi erat, vnde meruit audire pro mercede, accipe puerum, & matrem eius, hoc erat totum huius Sancti sponsi, sui operis studium, seruire Mariæ, & huic Virgini, & suæ sanctæ sponsæ inuigilare, & hæc erat Iosephi ad Spiritum sanctum æmulatio; ad hoc peruenit Sancta Iosephi erga Spiritum sanctum æmulatio, vt Maria, nec Christi mater, nec Spiritus sancti sponsa esset, si custodia Iosephi non adesset. Audi non me, sed Diuum Augustinum sermon. 14. de tempore in festo Natiuitatis. *Habe Ioseph cum Maria coniuge tua communem Virginitatem membrorum, quia de Virgineis membris virtus nascitur Angelorum: sit Maria sponsa Christi in carne Virginitate seruata, sis autem, & tu Pater Christi cura castitatis, & Virginitatis, vt de honorificentia Virgineis membris genitricis sæculis Christianis nulla sit zelotypia in carne sua.*

D. Aug.

Quatuor hic Sanctus docet, si non fallor; vnum est, quòd qui Virginitatem colunt meriro, & virtute Angelis assimilantur. Secundum, Ioseph meruit

tuit pater esse Christi, virginitatis dono. Maria, hoc est tertium, facta est mater Christi vero, & merito virginitatis. Et quartum, quòd Ioseph suæ custodiæ deputauit; & abstulit à cunctorum pectoribus omnem suspicionē circa proprietatem Dei genitricis virginitatem.

Vndè quòd Maria effecta sit mater Dei, & Spiritus sanctus Virginis sponsus, Iosephi meritis debemus ascribere; nam Maria mater extitit filii Dei, Virginitate seruata, si Virgo non fuisset Virgo, vtique Dei mater non extitisset. Diui Chrysostomi est sententia, & doctrina homil. 49. in Genesim, Inquirens Virgo ab Angelo concipiendi modum expostulat, quomodo fiet istud, aperit Angelus Conceptionis modum, quòd hoc erit virtute diuina salua sua Virginitate, Spiritus sanctus superueniet in te. *Ne quæras*, inquit D.Chrys Chrysostomus, *ò Virgo naturæ modum, & ordinem, quando super naturam sunt, quæ fiunt: ne spectes coniugij dolores, quando maior quàm in nuptijs natiuitatis modus erit: sanè propter hoc erit, quoniam virum non cognoscis; nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna, vt huic ministerio seruires; itaque quamobrem dubitas, eam ob rem crede, non quia malum nuptiæ, sed quia melior Virginitas, Spiritus sanctus veniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, sic poteris parere, totum operatione spiritus erit. Ne igitur spectes ad terram, à Cœlis operatio venit, spiritus gratiæ est, quòd fit, ne quæras naturæ modum, ne iuxtà nuptiarum leges intelligas.* Ex quibus Chrysostomi verbis satis expressè patet, quòd si Virgo, Virgo non fuisset, nec Spiritus sancti sponsa, nec Christi mater extitisset.

Sed Virgo fuit Maria, quia Ioseph Virgo fuit, & quando Diuus Augustinus inquit: *Sit Maria mater Christi Virginitate seruata*, quòd non refertur ad Mariam, sed ad Iosephum, qui Virginis seruauit virginitatem: sponsus erat, & vt sponsus ius habebat in corpore Virginis, annuente Apostolo Paul. prima ad Corinth. numer. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Ergo iuri suo, quod ipsi Iosepho inerat in carnem Mariæ propter legitimas nuptias liberis, & liberè, & spontè, & voluntariè cessit, & vna cum sponsa voluit virginitatem colere, & seruare.

O Maria, ò Virgo, ò Spiritus sancti sponsa; quanti extitisti Iosepho sponso tuo obnoxia? quàm insolubile erat hoc debitum, quòd sis electa mater Dei quòd Dei mater sis effecta post Deum, Iosepho soli debes; nam si Virgo non fuisses, illa Dei maternitas in te non aduenisset: Virginitas hanc ei attulit dignitatem, sed Virginitate seruata à Iosepho: continentia, seù Iosephi temperantia virginitatem seruauit Mariæ, dum iuri suo libens cessit; vndè si Spiritus sanctus donis cumulabat diuinis, & Ioseph eius æmulus hac dignitate euexit sponsam ad Dei matris dignitatem.

Quæ sponsa vt erat gratissima, quantis putas tu anima mea Virginem sponsum hunc cumulasse donis? non est humani ingenij ratio, dum Virginitatis fructus in Virgine Iosepho debebantur, qui vt amantes talionis vicem sibi ad inuicem simul se præstabant: ò diuini nexus amoris, quis non intelligit quòd vberiores sponsus ferebat à sponsa perdulcissimos fructus, & maiora in dies incrementa virtutum, quam Virgo ipsa à sponso. Audi de hoc Diuum Augustinum pro hoc singulari beneficio quid ei rependerit? non nisi quasi æquale, & simile; nam si Maria virginitate seruata effecta est mater Dei, Iosephi fuit opus, & meritum, qui & custos extitit virginitatis sponsæ, & protector, & vmbraculm à turbine, & tempestate. Ita & si Ioseph effectus est pater Christi, merito, & dono factus est virginitatis suæ sponsæ, cui seruire regnare est. Aemulare Iosephum, & vt ille se totum mancipauit seruitio Mariæ, mancipare tu te totam anima mea: huic seruire Virgini suaue est, & delectabile nimis. Tuæ laudis cantica ò Maria immitte in os serui tui, vt non cesset lingua à laude tua, nec cor eiusdem ab amore casto tuo.

Sub hoc ramusculo doce me seruire tibi, te amare, te laudare, te benedicere: ò Maria si pauper sum muneribus, quæ tibi offeram, inops saltem non sim tuis laudibus; & licèt non sim dignus voca-

ri filius tuus, tua gratia fac me sicut vnum de mercenarijs tuis: beati serui tui qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam, & vocem iussionis tuæ,& diligunt te toto corde, tota mente,& totis viribus seruiunt tibi, fac me sicut vnum ex istis. O Maria vt tibi inseruiens laudem te,et benedicam nomen sanctum tuum,quod sit benedictum in æternum,ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei,te præcor ò Maria monstra te esse matrem, et miserere mei,quoniam in te sola sperat,et confidit anima mea,sub vmbra huius ramusculi protege me,nunc, et in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE INCARNATIONIS, seù Virginis Mariæ annunciationis mysterio.

RAMVSCVLVS TRIGESIMVSQVINTVS.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ ad Virginem desponsatam viro;
Luc.cap. 1.



Mminet inter nouitatū arcana nouiras Verbi Dei incarnationis, & B. Mariæ Virginis annunciationis mysterium; & merito quidem sub nouitatis nomine exprimit illud Ieremias Propheta cap. 31. dicens. *Nouum fecit Dominus super terram, mulier circumdabit virum;* ò nouitatum omnium nondum persimilis nouitas? Quid hac nouitate præstantius?& magis nouum?qua Deus factus est homo? & homo Deus? Dominus factus seruus, æternus temporalis, immensus paruulus? Summus imus, incomprehensibilis localis, simplex compositus, inuisibilis visibilis, impalpabilis palpapilis, immortalis mortalis.

Ierem.

Quid hac nouitate magis nouum? Portator orbis, fœmineis portatur manibus, panis angelorum lactatur, & alitur, virtus cœlorum infirmatur & moritur vita: verè nouum à Deo factum, concipit Virgo & parit, & virginitatis non læditur secretum, Virgo est, & virginitate seruata mater efficitur, & mater Dei.

Quæ mens non caligat? quæ anima non stupet?non expauescit?cuius enim cor non timet?& pectus non turbatur? si ad tantæ nouitatis aspectum ipsamet turbata est Maria?

O nouitatū sola singularis, et omnibus præstans nouitas, in qua arte quadam diuina conueniunt, et simul coeunt conceptus, et puritas, virginitas simul, et maternitas, integritas et partus, mater et Virgo, serua et domina simul, ancilla et Regina, caro et spiritus, Deus & homo.

O Maria, ò Deipara, quomodo factū est istud? tuæ lucis gratia, ò cordis mei vera illuminatrix, illumina oculos mentis meæ, erudire tu me Virgo, & doce me vt intelligam, vt capiam quantum fas est fragilitati meæ posse capere, vt sic benedicam auctoris benignitatem, & te meæ salutis coadiutricem, & reparationis meæ cooperatricem.

Et hanc diuini Verbi incarnationis nouitatem, dum ò anima mea ad modū castissimi dialogi inter Gabrielem paranymphum, & Mariam Virginem tibi describere conatur Euangelista, quid tibi aliud voluit innotescere, nisi tuæ ruinæ remedium, & tuæ redemptionis exordium, ex hoc ineffabili Verbi Dei, & Mariæ coniugali vinculo traxisse originem, dum in thalamo illo Virginali tria illa sponsalitia, & tam noua ineffabiliter operata sunt.

Primum est inter Deum Patrem & Virginem: secundum, inter Verbum & naturam humanam: tertium, inter Christum, & Ecclesiam: quodlibet horum in vtero castissimæ Virginis tunc celebrauit Deus, quando misit Angelum ad Virginem desponsatam viro, ipsa præbente assensum vt sponsa Dei Patris consensum exhibuit Maria, in nomine proprio, in nomine naturæ humanę: caro enim vnita Verbo à Virgine sumpta est, & in nomine Ecclesiæ, cuius illa, post sponsum, qui solus caput est, erat principale membrum.

Sed

Sed illa diuini Verbi sponsalitij nouitas,& tot propria nomina rerum in hoc loco tam significanter expressa sic supramodum mentem D. Bernardi tenebat præpeditam, & sic supra se rapiebant,& extra se dulci suspendio elenabant,quòd factus in eo mentis excessus in hæc verba prorupit. *Vt quid hoc? putas ne aliquod horum superuacuè positum sit,non puto: plena quippè sunt omnia supernis mysterijs, ac cœlesti singula dulcedine redundantia, si tamen diligentem habeant inspectatorem, qui nouit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* S. Bern.

Et quidem quid nostra interest,ò anima mea scire nomē Ciuitatis,et loci vbi celebratæ sunt hæ nuptiæ, nomen Dei mittētis nomē Paranymphi missi nomina spōsæ,et spōsi;cui iā erat desponsata, sed nō nupta sic respondit S. *Credo quia noluit te negligenter audire,quòd tam diligenter studuit ipse enarrare*: ac si diceret vt tu anima mea scias ex illis omnibus primò oleum deuotionis dulciter sugere, & spiritus feruorem simul, & dilectionis dulcedinem attrahere, imò perfectè, & accuratè pariter intelligas ex loci circumstantijs,ex personarum nominibus,& ex earum proprietatibus huius sponsalitij filij Dei arcanum, & nouitatis mysterium. Vbi,quomodo,& à quibus, sic tàm nouiter celebratum sit, quòd totum expressit, quando sic exorsus est.

Missus est Angelus Gabriel à Deo, &c. Quis dubitare audebit nouitatem huius ineffabilis connubij,non oriri ex dignitate,& excellentia personarum?tū missi,tum illius ad quam mittitur?persona mittens est Deus, persona missa est Gabriel Angelus, & ad quam mittitur est Maria & Virgo. Missus est Angelus en persona missa à Deo,en persona mittens, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph en sponsi,& sponsæ nomina,& genus amborum.

Vis ò anima mea scire,quid sit in primis Deus persona mittens,& mandans? ex sapientum sententia, & non ex mea audire non te pigeat, quid respondeat Seneca: *Deus est*, inquit ipse, *magnum nescio quid, maius quàm cogitari potest*. Seneca. *Deum intelligere*, aiebat Trimegistus, *quidem difficile,eloqui autem impossibile*. Trimeg. Boetius verò: *Deus est circulus, cuius centrum vbiq;circumferentia nusquam.* Boet.

D.Dionysius Areopagita, *Deus est substantia sine accidente, immensus sine quantitate sine qualitate bonus,supremus absque situ,æternus sine tempore independens,& à quo cuncta agens sine labore,forma sine materia,actus sine potentia, perfectissimus absque defectu, lux sine tenebris,qui spatio non dilatatur,sitn non restringitur: quem non mutat voluntas, & mutatio non corrumpit, cui præterita non prætereunt,futura non innouant, præsentia non fugiunt,non principiatur origine, non augmentatur tempore;quem sient non turbat mæstitia, sic nec lætitia hilarescit, irascitur,& tranquillitate fruitur, mutare ipse nouit opera,sed nunquam consiliū.* Vndè dicebat D.Hilarius: *Certè hic est Deus, quòd cum dicitur non potest dici, quàm æstimatur non potest æstimari:quàm comparatur non potest comparari, quàm diffinitur sua diffinitione erescit:qui Cœlū manu sua operit, pugno autem mundum claudit,quē totum omnia nesciunt,& metuendo sciunt,cuius nomini & virtuti omnia famulantur.* D.Hil.

Et hic Deus omnipotens, immortalis,immensus, & æternus licèt poterat quolibet alio modo(cū enim non deerat potentia,cui simul nō deerat sapientia) te saluare: voluit tamen vi sui amoris captus, & blanditijs immensæ suæ charitatis illectus, se tuæ humanæ naturæ ita communicare, quòd Deus esset homo, & homo Deus.

O ineffabilis diuinę dilectionis abyssus, ò inestimabilis dilectio tuæ erga me charitatis Deus meus, quoniam tui solius hoc operandi opus erat potentia, meritò sub nomine, tui ineffabilis nominis facta est; hæc vnionis humanæ naturæ, filij Dei personæ legatio, quæ tanti fuit ponderis, & sic inusitata, imo omnibusque sæculis inaudita: ita vt inauditum legandi modum exposceret, vt meus testatur Bernardus. *Non ab alio*, inquit Sanctus, *aliquo forte excellentiore fe,vt assolet, sed ab ipsomet Deo mitti Gabriel perhibetur: propter hoc ergo positum est à Deo.* S. Bern.

O anima mea si solus ignis potest ignire, lux sola potest illuminare,sic solus Deus potest deificare, vt fieret homo Deus factus est Deus homo, si potuit homini creatione conferre naturā, gratia præstare vnionem spiritualem, gloria fieri homini ipsi beatitudinis obiectū,sic eidem propiam incarnatione com-

communicare personam, cui modo ineffabili, vinculo insolubili naturam à se ex luto conditam vniuit, copulauit, & hypostaticè assumptam colligauit, & perstrinxit. Si anima hypostasis vnitate vnit sibi corpus à se alienum, cur non magis diuinitas, cui nihil impossibile naturam hominis copulare potuit Verbi Dei personæ? quòd opus cum non alterius sit potentiæ, nisi diuinæ, meritò huius spõsalitij legatio mittitur à Deo.

Luc.Eu. Et legatus, qui mittitur, est Gabriel Angelus, sic enim habes apud Lucam cap. 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo.* O Mira Sancti Euangelistæ cœlestis huius Paranymphi dignitatis, tàm paucis verbis descriptio, qua præmonstratur huius diuini legati altitudo, sublimitas, & excellentia quid est? quòd fuit missus à Deo? nisi nobis insinuare, quòd non erat persona diuina: nō. n. dixit, fuit missus à Patre, non à filio, non à Spiritu sancto; sed tantum à Deo; qui quidem vnus est in essentia, sed Trinus in personis: in diuinis namque, vt communis est Theologorum sententia, quando persona mittitur, non mittitur, nisi ab ea à qua illa procedit, & sic solus pater filium mittit. Elicitur hæc doctrina à

Paul.Ap. Diuo Paulo ad Galat. cap 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Pater & filius mittunt Spiritum sanctum, qui à patre filioque procedit: hoc testimo-

Ioan.Eu. nium astruitur à Ioanne cap 6. *Paraclitus autem quem mittet pater in nomine meo ille vos docebit omnia.*

Angelus autem Gabriel dùm non dicitur missus à patre, nec ab aliqua alia singulari persona diuina; sed solum à Deo, hoc est à consessu totius Sanctissimæ Trinitatis, & idem est à Deo, ac si dixisset, non erat persona diuina, non erat pater, dùm legimus missum, non erat filius, dùm non mittitur à patre solo, non erat Spiritus sanctus, dùm enim mittitur, non mittitur, nec à patre, neque à filio, neque ab ipsomet Spiritu sancto; sed tantummodo à Deo.

Quid est hoc? ò anima mea? nisi tanti legati sublimis dignitas, & ineffabilis præstantia, & excellentia. Vocitent il-

D. Amb. lum, & D. Ambrosius lib. 1. de Spiritu

D. Iren. sancto cap. 7. Beatus Iren. lib. 5. cap. 2.

D. Greg. D. Gregorius hom. 34. in Euangelia,

D. Aug. & D. Augustinus sermon. 14. de Natali Domini; *Summum omnium Angelorum;*

D. Areo. D. Areopagita lib. de cœlesti Ierarchia cap. 4. & 8. & D. Damascenus lib. 2. de Ierarch.

S.Dam. Assumptione B. Virg. *Angelorum antesignanum;* & D. Bernardus lib. 5. de considerat. cap. 4. *Præsidentem Archangelorum:* S.Bern. nam noster Euangelista sublimius se erigens, dùm ipsum dicit missum à Deo, illum cit creaturã, sed planè diuinam, quòd est solius huius legati encomium singulare, qui tantæ est dignitatis, tantæ excellentiæ, tantique splendoris, vt persona potius videretur diuina, quàm simplex creatura: cui si soli voluit Deus tanti mysterij primò aperire secretum, & sui diuini pectoris deferre arcanum. *Propter hoc ergo positum est à Deo, vel ideo dictum est à Deo,* inquit S.Bern. meus Bernardus, *ne cui vel beatorum spiritum suum Deus antequam Virgini reuelasse putaretur consilium, excepto duntaxat Archangelo Gabriele, qui vtique tantæ inter suos inueniri potuerit excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur, & nuncio.* En tanti nuncij supereminens, & ineffabilis dignitas, cui primum quàm cuilibet Angelorum, imò ausim dicere, quàm & ipsimet Virgini, quæ huius cęlestis connubij erat à Deo electa in sponsam, meritò aperitur, & demandatur hæc diuini Verbi incarnationis legatio; nam quæ Deus vult fieri in terris, vt nos docet D. Areopagita D.Areo. lib. 9. de cœlesti Ierarchia; non ipse immediatè, sed per subordinatos Angelos manifestat, & hoc Sacramentum à sęculis absconditum non manifestat Deus alij, nisi Gabrieli huic Archangelo: cur hoc? Nisi vt tu capias, quòd si inter cęlotum nuncia supereminet omnia alia hoc diuinum, & superexcellens mysterium, decens erat, vt & tanti quoque mysterij ille eligeretur in legatum, & nuncium, qui super omnes cœlorum spiritus dignitate, præstantia, gloria, & honore eleuabatur.

Si ipsummet nuncium erat omnium maximum, & supereminens, quid ni, si in legatum ille à Deo mittitur, qui erat omnium Angelorum supremus, & maximus, & adeò supereminens, vt ne persona censeretur diuina, Euangelistæ fuit officij; sic enim exigebat ratio, legationis meritum, expostulabat nouitas, & patiebatur altitudo, & profunditas tanti mysterij nobis insinuare, quòd creatura erat & non persona diuina.

Quamuis enim Michael inter septem supremos spiritus; qui vt Aulici Dei

coram Deo assistunt, obtineat primum locum, hoc est de primatu quoad Corpus mysticum Ecclesiæ, sed Gabriel est primus omnium quoad corpus reale Verbi incarnati, qui facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabili, aspectu terribili, & insolito lumine, quo à tabernaculo Virginis tenebras abstulit, & intus irradians, forma visibili, voceque sensibili & suauissimis verbis, salutās ingressus est, & locutus est ad Virginem; quæ vbi mentis oculis non lege ordinaria, sed ex priuilegio intuita est Angeli essentiam. Quòd ita probare conatur Albertus Magnus super missus est c. 149. *Fuit in Virgine anima sua, & spirituum per species proprias cognitio, quàm habuit dispositiuè per naturam, completiuè per gratiam, & secundum hanc vidit Angelos, & Dæmones.* Et D. Athanasius his verbis idem autumat. *Sola Sancta Deipara Virgo nudam essentiam Archangeli Gabrieli vt est, contemplata est:* Et vbi intellectuali visione meruit Angelum cōtemplare in sua propria substantia, sic oculis corporeis vidit eum in forma visibili, & in humana efficie. Et meritò quūm legatus illius mittitur, qui formam humanam sumpturus erat; hinc est, quòd quùm legatio illa non erat tantum intellectu, & imaginatione percipienda, sed sensibus externis, decens erat, vt in forma visibili fieret, & voce sensibili exprimeretur.

Albert. Magnus.

D. Ath.

En anima mea intuere quàm lætus ingreditur Dei nuncius, quàm humiliter, deuotè & reuerenter salutat: quàm familiariter loquitur, quàm prudenter, & efficaciter audet instruere Virginem ad quam mittitur, & quam orantem, seu legentem inuenit, qua verborum dulcedine illi præmonstrat conditiones qualitates, merita, virtutes, & dispositiones; quibus mater Messiæ debebat prælucere, quæ omnes, licèt in Maria eminenter, & perfectissimè reperiebantur humilitatis tamen virtute, qua ipsa pollebat non est ausa sibi ascribere.

Attende quàm perfectè Messię actiones, gesta, facinora, opera, miracula, prodigia, nunc doctrinæ fructus, nunc passionis gloriam, & quæ operaturus erat, & quæ passurus à die Natiuitatis suæ, vsque ad diem Ascensionis eius illi aperuit; quibus auditis concaluit cor Virginis, & charitatis ardore, & tuæ salutis desiderio succensum, angebatur, preme-batur, & suspirans peroptabat, & intus clamans præcabatur Deum, vt iam mitteret, quem missurum iam promiserat per Prophetas suos.

Quam vt aptius cœlestis hic legatus disponeret recensuit illi quinque generationum genera. Prima, illa æterna, qua filius à patre generatur. Secunda, qua Adam à solo Deo creatus fuit, Tertia, qua Eua ab homine. Quarta, qua homo ab vtroque homine. Et quinta, qua Messias à Virgine absque opere humano: hæc singularis primæ est in puritate omninò similis, quia pro suo termino habet idem Verbum à patre genitum.

Non tacuit Angelicus Paranymphus illi innotescere obumbrationem Spiritus sancti, qua filius Dei se humiliaret vsque virginalis vteri puellulę illius ingressum, sub cuius vmbra ignis ille diuinus comburendo, nec consumando, purificabit, sanctificabit, deificabit sanguinem purissimum vt ex eo formaretur caro, qua indutum Dei Verbum, indissolubili vinculo permanebit vnita, & erit Deus homo, & homo Deus.

O lumen ineffabile lucis æternæ, ô Dei claritas, & clarissima Spiritus sancti vmbra, qua illustrata mens Virginis, & rapta in contemplatione primę diuinæ, & æternę generationis, quasi in lucidissimo speculo contemplata est Mariæ, & Dei patris voluntatem, & beneplacitum totius sanctissimæ Trinitatis, circa execucionem, dispositionem, & modum, & ordinem huius nouæ filij Dei Incarnationis, intuita est altitudinem, latitudinem, immensitatem, & profunditatem charitatis, & dilectionis diuini pectoris, qua ardebat, flagrabat, & ardenter peroptabat Dei Verbum carnem induere, & cum natura humana has noui connubij celebrare nuptias.

O Beata, & fœlix Mariæ anima, cui datum fuit in illo speculo incarnationis intelligere, & opera, & actus, & totius Verbi incarnati vitæ curricula videre, quibus diuini amoris fomentis succensa vehementer ardebat desiderio, matrem hanc videre Messiæ eique seruire, & cum ea lætari, & congratulari, illique mancipari, & famulari.

O iubilum cordis Mariæ. ô lætitia mentis Virginis, ô Maria, ô Deipara, quando meruisti audire ab Angelo, Maria esto secura, cognosces & videbis hāc filij Dei matrem, quia incarnationis

tem-

tempus iam propè est, imò completum est, quid fecisti? quæ dixisti? quæ cordis tui de profundo ascendebant vota, & desideria? Heu, ò, ò, ò quibus flammis ardebat, quomodò dilatabatur desiderio, & amore, quomodò angustiabatur humilitate, et humili æstimatione sui

D. Laur. Iustin. ipsius. Audi Diu. Laurentium Iustinianum in serm. de Annunciat. inquit ipse: *Hac audiens Maria ab Angelo tunc ad Deum totum conuersum est cor Virginis; noua irradiatum luce, insolito charitatis desiderio liquefactum, ac repletum deuotionis affectu, humo mente, & corpore prostrata optabat seruam fieri matris Dei: & quæ se seruam putat, & habet, fit Dei mater, & Christi sponsa.*

Meritò Christi sponsæ nomine censetur Maria; quia vt Verbi Dei cum natura humana nuptiæ celebrarentur, ipsa Virgo præbuit assensum. Testimonio

D.Tho. probatur D. Thomæ par. 3. q. 30. art. 1. *Congruum fuit B. Virgini annunciari, quòd esset Christum conceptura, vt ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter filium Dei, & humanam naturam: & ideò per annunciationem expectabatur consensus Virginis, loco totius humanæ naturæ, quæ desponsata Verbo, nomen sponsæ Christi obtinet.*

Diuina namque dispensatione factum est, vt Virgo, quæ erat in Dei matrem assumpra, esset etiam et Christi sponsa, cur hoc? Si mater, quomodò sponsa? nimirum, quia si Maria primò sponsa non fuisset, vtique neque Christi mater extitisset; necesse fuit ergo, vt primò eligeretur in sponsam, tùm ex parte sui ipsius, ne tanta dignitate, et merito ipsa careret: tùm ex parte nostræ naturæ, vt redemptorē haberet: tùm ex Dei, qui in reparatione hominis, eumdem complacuit seruare ordinem, qui à diabolo seruatus est in lapsu eiusdem. Non est, qui ignorat Angelum adijsse Euam, quæ vt illius promissis suum præberet assensum, illud fuit exordinm, quòd in

Genes. Genesi legitur cap. 3. num. 1. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradisi?* Multa promisit, multa obtulit, multa exposuit, multaque finxit tentator, quando diuinam æqualitatem illis spopōdit. *Nequaquam morte moriemini, scit enim Deus, quòd in quocunque die comederetis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.*

Et vnius mulieris assensus Angelo exhibitus, cunctorum bonorum, ad quę hominem Deus condiderat, naufragium fecit, & se, & sobolem sui generis æternæ damnationis adduxit & morti à qua vt sua miseratione diuina repararet Deus, quid fecit? respondit D. Chrysol.

S. Chrys. ser. 142. *Audistis, agit vt homo cursibus eiusdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam: agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina, vt nostra perditionis initio conueniens nostra reparationis principium responderet:* vt responderet, quid factum sit, audiamus ab Euang. Luca

Luc. Eu. cap. 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro:* Et mittitur non tantum, vt ad matrem Verbi futuram, sed ad Christi sponsam, vt naturæ humanæ reparatio, quæ Verbo Incarnato erat seruata, fieret per assensum, & consensum Virginis. *Mittitur Angelus à Deo ad Virginem*, inquit D.

D. Greg. Gregorius, *vt inter creaturam, & creatorem sponsalia contraheret:* Sponsalia seu connubia non perficit, nisi verus vtriusque coniugis consensus, quem nec Virgo præstare posset, nec ab ea Angelus exposceret, neque expectaret, Si Virgo huius diuini sponsalitij sponsa non esset: illius enim virginalis aluus harum nuptiarum thalamus fuit, & Maria vice humanæ naturæ, vt ille ritè celebrarentur, & filij Dei, & nostræ naturæ connubium firmum esset, & ratū, ipsa vt sponsa non vt mater præbuit assensum.

Hunc à Virgine tamquam à sponsa præstolabatur idem Dei Verbum in

Cant. Canticis cap. 5. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea*; poterat dilectus Dei filius non aperiente Virgine, introire in virginalem eius vterum, stat ad ostium, & pulsat per Angelum, vt illi aperiat ostium fidei: Gabriele internuncio admirandæ illæ nuptiæ in virginei vteri thalamo celebratæ sunt, quibus humana natura cum diuino Verbo eadem in persona, nam loco propriæ hypostasis, diuinam Verbi hypostasim Dei beneficio adepta est, & duæ illæ naturæ in vna persona indissolubili vinculo copulatæ sunt: Si vtriusque coniugis consensus facit nuptias, quæ celebratæ sunt inter Deum, & hominis naturam, vt esset hoc diuinum connubium firmum,

Vu 2 & ra-

& ratum consensus Virginis fecit, ad hunc explorandum mittitur Angelus, & responsum expectat, inquit D. Augustinus serm. 17. *Responde iam Virgo sacra, assensum tuum Angelus præstolatur, Deus in porta est, Angelus quem moraris expectat.*

D.Aug.

Consensus non est nisi sponsæ, quem nec dare posset Maria si sponsa non esset, vt à vera sponsa hic præstolatur cõsensus, & petitur, & expectatur ab Angelo, & præstolatur à Deo, quo statim præstito à Virgine ad nuptias celebrandas nulla à diuino sponso interponitur mora; Nam quando Virgo respondit Angelo, Luc. cap. 1. nu. 38. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuũ:* non fuerunt verba optantis seù deprecantis, vt multi ausi sunt affirmare, & asserere, sed verè consentientis, & diuinæ voluntati assensum exhibentis: *Quo exhibito,* inquit S. Augustinus, *nec mora tenemetur nuncius, & nuptialem thalamum ingreditur Christus, accipit stolam carnis in thalamo virginali, & diuinitati sponsatur homo, & sponsatur sponsalitio rato per assensum exhibitum à Virgine sponsa O Beata Maria,* exclamat Diuus Augustinus in Genes. cap. 28. *Sæculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum iniurias deprecatur abstergi;* à quibus vtique non abstergeretur, si Virgo suum assensum diuinis nuptijs non præstaret. O anima mea, vt tantæ Virgini te dilectionis vinculo colligaret Deus, & astringeret, Angelum mittit ad Virginem, vt consensum suum daret; vt & tu intelligeres, quòd ex hoc assensu tibi orta est vita, salus, redemptio, corona, & gloria, & quidquid boni habes, & speras ab illo agnoscas descendere; Virginis obsequio igitur te addita, te totam deuoue, te totam committe; & eam puro amore, & perpetuò prosequere, & ama, Christi sponsa est, & Dei mater.

Luc.

idem Sanct.

S Aug

Mariam esse Christi matrem, simul & sponsam, sicut non est à ratione dissonum, sic nec à sua dignitate incongruum, facta est mater Saluatoris, qui vt sua passione saluaret nos, carne qua ille pati possit, ipsa vestiuit, & quando stabat iuxta crucem, tunc vt spõsa Christi patientis in doloribus, & partus cruciatibus corde genuit omnes, qui comprehenduntur in illis verbis, Io. Euang. cap. 19. num. 26. *Mulier, ecce filius tuus;* mulier nõ tantum ratione sexus, quàm ratione legis coniugalis, nam communis mos est, sponsam à sponso suo mulierem appellari, quòd si tunc Christus, Mariam sub nomine mulieris, sponsam accire non intellexisset, defectum vtiq; quod nefas est dicere, suæ dilectionis erga matrem liquidò aperuisset, mulier hoc est sponsa mea, ecce filius tuus: tempus hoc, ò mater non patitur materno te nomine cohonestare, ne cor tuum circumquaque vulneratum, hoc nouo vulnere vulneretur; sed ad tui cordia leuamen te dico sponsam, quæ mecum facta particeps nouę huius spiritualis generationis tot filiorum, quot à me generantur ad vitam, & huius generationis in Ioanne, en tibi arrha præstatur: *ecce filius tuus.*

Ioan.Eu.

Vt capias quæ dico, velim scias quatuor esse, quæ carnale matrimonium comitantur. Primum esse sponsalia, quæ antecedunt, & est promissio de futuro de matrimonio ineundo. Secundum esse, bonorum sponsi, & sponsæ communicationem. Tertium, esse nexum coniugalem, vita vtriusque comite, indissolubilem. Quartum, filiorum generationem, quæ omnia perfectius in diuini Verbi, & naturæ humanæ reperiuntur connubio; sponsalia namque seu Incarnationis nuptiarum in antiquis illis patribus præcessit promissio, quæ nuptiæ in plenitudine temporis celebratę sunt in thalamo intemeratæ Virginis.

Communicatio verò bonorũ vtriusq; coniugis, talis fuit ò anima mea, quòd vtraque videlicet natura, proprietates suas cum altera communicante, propterea quòd vnam eamdemque personam constituunt; mutuoque in se immeant, ita vt dicatur, Christus, Deus & homo, mortalis, & immortalis, creatus, & increatus, & sic de singulis, vt videri potest apud D. Ioannem Damascenum lib. 3. de fide orthod. cap. 4.

S.Ioan. Damasc.

Nexus autem ita indissolubilis, quòd neque mors ipsa illum præscindere potuit, quę potuit animam separare à corpore in illo triduo, at Verbum diuinum neque ab anima nec à corpore seiungere valuit.

Quartum, quòd has etiam nuptias comitatur, est & filiorum Dei spiritualis generatio, non solum quando dedit potestatem filios Dei fieri, sed & quan-

do dixit de Cruce: *Mulier, ecce filius tuus*.

Cuius rei in Prothoplastis figura præcessit: Eua ex Adæ costa formata fuit, quòd si formationis modus non obstaret, vtique Eua Adæ filia dicenda foret; educta illa prima mulier ex ossibus, & Adæ carne: lib. Genes. cap. 2. nu. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis*, inquit ipse, *& caro de carne mea*; nihilominus cum esset Eua formata ex Adam, vna cum ipso facta est mater cunctorum viuentiū. Vita naturę, quid ni, secūdi Adami Maria filia est, & mater, & sponsa filiæ nomine potitur, quia formata fuit ex ossibus meritorum Christi: matris quia Verbum diuinum ab ipsa Virgine fuit carne vestitum, ipsum ipsa genuit, portauit, peperit, & lactauit, & hoc vno generato, facta est omnium mater; vndè dicebat pijssimus Guarric. Abbas serm. 2. de Natiuitate. *O mater incorrupta, Virgo fæcunda, filius qui datus est tibi, filios dedit, vt sint omnes conformes imaginis eius, & ipse primogenitus in multis fratribus*; quapropter & sponsæ nomine gaudet, dum vna cum Christo sub arbore Crucis quando stabat iuxtà Crucē Iesu, generauit nos ad vitam: quòd si ex Adam & Eua nati sunt omnes homines, ex Christo; & Maria omnes Sancti, & electi, & quos tunc genuit, nunc lactat, pascit, & nutrit suis meritis, & intercessionibus, dum pro nobis orat, rogat, & intercedit, impetrat, & saluat: quia sicut Eua dicta est mater omnium viuentium vitæ naturæ, quia de eius radice procreati nascuntur: sic Maia effecta est mater omnium viuentium vita gratiæ, ad quam per ipsam sunt regenerati: mulier non efficitur mater nisi primo sit sponsa: Maria Christi mater est quia ipsum genuit, sed Christi sponsa: quia nos cum Christo, & in Christo genuit ad vitam. Spectanda sunt verba pijssimi Riccardi lib. 2, par. 1. *Mater nostra Maria, quæ licèt non nisi vnum filiū genuerit, in eo tamen spiritualiter mater esse Tā est mágna multitudinis filiorum, quorum primogenitus Christus est, cuius est mater, & vera sponsa*; verum inter Christi sponsas primatum obtinet Maria, vt prima & principalis sponsa. Ad memoriā reuocare memento ò anima mea parabolam illam de decem virginibus, quæ exierunt obuiam sponso, & sponsæ, vt habetur in Matthæo Euang. cap. 25. in qua habes Christum & Mariam sub nomine sponsi & sponsę descriptos; Maria sponsa vt ad sponsi nuptias intraret non exijt in occursum sponsi, vt cæteræ Virgines, sed procedebat vna cum sponso, cuius lateri adhærens veluti sponsa manu ad manum ducebatur.

Genes. | Guarric. | Riccar. | Mat. Eu.

Cur Maria sola non venit obuiam sponso cum cæteris virginibus? nonne & ipsa Christi sponsa? simul & Virgo, vtique, vt prima Virgo; sic & prima sponsa, sed notandum est, quòd sub numero illo denario omnes filij Adam, & vniuersitas totius Ecclesiæ comprehenduntur, & intelliguntur, Maria non intra vniuersitatis numero includitur, sed extra numeraria sola computatur cum Christo.

O Maria, ò Virgo benedicta, quid dicam? Et quibus laudibus te efferam nescio? tibi soli non datur in occursum sponsi venire, sed benè vna cum illo procedere, cur hoc? Nisi quia illius est tantummodò obuiam alicui ire, qui ab eo aliquando auersatus est: quando Sanctus Euangelista testatur, Virgines illas exijsse obuiam sponso, quia vt filiæ Adæ peccati originalis macula à Deo erant auersæ, dùm ad illum conuertuntur, meritò Christo in obuiam procedere, seù exire dicuntur: at Virgo Maria, vt purissima, quam nulla vnquam peccati sordes auertit à Deo, dùm conuersio nulla opus erat, non exire, nec misericordiæ, seù remissionis oleum quærere dicitur, sed vt purissima, et principalis sponsa cum Christo ad nuptias procedere. Ad hæc respicere videntur verba illa Diui Chrysologi serm. 140. *Peruolat ad sponsam festinus interpres, vt à Dei sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum, neque auferat ab Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cuius est in vtero pignorata cum fieret*; quid pignorata? hoc est pignore honestata, quum ei loco pignoris, et arrhabonis data est gratia, et iustitia, quasi munera antenuptialia, cum fieret, ideo à sua prima formatione, tunc in matre, et in sponsam destinauit, et vt principalis sponsa, et purissima, non cum virginibus venit in obuiam, sed cum sponso ipso procedit ad nuptias.

B. Petr. Chrysol.

Quæ vt à Verbo Dei celebrarentur cum natura humana Virgo sola apta fuit, vt præberet assensum, qui vt esset effi-

efficax, necesse fuit, vt exiberetur à Virgine; quam necessitatem præmonstrat D. Augustinus in Genes. cap. 28. dùm sic inquit. *O Beata Maria sæculum omne captiuum, tuum deprecatur assensum: te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur*; quæ verba vt capias notandum est primò.

D. Aug.

Quòd in nuptijs celebrandis, id quòd causam, & rem continet, & nuptias, seù matrimonium perficit, præcipuum est, versus vtriusque coniugis consensus: vt sibi Deus Ecclesiam desponsaret, & stabili connubio copularet, sponsæ consensus erat necessarius, mundus totus peccatorum vinculis tenebatur captiuus, solui non poterat, nisi indissolubili vinculo vnionis hypostaticę naturę humanæ copularetur Deus: natura vt corrupta erat infidelis, nam pluries pacis fędera rupit, ideò sicut in ea tuta non erat fides, sic nec ei credendum, & absq; sponsæ consensu nuptiæ celebrari minimè poterant: quid factum est? inquit D. Augustinus: *Mariam Deo mundus obsidem fecit*: Obses teste Fausto, idem est ac ob fides, quia ob fidem datur, ne contra sponsionem datam aliquid committatur, & fides frangatur, ideò in obsidem nō accipitur, nisi fuerit innocens, immunis; vndè non dantur nisi pueri, infantes, & Virgines, qui nunquam læserunt, nec fidem frangere, nec pacis fędera disrumpere nouerunt.

Faustus.

Ideò cœlitus dispositum est, vt mundus totus Mariam Deo suæ fidei obsidem daret, quæ nec Deum suo peccato vnquam læserit, nec cum eo pacis fędus violauerit, neque ab eo vllo modo se auertit, vndè fœdere suo fecit, vt fędera nostra cum Deo inita firma essent, & rata, & illius fides vna pro omnibus valeret, in diuini Verbi nuptijs copulandis, & mundum pacisci, & Deo reconciliare potuerit?

O Maria, ò Sanctissimæ Trinitatis vera sponsa, tuæ naturæ incorrupta integritas, quæ in reliquis omnibus erat per culpam viciata, veluti inconstanti, fides adhibenda non erat, fidem omniū euicit, suffecit, & ad optatum exitum salutis perduxit, ipsa sola cum humana natura ad paciscēda Verbi Dei connubia, & nuptias apta, & digna fuit, & per ipsam mundus totus emendatus saluti datus est. Audi D. Augustinum. *Ad pretiosissimum connubij thalamum electus est Virginis vterùs; & qui ex se peccati sordibus squalidus effectus fuerat veniens Creator mundi, ex mundis visceribus effusus est in mundum, vt immundum mundum redderet mundum.*

D. Aug.

Tua puritate, tua integritate, tua fide munda ò Maria animam serui tui, en fide munitus, spe obtinendi, se sub hoc Ramusculo colligit, vt mundatus à sordibus, exeat obuiam tibi ò Dei sponsa, tuis meritis mereatur introire ad nuptias, & benedicere nomen sanctum tuum, quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei: te præcor, ò Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea. Sub vmbra huius Ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE SPONSÆ, ET SPONSI sui familia.

RAMVSCVLVS TRIGESIMVSSEXTVS.

Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei. Luc. cap. 1.



O Flagrans Dei amor, ò ęterna dilectio charitatis Dei, ò Virginis humilitas, & purissima puritas quid fecistis? quomodo conuenistis in vnum? sic humiliastis Maiestatem Verbi Dei Patris? quando sic illi humilem Virginem desponsastis, Virgo haberet Deum sponsum, vt Verbum illud, quòd æterna generatione nascitur ex Deo Patre in forma Dei, idem homo in plenitudine temporis sanctum nasceretur in carne ex Virgine matre: ò amor, ò puritas, ò humilitas, humilem sic exaltastis Virginem, vt creatura, mater simul & sponsa sui esset Creatoris, vndè cantat & exultat. *Et qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*: & ex humanitatis assumptione in Deum, & ex huius vi, & priuilegio sacri connubij Deus transiret ad hominem, factus homo, & Maria coaptaretur in familiam sui sponsi. Eccl.

Lege non tantum humana, sed etiam & diuina cautum est, quòd sponsa transeat in mariti familiam quoad humanam est Ius l. quicunque, C. de re milit. quoad diuinam statutum erat apud Hebræos, quòd sponsa translata in domum sponsi, sponsi parentes pro suis duceret, ac nominaret. Hæc originis mutatio apud eos erat solemnis, quòd autumare videtur Sanctus Euangelista Matth. cap. 1. in genealogia Mariæ, & Iosephi, ipsius Virginis sponsi parentes aui atauí numerantur non autem ipsius Mariæ, ex eo quia statim, quòd Iosepho se nupsit Virgo de ipsius sponsi familia, & origine censeri cæpit.

Seruata hac lege cum Maria, per incarnationis mysterium, cui ipsa præbuit consensum, & carnem, qua Verbum Patris se induit, ministrauit, ipsiusmet Verbi Dei effecta iam sponsa, in sponsi familiam migrauit, mutata parentum suorum prima origine in Dei familiam, cui nupta est transiuit, & migrauit.

Et effecta Virgo Maria merito nuptiarum incarnationis Verbi Diuini cũ natura humana, de familia huius sponsi, qui cum sit Deus ex Deo vero, sic Maria singulari dono effecta est Christi sponsa & Dei Patris filia.

Hoc Dei Patris filiæ nomine cohonestauit eam Spiritus sanctus in cap. 24 Eccles. si mysticè illa verba interpetrari volumus, filia patris abscondita, nam ly abscondita, si ad Deum referamus explicat, quid proprium ipsius Dei, quòd est esse absconditum, esse inuisibile, est proprium illius naturæ diuinæ. *Et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi*, & illud: *Ora Patrem tuum in abscondito*, & clarius Isaias cap. 45. nu. 15. *Verè tu es Deus absconditus*: Si Spiritus sanctus, quando Maria per incarnationis mysterium illi desponsatur, & Dei Verbi mater efficitur tribuit nomẽ filiæ, & filiæ absconditæ, & nominis prę stitit proprietatem, tunc ex tunc coaptata Virgo in familiam sponsi huius, qui cum sit Deus, quid miraris anima mea, si sacri huius connubij nexu migrans illa in Dei familiam, bonorum omnium, & proprietatum communicabilium illius, euius est filia mater & spõ sa particeps efficitur, absconditus ille, abscondita & illa, vt cum Diuõ Euang. Luc. cap. 1. verè tu valeas Virgini benedictæ dicere, *Ideoque & quòd nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Mat. e 6. Isai. Pro. Luc. Eu.

O altitudo dignitatis Mariæ nimis profunda, ò ineffabilis eius sublimitas,

quæ

quæ sua hac immensitate Virgo redditur abscondita, & incompræhensibilis, itavt ad suæ cognitionis intelligentiam non possit plenè eleuari oculus infirmitatis humanæ, nec intuitus puritatis Angelicæ, quoniam Virginis, & maternitatis Dei cognitio cognitionem videtur æmulari diuinam; Dei enim qui non capit bonitatis abyssum, & in Virginis, & suæ dignitatis maternæ cognitione caligare necesse est, quòd videtur astruere D. Chrysolog. serm. 140. de Annunciat. Mariæ Virgin. *Tanta est Virgo vt quantus sit Deus satis ignoret ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animũ non miratur.*

D. Chrys.

Hæc est in Virgine illa admirabilis lucis, & vmbræ simul copulata connexio, quam & D. Ioannes in Apocalyp. cap. 12. vidit amictam Sole, & Angelus eam salutans obumbratam vidit virtute altissimi, si eam obumbrat lux altissimi, quonam pacto potest eam amicire corpus Solare? ò anima mea quid est hoc? quis vnquam obumbratur vmbra, & vestitur luce clarissima? & qui cooperitur lumine Solis videatur simul & semel lucis obtectus vmbra? quæ societas lucis ad tenebras? si lux & tenebræ in eumdem locum & subiectum neque unt simul conuenire, quid est hoc in Virgine? amicta Sole, & pariter & simul obumbrata virtute altissimi.

D. Io Eu.

Huic obiectioni respondet D. Gregorius Nanz. de Theologia lib. 2. dicens, quòd Scriptura diuina de Deo hæc duo affirmat, quæ primo intuitu videntur contraria. Primum est illud, quòd ad Thimot. scribit Apostolus epist. 1. cap. 6. nu. 16. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.* Secundum est illud Psalmistæ, quòd, *Deus posuit tenebras latibulum suum*, Psalm. 17. n. 12. & quid luci magis opponitur, quã vmbra, & tenebræ? si Dei domus est domus lucis, quomodo potest simul esse domus caliginis, & vmbræ?

D. Greg. Nanz.

Paul. Ap.

Ps. 12.

Vt capias, quæ dico velim attendas, quòd illa lux inaccessibilis, quam Deus inhabitat, est splendor, & illa gloria maiestatis diuinæ, immensa, increata, ineffabilis, quæ est fons omnis luminis, claritatis, et cognitionis Dei, imò est ipsemet Deus, qui domum propriè non habitat, sed habitat hoc est existit in seipso, hæc lux dicitur inaccessibilis, non Deo, sed nobis, nobis enim lux illa non est lux, sed caligo et tenebræ, hoc est, quòd accinit Propheta Sanctus: *Posuit tenebras latibulum suum*; ac si dixisset latet Deus in tenebrosis nubibus, quasi in loco abdito, ipse facit, vt tenebræ pro latibulo sibi deseruiant. Audiamus de hac re Diu. Areopagitam qui sic scribit ad Dorotheum epist. 5 *Caligo diuina est inaccessibilis, in qua habitare dicitur Deus: hæc inuisibilis propter eximiam claritatem, & inaccessibilis propter immensam luminis copiam*; lux ergo Dei infinita, in scriptura sacra caligo et nubes est; quia perstringit oculos nostros, ita vt non magis immensam hanc Dei gloriã intueri possimus, quàm intensissimas tenebras, caliginem seu nubem atram.

D. Areop.

Deus enim noster, licèt in semetipso sit lux immensa, hac sua luminis immẽsitate oculo nostræ compræhensionis est veluti atra nubes, et quamuis in patria suæ claritatis lumine adiuti, vt possimus illum videre, intueri, et frui, nihilominus nobis erit semper incompræhensibilis: caligo et nubes sunt illi veluti tabernaculum, quo ipse vndique tegitur, et totus absconditur, quia nunquam totus compræhenditur.

Absconditus Deus abscondita et Maria, quæ desponsata Spiritui sancto, et huius sponsi operante virtute Dei mater efficitur, in Dei familiam coaptatur, obumbratur virtute altissimi, et sub vmbra hac apparuit amicta Sole, et in Deũ ipsum transformata. *Posuit tenebras latibulum suum*; quia tecta vmbra illius lucis æternæ, oculo cuiuscumque intelligentiæ, siue humanæ, siue Angelicæ lumine tantæ dignitatis maternæ redditur inaccessibilis, incompræhensibilis et abscondita; vndè, *Pauet Cœlum*, vt inquit D. Chrysolog. *tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, Cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius vteri mercedem conquirat, & impleat illud Propheta. Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris.* Hic diuinus fructus efficit Virginem absconditam, et reddit abscondentem.

D. Chrys.

O abscondita mea absconde me in abscondito faciei tuæ, vt tua adiutus, et irradiatus vmbra, quantum fas est crea-

turæ

turæ valeat cor meum te intueri, sentire, delectari, & frui, si non plenè, seu perfectè intelligere. quòd enim in te ò Maria contemplatur absconditum quidem est ei, & te illi verè reddit absconditam: & quæ mens vnquam meruit tui pectoris penetrare secretum? vel ad tuũ virginale peruenire cubiculum? quòd penetrauit, & solum inhabitat ille, qui *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* O miracula ò prodigia. Virgo quæ erat pusillum humanitatis hospitium, facta est magnum Deitatis templum, & quem non capiebat pusillitas humani corporis, cæpit virginalis vteri magnitudo. O quàm verè te absconditam appellat anima mea, dum virginitatis possides decus, & matris simul perfulis dignitatẽ: verè abscondita es ò Maria, quæ & superni conceptus meruisti gratiam, sustulisti pariter integritatis coronam: verè abscondita ò Virgo, quæ & superni germinis in te suscepisti gloriam, & Regina totius æquè extitisti castitatis, verè te confiteor absconditam, quæ fuisti cęlo maior, fortior terra, orbe latior, dũ intra tui vteri claustra absconditum portasti eum, quem totus non capit orbis, portasti eum qui portat orbem, genuisti genitorem tuum, & qualiter in te Verbum Patris carnem assumpsit, absconditum est oculis omnium viuentiũ.

D. Chrys. *Quòd natura non habet*, inquit D. Chrysolog. serm. 143. *& vsus nescit, ignorat ratio, mens non capit, pauet Cęlum, stupet terra, creatura miratur, quomodo sermo narrabit humanus?* quòd per Gabrielem Mariæ nunciatur, hoc est in Maria Virgine Verbum caro factum est, & Deus factus est homo.

Er hic quidem quo virtutum splẽdore matrem fecit absconditam, ipse matris dignitate fecit & abscondentem, quando qui lux erat æterni luminis, se abscondit in laterna claustri virginalis, vt & tu verè dicere possis, *verè tu es Deus absconditus*, qui natura sua est inuisibilis, & fugit aciem Angelorum, æquè & hominum per assumpti corporis arcanum sacramentum, quo Deitas eius carnis regumento cęlatur, & absconditur

Haba. Pr. in vtero matris, quam Habacuc Propheta cap. 3. n. 6. meritò vocat montem vmbrosum: *Deus ab Austro veniet; & sanctus de mõte Pharan*, Septuaginta legũt

Septuag. *Deus ab Austro veniet: & sanctus de monte vmbroso*, hunc versiculum intelligit D. Hieronym. in comm. de Christi Domini natali, quoniam natus est in Bethleem quæ plaga potitur Australi. D. Hier.

Verum Rupertus Abbas interpetratur de Virgine matre, quæ mons vtique dicta est vmbrosus ex multitudine virtutum quæ vmbram in eam efformant, & cęlesti quadam obscuritate reddunt vmbrosam, & diuinitus absconditam, & ab scondentem: sic & Agellius in hoc loco, *Nonnulli montem vmbrosum B. Mariã semper Virginem accipiunt, qui mihi sic allegoricè placet exponere, optimè intellexisse videntur.* Rup. Ab. Agell.

Et quidem satis propriè Propheta appellat Virginem montem vmbrosum dum carnis vmbraculo carnem illam veram contexit, Verbum enim Patris: quoad eius naturam diuinam ab Austro venire meritò testatur Vates Sanctus, quia nascitur ex lumine Patris, & ex calore diuinitatis suæ, sed de monte vmbroso, & condenso perhibetur venire quoad naturam humanam, qua in vtero matris factus homo, lumen illud inaccessibile ad nostram aciem temperauit, quando Maria Virgo genitum à Patre carne vestiuit, & in vtero, & in tabernaculo sui pectoris abscondit, vt de illo dicatur, verè tu es Deus absconditus in vtero virginali.

Et quæ erat abscondita facta est mõs vmbrosus Deũ ipsum abscondens, quòd expressit Angelus quando dixit illi, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: en absconditam. Vis intelligere abscondentem, *Quòd nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*: & quis est sanctus iste? nisi ille de quo Propheta, *Et Sanctus de monte vmbroso*, obumbrans, & abscondens Deum sub tegmine carnis: sistamus hic verba D. Athanasij quæst. 117. *Deus à Themã veniet, & Sanctus de monte opaco, & denso: mons autem ibi dicitur Virgo Maria.* Luc. E. D. Atha.

Et D. Methodius hom. de Purificat. Mariam salutans in hæc verba prorupit, *Salue amoris Dei thesaure, salue fily erga genus humanum fons propensionis, salue Sancti spiritus mons inumbrate*: inumbrauit eam Spiritus sanctus, quando in sui familiam eam desponsando sibi coaptauit, tunc absconditam, & abscondẽtem simul effecit, ita vt Maria Spiritus sancti verè potiretur titulo sponsæ, Verbi Dei matris nomine, & æterni Dei D. Meth.

Patris filia singularis singulariter diceretur abscondita.

Vt capias quæ dico, nota, quòd Verbum Patris generatur, & nascitur ex notitia illa æterna, & intellectuali, ipsum solum in diuinis nominibus duntaxat gaudet nomine filij, Spiritus sanctus verò licèt etiam à Patre procedat, & est persona diuina, quemadmodũ & filius: si quæras cur persona secunda filij, & non persona tertia Spiritus sancti obtinet, & portat nomen filij? sic tibi respõdet D. Augustinus lib. 7. de Trinitate, *Solum Verbum est filius, quia solum Verbum est imago: ex hoc filius portat nomẽ filij, quia ipse solus est expressa Patris imago, Spiritus autem sanctus verè procedit à Patre, sed eius processio non est per intellectum, sed per voluntatẽ: voluntas enim non assimilat sibi obiectum, & ideò Spiritus sancti processio non dicitur generatio, vt est illa Verbi sed tantum processio nominatur, Verbum namque diuinum, quia est Patris imago, & substantialis eius conceptus, Patrem repræsentans, & patris imaginem verè exprimens virtute imaginis ipsum solum vocatur filius, & filij nomine gaudet & lætatur.*

D. Aug.

O Maria ò Virgo dum more diuino, ac si esses diuina tecum agit Deus, & quòd est proprium ipsius Dei, tibi tribuit, simul & filiæ nomen: quid dicam? quibus laudibus, & cœlestibus encomijs te efferam? nisi absconditæ nomine, & filiæ titulo, quibus ipsemet Deus te honorare complacuit, verè ò Deipara, verè ò cœlestis sponsa, tu filia patris abscondita.

Et huius dignitatis tituli in promptu est ratio, & huius diuini nominis exposita est causa. Cunctæ quippè creaturæ rationales ex vi generationis primi hominis, à quo trahunt originem, debitum portant, & contrahunt culpæ originalis, ex quo licet prima earum figura erat ad Dei imaginem, & similitudinem, sic enim Deus formauit primũ hominem, in cuius creatione dixit verba illa Genesis, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: qua fœdata peccati luto in primo parente, & in ipso, & in cunctis ab eo descendentibus abolita quodammodo remansit illa diuina imago, & à primo suo exemplari deformata, & corrupta illa diuina similitudo.

Genes.

At Virgo quia prælecta, & prædestinata fuit ad nuptias diuini Verbi cum natura humana, vt illa, quæ ex vi huius sacri, & casti connubij migratura erat ex parentum familia in originem sui sponsi, qui natura sua cùm sit Deus, quando Virginem, quam sibi ab æterno elegerat in sponsam, fecit concipi in aluo matris suæ, tunc temporis coaptauit eam in Dei familiam, vndè Maria nec progenitorum portauit culpam, nec primi hominis secum debitum trãsgressionis traxit quapropter nec imaginem Dei in se fœdauit, nec similitudinem perdidit, sed seruato integræ imaginis primo exemplari, purissima vt Dei filia fuit concepta, & Dei filiæ nomen obtinuit, & Dei filia iustè ac iurè nominatur, & appellatur. Audi non me, sed D. Filibertum Carnut. in salutatione Angelica: *Virgo electa insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis quia paritura eras Creatorem totius sanctitatis.*

D. Phil.

O Virgo, ò Maria, ò vera Dei sponsa, tu sola Dei imago, si sponsus, cui despõsata es, est Deus, & Dei patris Verbum, ò anima mea quid miraris, si diuinitatis radium vides relucere in Virgine? Nam huius coniugij priuilegio, & ineffabili vinculo factum est, vt bonis omnibus, quæ sui sponsi sunt, fruatur & ipsa, quæ idcircò suæ oblita originis, & eius, quæ sui sponsi est ascripta, & coaptata familiæ, & consociata prosapiæ, dicere nunc Mariam sui diuini sponsi diuinarum participem fuisse proprietatum quis ambigebit, si cum sponso de eiusdem censetur familia, & domo? Deus ille igitur, diuina & ista. Attende quando ad huius sponsalitij cõtractum celebrãdum missus est Angelus à Deo, sic inquit Euang. cap. 1. num. 26. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazaret, ad Virginem desponsatam viro*; cur ad desponsatam mittitur? ò anima mea? si Deus prælegerat nasci ex Virgine, cur voluit Iosepho hanc Virginem primò desponsari? si Deus in voto virginitatis Virginem seruare præoptabat, vt homo nasceretur ex ea, cur primò homini desponsatam quæsiuit.

Luc. 1.

Respondet D. Athanasius in epist. ad epitetum. *Quæsiuit Virginem desponsatam Deus, vt ex sponso ostenderetur Mariam verè hominem esse*; O Dei sapientia, ò sublimitas, & dignitas tantæ

D. Ath.

Vir-

Virginis, Virgo erat Maria, & virginitatis voto se iam Deo astrinxerat, & Deus pater elegerat ab æterno eam in filij sui matrem, cur ex speciali mandato suo voluit vt primò Iosepho traderetur in matrimonium, quàm tanta potiretur dignitate? dicam quæ sentio, vt ex sponsalitio cum diuo Iosepho cõtracto, omnibus innotesceret & manifestè appareret Mariam esse verè hominem, & ex massa communi Adami natam. O profunditas sapientiæ Dei, ò altitudo diuini consilij: rogo te, ò Deus cordis mei, dic & reuela quæso animæ serui tui, si Maria prius non desponsaretur, nunquid non erat homo? & ex massa illius primi hominis? Homo vtique erat, & ex homine; sed quia plenitudine gratiæ, & diuinitatis euacuauerat, quæ hominis erat: homo enim vanitati similis, & vniuersa vanitas omnis homo viuens, Maria verò quia donis cælestibus, & Spiritus sancti charismatibus plena, et superplena fuit, homo erat, sed imaginem primi hominis in statu innocentiæ conseruabat, vnde quidquid perfectionis erat in Angelis, maiori cum splendore relucebat in Virgine, et maiori cum perfectione micabat ipsius Dei imago: audi D. Augustinum in serm. de Natiuitate Domini. *Propterea Maria mater electa est, & super omnes creaturas prælecta, omnibus gratijs fœcundata, omni virtute, & sanctitate repleta in vtero, vt de mundissima matre mundissimus filius nasceretur*; Et sicut filius in cœlis habet patrem immortalem, & æternum, sic & in terra haberet matrem omni corruptione carentem, & tàm puram, & mundissimam, vt expressè videretur in terra, quasi vna noua diuinitas, & in natura humana nouum miraculum, & in mundo nouum prodigium, & inter filias Adæ vna noua diuinitatis imago; ita'ne tantæ claritatis splendore mentis oculi caligarent hominum, sed verè intelligerent illam esse hominem ex communi primi hominis massa, opus diuinę sapientiæ fuit, vt prius Iosepho traderetur in sponsam, quam desponsaretur Verbo, cuius sponsalitij priuilegio effecta est sponsa; & in sponsi coaptata est familia, vt potius Maria videretur diuina, quàm creatura humana, potius videretur Dei Patris filia, & Christi sponsa, sponso cui nupta erat omninò persimilis, quàm filia Adæ, & quòd sponsus gaudet natura, Maria gaudet huius sponsalitij gratia, & priuilegio, & etiam diuini amoris incendio, quo fortiter ardebat, & in Deum ipsum; cui vt posset Virgo aptè nubere, iam primò transformauerat. Quas ius gentium obseruabatur olim à priscis illis, illud quòd nobili metro conclusit Poeta; *si qua volet nubere, nube pari*; quæ parilitas, seù æqualitas, & similitudo inter eos, qui matrimonio coniugendi erant, tanta erat quondam apud Romanos, quòd nec dùm in sponsis illam attendebant, sed etiam in eorum nominibus, vndè nuptijs iam solemniter celebratis, cùm spõsa ad sui spõsi domus limina peruenisset mos inoleuerat ei dicere: *Vbi ego Caius, tu verò Caia*; cur hoc? fortassis, quia ex sola, & perfecta similitudine nascitur verus amor, quapropter, & Deus ipse in primis illis nuptijs in terrestri Paradiso celebratis, quùm inter cuncta animantia iam creata non erat animal Adæ persimile. *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius* cui in matrimonium coniungi posset, noua creatione Deus formauit Euam, quando *tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*: cui vt possit Adam aptè nubere, voluit Deus vt vxor illi omninò similis in materia: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*; Similis et in spiritu: *Erunt duo in carne vna*, & similis, & in nomine, *vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est*.

D.Aug.

Genes. c.2.n.20.

Genes. c.2.n.23.

Sacramentum hoc magnum est. ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, hoc est in Maria, quæ vt pura creatura tantò connubio ex se vtique nec apta, nec idonea quidem erat, at quòd denegabat natura, suffecit amor, & quid non potest amor omnium artifex? qui difficilia, & impossibilia quęque superat & vincit.

Paul.Ap. ad Eph. c.5.n.32.

Quando Virgo dixit Angelo, *quomodo fiet istud*, vt creatura desponsetur Creatori, vt fęmina concipiat Deum, paruula capiat immensum, mulieris vterus contineat illum, quem cœli capere non possunt, respondet Diu. Idelphonsus serm.7. de Assumpt. Virginis; *Amasti & peperisti, amanti enim nihil impossibile*.

Luc. c.1. nu 34.

D.Idelp.

Diuinus amor figuratur in illis Sera-

Isaias. phinis, quos vidit Isaias c. 6. qui simul & stabant & volabant, stantes describit dum dicit; *Et Seraphim stabant super illud*, & quia sex habebant alas, vidit etiam & volantes: *Et duabus volabant*: Si volabant, quomodo stabant, & si stabant quomodo volabant: hic est status, & ordo diuini amoris. quòd standi modum habet, & sic stat, vt indesinenter volet, & sursum feratur, stat ignescens, & incandescens animam, & quia alatus est ala sua volat, & sursum fertur ad eum, quem ardenter amat, & quò magis ardet, magis volat, & quò magis volat, eò ardentius accenditur. *Ala charitatis*, inquit Diuus Ambrosius in psal. 118 octauario 19. *ala ignis, quibus dilectionis inflammat ardorem*. Sed clarius D. Bernardus serm. 4. de verbis Isaiæ. *Quò enim Seraphim volant, nisi in eum, cuius ardent amore? vide flammam quasi volantem, & stantē simul, nec miraberis iam Seraphim stantes volare, stare volantes*. Hic amor alatus stando ardebat in corde Virginis, & stans volabar, quia alatus & volabat ad eum, cuius ardebat amore, dum stat nescit stare, quin volet, vt perueniat ad amatum, copuletur amato, adhæreat, vniatur, agglutinetur, & trāsformetur, & sic vnum cum amato vt si fieri possit idem ipsum esse, quòd ipse: O vis amoris, ò incendium dilectionis diuinæ ardens in pectore Virgi is sic incanduit, sic transformauit in Deum, vt contracto iam sponsalitio non more Romanorum, *vbi ego Caius, tu verò Caia*, sed more Dei, vbi ego Deus: tu verò ò Maria, & si non Deus, saltem diuina, quando sic erat in Deum tota transformata. quòd & si nō erat Deus, tanto diuinitatis splendore erat circumfusa, quòd uidebatur non pura creatura, sed Deus, qui sui diuini amoris igne sic Virginem purificauit, mundauit, segregauit, & abduxit ab omnibus humanæ naturæ imperfectionibus, quòd nō solum diuinitatis suauiolentiam, & odorem efflare uidebatur; sed quòd verè esset Deus, & hoc non apud uulgares homines illius primeuæ Ecclesiæ, sed apud peritissimos ac doctissimos uiros; Diuus enim Dionysius Areopagita scribens diuo Paulo Apostolo magistro suo sic fatur: *Testor Deū qui adorat in Virgine nisi tua diuina concepta me docuissens, hanc ego verum Deum credidissem*, O Maiestas, ò gloria

D. Amb.

D. Bern.

D Dion.

tantæ Virginis, quam & si hic Sanctus eam, non potuit appellare Deum ex ijs, quæ relucebant in Virgine, non potuit non appellare Deiformem quando dixit: *Quàm ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis*: quo titulo condecorauit eam D. Hieronymus serm. de Assumpr. Virginis. *Si formam Dei te appellem digna existis*, sanè intelligendi sunt, quia non de forma substantiali loquuntur, sed de forma accidentali, & figura extrinseca, ex eo quia & species vultus, & verba, & motus, facinora, gesta & quidquid Maria operabatur, & loquebatur diuinitatis olebant odore, & fragantia, erat Adæ filia, sed quòd relucebat in ea magis diuinum erat, quàm humanum, sic erat ipsa in sponsi sui transformata similitudinem, & quòd cum eo erat vna mens, spiritus vnus, & nomen vnum, & idem; & si hoc datum est Euæ, cur non Mariæ desponsatę Deo, & in Dei familiam iam ascriptæ. S.Hiero.

De Virgine dictum est, quòd in Genes. cap. 1. num. 26. legimus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: Perscrutemur attentius hoc Dei præscriptum, quod quidem commune est Angelis, & hominibus; quoniam & homines, & Angeli vt docent D. Augustinus lib. 12. de Trinitate, & D. Basilius hom 10. in Exam. creati sunt ad imaginem Dei: naturæ intelligentis est homo quemadmodum & Angelus, sed peccato primi hominis factum est, vt hæc diuina imago in cunctis hominibus deformis esset, Maria duntaxat accepta, quæ Dei sui nunquam in se fœdauit imaginem, nec vnquam deformauit similitudinem, sed iuxta originale exemplar, à quo primum ipsa translata fuit semper Deo simillima. Genes. D. Aug. D. Basil.

Huius veritatis Rup. Abbas factus scrutator pijssimus similitudinem hanc dicit stare in homine, vt homo ipse per illam esset aliquod diuinum, & Dei diuinitatis particeps, & illi quasi consocius. Hæc sunt verba illius. *Quasi dixisset faciamus hominem, qui trinæ operationis nostræ in semetipso habeat euidentiam*, Quid est trinæ operationis Dei habere euidentiam: *Nisi faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, qui intra seipsum habeat operationes diuinas: imago enim Dei in sua creatione homini præstita à Deo stat in imitatio- Rup. Ab.

ne

ne illarem operationum, quæ in diuinis dicuntur ad intra diuinarum personarum.

Exempli gratia Deus Pater intelligens, ac perfectissimè seipsum cognoscens comprehendit immensitatem suorum attributorum, & omnium suarum perfectionum, quæ Dei patris cognitio hoc operatur ad intra, quòd intelligendo generat Verbum, quòd est naturalis, & perfectissima imago sui, illi per omnia coæqualis, coæterna, & consubstantialis.

Et vt sui factoris existeret homo imitator, Creator ipse formauit illum ad suam imaginem, & similitudinem; quapropter habet homo ex sua creatione (quantum fas est creaturæ) quasdam operationes ad intra diuinis operationibus quodamodo consimiles, & signāter Dei patris; homo enim seipsum intelligens operatur ad intra, dum hac sua intellectione conceptum generat, & imaginem efformat omninò similem obiecto, quod intelligit, intelligendo suę creationis originem, intelligit, & agnoscit se creaturam esse, simul & facturam manus illius, qui verè est Deus: intelligit, & se esse imaginem illius exemplaris diuini, à quo sua imago desumpta est, & expressa, quam habet referre, & repręsentare; homo ergo ex debito suæ creationis habet Deum repręsentare, & exprimere tamquam suum exemplar. De ratione imaginis vt dicit Diu.

S. Thom. Thom. par. 1 q. 35. art. 1. est similitudo in natura specifica, homo & Deus, vt diuersa est natura, & substantia: ita & imago, solus filius propriè & verè est imago patris, quia ita procedit à patre per modum similitudinis in eadem natura, non solum specifica sed etiam numerabili, vt ex vi suæ productionis simillimus sit patri, eumq; perfectissimè repręsentās, nā quorū est imago eadē, eadem est substantia: homo non propriè dicitur imago Dei, sed creatus ad imaginem, ex quo motu debet habere ad perfectionem, & assimilari Deo, qui omnia quàm maximè voluit, & vult sibi fieri similia, quoniam qui similes sunt sibi non longè inter se distant, & homo quò magis perfectioni studet, eò per virtutes proprius Deo accedit, & expressius Dei sui imaginem gerit, & similitudinem: sistamus hic verba Diui

S. Ambr. Ambrosij in exam. de dignitate hominis c. 3. qui sic habet. *Sicut Deus Creator, qui hominem ad imaginem, & similitudinem suam creauit est charitas, est bonus, & iustus, & patiens atque mitis: mundus, & misericors; & cætera virtutum sanctarum insignia, quæ de eo leguntur; ita homo creatus est, vt charitatem haberet, bonus esset, & iustus, vt patiens, atque mitis, mundus, & misericors foret:* quas virtutes quantò plus quisque in seipso habet, tantò proprius est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem.

Cùm ergò hæc hominis imago sita sit in Dei similitudine, vt intelligendo operetur ad intra, licèt sua intellectio non sit notionalis, vt illa paterna, & diuina, quia hac facultate præditus, dùm contemplatur res etiam incorporeas, & ab omni materia abstractas, sua hac intellectione quemdam ad intra generat conceptum, siuè de Deo in quantum sui esse intelligit auctorem, & principium, siuè de seipso in quantum est creatura rationalis habens animam diuinæ naturæ consortem, & sapientiæ, & gratiæ, & virtutis, bonitatis, visionis diuinæ, & æternæ fęlicitatis capacem, incorpoream, indiuiduam, immortalem, intellectu, voluntate, & memoria præditam.

Virtute cuius imaginis oritur & illi cognitio illa, qua intelligit se Deo nimis esse obnoxiū, & ipsum amandi, timendi, & illi inseruiendi & obtemperandi, & eiusdem, cuius est imago vmbram consectandi, & imaginem ipsam, quæ suo peccato est effecta deformis, reformandi, & formosam reddendi, piè sanctèque viuendo; nam quo homo viuit purius eò Dei imaginem repręsentat expressius, & quò per iustitiam, sanctitatem, & virtutes proprius adhæret Deo, & accedit ad ipsum, eò perfectius sui conditoris homo gerit similitudinem: similitudo eatenus est causa similitudinis, & amoris, quatenus nulla improbitas animum parium, atque similium corrumpit.

O anima mea, & quæ ex creaturis (de rationabilibus loquor) Maria purior, & innocentior? quę ex massa primi hominis hac Virgine sanctior, & iustior? si illi, & filio vna erat caro, & eadem, vnus spiritus, & voluntas, quæ Deo vicinior ipsa? & si nemo sui primi exemplaris, ex quo diuinitus trāslatus est sic integrè, & originaliter vnquam serua-

uit

uit imaginem, nec sui Creatoris vnquam sic perfectè contuitus est similitudinem in intelligendo, & in operando ad intra; sic nec vllus illa Deo similior, imò et omnium simillima, vt sic dicatur verius de ea sola; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, nec alterius testimonio vti oportet nisi ipsius Virginis cuius sunt verba illa Prouerb. cap. 8. nu. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequā quidquam faceret à principio. Ab aeterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret*; Et illud Ecclesiast. c. 24. n. 14. *Ab initio & antè sæcula creata sum.*

Genes. c. 1. n. 23.

Prouerb.

Eccles.

Quibus verbis, Trinæ huius diuinæ operationis in se perfectissimè habens Virgo euidentiam, operando ad intra, intellexit Deum sui esse auctorem, & opificem, qui ab æterno, & antè sæcula singulari dilectione dilexit eam, virtutibus, gratijs, donisque supercœlestibus exornauit eam, qui et quemadmodum mundi totius, ita et huius Virginis ab æterno in mente sua diuina gessit exemplar, Ideam, & nomen, qua intellectione agnouit Maria suæ electionis, suæ prædestinationis, suæ dignitatis gradus, modum, & altitudinem, similiter et eiusdem Dei se esse creaturam ad Dei imaginem, & similitudinem efformatam, ad hoc vt esset ipsa sancta, innocens, pura, impolluta, mitis, & misericors, sicut est ille, cuius ipsa gerebat imaginem, & vicem gerebat similitudinis; huius debiti non ignara Virgo, nec suæ obligationis immemor Maria, ad intra operando, hos intra se continuos efformabat conceptus.

Si ad hoc nos elegit Deus, & hoc idem præstitit nobis, vt essemus Sancti, puri, immaculati, mites, inculpari iusti, innocentes, & irreprehensibiles hoc est esse, ad Dei imaginem, & similitudinem formatos, vt docet Apostolus ad Ephes. cap. 1. nu. 4. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate.*

Paul. Ap.

Quantò verius de Virgine legimus verificatum, quæ Dei imaginem in se nunquam fœdauit. Audiamus ipsam, quam sic alloquentem in Canticis cap. 2. introduxit Rupertus Abbas: *Priusquam nascerer, Deo præsens aderam, antequam fierem, benè illi cognita fueram: si enim dicitis, & verè dicitis, quia elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate*; nonne & si de me rectè sentitis, & rectè sentiendo dicitis, quia elegit me ante mundi constitutionem, vt essem Sancta, & immaculata in conspectu eius in charitate; *Et si Dei deliciæ sunt esse cum filijs hominum*, quantò magis deliciebatur cum ista ancilla Domini, quæ miraculum erat cunctorum filiorum hominum, & viua Dei imago. *Faciamus hominem ad imaginem &c.*

Rup. Ab.

Genes. c. 1. n. 26.

Præter illam essentialem Dei imaginem, quam anima præfert, homo habet etiam & Dei similitudinem, quid autem sit hæc Dei imago, & quid hæc Dei similitudo? qua insignitus est homo in sui creatione, vt capias anima mea, vt intelligas, quantum fas est, mens tua erigenda est ad illa diuina decreta, quibus vsus est Deus, in creaturarum omnium creatione, quæ itinera æternitatis Dei vocantur à Propheta Habacuc in cap. 3. nu. 6. *Incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.*

Habac.

Ac si diceret, incuruati sunt colles mundi propter itinera æternitatis eius, quia ipse qui æternus est, ad homines venire, & homines redimere dignatus est, Deus enim ab initio sæculi ad homines venit, quando per Prophetas suos monebat, edocebat, & promittebat se aliquando in carne venturum, ad quam carnem præfigurādam fiebant patribus illis apparitiones, sed in illa forma visibili, & humana, quam in plenitudine temporis assumpturum erat Dei Verbum. & hæc sunt æternitatis itinera, hęc Dei decreta, quæ in in mente sua diuina ab æterno habuit Deus de suis creaturis, & inter illa supereminet incarnationis, & huius sponsalitij decretum, hoc est humanitatis filij Dei, & matris suæ creationis, & illud æternum, in quo præuisa, & prædestinata fuit, & Virginis dignitas, & Verbi humanatio, & rerum omnium productio, vt potentia finita noster intellectus, licèt indiuisibile diuidit vt diuisibile tempus in prius, & posterius, vt possis intelligere, quòd inter omnia illa rerum itinera, seu decreta æternitatis Dei, huius diuini connubij decretum omnium aliarum producendarum creaturarum fuit originalis Archetypus: Spiritus sanctus sic expressit de vtroque.

Ab

Eccles. *Ab initio & ante sæcula creata sum*, Eccles cap. 24. num 14. quòd de se fatetur sapientia Dei in carne passibili, se esse creatam, productam, & conceptam ab æterno, & ante sæcula omnia, & tempora, tàm realia, quàm imaginaria, hoc profitetur Maria de se, vt Dei sponsa, & mater ab æterno fuisse prælectam, & prædestinatam, vt superius probatum est.

Verbum Dei, vt sponsus, & homo: Maria vt sponsa Dei, & mater, illud humilitate se euacuans, hæc virginitatis odore se erigens, fuerunt itinerum æternitatis Dei prima originalia, & principalis Archetypi sponsus, vt Dei Patris imago, Maria sponsa, vt perfecta vmbra illius imaginis, nam vbi nos le-

Genes. Oleast. gimus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, legit Oleaster ex Hebræos, *Ad vmbram nostram*, ideò non dixit hominē velle formare ad imaginē tantū, sed appesuit, & ad similitudinē nostram, hæc est huius mysterij ratio potissima, quia filius Dei est, & Dei Patris imago: Maria non est imago, vt Dei filius, sed tantum delineatio, seù graphij, & similitudo. Creans igitur Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam creauit eum; nam quando Deus manus suas admouit, vt crearet, & formaret primos illos Protoplaustos Adam & Euam, graphicè pinxit illos, hoc est ad vmbrā, & Archetypum duorum illorum æternorum originalium aspiciens adumbrauit eos. Adami fuit Christus exemplar, & Euæ originale Maria, qui idcircò purissimi, & mundissimi creati sunt absque vlla macula.

O anima mea, si exempla ita munda extiterunt, quid originalia? hoc tibi innotescere voluit Deus per ly nostram; *Ad imaginem, & similitudinem nostram.* En Virginis puritas, & innocentia: En Mariæ perfectio, & excellentia, quid mirum si partus est, & conceptus diuini intellectus productus, vt Verbi Dei humanitas à diebus æternitatis Dei: cætera omnia etiam Adam, & Eua ad exēplum huius archetypi creata sunt, quòd annuere voluit Propheta Sanctus; *In-*

Habac. *curuati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.*

Si tui esse ò anima mea, habuit pro exemplari imaginem, & similitudinem vitæ Mariæ, & in vita spirituali creata es, vt viuas, & mortem euadas, sub Virginis huius vmbra siste, & compone gressus tuos, vmbra enim imitationem præfefert semper, dum per omnia corpori cuius opacitate formatur se coaptat, & conformat, ad cuius nutum mouetur, & sistitur, ad cuius esse, & non esse suum esse incipit, & non esse desinit esse: si Virginis vmbram te cognoscis, esto Virginis vmbra, vitam tuam ad illius vmbram compone, imitare, sequere, coaptare, vt tuum esse in ea sistat, à qua cœpit esse, vmbra namque Mariæ non est obscura, non tenebrosa, non mortis, sed vitæ, vt ei dicere valeas, in vmbra tua viuemus ò Maria, quæ cum sit ipsa trans'ata in familiam sponsi, fructus huius vmbræ sunt fructus innocētiæ, puritatis, sanctitatis, & vitę, si vitam optas esto vmbra Mariæ, nam vt inquit pijssimus Riccardus de Sancto Laurentio lib. 12. de laudib. Mariæ. *In vmbra, hoc est, in imitatione B. Mariæ Virginis vita est animæ: vndè dicitur ei sicut de filio, In vmbra tua viuemus in gentibus.* Ricc. de S. Laur.

Tunc puritatis vmbra effecta est Maria, quando ex huius diuini sponsalitij priuilegio libera, & immunis extitit à peccato originali, quòd dum per traducem deriuatur in posteros, mutata familia tradux excluditur, & exciditur, & quòd ex paterna hæreditate tam prauæ familię poterat esse hæredem, vt Dei sponsa liberata est, & itá eleuata, vt & ipsa illis gaudeat bonis, quæ sponsi sui familia deriuantur, & poterant redundare in ipsam.

Dum ergo Maria ex vi coniugij censetur de familia sponsi, abiecit à se, & mutauit vitiosam naturæ corruptæ originem, & acquisiuit illam, quæ purissima est sui sponsi commutans originalem culpam sui generis cum gratia, & originali iustitia dilecti sui sponsi, & sic parentes cœpit vocare eos non à quibus procreata est, sed pro illis vnum sui sponsi parentem accepit in æternum, & meretur vocari æterni Patris filia.

Sed quæ est ratio? vt solius Virginis Mariæ æterno Patri ascribatur adoptio hoc speciali modo? si Dei Patris ipsa non est filia, nisi adoptiua, & filiorum adoptio fit per gratiam, idcircò est à tota Trinitate sicut omnia alia opera ad extra, cur Maria hoc sola gaudet priuilegio?

Verum scias, velim quòd ratio for-

malis, quæ filium constituit, & perfecit, est ratio imaginis expressioris vt videri potest in secunda persona Sanctissimæ Trinitatis, quæ filij nomen obtinet, quia per intellectum velut imago procedit, qui est eiusdem caracteris singularis in diuinis.

Gratia nos in Dei filios adoptat, qua & Deo similes efficimur; Maria effecta est Deo similis speciali quadam ratione, quia vnum cum Patre ipsa sola communem habet filium, inquit D. Anselmus: *Quis hac audiens non obstupescat, qui filius Dei est in vna persona, esset filius Sanctæ Mariæ:* vnus & idem esset ipse in vna persona, filius Dei, ò anima mea, & quid Deo magis simile? quàm Virgo, quæ eundem genuit filium, quē pater semper generat; quòd si Maria est Deo patri in generatione eiusdem filij effecta simillima, clarè probatur ex hoc quòd Maria non debeat fœdari culpa illa, quam D. Dionysius vocat habitum dissimilitudinis Dei ingenitum: ingenitus dicitur quia per generationem transfunditur, & non per voluntatem, vt alia peccata actualia; & si Virgo est electa, vt esset forma Dei, quomodo Deiformis potuit simul esse, & per culpam deformis? & si caro Mariæ huius connubij vinculo effecta est caro Christi, vt inquit D. Arnoldus: *Vnus spiritus, vna charitas, vnitas diuisionem non recipit, nō secatur in partes; & licèt ex duobus factum sit vnum illud tamen scindi non potest.* O Deus puritatis amator, num potuit esse in Christo, & in Maria vnitas carnis, & spiritus diuisus? non vtique ait D. Anastasius Synaita lib. 6. quæst. anagogicar. *Quis mihi dic quæso, aut ex Dæmonibus, aut ex hominibus audebit dicere, quòd ea quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ, quantum ad carnem attinet, non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui ex ipsa natus est: quomodo est enim mater eiusdem filij, non ferens in se illæsam fœtus sui imaginem per gratiam.*

D. Ansel.

D. Arnol.

D. Anast. Synait.

Iustitia originali gratia, gaudet mater Maria, qua filius perfruitur natura vbi se gloriatur esse lilium conuallium, vt tibi præmonstraret quàm ei sit puritate similis lilium appellauit & matrē 1 de se vbi primò dixerat: *Ego flos campi, & lilium conuallium*, subito subtexuit de matre, *Sicut liliū inter spinas sic amica mea inter filias Adæ*; Quid est hoc? cur Virgines collatæ, seu comparatæ Mariæ videntur spinæ, Maria sola apparet lilium?

Cur hæc lilium? nisi quia lilio sponso omninò similis. Lilium ab antiquis fuit appellatum, vt testatur Pierius Valerianus, *Flos Regius*, ò Maria, ò flos regalis, & regius, ide est Maria inter filias Adæ, quòd est lilium inter spinas: non est hęc Virginis parua laus: Rosa nascitur inter spinas, alij flores vel inter spinas, vel inter folia nascuntur; at flos lilij à stipite, ita in altum se erigit, & eleuat, quòd folia virgæ, & sui stipitis subtus se reliquit, & post se deserit, & flos eius inter flores nasci potius videtur, & inter floris folia crescit, viuit, nutritur, coronatur, & suauissimi suouiolentiam odoris emittit, & spirat: merito flos regalis, flos regius, quoniam Virgo lilio sponso in cuius familiam transuolauit coniugij dono, merito & ipsa assimilatur, quia tanta puritate candescit, quòd cæteræ Virgines, quæ etiam puritate, & virginitate lilijs comparantur virginitati, innocentiæ, & puritatis candori Mariæ comparatæ potius videntur spinæ, quā lilia, quàm flores, dum nulla earum, ita pura fuit, quin appetitus stimulum non sit passa, quin culpæ originalis spina nō fuerit percussa: Maria sola, quia illud, quòd erat lilium conuallium æternorū genuit, & protulit, & fecit vt esset lilium conuallium nostrorum, quæ genuit lilium puritatis, effecta est & ipsa quoque puritatis lilium, quando huius spōsalitij nexu mutauit familiam spinarum in familiam lilij sponsi sui; purissimus hic natura quia Deus erat, & origo gratiæ, purissima Maria per gratiam vt Dei patris filia, et Christi sponsa singularis.

Et quid mirum si tanta puritate splēduit Maria, vt puritati sponsi compararetur, et assimiletur, dum hæ nuptiæ sub vmbra Spiritus sācti celebratæ sunt, sub cuius vmbra fuit Virgo obumbrata ab ipsomet suæ Conceptionis instanti, vt prælecta ab æterno tanti coniugij sponsa: umbræ Dei proprium est omnem elidere peccati umbram, sub cuius umbra purissima mundiciei auctori desponsata est, et puritatis auctorem et concepit et peperit: undè in Virgine culpæ umbra? et maculæ obumbratio? *Nunquam immunda iudicatur*, inquit D. Elig. Nouiomens. Episc. hom. 2. de Purificat. *quæ Sancto Spiritu obumbrante totius mundi criei ſāctitatis auctorē genuisse probatur.*

D. Elig.

O ani-

O anima mea si Mariæ sponsus, est puritatis auctor in cuius familiam migrauit Maria, purissimus ille, purissima & ista. Sub hoc ramusculo lege tibi mētis, & corporis puritatis fructus: si cupis floribus & lilijs puritatis coronari, nube Christo desponsare Mariæ, quorū sponsalitia virginitatem non auferunt, sed sacrant, puritatis odorem non minuunt, sed augent; et vt incarnationis arcanum, et tantæ sponsæ puritatem dignè mediteris, meditando laudes, laudando ames, amando benedicas, munda cor tuum, et labia oris tui, roga Virginem vt calculo puritatis suæ tangat, et mundet præcordia, et labia, et linguam oris tui, vt irrigata puritatis tuæ aqua ò Maria, semper laudet, et benedicat nomen sanctum tuum, quòd sit benedictū in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te præcor ò Maria monstra te esse matrem, et miserere mei quoniam in te sola sperat, et confidit anima mea: sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, et in hora mortis meæ. Amen.



DE VESTE NVPTIALI Virginis.

RAMVSCVLVS TRIGESIMVSSEPTIMVS.

Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.

Luc.c.1.



X verbis diuinæ illius legationis primò præmiſſis ab Angelo, tum ſalutationis, tum reuerentiæ debitæ cauſa. Luc.cap.1.num.28. *Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus*; quæ vt noua, & inuſitata ſimul, et diuinis grauida myſterijs, duo contemplatione digna in pectore virginali pepererunt. Primum eſt animi videlicet turbationem, quæ ex magnitudine, et nouitate rerum Virgini ſacratiſſimæ ab Angelo expoſitarum in illa ſua legatione à ratione fuxerat, vſque ad ſenſum corporis; quoniam dum ei partus promittitur, et prolis conceptus: meritò ſuſpicata eſt Virgo, ei aliquid nunciari, quòd ſuæ aduerſaretur virginitati, et timore perterrita ſe nō poſſe ſui corporis cum partu ſeruare integritatem, qua Deo ſe voto aſtrinxerat, in ſermone tanti nuncij turbata eſt, hoc eſt primum.

Secundum verò fuit eius profundamentis, ſeù cordis cognitio, in præſentatione tantæ nouitatis, & tam profundi myſterij: *cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, non cogitabat dubitans, quaſi incredula de nuncio, de angelica ſalutatione, vel de conceptu, et volūtate Dei, cui obedire erat paratiſſima, ſed cùm plenè adhuc ſalutationis verba nō perce piſſet, quò tenderent, et qui eorum finis, prudenter cæpit cogitare intra ſe, ſalutationis verba tam inſolita, inueſtigare myſteria, examinare legationis diuinæ finem, et profundè perſcrutari, quę nunciabantur, non vt pronunciata ab Angelo, cui credebat, ſed modum, quo adimplenda erant, num ex viri coniunctione non alio modo ſupra naturam.

Cogitabat velit ne Deus virginitatem, quam ipſi toto corde dicaui me renunciare: an ipſe qui omnia poteſt in tali conceptione velit alium modum tenere? vndè exclamat Luc.cap.1.n.34. Luc. ò Angele Dei, *quomodo fiet iſtud*. Eximia namque ſui cordis caſtitas, et puritatis zelos, et virginitatis et integritatis zelotypia, et amplatio ...ra buerunt cauſam timendi, et ſic cogitandi in Virgine: vt videtur ſentire D.Gregorius Niſſenus orat.de Natiuitate Chriſti: D. Greg. Niſſen. *Angelus partum denunciat*, inquit ipſe, *illa virginitatem complectitur caſtitatem præferens angelicæ apparitioni, non quòd non eſſet obediens diuinæ voluntati, ſed quòd vellet, ſi poſſet virginitatem conſeruare.*

Intellexerat Virgo, vtpute, quæ erat gratia, & Spiritu ſancto plena ex ſpeciali Dei illuſtratione Incarnationis arcanum, ſed modum nondum ei aperuerat Deus, quo perficiendum erat: ab ignorantia modi ortum traxit cogitatio, ſilentium, inueſtigatio, inquiſitio, timor, & turbatio in Virgine.

Vt pauorem excutiat, qui ſua allocutione ſic ſalutando, timorem incuſſerat, ne Virgo amplius fatigetur, ſic cogitando, quò tendat eius ſalutatio, qui eius finis, quale opus quis auctor clarè aperuit dicens. Luc.cap.1.num.31. Luc. c.1. *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in vtero, & paries filium.*

Quod opus cum non ſit hominis, ſed Dei, apud quem inueniſti gratiam, ipſe perficiet, tua ſalua virginitate; at quò ad modum, ò Maria, ò Virgo, cum non ſit

sit meæ capacitatis, nec est meę eloquētiæ tibi aperire *Spiritus sanctus, cui es desponsata, ipse superueniet in te:* sub cuius vmbra, vt dilecta sponsa accipies ab eo inęstimabiles margaritas, multa virtutum monilia, gratiarum vestes, ornamenta, fasciam pectoralem, pretiosas fidei inaures, obedientiæ torquem, charitatis auream coronam, & humilitatis sandalia.

Sed in hoc præsenti ramusculo, ò anima mea, attende vestis dignitatem, immensitatem sublimem, & pretium, qua diuinus sponsus suam hanc induit, & ornauit sponsam, quæ si ex hoc sacro connubio diuinitus translata fuit in familiam sponsi, decens erat, vt vestis & sponsi diuinitati, & sponsæ dignitati, quæ erat maternitatis Dei, ad hanc elegerat, ad hanc assumpserat, ad hanc sibi Spiritus sanctus desponsauerat: immensa, infinita, diuina, & sublimis ista: sublimis, diuina, infinita, & immensa & illa, cuius sublimitatem, infinitatem, & immensitatem, si non est creaturæ astruere, & Angelus ad Spiritum sanctum remisit Virginem, ad eumdem te remitto

Luc. ò anima mea. Luc. cap. 1. num. 36. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

Sciscitanti Mariæ modum, non factū, non incarnationis opus, verbis illis: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Non legimus Angelum respondisse, tibi soli ò Virgo, cui seruatum est diuinitus experiri, dabitur & fieri mani-

Luc. festum, sed tantummodo. Luc. cap. 1. num 35. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Attende ò anima profunditatem respōsionis angelicæ: res tanti momenti, vt est creaturam in se recipere Creatorem, quòd ad illius aduentum, nisi primò diuinis suis ipsemet Deus disponat dispositionibus, vtique apta non erit, nec idonea Dei sui fieri habitaculum; vt ergo Virgo Maria digna prorsus esset, quæ filium Dei conciperet, & pareret, necesse fuit, vt prius super eam super ueniret Spiritus sanctus, qui donorum suorum vmbra, & eam disponeret, coaptaret, & tanti muneris dignam efficeret, & ineffabilitatis illius simul & modi aperiret secretum.

In omnem Ciuitatem, & locum, quo Dominus Iesus erat venturus: ante eius aduentum, inquit Sanctus Euangelista Lucas cap. 10. *Misit discipulos suos ante faciem suam:* hæc discipulorum missio Luc. c. 10 non erat ad aliud ordinata, nisi vt verbo prædicationis pręcurrente corda illorum ciuium, ad quorum Castella, Ciuitates, Pagos, Villasque, ad quæ erat ipse venturus præpararet, ac disponeret: in quo loco sic scribit Diuus Gre- D. Greg. gorius hom. 17. in Euangelia. *Prædicatores suos Dominus sequitur, quia prædicatio præcurrit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt, ac per hoc veritas in mente suscipitur.* O Dei perfecta charitas, ò diuini pectoris dilectionis ardens amor, ipse Deus aduentus sui dispositiones operatur, & immittit in corda nostra, ipse præuenit, & disponit, & locum præparat, vt in illis habitaculum, & mansionem faciat. Res tam grandis est Deum recipere, & in nobis illi habitaculum præparare, hoc nequit creatura, nisi Deus suis dispositionibus disponat, ornet, & reddat dignam.

Ad Virginem Angelica legatio ad hoc ordinabatur à Deo, vt Verbum Dei in suo vtero conciperet, & per carnem gigneret, quia ab æterno nascebatur à patre, vt Virgo tanti conceptus esset digna mater, tum quoad effectum, tum quoad modum concipiendi necessariæ erant hæ dispositiones diuinæ, quas superueniendo in eam solus operatus est Spiritus sanctus, qui vt sponsus tantæ Virginis suis donis, suis muneribus, sua vmbra, sua irradiatione, sua gratia: qua veluti veste vestiuit, eam disposuit, præparauit, adaptauit, perfecit, aptam effecit, & idoneam, & dignam.

Quem dispositionis modum sub veste nuptiali explicat D. Athanasius ser. D. Ath. de sanctissima Deipara: *Spiritus sanctus, inquit, in Virginem descendit cum omnibus virtutibus essentialibus, induens eam gratia, vt in omnibus esset gratiosa;* vt idoneam, & dignam ad Verbi conceptionem salua sua virginitate redderet Virginem Spiritus sanctus, inquit D. Athanasius, quòd induit eam gratia, ex omnibus eius virtutibus essentialibus, ex quibus tamquam ex filijs texuit vestem Spiritus Sanctus, qua vestiuit, & ornauit sponsam suam, recisam non ex alia textura, seu tela serica, quam ex sua gratia, qua gratiæ veste induta Virgo, factū est, vt ipsa Deum in suo vtero concipe-

ret,& gigneret,& per carnis assumptionem à Verbo fieret mater Dei; quam dignitatem ipsa de congruo meruit merito huius vestis, sub stamine suæ puritatis contextæ. Ita docent D. Thomas par. 3.q.3. & D.Bonauentura 3. dist. 4. q.1.& D. Hieronymus in serm. de Annunciatione B.Mariæ. Tanta extitit puritas vt mater Dei esse mereretur; at post filij Dei conceptionem,& congruitatem seruauit,& dignitatem tantę maternitatis obtinuit,quando Spiritus sanctus hac veste eam induit,& vt dilecta sponsa eam decorauit veste nuptiali qualis decebat sponsi diuinitatem, & sponsæ dignitatem,diuina illa,diuina & ista,infinita illa,& sublimis, sublimis & ista,& infinita.

S. Thom. S. Bona. S. Hiero.

Vt in hoc seruetur ordo diuinæ prouidentiæ, sciendum tibi est ô anima mea, quòd Maria primò prælecta fuit ad dignitatem maternitatis Dei, quàm ad gratiam ei conferendam, cui dignitati, vt proportionata responderet gratia,necesse fuit,quòd existens illa dignitas immensa, diuina,& infinita, Infinita, immensa, & ineffabilis esset & gratia, quæ in Virgine tanta esse debuit, quanta futura erat, ad quam disponebatur Dei materna dignitas.

Certum est, quòd maioris ponderis, & valoris fuit in Maria hæc materna dignitas, quàm quælibet eiusdem gratia,sanctitas,& innocentia: considerata illa, non nuda in se, & sola, seù præcisa, sed cum omnibus donis,gratijs, & honoribus tantæ dignitati aptè consentaneis,vndè inter duo hæc extrema vtiq; non cadit comparatio,sed tantum identitas,quę vtramque copulat,et in sublimi locat, et subleuat possidentem eas: infinita nimirum Dei materna dignitas in Maria, infinita et gratia, qua veluti indumento nuptiali cooperta, ornata, vestita fuit,et ad illam eleuata;quę qualis,et quanta fuit, hoc Sacramentum à mente creata absconditum est, & valdè remotum,illi soli cognita,& cognoscendi seruata, cui datum est vestire, & vestiti. Audi ô anima mea Ecclesiasticum cap. 1. de Virginis gratia hac, & dignitate mysticè loquentem. *Ipse creauit illam in Spiritu sancto,vidit,& dinumerauit, & mensus est.*

Eccles.

Deus solus, qui Virginem condidit, qui Virginem ad tantam dignitatem prælegit,prædestinauit ante sæcula,vidit eius excellentiam, dinumerauit virtutes eius, & perfectiones, dimensus est gratiam ad dignitatis maternæ mensuram,respectu huius dignitatis,& gratiæ sublimitatis, & magnitudinis quælibet alia parua censetur,& expediri,& metiri potest, hæc verò Virginis gratia illi collata ad mensuram dignitatis maternæ adeò extulit, vt eius sublimitas humani intellectus aciem effugiat, & solius increati modulo modulatè submittat.

Ad cuius maiorem intelligentiam secundum modum nostrum intelligēdi loquor, hoc tibi nō sit in obscurum,seù parum apertum,imò habetur pro comperto,quòd antequam intelligatur in Deo voluntas illa efficax decorandi,ornandi, cohonestandi, vestiendi animam Virginis nuptialis gratiæ indumento,& diuinis illis donis primò in electione diuina intelligitur in Virgine Dei maternitatis dignitas illa magna,& sublimis, cuius altitudini immensitati,& magnitudini fuit postea collata proportionata gratia:in executione verò primò intelliguntur à Deo conferri dispositiones necessariæ, & postea dignitas, gradus,titulus,mynisterium, seù officium, ex quo deducitur,quòd prima gratia collata Virgini in illo primo instanti sui esse,tanta et talis fuit, vt per eam videretur effecta idonea, ad hoc vt posset esse mater Christi.

Si in generatione illa diuina,& æterna,vt Verbū Patris generetur, requireretur in patre aliqua præuia dispositio: rogo te ô anima mea;quæ & qualis hęc dispositio? non alia nisi sola diuina, & infinita; & si intelligatur in generante virtus, et potentia Verbum generandi in illa æternitate, requiritur quòd vis generatiua sit infinita,et persona generans cum persona genita,sit idem Deus, vt Deus generet Deum, per omnia sibi æqualem vno tantum personalis distinctionis discrimine.

Scito, vt creatura ad hoc ita eleuetur,vt idem Verbum generet in tempore, quòd Deus Pater generat æternaliter, et mater dici mereatur non solius hominis,sed etiam ipsius Dei,quæ perfectio? quæ gratia? vtique. infinita? certè vtiquè et diuina,sic testatur Diu. Bernardin. Senens. his verbis: *Oportuit fœminam hanc eleuari ad quādam æqualitatem cum Deo per infinitatem quarum* dam

D. Bern.

dam perfectionum, & gratiarum.

Si conceptus, qui Virgini nunciatur ab Angelo, est filius Dei, vt exposuit Nuncius ipse: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur;* vt hunc Virgo conciperet, et per carnem generet, et pariat, eleuanda erat ad æqualitatem cum Deo, quæ gratia *hæc*? quæ vestis tàm sublimis? et alta? tàm eleuata? vt mens humana etiam in Virgine obnubiletur, perterreatur, et perturbetur, imò et angelica, dùm vt aperiat Virgini mysterij modum, et tàm alti Sacramenti arcanum, nō ad suę intelligentię argumenta, non ad suarum illustrationum syllogismos, nec ad suę eloquentię energiam confugit Angelus, sed ad Spiritum sanctum: *Spiritus sanctus superueniet in te:* tàm magna fuit hæc gratiæ vestis, qua diuinus sponsus sponsam induit, vt ad iam prædestinatam Dei maternitatis dignitatem elaueret, quòd non tàm Virginis mentem, et Archangeli Gabrielis, & cuiuslibet Angelorum prę nouitatis, & magnitudinis altitudine duxit in stuporem, & admirationem, sed quodammodo, & mentem ipsiusmet Dei aliquando suspensam reliquit.

Lucæ c. 1. nu. 35.

Aerarium gratiarū Dei, & penu illud cum sit abyssus bonorum omnium, & ex omni parte repletum virtutibus omnibus, vt vestem hanc Virgini adaptaret, non erat quid omnipotentis Dei cordi satisfaceret, in quam illarum primò manus immitteret: in suspensione erat, quasi ambiguus: anceps stare videbatur Deus, & quasi non esset, ex qua consilium cordis sui valeret explere. Quando vestem hanc sartor ille diuinus à textina suæ omnipotentię, & cunctarum diuitiarum suarum erat forcipe suæ manus incisurus, ad quam illarum omnium manus admoueret, erat quasi dubitans, anceps, quòd indicare nobis videntur verba illa in Canticis c. 8. n. 8. *quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* Quando fiet in ea Verbum caro, quando alloquetur eam Archangelus Gabriel, qua gratia cumulabimus eam? qua veste induemus eam? vt mereatur esse mater Dei idonea, & apta? in die quando alloquenda est, quid faciemus ei?

Cantic.

Quando fiet in ea Verbum caro, in illo tunc, & actu conceptionis Verbi Dei, vt in Dei matrem constituatur, & in suo vtero concipiat Verbum Patris, quid faciemus? gratijs iam collatis, & perfectionibus, & virtutibus illis, quid addemus? ò altitudo diuini mysterij, ò dignitas dignitatum omnium supereminens dignitas, quam nec mens creata attingit, & diuina stupet, & vt ita dicam, suspensam reliquit, & ancipiti qua si versatur, si sic fari licet.

Quid mirum? si mentis nostræ oculus caligat, & Angelorum obtutus cæcutiunt, si nouitatem tantæ nouitatis obnubilare videmus mentem ipsius Virginis tantis Spiritus sancti perlustrata splendoribus, & ad tantæ nouitatis spectaculum, quasi in ancipiti versari, dum attonita, & stupore rapta aperto ore tacet & miratur, stupet, & perturbatur, credit & pauet, vult & timet, desiderat & expauescit: *Turbata est in sermone eius;* quorsum hæc Virginis turbatio? simul & mentis admiratio? nisi profunditas mysterij, & dignitatis suæ altitudo, & sublimitas, quæ nimia magnitudine stuporem, & extasim generat. Audi non me, sed Spiritum sanctum, qui descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus donis, & induit eam gratia sub colli Turri Dauid comparati typo loquitur de hac sublimi dignitate vestis, & maternitatis quando dicit in cap. 4. n. 3. *Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea.* Cantic.

Quid collum ad turrim? quid ad propugnacula? quid ad clypeos? Per collum, sęu ceruicem Virginis eminentiam, & sublimitatem suæ dignitatis maternæ possumus rectè interpetrari, quā Deus sua gratia singulari; qua veluti amictu deaurato vestiens eam, quasi Turris Dauid erexit, & extulit, sublimauit tàm sublimè, vt meritò suspendantur mentes hominum, & etiam supernorum illorum supercœlestium spirituum, intuentium & contemplantium eam, ita legit littera quædam in hoc loco ad suspendenda ora, vbi nos legimus; ædificata, ò Maria, ò Dei mater.

Veluti turrim Dauid in sublimi mōtis Sion, vbi te contemplatur anima mea, & amictam te intuetur veste hac nuptiali præ illius magnitudine, & sublimitate, qua te euexit ad æqualitatem Dei, ad suspendenda ora, hac te vestiuit Deus.

Et cur tàm in sublimi? Nisi vt esses animæ

animæ serui tui Turris, munimen, & refugium, & quò eminentior, & quò sanctior, & quò purior, quo gratia gratiosior, quò hac veste nuptiali venustior, & dignior, eò ad me protegendum; Esto ò Maria promptior ad succurrendum velocior, ad saluandum fortior, & ad misetendum flexibilior. Confirmat hoc Hailgrinus in Cant. *Propugnacula cum quibus est ædificata, sunt virtutes, & gratia, dignitates, & prærogatiuæ, intentionis puritas, operum sanctitas, vis orationum, & merita operum*; En hæc sunt fila quibus contexta est vestis Virginis Mariæ, qua induta veluti Turris eleuatur in sublimi, peccatores protegit, & inimicũ expugnat, ad hanc Turrim recurre anima mea, sub vmbra illius vestis confuge, vt te tangat, & protegat, collum tuum submitte sub ceruice tantæ Virginis, cuius magnitudo, & altitudo si ad eam collandandam præ stupore verba abstulit, deuotionem, & affectum non auferat, imò in eius contemplatione crescit, & augesc t, & quò magis, extasim inducit, & stuporem infert, eò eleuat animam, & contemplantis cor ad amorem rapit, & ad laudẽ inducit.

Hailgr.

Quò mens nostra suspenditur in maternitatis Dei dignitate præ nouitatis altitudine, eò incalescit amoris ignis, & dilectionis affectus. Contemplare anima mea vestem hanc nuptialem, qua Mariam induit Spiritus sanctus, & videbis, quòd tantæ est dignitatis, tanti ponderis, & tantæ admirationis, quòd Virginem ipsam cum Deo ineffabili modo identificat. *Quùm tribus modis sit Deus in alijs creaturis*, inquit Diuus Petrus Damianus, *in Virgine fuit quarto speciali modo, scilicèt per identitatem, quia idem est, quòd ipsa*.

D.Petr. Dam.

O mira res, ò Sacramentum stupore dignũ, dùm idem est Deus filius factus homo, quòd Maria, quòd mater, quia caro ex sanguine assumpta Virginali, Verbo vnita, facta est diuina; sanguis Mariæ, sanguis est diuinus, & natura Christi corporea, Dei facta est substantia, quid mirabilius? quid altius? subijciam, quòd subdit Sanctus; *Taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis infinitatem*: En quomodo dignitati huic Infinitæ infinita respondet gratiæ vestis, qua induta à sponso Spiritus sancti Virgo sponsa, veluti Turris Dauid fuit sublimata ad suspendendum ora.

Idem Sanct.

Hanc virginis identitatem cum Deo expresius docuit D.Bernardus ex verbis Angeli nunciantis, qui Virgini dixit, *quòd enim ex te nascetur Sanctus vocabitur filius Dei*, inquit D.Bernardus. *Cùm Deo solo tibi generatio communis, solus Deus pater intuetur Verbum ex se solo, & ex sola sua substantia genitum; in illa æterna generatione*: Solus dicit, intuetur vt suum, quia ex patre solo est genitus, & patris, & filij relationes à qualibet creatura sunt ita remotisimę, quòd de nulla possunt verificari, distant enim illæ vt substantia creata distat, & elongatur à diuina, & Deus à creatura, sed ab illis non elongatur Maria, licèt sit verè filia Adæ, & pura creatura, hoc tantum ipsius Virginis priuilegium est & non dabitur alteri, quo singulariter munita ingreditur in partem harum relationum generantis patris, & filij geniti, non æterna generatione, vt patet, sed temporali, vt Dei, & hominis mater, quæ ad illas eleuatur, in quantum respicit idem Dei Verbum; nam qui filius est patris æterna generatione, idem filius est Virginis in tempore: hoc idem videntur prænotare verba Diui Bernardi: *Cum Deo solo tibi generatio est communis*.

Luc. c. 1. nu. 35. D. Bern.

D. Bern.

O Virginis dignitas, ò Dei maternitatis in Virgine mira dignatio, si in patre perfectionem infinitam dicit generatio illa æterna, & diuina, & incommunicabilis: Cur in Maria eiusdem filij generatio temporalis? qua ipsa effecta est mater Dei æterna, non dicit magnitudinem infinitam, & nunquam imaginabilem in pura creatura?

Qua dignitate vicinius approximatur Maria Deo, quam quælibet alia creatura? & tam propè quod & identificatur cum ipso Deo, vndè in Prouerb. c. 8. vbi legitur: cum eo erã cuncta componens: alia lec io habet, *Propè ipsum eram quasi nutrix*; quid proximius vt mater filio, quid illa vicinius, nihil quidem, quæ tam propè est vt sit idẽ quod ipse, quòd probat D.Bernardus dicens. *Ipsa est Virginis matris gloria singularis, & excellens prærogatiua Mariæ, quòd filium vnum eundemque cum Deo patre meruit habere communem*.

Prouerb.

D. Bern.

Communem Creatorem, communẽ Dominum, communem conseruatorem habent cunctæ creaturę non solum corporeæ,

poreæ, sed etiam illæ spirituales; at Virgo sola inter omnes singulari hoc priuilegio dotata conspicitur, vt cum Deo patre iure communi vtatur perfectione illa diuina, quæ quomodo vtriusque sit effecta communis, quid dicam? *Spiritus Sanctus superueniet in te.*

Quod si summa, & singularis in Deo patre perfectio, quò ad nostrum modũ intelligendi, est ęterna Verbi generatio, quo in ordine ingreditur Maria cui hęc perfectio impertitur, vt eundem filium habeat communem cum patre, infinita, & diuina illa, infinita, & diuina & ista virginalis, ad quam si eleuatam videmus Mariam, & à me modum quæris quomodo factum est istud? sit tibi responsio angelica tui cordis inquisitionis dubiæ satisfactio, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi,* &c.

Cuius gratia præueniendo, disponẽdo velut amictu vestiuit eam; vt esset ergo Maria apta, idonea, & digna mater Dei, & vt Deum in suo vtero recipere mereretur, gratia sua in eam superueniendo dispoluit, vide quàm necessariæ sunt hæ diuinæ dispositiones ad Deum recipiendum, quem vt aptè, dignèque reciperet, & suæ carnis veste vestiret Maria, eadem qua ipse cœlestis sponsus indutus est, primò sponsam amicire necesse fuit. Huius veritatis testis est ipsamet Virgo, quæ per Isaiam Prophetam cap. 61. num. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis,* & vbi nostra vulgata legit, *quia induit me vestimentis salutis,* D. Hieronymus ex Hebræo habet, *Induit me vestimentis Iesu.* ò Deus cordis mei si Iesu filij Dei vestis non fuit alio contexta stamine, nec colore, nec decore, nec præstantia, nec magnipretio quàm puritatis, innocentiæ, iustitiæ originalis, & gratiæ, & hac eadẽ testatur Maria vt Dei sponsa à sponso suo fuisse induta, candidissima illa, & infinita, & immensa: immensa, infinita, & purissima & ista; quæ Deus Virginis decorauit animam, & corpus vestiendo honorauit Deiparæ.

Isaias. Proph.

D. Hier.

Quòd clarius dulci Epitalamio cecinit Sanctus Dauid psalm. 44. dicens. *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato circumdatd varietat*; & post pauca, *omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus*; non duntaxat de animę vestimento; sed & de corporis pallio intelligenda sunt: inquit Diu. Remigius. *Per vestimentum deauratum corpus Virginis purissimum intelligendum est*: & subdit Sanctus, *in vestitu deaurato, hoc est, bonis moribus ornata, & circumdata varietate virtutum omnium*: in vestitu deaurato, hoc est in membris solidis, tantæ puritatis candore, tantæ innocentiæ nitore micabat Virginis corpus, quando super eam descendit Spiritus sanctus cum omnibus suis essentialibus donis, quòd posito incarnationis Verbi Dei, consilio, & decreto diuino, quùm viscera virgineis visceribus, ex quibus sibi humanitatis vestem intexeret Dei filius puriora non inueniret, ad Virginem venit, & non ad aliam, inquit Diu. Methodius martyr. serm. de Purificatione, necessitate coactus, quando sic fatur ipse; *Filius Dei indigena venit ad te*; ac si diceret, si Dei Parris filius non dedignatur veste eadem variegata, qua vestitur mater, vestiri, & indui, quid est hoc? Nisi quòd talis erat Virginis vestis, qualis et illius dignitas, ad quam non nisi hac veste induta, eleuatur, & assumitur, & ipsa lætatur, gaudet, & exultat, quia induit me Dominus, inquit ipsa, vestimento Iesu, & indumento iustitiæ.

Dauid Proph.

D. Remi.

D. Meth.

Vt hic sponsus à sponsa possit vestiri nebula carnis, sub qua ne occultatus tegeretur sed clarius rutilaret, micaret, & radios emitteret sub ea perlucidiores, sua veste primo vestiuit eam; & si de Virginis filio cecinit Propheta, *amictus lumine sicut vestimento*; & de matre Virgine cecinit Ioannes, quòd erat, *amicta Sole.*

Psal. 183. nu. 2.

Apocal.

Qui solaris hic Virginis amictus? nisi gratia, puritas, iustitia originalis, virtutes, quæ cum sint simul Dei dona, eo ipso infinita sunt, & immensa, ex quibus velut sarcinator Deus, & agilis incisor, coaptat Virgini vestem, ita restringit, vt hac restrictione nõ minuatur eorum immensitas, sed personam, quæ ex sua natura quàmuis sit infinita, hac indutam veste eleuant ad dignitatem infinitam, & sic illustrant, & extollunt, vt per gratiæ vestem obtineat ipsa, quòd sponsus, & filius habet, & gaudet per naturã.

De

Ioan. De quo sic legimus in Ioanne cap. 7. nu. 27. *Hunc enim Pater signauit Deus*; & quo sigillo? nisi suæ paternæ essentiæ, & naturæ, cuius Verbum est viua, & naturalis imago, in qua totus Pater repræsentatur, agnoscitur, & exprimitur: sic mihi liceat dicere, & de Maria, hanc filius signauit homo, & quo stemmate? nisi gratiæ, & virtutum omnium indumento, quando per carnis assumptionem, vt ex Virgine ipse fieret homo ea matrem vestiuit veste per gratiam, quam vestitur ipse per naturam, & Virgo læta, & exultans gloriatur, quia induit me Dominus vestimentis Iesu.

Et Dauidis loci claré præmonstrat varia lectio; nam vbi nostra vulgata legit, *circumamicta varietatibus*, legit Vatab. *in vestibus acu pictis*; Pagninus, *cum vestibus frigionibus*, Septuaginta. *Circumamicta variegata*; Hebræus. *In vestibus ocellatis*. D. Hieronymus: *In vestibus scutulatis*; & Chaldæus. *Vestimenta diuersarum figurarum*; Erat hæc Virginis vestis obsignata, & depicta gentilitijs insignibus diuersarum figurarum Dei gratiarum, & virtutum, quia vt Dei sponsa, & in Dei familiam facti huius connubij merito, & beneficio translata, sui sponsi, & diuinitatis eiusdem stemmata quædam relucere videbantur in Maria: nec mirum si sponsi omnia sunt communia; Et si vnus erat Mariæ, & Iesu amictus, qui vt sponsus in argumentum sui amoris erga sponsam hanc, eadem voluit veste vestire sponsam, qua et ipse vestitus erat.

(Psal. 44. Vatab. Paginus. Septua. Hebræus D Hiero. Chald.)

Inter coniuges antiquitus mos inoleuit, vt sponsus, & sponsa induerentur vestibus eiusdem coloris, & eiusdem texturæ, vt puta si sponsus induebatur veste Polimita multis coloribus intexta, & maiorum suorum imaginibus ornata, & depicta, quùm eodem vestimentorum genere vti, erat amoris, & mutuæ dilectionis indicium, & in signum, quòd sicut iure connubij sponsa erat translata, & coaptata in sponsi familiam, sic pariter erat effecta hæres virtutum omnium, tùm sui sponsi, tùm ipsius maiorum, quorum imagines depictas ad hoc deferebat in vestibus, quas ipsa easdem gestabat, & vestiebat, quibus suis induebatur & sponsus.

O anima mea si Mariæ vestis vt Dei sponsa erat eadem, quæ sui sponsi, quia induit me Dominus vestimento Iesu, & indumento iustitiæ, & inquit Propheta, quòd erat vestis polimita circumamicta varietatibus diuersarum imaginum & figurarum, quæ quidem acu, & Dei manu pictæ erant: & quæ hæ figuræ, & imagines? nisi ipsius Dei, & sponsi, nisi Spiritus sancti gratiæ, dona, & charismata? nisi puritas, & innocentia: O vis amoris, ò dilectionis incendium, si Iesu, & Mariæ, vnum vtriusque erat vestimenti genus, & eiusdem coloris, texturæ, picturæ, perfectionis, excellentiæ, & valoris: si translata in Dei familia erat bonorum omnium, & virtutum ipsius hæres effecta, & tota in Deum transformata, & Deificata, vt potius videretur esse Deus, quàm pura creatura: Exultet in Deo salutari tuo spiritus tuus, ò Maria, gaudeat, & magnificet anima tua benedicta ò Virgo Deum tuum & sponsum, qui te sic dilexit, quòd suæ familiæ te ascrixit, sibi te tàm dulci vinculo desponsauit, vt tu sola posis dicere; *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo*; quia induit me Dominus, tamquam sponsam ornatam monilibus vestimentis Iesu, & indumento iustitiæ. (Isaias Proph. c. 61. nu. 10.)

Et quòd Spiritus sancti gratia ad modum vestis se habeat, testis est veritas ipsa Christus, qui promittens Apostolis suis post suam Ascensionem Spiritum sanctum, sic per Lucam Euang. cap. 4. num. 49. dixit: *Ego mitto promissum patris mei in vos, vos autem sedete in Ciuitate quoad usque induamini virtute ex alto*; quando in die Pentecostes descendit super eos Spiritus sanctus, tunc Apostoli veluti noua veste induti fuerunt gratia Spiritus sancti. (Luc. Eu.)

Volatilibus pennæ datæ sunt, quibus & volant per aera, & corpus veluti nouo amictu cooperiunt. Quid est gratia Spiritus sancti? nisi animæ vestis, qua induta Maria, & tota circumamicta apparuit, & qua sic alté volauit, vt Deus potius videretur, quã pura creatura, dum hac veste induta digna facta est, vt in Dei familiam coaptaretur, & in Dei sponsam, & in Dei matrem assumeretur, sic alté volauit Maria vsque dum Thronum pertingeret illius summæ Deitatis, & obumbrata sub velamine purissimæ suæ carnis virgineæ persona simul, & Maiestate filij Dei, eiusdem & genitrix, & mater intacta sola digna inuenta est, & idonea: ita Sanctorũ Patrum

con-

concorditer, & vnanimes astipulantur paginæ, vt inter alios est D. Augustinus qui serm. 10. de Natiuitate Domini sic habet: *Talis eligitur Virgo de toto mundo, quæ tantum haberet meritum, vt filiū Dei in semetipsa susciperet*, & D. Hieronymus scribens ad Eustochium, *Tanta puritatis Maria extitit vt mereretur effici mater Dei*, & hanc dignitatem illa meritò obtinuit de congruo, testatur D. Bonauentura, & Angelicus Doctor hisce verbis, *Ex gratia sibi data meruit illum sanctitatis gradum, vt congruè posset esse mater Dei*, ad quod sanè nullus vnquam pertingere valuit nisi sola B. Virgo, quia cum à Deo prælecta esset in vnigeniti sui matrem, & vnicuique largitur Deus gratiam accomodatam statui, & muneri suo, consequens est, tot cœlestibus diuinæ gratiæ charismatibus illam locupletasse, quot opus erat, ad hoc vt si non de condigno, saltem de congruo matris Dei dignitatem, & per consequens in eleuatissimo illo ac supremo gratiæ vnionis hypostaticæ ordine immediatè post Christum collocari promereretur.

[margin: S. Aug. | S. Hiero. | D. Bona.]

O anima mea, quid est hoc? si Virgo mater ad Spiritus sancti nuptias non assumitur, nisi hac veste polimita, & nuptiali circumamicta, num & tu ad illas cœlestis sponsi nuptias hac veste nuptiali denudata speras admitti? Inter conuiuas inuenit Rex ille, qui fecit nuptias filio suo, hominem non vestitum veste nuptiali, quid accidit illi? & de eo quid factum est? sic respondet Euang. Matth. c. 22. *Mittite eum in tenebras exteriores ibi erit fletus, & stridor dentium*; exclusus à nuptijs, inclusus remansit alligatis prius eiusdem manibus, & pedibus in tenebrosum carcerem, quæ huius damnationis causa? & ab illis nuptijs exclusionis ratio? quia non erat vestitus veste nuptiali, & quæ hæc vestis ad salutem tam & adeò necessaria.

[margin: Matth.]

Respondet D. Hieronymus in hoc loco vestem nuptialem esse Dei præcepta, & mandatorum obseruatio. *Inuenit vnum*, inquit ipse, *qui veste indutus non erat nuptiali: vestis autem nuptialis præcepta sunt Domini, & opera quæ complentur ex lege, & Euangelio, nouique hominis efficiunt vestimentum*; Vestis hęc nuptialis est vita pura, & splendida in modum vestis contexta, sic docet hic Theophilatus, Hotreamus inquit, cogitantes quia nisi quis vitam habuerit puram, nihil ei proderit fides. *Vestis hęc*, inquit D. Gregorius hom. 38. in Euang. *quod est charitas*; ita sentit D. Aug. in lib. ad donat. post collect. cap. 20. *Illi non habent vestem nuptialem*, inquit, *hoc est fidelissimā sponsi charitatem, sua quærentes, non quæ Iesu Christi.*

[margin: D. Hier. | Theoph. | D. Greg. | D. Aug.]

Si ad antiquorum morem conuertamus intuitum, vestis hæc nuptialis erat vestis eadem, qua induebatur sponsus. Solebant conuiuæ vestibus indui cænatoris, quibus induti, & amicti, & lintcati sindonibus accumbebant, & discumbebant, quia verò inter omnes hic conuiua solus hoc carebat amictu cænatorio expulsus à nuptijs, & traditus est in custodiam in illo damnationis ergastulo, quapropter hac veste carere, est omnium pœnalior pœna.

Ante transgressionis culpam nudi erant Adam, & Eua: *& nunquam cognouerunt se esse nudos*. Cur hoc? quia vestiti erant veste iustitię originalis, qua denudati per culpam, *consueuerūt folia ficus*, hic vtique est peccati fructus, hominem gratiæ veste denudare, & etiam bonis ipsis exterioribus spoliare: ita D. Basilius, *Iam seductionis fructum vindemiarunt, consueuerunt folia ficus, ipsi nudati nudant arbores*: En peccati fructus, nuditas, timor, & pudor, Genes. cap. 3. nu. 10. *Timui, & abscondi me, eo quod nudus essem*, quis timet se abscondit, & qui se abscondit, erubescit: *Quàm peruersus*, inquit Rupertus Abbas, *hic timor, qui non facti sui genere pœnitudinem, sed solum pœnæ suæ se fatetur habere confusionem*, quæ nuditatis confusio, est pœna pœnarum.

[margin: D. Basil. | Genes. | Rup. Ab.]

Huius veritatis testis sit ipse veritatis Deus Dominus noster Iesus Christus, qui licèt in nocte suę passionis multa sit passus ludibria, opprobria, irrisiones, flagella spinarum punctiones, clauorum terebrationes, & omnia in suo genere acerbissima, quid est anima mea, quòd non flet Crucis pondus, non plangit spineam coronam, non meretur, nec dolet flagellationis verbera, non lamētatur irrisionum verba, & de nulla istarum conquæritur, sed tantummodo de vestium suarum partitione, & diuisione? quæ pœna inter tot genera pœnarum, quia hac nulla pęnalior, & per Prophetam voluit vt præuisa spiritu prophetico annotaretur, Io: Euang. c. 19. nu. 24.

[margin: Ioan. Eu.]

Zz Par-

Partiti sunt vestimenta mea sibi , & in vestem meam miserunt sortem,& vt com pleta ab Euangelistis voluit describi.

O mi bone Iesu qnid est hoc ? totum corpus scinditur flagellis, totum caput mille aperitur puncturis,fodiuntur ma nus,& pedes clauis,& de vestis tuæ car nis scissura non doles , & conquæri & lamentari te video de tuorum vestimẽ torum partitione.*Milites ergo cum cru cifixissent eum , acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes vnicui que militi partem) & tunicam. Erat autẽ tunica inconsutilis desuper contexta per totum . Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam , sed sortiamur de illa cu ius sit.vt scriptura impleretur dicens,Par titi sunt vestimenta mea , & in vestem meam miserunt sortem.Et milites quidem hæc fecerunt.*

Christus Iesus siuè ex toto denuda tus crucem ascendit, siuè ex parte , hoc est,non cum omnimoda nuditate,quòd ex toto nudus sit cruci affixus , docet

D. Amb. D.Ambrosius in Lucam cap.23. *nudus, inquit,in crucem ascendit,& talis ascen dit,quales Deo auctore nos natura forma uit,qualis in paradiso homo primus habi tauerat , talis ad Paradisum homo secun dus intrauit*, quòd non ex toto nudus , sed vel cum fęmoralibns,vel aliquo lin teo ab vmbilico vsque ad crura pertin-

Apulens. gente:Sic docet Abulens. Parad.5. cap.
D.Dion. Charth. 34.D.Dionys. Carthusianus,& tenet B.
B. Birgit. Birgitta in suis reuelationibus:*Nudato corpore licèt cum non omnimoda nuditate crucem nudus ascendit* .

Quando vidit sibi detractas vestes milites inter se diuidere , & sortem su per vestem inconsutilem mittere, vt in

Marc. quit D.Marcus cap. 15.nu. 24. *Vt quis quid tolleret : & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem* , eas iterum in duendi à corde illo purissimo spes om nis aufugit:nuditatis pudore nimio suf fusus , & pudoratus, honestatis amore, Virginitatis modestia,pudicitię zelo,& verecũdię ardore,vt sibi huic occurreret nuditati,puritatis fons,& pudoris ama tor fecit , vt ab hora suæ crucifixionis vsque ad horam sui obitus , vt essent te

Matth.c. 27.n. 45. nebræ crassissimæ,ita textus:*A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vni uersam terram vsque ad horam nonam* , quando fuit cruci affixus erat finis ho ræ tertiæ,& initium horæ sextæ, itaque tenebræ fuerunt super faciem vniuersæ terræ per tres horas continuas vsque ad horam nonam,in qua *inclinato capi te Iesus tradidit spiritum*:ergo toto tem pore , quo Christus pependit in cruce, Mons Caluariæ fuit tot, & sit crassissi mis circumfusus tenebris,quòd scelera ti illi decidij fuerunt luce priuati , & atris tenebris inuolnti.

Cur hoc ? anima mea,si Adam fugit, & adscondit se à seipso, quando se vidit esse nudum: Si Noe filio,qui eius in ta bernaculo aperuit nuditatem maledi xit , vt aboleret memoriam talis visio nis,& suæ nuditatis : Si pater illius filij prodigi, vt inquit D.Petrus Chrysolo gus, *non sustinuit filij nuditatem, qui pa tienter tulit filij crimina* ; cordi puro , D.Petr. Chrysol. & virginali nuditas tantæ est pœnali tatis,quòd nulla est pœna pęnalior,nec hac pęna grauior,vt nuditatis pudor , si in hominibus nudis,quid in Christo de nudato in cruce ? tanto in corde illo di uino Virgineo, & purissimo hæc pœna nuditatis præualuit , quòd hæc sola sa tis fuit necem illi accelerare , & vita priuare , hæc sola ita præcipitem fecit mortem irruere in Christum, quòd Iu dex qui eum morti addixit, obstupuit, *& miratus est si iam obijsset* : non crucis pondus,non spinæ,non claui.nec cruri fragij timor mortem Christo accele rauit, sed nuditatis pudor , & verecun dia,vt nuditatis suæ confusioni obuia ret,non tenebrarum illo velamine , sed & mortis tegmine occurrit , & præue nit .

Si nuditatis confusio, & verecundia, si huius confusionis pęna , seù dolor Christo mortem accelerauit, Adamum eiecit è Paradiso , conuiuam illum ex clusit è nuptijs.reclusit in carcerem, & locauit in tenebris sempiternis. O ani ma mea si hac veste nuptiali cares , nec Deo digna te existimas , nec illius connubio idonea , nec ad eius nuptias peruenire vales, si hac veste spoliata vi ues , nec pericula, & inimicorum ma nus, & laqueos euadere poteris. nec ad tuta loca te recipere , nec ad salutem peruenire,si velle hac nuptiali denuda ta speras,en quàm ad vitam, en quàm, & ad salutem tibi necesse est hac veste indui,& superuestiri.

Vt non auertat à te, & à tua nudita te Deus oculos suos , vt Sem & Iaphet ne patris sui viderent nuditatem, en ramusculus hic, sub cuius vmbra fuge,

& lege

& lege, vt Adam non folia ficus, sed protectionis frondes, vt cooperias nuditatem tuam, Palmæ hic ramusculus onustus est folijs, & oneratus dactylis gratiarum, si Virgo gratia est plena, quid times ad eam accedere, non arcta, non breuis est vestis illius, non vt se solam eam indueret, vestiuit Spiritus sanctus, plena fuit sibi, sed nobis superplena, vt & nostram operiret nuditatem, hac veste fuit à suo sponso vestita indue te Maria, ò anima mea tege te eius exemplo, muni eius tunica. Si fęlices fuerunt Virgines illæ, quibus Virgo morti vicina præcepit Ioanni dari duas illas tunicas, quibus viuens vsa est, & illis dari præcipit, quia supra cęteris erga eam semper fuerunt amore nimio propensiores, & vestes illæ lana, vel lino erant contextæ.

¶ Quid erit de te? si gratia Mariæ veluti amictu vestieris? quàm fęlix, quàm beata, quàm secura, quàm diues, quàm Deo amica, quam salutis secura: indue te Maria ò anima mea, dilige eam, lauda, honora, imitare, sequere vestigia eius, non sit in te pars nuda inimico tuo aperta, tota sit hac veste cooperta, munita, & protecta.

Et sic vestita sub hoc Ramusculo cane, lauda, & benedic nomen sanctum eius, quòd sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei te precor, ò Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea: Sub vmbra huius Ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE MONILE NVPTIALI Virginis.

RAMVSCVLVS TRIGESIMVSOCTAVVS.

Quæ cum audisset turbata est in sermone eius. & cogitabat qualis esset ista salutatio. Luc.cap. 1.nu. 29.



Elebrato à Spiritu sancto cum Virgine matre sacro connubio,& ipsamet sponsa purissima sponsi huius nuptialibus satis eleganter culta donis omnibus, non quæ duntaxat iure desiderabantur in Virgine benedicta, tum ad eiusdem exornationem, formositatem,& condecorationem, tum etiam quæ ad Verbi Dei incarnationis mysterium perficiendum,consummandumq; opus erant, sed & quæ suæ sponsæ conferre tanti sponsi muneris erant: ad hoc nanque pariter omnibus sponsi sui repleta prius charismatibus,& ijs concinnè decorata,ornataque muneribus,intra quorum ornamenta, & dona nuptialia magis elucet, imò & super omnia emicat aureus verecundiæ circulus,& armilla, modestiæ torques,& pudoris monile.

Cuncta siquidem sponsæ ornamenta, quæ ei pro munere gratiosè donantur à sponso,monilia dicuntur,quæ tunc pectori suæ sponsæ nexuit cœlestis sponsus,& à collo eiusdem vsque ad pectus pendere fecit, & ipsa Virgo torquata per quàm pulchrè tunc verè apparuit, quando in Gabrielis Archangeli legatione, & harum nuptiarum paranymphi sermone ipse sponsus turbari,& Virginali turbatione concuti permisit, sic habet tex. *Quæ cum audisset turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.*

O torques verè diuina tot varijs cōtexta gemmis,tot aureis sculpta amphorensis, ò monile sponsi cœlestis virtutibus omnibus vermiculatum sic condecorasti sponsam? sic exornasti Virginē? vt Spiritus sancti esset apta, & idonea sponsa, & digna mater Verbi Dei: sic contemplans fatur D.Chrysostomus in Domini Hippopanti, *Beata Maria vltra omnem humanæ naturæ modum, modestiam,atque temperantiam excoluit; ac ob id vniuersorum Dominum in vtero gestare promeruit, quòd si qua Virgo alia maiori modestia,ac ampliori puritate, aut maturitate præter hanc ornata extitisset, illam sibi Dominus pro hac ipsa omninò in habitaculum delegisset.* D.Chrys.

Sacri huius Doctoris mens est, Mariam in Spiritus sancti sponsam,& in filij Dei matrem super omnes mulieres signatè fuisse electam, quia super omnes hæc magis in ea resplenduit verecundiæ torques,modestiæ armilla,& pudoris vernans monile, ex cuius formositate,& pulchritudine, vt meditationis vndequaque tibi præberet Spiritus argumenta, ab Euangelista voluit sic accuratè describi,& vt simul huius turbationis abscondita patefacerent arcana, & aperiret dulcedinem quando inquit, *Quæ cum audisset turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.*

Huius namque turbationis dulcedine allecti sancti illi antiqui in horum verborum meditatione, & intelligentia sicut in varias abierunt sententias, sic & tibi dulcedinis, & meditationis fauos fabricauerunt non paucos,quorum primus est D. Ambrosius lib.2. de Virginibus in principio inquit,quòd expauit non ex simplici visione Angelica, quæ frui tali visione solita erat, sed expauit, quia vidit Angelum sub sensibili specie viri: sisto hic verba eiusdem. *Gabriel vbi eam reuisere solebat inuenit.& Angelum Maria quasi viri specie mota trepidauit, quasi non incongruum audito* D.Ambr.

nomine recognouit, ita peregrinata est in viro, quòd non est peregrinata in Angelo. subscribit se huic sententiæ D. Hieronymus ad lætam epist. 7. *Ideò forsitan timore perterrita Virgo, quia virum, quem non solebat, aspexit.*

S.Pet.Ch D. Petrus Chrysologus in serm. 140. censet Mariam fuisse turbatam ex consideratione, & contemplatione maiestatis personæ mittentis, & ex nimio splendore Angeli ad se missi, audiamus ipsũ, *Quid est, quòd personam videt, & de sermone turbatur? quia venerat Angelus blandus in specie fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana proferens, & diuina repromittens, vndè Virginem, quam leuiter visus sollicitauerat, nimium turbauit auditus, & quam missi præsentia parum mouerat, concussit tota pondere mittentis auctoritas.*

Orig. Doctissimus Origenes existimat ex nouo, & insolito salutationis genere Virginem effectam fuisse pauidam, & in timorem illum incurrisse, & admirationem, vndè & cogitabat qualis esset salutatio illa tam noua. *Soli Mariæ*, inquit ipse, *hæc salutatio seruabatur si enim sciuisset ad alium quempiam similem factũ esse sermonem (habebat quippe legis scientiam) nunquam quasi peregrina salutatio terruisset.*

D. Laurentius Iustinian. autumat illam turbationem in pectore Virginali ortum traxisse ex excellentia incarnationis mysterij, quòd celebrandum erat in eius vtero, et mente meditando talia ex sua profunda humilitate timuit, et expauit, et indignam se Angelica salutatione, et tanta dignitate reputans, quia de se non tam magnifica cogitabat, quæ ei ab Angelo dicebantur turbata est in sermone: verba appono hic
D. Laur. Iustin. eiusdem. *Turbata est*, inquit Sanctus, *nō ex Angelico aspectu quasi insolito, quippè quæ visitabatur ab Angelis, sed ob excellentiam tanti præsagij, quòd propria merita præcedere videbatur*, et D. Augustinus
D.Aug. in serm. de Annunciatione sentit idem. *Post illius benedictionis præsagium terretur Virgo de nouitate verborum:* et cur hic ciò anima mea, quia humili cordi nihil mirabilius quàm suamet exaltatio,
S Laur. Iustin. et rationem docet nos idem Laurentius Iustinian. *Consueuit namque humilitas sicut semper stare sub ea, ita difficile fidē accomodare eis, quæ super eā esse censetur.*

Diuus verò Andreas Episcopus Ierosolymitan. alia incedit via. pensat hic Sanctus Virginem fuisse turbatam ne aliquis sub illa salutatione esset dolus, vndè et sedula cogitabat, an hæc salutatio esset à Deo, an à Dæmone, quod deducit ex verbis illis Angeli, ne timeas Maria, et inquit Sanctus. *Non fraudulentus est hic modus, aut fallendi animo ad te venio, non impostor serpens rursus tibi loquitur, non terrenus nuncius tibi adsum, ex altissimis venio, lætum nuncium, nec qualecunque lætum, sed plenum gaudij, lætum nuncium*, eadem via incedit D.Andr.
peritissimus Euthim. in Luc. cap. 1. *Turbata est quia timuit, ne fortè dolus esset, et cogitabat vtrum diuina esset salutatio an à Dæmone.* Euthim.

Diuus autem meus Bernardus hom. 3. super missus est, arbitratur Virginem fuisse turbatam non ex infirmitate, et humana debilitate, ita vt tunc non esset sui compos, sed ex diuinorum arcanorum quæ ei pandebantur ab Angelo, alta meditatione turbatam meditatus est hic Sanctus quando inquit: *Turbata est & non perturbata, turbata est, & non est locuta, sed cogitabat qualis esset ista salutatio*: ac si diceret; turbata est, sed non ex toto, quia commota parte inferiori ad superiorem turbatio illa non ascendit, nec eam penitus tetigit; sed seruato contemplationis ordine pacata, et dulciter cogitabat qualis esset salutatio, et sic cogitando verecundiæ monile decorabatur, ornabatur, honestabatur, et aptè præparabatur, et sanguis verecundię decore suffusus per genas testis erat zelotypiæ suæ virginitatis, et modestiæ, suæ integritatis simul, et suæ idoneitatis ad Spiritus sancti nuptias, et ad filij Dei maternitatis dignitatem, dum non alio dono, nisi hoc pudoris monile effecta est Maria Spiritus sancti idonea sponsa, et digna Dei mater: si huius ramusculi dulcissimis sub eius vmbra aues frui fructibus: ò anima mea attende hoc pręclarum verecundię monile, quò perpulchrè quando turbata est in serm. nunciantis Angeli decorata apparuit, sic est mens D. Bernardi vbi supra qui sic ait, *Quòd turbata est, verecundiæ fuit virginalis, quòd non perturbata fortitudinis, quòd tacuit, & cogitauit prudentiæ*: ex ijs verbis tua intersit nunc meditari, quòd hac verecundiæ torque Virgo fuit idonea Spiritus sancti sponsa, et digna Dei mater. D Bern.

Qua

Quæ cum audisset turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio: Virgo hæc benedicta non ignara sacræ scripturæ, habebat enim clarissimam Dei legis scientiam, quando accepit ab Angelo sic eam salutante: *Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, turbata est in sermone eius, sciens benedicere in scriptura diuina vsurpari pro fæcundare, et prolem gignere, sic habet tex. Sacræ Genesis, for- Gen. mato primo homine, et ex costa eius Eua, *benedixitque eis dicens, Crescite & multiplicamini* vt castissima, et suæ uirginitatis amantissima, cuius voto se Deo astrinxerat, verecundiæ per genas effuso rubore erubuit, & timuit, & vt D. Ambr. inquit D. Ambrosius in Lucam, erat cogitans cum verecundia, quia pauebat cum prudentia, quia benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ nusquã lecta est, nusquam ante comperta, *Soli Mariæ hæc salutatio debebatur*.

Et huius in Virgine turbationis ratio non fuit infirmitatis, & formidinis non pauoris, & perturbationis, ità Diu. D. Bern. Bernard. *Quòd turbata est, verecundiæ fuit virginalis, quòd non perturbata, fortitudinis*, pauor, & turbatio hæc ex timore, qui donum est Spiritus sancti, or- D. Ath. tum habuit, quando teste D. Athanasio. *Venit Spiritus sanctus in Virginem cum omnibus suis essentialibus donis*, & inter dona huius Sancti spiritus, primum locum occupat timor, qui vt sanctus, est modestiæ & verecundiæ pedagogus, qui turbando Virginem, non perturbauit, sed quàm gratiosè hoc pudoris monili exornauit, & disposuit, vt esset ipsa sola apta, & idonea Spiritus sancti sponsa.

Et vt sponsus ille, quando descendit super eam hoc verecundiæ monili, inter cætera sua dona, & hac pudoris, & modestiæ torque cinxit huius suæ sponsæ collum, & exornauit pectus, decolorauit, seu purpurauit genas.

Est enim verecundiæ parens omnis honesti disciplina virtutum, magistra innocentiæ chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore fauorabilem proferens vultum, hanc in virginitatis suæ testimonium Virgo Maria præbuit, quando turbata est in ser- S. Ambr. mone Gabrielis Archangeli, & produxit in medium; vnde D. Ambrosius lib. 1. officior. appellat eam pudicitiæ Comes in cap. 18. sic inquit Sanctus, *Verecundia est pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa, tutior est.*

Verecundia comite, teste D. Ambrosio, mulieris pudicitia in tuto ponitur, quòd exemplo probatur. Apud pudicas, & honestas mulieres mos inoleuit, vt quando nobilis matrona à nobili comite inuisitur, illa sola cum solo alloqui non audet, & ne sua honestas in periculo, seu in dubio ponatur, vel saltem ne suspicionis macula fœdetur, sed collocetur in tuto: mulierem ætate pronectam, & probis moribus aduocat in suę pudicitiæ testimonium, vt sit à dextris eius, qua comite, & cuius præsentia secura alloquitur, & æquitem, seu comitem comiter excipit, cum quo & familiariter conuersatur, confabulatur, cuius societate castitas ipsa tutior est, verecundia igitur comite, pudicitia in tuto ponitur.

Quando Gabriel Angelus ingressus est ad Virginem, sola erat Virgo in suo cubiculo, & quando intrauit ad eam, Vesperi erat crepusculum, iam iam nocti cedebat dies, & apparens illi in forma humana, vt testis est D. August. in S. Aug. serm. 18. de temp. D. Laurent. Iustinian. S. Laur. serm. de Annunciat. Albertus Magnus Iustin. super missus est, & Simon de Cassia lib. Alb. Mag. 2. de Virg. cuius verba sunt hæc. *Aliquã* Sim. de Cass. *formam corporis iuxtà mandatum Domini Angelum credimus assumpsisse, in quo sonantibus vocibus, in auribus almæ Virginis loqueretur, vt Virgo casta, expa-* S. Ambr. *uit ad viri affatum*, quòd probat D. Ambrosius, *Virgo quasi viri specie mota trepidauit*, & vbi nos legimus: *Quæ cum audisset*, legit D. Hieronym. scribens ad S. Hier. Eustoch. *de custodia virginitatis. Quæ cũ vidisset, & hominem æstimauit, qui secum loquebatur, formam humanam expauit, & zelo suæ pudicitiæ consternata est*: & quæ virginitatem sedulò seruare voto constituerat, viri affatum timuit, & zelo suæ pudicitiæ, & integritatis, in cuius custodiam cum comitem testem alium non haberet, quem adduceret in testimonium, de secreto cordis sui proprium aduocauit sanguinem, qui veluti honorabilis matrona statim stetit in foribus genarum eius, suæ virginitatis testis fidelissimus, cuius præsentia, & eo à dextris Virginis assistente, & comite, comiter excipit nuncium, illum alloquitur, & secum secuta confabulatur, &

spa-

ſpatio ſex horarum protraxit,& potuit cum Angelo texere ſermonem.

Nam quando Angelus miſſus fuit ad Virginem erat tempus veſpertinum, veſperi facta fuit ſalutatio Angelica, Verbi Dei verò incarnatio fuit noctis ſilentio conſumata, *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter peregeret, omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus venit*, à ſalutationis hora vſque ad actum incarnationis ſex horæ interceſſerunt, & qui Verbi incarnationem venerat nunciare Virgini, ſua intereſt ipſam inſtrue-
Luc.c.1. re de Conceptione: *Ecce concipies*, de felici partu, *& paries*, de Circumciſione & nomine pueri: *Et vocabis nomen eius Ieſum*, prædixerat quòd eſſet propheta, *Hic erit magnus*, & quòd *vocabitur filius Altiſſimi*, de morte eius, & de reſurrectione Chriſti, *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius*, & quòd regnum eius erit æternum: *& Regni eius non erit finis*, & in hoc ſex horarum temporis interuallo verecundia comite ſecura de ſua virginitate fabulatur, & loquitur, nam verecundia eſt pudicitię comes, cuius ſocietate caſtitas ipſa tutior eſt, ad hoc turbata eſt Maria in ſermone Angeli, vt verecundiæ pudor, & ipſam ſecuram redderet, poneretque in tuto, ſimul & eſſet in ſuæ integerrimæ virginitatis teſtimonium fideliſſimum, quo verecundiæ ſatis decore Virgo decorata monili, & Spiritus ſancti ſponſa eſſet idonea, & digna Dei mater. O verecundiæ verè diuinum monile, & Spiritus ſancti primum donum nuptiale, ad alliciendos diuinos illos oculos primatum obtinet hic pudoris rubor, eſt enim uerecundia quaſi ſpecies ſeù facies cunctarum uirtutum, qua & hæ exornantur, coronantur, & pulchriores apparent, ut Spiritus ſanctus præmonſtraret quòd Virgo ſola erat apta et idonea ſua ſponſa, et digna Dei mater, timore ſancto permiſit ad uocem cœleſtis nuncij in corde turbari, et uerecundari in uultu, qui pudore effectus purpureus totus per ſanguinem ſuffuſum per genas exterius propalauit dignitatem, meritum, et idoneitatem, quæ in corde latebant interius. Hoc nobis innoteſce-
Cant. re uoluit ipſemet ſponſus in Canticis cap.4. *Sicut fragmen mali punici, ità genæ tuæ abſque eo, quòd intrinſecus latet*, virtus, qua Maria Dei oculos magis allexit & Deum ad ſe traxit, fuit hæc verecundiæ torques, quæ in genis eius deforis vernans, quaſi pulcherrima aurora omnium virtutum in Virgine pulchritudinem, & decorem, qui intus latebat, apparuit, nudauit, & propalauit.

Hyeme iam tranſacto tellus veſtitur herbis, & vernat campus, & varijs, diuerſiſque veſtitus floribus decorus quidem eſt, & ſpectabilis nimis; at dum omnis eius pulchritudo, & formoſitas ſub caliginoſo noctis velamine tegitur, occultatur, & abſconditur, exillens verè decorus indecorus apparet, albeſcente autem aurora, vbi hæc aureo ſuo ex ore aureos promit lucis radios, promit & campi venuſtatem, & pulchritudinem, non eſt flos vel purpurei, vel candidi, vel aerei coloris, qui non fulgeat, non vernet, non renideat.

Quid eſt in Virgine verecundiæ torques & monile, niſi veluti aurora, contemplare anima mea cor Virginis pectus illud Virgineum, qui flos virtutum non vernabat in eo? qui actus? quæ cogitatio? quòd deſiderium? quæ meditatio non erumpebat in flores? erat cor Virginis vtique velut campus floridus floribus vernans virtutum omnium, at dum erat in abſcondito cubiculi ſui, & in penetralibus domus ſuæ quaſi in noctis ſilentio, & vmbra non erat flos virtutis in ea, qui ſuam promebat venuſtatem, tunc temporis quaſi indecorus apparebat, dum ſuæ formoſitatis decorem intus occultabat, vt appareat decorus & floribus, quibus erat decoratus, uernans, aſcēdat uelut aurora uerecundia, aſcendat, & pudor in genis eius, & per purpureum pudorem exterius rutilent, & ſplendeant actionum, & uirtutum flores, qui intus latebant ut appareant. Verecundiæ munus eſt, & ab oculis animæ intueri, & contemplari, & delectari deſiderantis pudoris eſt officium: ſillo hic uerba pijſsimi Gilberti Abbatis Gil.Abb.
ſerm.25.in Cant. *Ipſa mala punica gratam moduli vultus verecundiam corticis rubei colore deſignant*, ò primum planè in Chriſti ſponſa decoramentum verecundia: verecundia quaſi aurora quædā omnium actionum colorat principia, & virgineo uirtutes reliquas uenuſtat pudore, cur igitur miraris anima mea, ſi Spiritus ſanctus Virginis ſponſus hoc ornauit primo uerecundiæ monili, quādo uoluit ut ad ſuas nuptias diſponeret

ret Virginem, primo prę cæteris nuptialibus suis donis turbari, & uerecundari in sermone Angeli, ut fracto mali punici fragmine genarum sponsa erubesceret, et purpurando exterius, quam idoneam, quam dignam elegerat, hoc monile suspendendo in collo eius, tibi patefaceret, et aperiret ut scias quòd non alio medio nisi hac uerecundię torque, ad incarnationis mysterium, quòd solius Spiritus sancti opus est, eam adaptauit, et disposuit.

Verbi Dei caro, et humanitas formata fuit ex sanguine purissimo B. Virginis, qui de corde præterfluxit in locum aptum ad generationem, quando igitur audiuit ab Angelo se esse benedictã, hoc est se esse futuram matrem, et prolis fœcundam timuit et expauit, et turbata est in sermone, et quia hæc Virginis turbatio non fuit passio perturbans, vt supra probatum est, ex D. Bernardo, sed fuit timor fortitudinis, & Spiritus sancti donum disponens, & pręparans Virginem ad actum incarnationis Verbi Dei, ad quem vt disponeret verecundiæ monili aptauit, & præparauit, vt verecunda tota erubuit, & qui erubescunt ex sanguine emisso à corde alterato, vel pudore, vel amore purpurantur in genis. S. Bern.

O pudor, ò sacratissima verecundia virtutum omnium magistra, & fidelissima custos ad alliciendum diuinos oculos tantæ virtutis est, quòd si hoc modestiæ, & verecundiæ monile Spiritus sanctus in collo Virginis non suspendisset, & hac pudoris torque pectus illud non exornasset, primò non decorasset, Deus in Virgine non fieret homo, diuinitas non vniretur. Huius veritatis testis est Zacharias Proph. cap. 1. nu. 8. *Vidi*, inquit ipse, *per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo*; si uerba hæc deuotè, & attentè mediteris ò anima mea, intelliges mysteriũ, & eiusdem diuino fauente lumine senties dulcedinem, quis hic uir, nisi Dei filius? hic est, qui ascẽdit equum rufum, quando in utero uirginali humanam sibi copulauit naturam, uerum uelim primò scias, quòd non duntaxat dicitur ascendisse equum rufum, quando ascendit in Cruce, tunc enim rubra apparuerunt omnia uestimenta eius, & aspersa sanguine, sic habes ex oraculo Zachar. Proph.

Isaiæ cap. 63. nu. 2. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta sicut calcantium in torculari?* sic interrogatus respondit, quia, *Torcular calcaui solus*, tunc purpurauerunt uestimenta eius, quando præssus in Cruce uelut in torculari sanguinem effudit, quòd tunc purpurauerit equus ille humanitatis, nec mirum, nec de hac Ascensione loquitur Propheta, sed de illo Incarnationis instanti, quando Verbum Patris naturam sibi hypostaticè uniuit, & copulauit humanam, tunc uidit Deum ascendisse equum rufum, ita ut interrogare possemus, ò nate Deus, ò Dei fili, ò puer Iesu: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* si torcular nondum ascendisti, nec pedibus calcasti. Isaias Proph.

Attende tacitè respondentem, quia pudor, quia uerecundia humanitatis meæ purpurauit indumentum, scito anima mea, quòd qui uerecundantur, erubescunt, & qui erubescunt, ex sanguine suffuso per genas erubescunt, & purpurantur: si Spiritus sanctus Virginis sponsus, cuius est opus Verbi Incarnatio, ante actum Incarnationis uoluit sponsam Virginem turbari in sermone Angeli nunciantis, cur hoc? nisi quia tunc ipse quasi optima nutrix ex corde, & uenis sponsæ suæ, quasi ex Colo fila trahens ex sanguine, & in crastino uirginali filum filo tegens, telam cõtexuit, ex qua ut Sutor optimus uestem humanitatis, qua indutus est Dei filius, sua manu abscidit, & consuit; quid igitur miraris, si illius indumentum est rubtũ, dum quando indutus est humanitatis ueste, uestis illa non ex serico, non ex lino, uel lana, sed ex sanguine Virginis contexta est.

Quando turbata est, tunc sanguis e corde suffusus est per genas, & fracto mali punici cordis virginei fragmine, purpurantibus genis verecundia comite, ex sanguine illo efformatum est Christi corpus, & quia tunc Dei filius vniuit ad se hominis naturam ex sanguine perfuso per genas, tunc visus est à Propheta Sancto ascendere equum rufum, quia caro illa ex sanguine formata sanguinis colore visa est etiam purpurare. Sisto hic verba Cellensis Abbatis serm. 23. de panibus. *Aptauit equũ æquiti, vt nobilissimo corpori nobilior asso ciaretur anima, & super vtrumque sede-* Ab. Cell.

ret Diuinitas? forte equus iste idcircò rufus est, quia dignitatem Sessoris non sine verecundia intuetur, & ita propter suam reuerentiam rubore perfunditur, hæc ille. Quando in vtero virginali *Verbum caro factum est*: tunc aptauit equum æquiti, si matris Virginis genæ veluti fragmẽ mali punici purpurabant, purpurea apparuit & caro filij hominis, vt addiscas tu anima mea, quòd sine verecundiæ monile natura humana ad Deum non ascendit, non accedit, non copulatur, non vnitur, non assumitur nisi purpurata pudore, & decorata verecundiæ, & modestiæ torque; nam quando in salutatione Angelica, & in conceptus, & partus promissione turbata est Virgo, tunc cor eius virgineum ad genas emisit sanguinem, ex quo sola formata fuit virtute Spiritus sancti humanitas illa purissima, & Verbo Diuino vnita, & hæc verecundia seu virginalis pudor, sanguinẽ illum aptauit, vt ex eo formaretur caro, qua est indutum Verbum Patris.

Attende ò anima mea diuinæ charitatis incendium, pensa diuini sponsi flagrantem amorem, quo circa hoc Incarnationis opus ingenio ingeniosè laborat, & suaui sui amoris contentione sponsam perturbari permisit, vt ex perturbatione nascatur verecundia, verecundia sanguinem præstantem, & egregium reddidit, quando ad verecundas genas duxit, & ex hoc sanguine Spiritus sanctus humanitatem Christi aptè formauit.

Quid causæ esse potuit? quòd sanguinem illum antequam ex eo Spiritus sanctus Virginis spõsus formaret carnem, & Verbo vniret, ascendere voluit ad genas suæ sponsæ? quùm sit opus Spiritus sancti, mysterio non vacat, & primò. Mos est diuinæ prouidentiæ non conferre alicui dignitatem aliquam inconsultò, seu ex inopinato. Non constituit Moysen populi Israelitici ducem, nisi præcessisset in eo ouium ducatus: primò docuit Dauid, & exercuit in occisione leonum, & pardorum, quàm victorem faceret Gigantis Goliæ, sanguinem Virginis ad illam ineffabilem dignitatem eleuare constituerat Deus, ne ex inopinato videretur eleuasse, & dignitatem maternitatis Dei Virgini inconsultò contulisse, ad Virginis genas primò voluit ascendere.

Quòd & alias in Virgine videmus à Deo obseruatum, ab æterno elegerat in matrem, ad quam dignitatem, ut esset ipsa idonea, prouidit, ut in tẽpore absq; culpa cõciperetur in utero suæ matris, in quo actu ex luce diuinæ gratiæ tunc collatæ, tum ad eius præseruationem, tum ad eius dignitatem aperuit Deus Aerariũ suę diuinę essẽtię, in cuius visione fuit Maria cumulata virtutibus omnibus, & in omnibus pfectissima in genere intelligendi, & amãdi Deum, in quo instãti in supremo gradu obtinuit virtutes Cardinales, & Theologales, quæ omnia dispositiones erant ad Idoneitatem maternitatis Dei; nam si Deus non confert dignitatis gradum inconsultò, sic antequam ex sanguine Virginis formaretur caro Christi, voluit ut de corde ad genas ascenderet, & primo addisceret opitulari uerecundiæ matris, quam ex eo sibi uestem texere, & induere.

Quando Virgo uerecundiæ pudore turbata est in sermone Angeli, sanguis motus in corde cucurrit ad genas: quid rubor iste in facie Virginis? qui erubescũt ex sanguine emisso à corde alterato, vel pudore, vel amore purpurescũt, sanguis hic in facie Virginis testis est suæ pudicitiæ, & præsagium futuræ redemptionis, ex sanguine Virginis Christi humanitas formanda erat, Christi humanatio erat ordinata ad redemptionem, redemptio in auxilium, & opitulationem nostram, vt sanguis Christi sciat, quòd sui muneris erat, nos miseros succurrere, primò hoc munus cum matre adimpleat, occurrat genis matris, & suæ modestiæ auxilietur, opituletur, & opem præstet, vt ostenderet se esse primogenitam redemptorio, antequàm caro fieret ex sanguine, voluit vt sanguis ad matris suæ genas ascenderet.

O Sanguis Virginei cordis, ò testis fidelissimus pudicitiæ tantæ Virginis, cur tanto feruore, & impetu genas accurris? nisi vt testimonium perhiberes, quàm ardens erat amor, & virginitatis zelus in Virgine nunciata ab Angelo, quem primò hominem extimauit; nam sub specie viri apparuit, à quo accępit se prolem concepturam, & ad partum prolis venire, timuit hoc fieri cum aliqua suæ virginitatis iactura, & aliquid interuenire, quòd suæ virginitati non non conueniret: & quando se vidit in tali conflictu eximius virginitatis amor

mentem eius miro modo angebat, & vexabat, iam voto se Deo astrinxerat virginitatis in testimonium suæ fidelitatis, suæ fidei sponso Deo datæ, misit cor illud virginale sanguinem ad maxillas, vt rubor genarum testis esset sui promissi, ac si diceret, sanguinem effusum in genis effundere promptè sub tyranni gladio, si opus esset quàm dānum licèt minimum virginitati meæ inferre: O puritas, ò integritas, ò virginitatis amor, quid plura? quid altius dici, vel excogitari potest? quando ad Dei matris Virginem exaltauit dignitatem, quòd si turbatur virginitatis verecundia, non perturbatur fortitudinis
S. Bern. munere, vt inquit D. Bernardus

Non perturbari Maria in legatione tantæ dignitatis, actus quippè fuit miræ fortitudinis, & eò summæ admirationis digna, si consideremus, quòd ex verecundia, & fortitudine compactum est monile, quòd ex verecundia, & fortitudine compactum est monile, quòd collo suæ sponsæ pendere voluit suus cœlestis sponsus cum prudentiæ encausto: sic describit hoc monile, D. Bernar-
S. Bern. dus: *Quòd turbata est Maria virginalis fuit verecundiæ. quòd non perturbata fortitudinis. quòd tacet, & cogitat prudentiæ.*

Hac torque & pulchram reddidit, & ad dignitatem idoneam, quando turba-
Luc. c. 1. nu. 30. ta est in sermone eius: *Cogitabat qualis esset ista salutatio*, non loquitur, sed tacet, non respondet, sed cogitat; cur Virgo tot morulas traxit in cogitationem? vt ostenderet prudentiæ encaustum, verecundiæ decorem, & robur suæ fortitudinis, quæ eò mirabilior, quò fundata erat in capillis capitis sui.

Aperit nobis viam D. Augustinus in serm. 107. de Samsone agens ipse, qui fuit vir fortissimus, qui & à Dalida interrogatus, in quo posita erat fortitudo
Iudic. eius, sic respondisse legimus in lib. Iudicum cap. 16. num. 17. *Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea:* ergo in capillis erat eius fortitudo,
S. Aug. quòd admirans D. Augustinus sic expostulat: *Quid est, quòd in capillis virtutem Samson habebat?* Tanta vis inerat capillis eius? vt si rasum fuerit caput, recedebat ab eo, cur non in manibus, non in pedibus huius hominis fortitudo? sic locata erat in capillis, & in crinibus eius, vt illam non tribuit brachijs, & humeris, hoc fortassis vir ille capillis voluit fortitudini ascribere potius, quā membris sui corporis, vt fateretur illam à Deo cognoscere.

Et subdit D. Augustinus: *Et hoc fra-* Idem Sanct.
tres diligenter aduertite, virtutem non habuit in manu, non in pede, non in pectore, non in ipso capite, sed in capillis, & in crinibus; Quid sunt capilli? quid comæ? super verba illa Domini Iesu; *Et capilli* Matth. c. 10. n. 30.
capitis vestri omnes numerati sunt, inquit Origenes; *Hoc est, omnes actus, omnes* Orig.
sermones, omnes cogitationes eorum seruantur apud Deum, quia iustæ, quia sanctæ sunt. O Deus cordis mei, si apud te iustorum capilli numerati sunt, & conseruati in æternum, quia sancti sunt, quia recti, quia iusti sunt, quid dicam de crinibus, de capillis, de comis cordis Virginis, quando solitaria tacet, & ad Angeli legationem non respondet, sed tacet, & obmutescit lingua, & verecunda loquitur mente, loquitur corde, quando cogitabat qualis esset Angeli salutatio illa tàm insolita, comæ capitis eius tibi sacratæ, quàm sanctæ, quàm rectæ puræ, quàm iustæ eius cogitationes, quàm tibi gratissimæ, & à te reseruatæ, & numeratæ. Quando cogitabat mens illa virginalis virginitatis zelo, verecundiæ pudore, prudentiæ encausto erat plena, meritò non in manibus, non in pedibus, non in brachijs eius fortitudo, sed in crinibus, sed in sanctis cogitationibus: ò Deus si tu solus scrutator cordium, tu solus clarè videbas, perfectè intuebaris, numerabas actus cogitationum, & quò simul tendebāt, & quibus disponebas ad dignitatem, & aptam reddebas ad tuæ incarnationis mysterium.

Et quòd sanctæ erant comæ Virginis, & quòd ad Deum solum tendebant, à Spiritu sancto aperitur nobis via, & ingressus ad illas: in mente illa nihil aliud voluebat nisi Deū, & filij Dei incarnationem, & si purpurabant, ex eo quia sanguine, qui ad faciem eius præ verecundiæ pudore ascenderat, nutriebantur: si Christi caro ex eius sanguine virtute Spiritus sancti formanda erat, hunc sanguinem cogitabat, qui Virginis cogitationes non inficiebat, sed purpureo colore decorabat, quòd expressit diuinus sponsus. *Comæ capitis tui sicut* Cant. c. 7. nu. 5.
purpura Regis.

Ex quorum vno, dùm dicit vulneratum fortitudinem Virginis præfefert; & quòd

& quòd ad vnum solum semper tendebant; *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui;* Vulneratum se dicit in vno crine: si coma erat capillorum, quo illorum vulneratum se dicit sponsus? quis inter tantos eleuauit se cum palma, & corona victoriæ? in vno? cur tantum in vno? & quis eorum? & cuius talis est tanta fortitudo?

Cant.c. 4.nu 9.

Capilli capitis nostri dispersi sunt, cogitationes nostræ vagæ, & dissolutæ, nunc illuc nunc huc vagantes, plena est mens nostra capillis diuersarum cogitationum, heu quot desideria, quot imagines, quot picturæ inanes? at capilli huius Virginis, cogitationes huius sacratissimæ sponsæ multæ, & vnum: multæ sed non diuersę, quia ad vnum tendebant, Deum cogitabant, Deum amabant, Deum desiderabant, & virtus vnita fortior: quid miraris ò anima mea, si hoc monili ornatum collum Virginis, fortiorem reddidit, & adeò fortissimũ, quando ex omnibus sic collectis in vnum, sagittam ex eis effecit, qua vulnerauit Deum ipsum, & vicit, & Verbum Patris de pectore eiusdem fortiter attraxit in vno crine colli sui; *cogitabat enim qualis esset ista salutatio:* sed cogitationes eius erant ad vnum, hoc est, ad Deum, quem mentis oculo suauiter intuebatur, & contemplabatur ordinatæ, & veluti molles capilli erant valdè flexibiles per humilitatem, humilians se in omnibus & coram Deo, & coma capitis eius sic collecta in vnum, tantam vim habuit, quòd valuit vulnerare Deum, & cor eiusdem per vim amoris ad se trahere, vndè exclamat D. Augustinus ser. 12. ad fratres in Eremo. *O sancta, & venerabilis humilitas tu filium Dei de sinu patris descendere fecisti in vterum Sanctæ Marię Virginis;* quæ fortitudo hâc fortitudine maior, quæ vicit Deum, & Virginem, eleuauit ad Dei maternitatis dignitatem.

D.Aug.

In hoc Ramusculo, & sub vmbra illius, siste gressus cordis tui, contemplare fructus illius, & pulchritudinem monilis, quo exornatum est collum Virginis, non vt Adam, qui nuditatis suæ verecundia percussus, occultare se voluit à Deo, & ficus folijs quæsiuit operire nuditatem sui erroris: optimum est, post lapsum errata corripere pudore, & post peccatum verecundiæ purpura faciem exornare: sed verecundiæ Virginis monile non fuit ad culpam tegendam, immunis enim fuit ipsa ab omni culpæ macula, sed sui colli monile fuit verecundiæ, quàm puritas, innocentia, virginitatis zelorypia, & sanctitas parturit. Sub vmbra huius Ramusculi te collige, te absconde, vt ipsa, vmbra sui pudoris operiat nuditatẽ tuam, potens est, quia fortissima: sub vmbra huius ramusculi addisce capillos capitis tui fibula discretionis, & restrictionis annectere, & in vnum collecti ad exemplum Virginis vnum quærant, vnum ament, vnum amplexentur, vnum ligent, vnum possideant, vnum obtineant, vnum laudent, & benedicant; interim collecta tuæ mentis coma benedic nomen Virginis, quòd sit benedictum in æternum, o humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea, sub vmbra huius Ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meę. Amen.



DE FASCIA PECTORALI Virginis.

RAMVSCVLVS TRIGESIMVSNONVS.

Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.
Luc. cap. 1. num. 35.



O Deus cordis mei, tu salus mea, tu pars mea Deus in æternũ, quid cogitasti? quum in tua æternitate de mei lapsus reparatione cogitasti? in sacro illo tuo concilio quale de mea salute fuit tui cordis arcanum, & consilium? & quidem, quòd decreto immutabili à sola tua bonitate infinita iã pridem fuerit decretum, vt tu Deus pater omnipotens, Deum filium, quem de tua substantia genuisti ante mundi cõstitutionem, carnis velamine amictum in mundum mitteres Redemptorem, qui conceptus ex Virgine nascens, matre nasceretur ex Virgine, nec aliter oportebat fieri, inquit D. Ignatius martyr, nisi nouo miraculo: *Decebat namque, scribens ipse ad Neronem Diaconum creatorem non consueto, sed peregrino, & admirando vti partu, vtpote omnium opificem*: quid magis nouum? quid magis mirabile? vel quid magis insolitum? & stupendum? quàm Virginem concipere, quàm Virginem parere, & post partum inuiolatam permanere? quòd erat æternum, nasci in tempore factus homo.

D. Ignat.

Vt ostenderet Angelus conceptum esse diuinum, imò ipsum Deum, respondit Virgini, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, nouo partui, nouus modus par erat, in cuius nouitate nec mirum si mens caligat, & cæcutit humana, si natura ipsa stuper, & omnis creatura miratur. *A sæculo enim*, inquit D. Bernardus hom. 1. super missus est, *non est auditum, vt aliqua simul mater esset & Virgo*, & in sermon. 4. de Natiuit. Domini. *O verè nouitas inaudita, Virgo peperit, & post partum Virgo inuiolata permansit, fæcunditatem prolis, cum carnis integritate, & gaudium matris habens cum virginitatis honore.*

Luc. Eu. c. 1. n. 35

D. Bern.

Idem Sanct.

Et vtique talis Deum decebat natiuitas, qua non nisi de matre Virgine nasceretur, talis congruebat Virgini partus, vt non pareret nisi Deum, qui talem ex omnibus delegit matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram, à qua vti immaculata immaculatus procederet, Spiritui sancto desponsari voluit, qui vt Virginis sponsus spõsam illis muneribus, varijsque monilibus exornauit, quibus illa magis aptè disponeretur ad tanti sponsalitij, & incarnationis mysterij consumationem; idcircò fuit gratia plena, & primo in eam descendit Spiritus sanctus cum omnibus suis essencialibus donis, vt apta & digna disposita esset ad Verbi incarnationem, non solum in anima, sed etiam in corpore, vt probat D. Thomas opusc. 3. cap. 37. his verbis, *Quandoquidem Christus per Spiritum sanctum formari debuit; oportuisse prorsus eam fæminam, de qua suum corpus Christus assumpsit, spiritualibus maximè donis imbui, & repleri, vt non solum eius anima virtutibus fæcunda, sed venter etiam prole diuina prægnans esset, vndè oportuit non modo mentem eius à peccato immunem esse, sed & corpus eius ab omni corruptela carnis concupiscentiæ elongari.*

D. Tho.

Nam quidquid operabatur in Virgine, erat ordinatum ad incarnationis mysterium, vt apta esset mater De, vndè & Spiritus sanctus, cuius hoc erat

opus

opus impensum, innumeris animi dotibus, varijsque virtutum ornamentis sponsam suam cohonestauit, inter quæ singularis fuit suæ virginitatis fascia pectoralis, qua Verbo Dei in vtero virginali nuptialis thalamus ornatur, en quàm eleganter sic virtutibus exornatam contemplatur D. Augustinus in serm. 17. de Natiuitate. *Expandat nunc fides splendentis vteri pulchra tentoria, virtus obumbret, spiritus sibilet, naturali calore depulso tenuis Virginem aura refoueat, & fluente refrigerio spiramentis cœlestibus ventiletur, alueus Virginis fertis verecundiæ coronetur, flammeus ibi rosæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei spargantur flores, & vario nitore depictus Christi thalamus exornetur.*

D. Aug.

Quid plura? si Virginis thalamus erat puritate nitidus, moribus ornatus, omni prædictus sanctitate, floribus aspersus, virtutibus decoratus, fragans castitatis odore, humilitate pollens, charitate feruens, & virginitate redolens, hæc est fascia pectoralis, qua ornatur pectus, & vterus huius sponsæ à sponso suo diuino, quando vt inquit Angelus. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, tam noua, & inaudita sunt, quæ acciderunt Virgini Spiritui sancto desponsatæ, vt vtar verbis D. Damasceni, *Tollit facultatem sermonis materia singularis*, quæ enim lingua explicare sufficiat, vel quæ ratio humana non obstupescat, quum cogitare cæperit, quia Creator oritur ex creatura, factor fit ex factura, Virgo concipit, et parturit, et Virgo permanet, et qui erat in æternitate genitus à Patre ipse est quem generat Virgo, et parturit, et lactet, et liquor, qui emanat ex vberibus Virginis in carnem vertitur Saluatoris: meritò exclamat D. Basilius, *Vidit natura & creatura, quòd ante visum est nunquam, nempè prolem, qua sua matris esset parens, & infantem, qui genitricem ante longè anteibat*, meritò miratur natura, veretur homo, stupet Angelus, tremit cælum, pauet terra, concutitur infernus, et exclamat D. Gregorius Nyssen. orat. de Christi Natiuitat. *O miraculum ingens, Virgo mater fit, & Virgo permanet, vides opus nouum naturæ, in alys fœminis, quandiu Virgo aliqua est, mater non est, posteaquam enim mater facta fuerit, virginitatem non habet*, hic

Luc c. 1. nu. 35.

D. Dam.

D. Basil.

D. Greg. Nissen.

verò duo illa nomina simul concurrunt eadem enim et mater, et Virgo est, atque neque virginitas partum prohibuit, neque partus virginitatem soluit, sic placuit sponso, quando cinxit eam fascia pectorali, ut Virgo esset simul et mater fœcunda, fœcunda prole, sed cum uirginitatis flore.

O quàm perbellè hoc uirginitatis, et fœcunditatis fœdus contemplando cecinit in Maria Sanctus Idelphonsus in lib. de uirginitate Mariæ serm. 2. *Ecce insolito modo, insolito vsu, insolito ordine, insolito iure, in vna persona, in vno corpore, in vna conditione, in vna ætate alternat honor matris & Virginis, alternat pudor Virginis & matris, alternat in generatione virginitas, alternat in Virgine generandi facultas, & neutrum cedit illi, & vtrumque in alterutrum deriuatur, & neutrum impeditur ab inuicem, & ambo properant sibi, vtrumque seruatur in proprio, vtrumque transit in alterum, quia ambo unum, quia duo idem, quia diuersa idipsum, quia indistinctum accidens, quia indiscretum concurrens, quia indifferens superuentum: non matrem uirginitatis defferit Deus, non Virginem maternus impedit partus, & Virginem non uiolat fœtus, et matrem nobilitat pudor uirgineus.* Quis vnquam pudor virgineus matris genas ornauit, decorauit, nobilitauit, vtique nullus, solus, singularis, & vnicus hic marianus pudor: Maria sola mater simul extitit & Virgo, Virgo & mater fœcunda. O donum verè cæleste imò & diuinum, quando hæc sola Mariæ virginitas fœcunda, diuinæ comparatur à D. Ambrosio. *Quemadmodum*, inquit ipse in serm. 16. *Virgo diuinitas ediderat, ita eum, & Virgo Maria generauit*, virgineam vocat diuinitatem in Patre in generatione filij, cui sola persimilis fuit virginitas Mariæ, filius idem partus vnus, sed generādi, parturiendique modus diuersus.

D. Idel.

Hanc fœcundam virginitatem admirans in Virgine sponsa cælestis ille spōsus in laudem eius sic cecinit in Cantic. cap. 7. n. 2. *Venter tuus sicut aceruus tritici, uallatus lilijs*, quid triticum ad lilia? uel quid lilia ad triticum? triticum utique in scripturis fœcunditatem, sicut & lilium uirginitatem significat, sponsi laus non ad uentrem Virginis spiritualem, quo innumera sancta desideria concipiebat, & sanctarum cogitationum in-

Cant.

innumeros fœtus parturiebat, respiciebat, quando sponsæ ventrem sic laudabat. *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs*; sed veterum Virginis corporalem, in quo iuxtà Archangeli promissum, quando dixit; *Ecce concipies in vtero*: in quo tamquam mater vera, vt fieret temporalis Verbi Dei conceptio, ipsa sanguine sui cordis purissimum sumministrauit, & in quo quando Christi corpus Spiritus sancti cooperante virtute verè efformatum est, tunc pariter in eo efformatus est aceruus tritici membrorum Christi, qui cadens vt granum frumenti in illa terra virginea, factus est frumentum iustorum, & omnium electorum.

Cant. c. 7 nu. 2.

Luc. c. 1. nu. 31.

Ex quo clarè patet, quòd hic aceruus tritici, cui Virginis vterus aptè comparatur à sponso, eximiam eiusdem fœcunditatem adumbrat: O venter qui nobis fructum contulisti, & protulisti æqualem illi, imo & eumdem, quem Patris venter genuit ante luciferum, & ab æterno peperit, vt ostendit Spiritus sanctus in Prouerb. cap. 18. nu. 20. *De fructu oris viri replebitur venter eius*, O anima mea, quis oris Dei fructus? nisi filius, qui dixit; *Ego ex ore Altissimi prodiui*: hoc diuino fructu repletus est vterus Mariæ, audi diuinum nuncium sibi hoc nunciantem: *Quòd enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei: Ecce concipies & paries filium*: quis filius, & cuius filius? nisi Dei Patris? meritò vallatus lilijs, quia virginitas non fuit sterilis in Maria, nec eius fœcunditas sine candore virgineo, nec sine virginitatis flore adumbrato in lilijs, vt ex D. Hieronymo patet in psal. 44. & clarius Bernardinus à Busto serm. de partu Virginis pat. 2. explicans eadem verba, sic inquit: *Vallatus lilijs puritatis, & munditiei, vndique fuit circundatus, ita quòd hostis in eius cor nunquam intrare potuit, nec aliquam impuritatem immittere valuit, nam intus innuenebat lilium puritatis, & extra lilium castitatis, sursum lilium contemplationis, à dextris lilium temperantiæ, à sinistris lilium patientię, ante lilium prouidentię de futuris, retrò lilium iustitiæ de præteritis. non erat in Virgine quòd virginitatis non spiraret odorem, in lingua, in gressibus, in operibus, in corde, in mente, in labys, in verbis, in gestis virginitatem redolebat, puritatem ostentabat*; fœcunditas hæc virginitatem non abstulit, non minuit, sed auxit & cumulauit, vt optimè probat D. Thomas par. 3. q. 28. ar. 2. in corp. *Et hoc quidem conueniens fuit*, inquit ipse, *quia hoc competebat proprietati eius, qui nascebatur, qui est Verbum Dei, nam Verbum non solum in corde absq; corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit*; vnde vt ostenderetur quòd illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conueniens fuit, vt de incorrupto Virginis vtero nasceretur.

Prouerb.

Ecclesc. 24. nu. 5.

Luc. c. 1. nu. 35.

D. Hier.

S. Thom.

Quinimmo cordis corruptio, perfecti conceptionem Verbi non patitur, nam si mens est turbata, & intellectus nostri venter est confusione plenus, si cor ipsum est corruptum, non potest Verbum producere perfectum, quia conceptus perfectio arguit, & infert perfectionem mentis concipientis, ex quo clarè deducitur, & manifestatur Virginis portentosa virginitas & miraculosa integritas, quia caro in ea à Verbo fuit assumpta, vt esset caro Verbi Dei, cui multum amica est virginitas, quæ sola quando traxit de cęlo Deum, huius Dei partus & conceptio minuere non debeat virginitatem, sed augere fœcunditate, virginitate ipsa seruata, vt probaret se esse Deum, qui de Virgine nascebatur, non erat homo purus, sed homo Deus, qui à Diuo Paschasio in psalm. 44. appellatur virginitatis Deus, integritatis gloria, virginum sponsus, sanctæ virginitatis fructus. *Decus, & munus*, inquit ipse. *à quo sancta virginitas fœcundatur, vt perseueret intacta, à quo decoratur vt permaneat pulchra, à quo coronatur vt regnet perenniter, gloriosa nascendo ex Virgine virginitatis amator Virginem virginiorem fecit*; vt vtar verbis Amad. de laud. Marię hom. 4. *Dei genitrix*, inquit, *nec in carne delectata nec in carne cruciata, & in conceptione virginior, & in partu extitit sanior*: cur hoc ò anima mea? nisi quia qui ingressus est in eam, & egressus est ex ea, & introitus sui, & exitus nulla vestigia reliquit, est enim diuinus habitator, non humanus: undè de hoc loquēs D. Petrus Chrys. ser. 142. inquit: *In tuo partu, & in tuo conceptu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas, illc quo tibi aucta sunt omnia, nihil minuit Virgo.*

D. Pasch.

D. Amad

D. Petr. Chrysol.

Sed in te nobilitauit, & auxit uirginitatem, uerè de te sola ò naturæ prodigium dicatur. Cant. cap. 7. num. 2. *Venter*

Cant.

ter tuus sicut acervus tritici, vallatus lilijs: fœcunditas per triticum, sicut uirginitas per lilia tibi commendatur, ò anima mea si per triticum intelligitur fœcunditas, & fœcunditas pluralitatem geminat, si per lilium comprehenditur uirginitas, & uirginitas pluralitatem abhorret, & fugit, integritas non multiplicatur, non frangitur in plura.

Cur Spiritus sanctus quando commendat nobis Mariæ fœcunditatem singulari vtitur numero: *Sicut acervus tritici*: & quum Virginis uirginitatem nobis proponit numero utitur plurali: *Vallatus lilijs*, & uirginalem fœcunditatem, & fœcunditatem uirgineam uoluit nobis commendare, insuper & quòd maius est, idcircò numero singulari vsus est in commendatione fœcunditatis, quia vnicum, vnum, & solum granum, quòd Christus est, fuit in vtero Virginis, in quo sicut grana tritici in aceruo inter se collecta coæunt, & cohærent, ita & electos omnes in utero matris continebat granum illud unum, & singulare, quos & Virgo gestauit in utero, & Deo parturiuit, Audi D. Ambrosium in lib. de instit. Virginum. *Vnum granũ frumenti fuit in vtero Virginis, Christus Dominus, & tamen acervus tritici dicitur, quia granum hoc virtute continet omnes electos, vt sit ipse Primogenitus in multis fratribus*; ut ergo tibi præmonstraret conceptum, & partum Virginis fuisse Deum sub singulari acerui tritici præsignauit numero, cuius uirtute te scias esse saluatam.

D. Amb.

Vt verò virginitatem tibi ostenderet & pectoris, & corporis, lilijs comparando, usus est numero plurali, nimirum quia à uirginitate animi capit coronã, & præmium corporis uirginitas, ut probare uidetur Guillelmus, cuius uerba sunt hæc: *Non dicit vallatus lilio, sed lilijs propter duo lilia virginitatis, vnum intus in animi proposito, alterum foris in corpore incorrupto, porro sine lilio interioris puritatis, lilium exterius nihil est, quoniam sine proposito animi, carnis incorruptio inanis est*: quot lilijs præfulgebat Virginis uirginitas, si hoc animi propositum erat innatum in ea ab instanti sui esse; quoniam sicut verum est, quòd Maria sicut fuit Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum, ita fuit mater ante partum, mater in partu, & mater post partum, sicut nunquam destitit esse Vigo, sic semper fuit mater, semper Virgo, semper fœcunda, verè ò Maria. Cant. cap. 7. num. 2. *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus lilijs*. Hoc miraculum in Virgine solum operatus est Deus, hæc nouitatum nouitas in Maria sola reperitur, quòd expressit Sanctus Ieremias cap. 31. num. 22. *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum*: & clarius Isaias cap. 7. num. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, Ecce Virgo concipiet & pariet filium*. & adeò nouum fuit opus Incarnationis, quòd de eo semper cum stupore, & extasi loquatur scriptura diuina. Isaias cap. 53. nu. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* Non de illa æterna solum, qua Verbum nascitur à patre, sed de temporali, qua idem Verbum carne velatum natum est de Virgine matre, hæc temporalis non minus admirabilis, & stupore digna, quàm illa æterna, ita sonare videntur verba Diui Augustini hom. 36. in lib. 5. Non minora sacramenta in hac temporali, quàm in illa æterna, & diuina, sic exclamat; *Fide concipitur, masculus non accedit, vterus Virginis tumet, procedit Dei filius tamquam sponsus de thalamo nuptiali. mirabilis vtraque generatio illa, quia sine matre, ista quia sine patre.*

Guillel.

Cant.

Ierem.

Isaias.

Isaias.

D. Aug.

O anima mea, quid magis nouum hac nouitate? quid magis miraculosum hoc inaudito miraculo? concipit Virgo, & fide præstita verbis Gabrielis Archangeli, maritus non adest, copula non interuenit, & Virginis vterus grauidatur à Deo, à quo egreditur factus homo, vt sponsus de thalamo nuptiali, mirabilis illa æterna, quia est à patre absque matre, sed ista temporalis Verbi generatio mirabilior, quia est à Virgine sine patre, & quòd ex homine nascatur Deus, mirabilius est, quòd nascatur ex Deo Deus, hinc est, quòd mens D. Bernardi magis præ stupore suspendebatur in contemplatione istius secũdæ, quàm illius primæ: vndè in quodam sermone de Natiuitate Virginis dicebat. *Fratres generationem istam quis enarrabit? Angelus nunciat, virtus Altissimi obumbrat, superuenit Spiritus sanctus, Virgo credit, fide concipit, Virgo parturit, Virgo permanet; quis non miretur? quid hoc mirabilius? & magis nouum? deficit natura, exempla non cogunt, fides sola reddit credibile, quòd aliàs humanus intellectus iudicat*

D. Bern.

dicat impossibile, veritas diuina docet, & Dei sola omnipotentia operatur.

Quæ vt ad illius fidem disponeret mundum, & præduceret, & redderet credibile, sub varijs similitudinibus in Scriptura sacra adumbrauit hoc ineffabile mysterium.

Cant. Hinc in Canticis cap. 2. num. 1. vocat Verbum caro factum florem campi: *ego flos campi, & lilium conuallium*; cur Christus Dominus flos non pomarij? non horti, non viridarij? sed campi dicitur? flos qui in hortis nascitur, manu artificis plantatur, conualescit, coalescit, crescit, custoditur, & seruatur varijsque pulchritudinis monilibus vestitur, qui verò in aperto campo nascitur, reperitur, & videtur, topiarius, seù pomarij custos, quùm non adest, nihil operatur in eo, arte caret, artificio hominis priuatur, & humana custodia, seù industria spoliatur, lege D. Bernardum serm. 47. in Cantic. & sic habet Sanctus: *Hortus enim vt floreat hominum manu, & arte excolitur, campus verò ex seipso producit flores absque vllo humanę diligentiæ adiutorio.* D. Bern.

Attende quæ dico ò anima mea, & quàm appositè Verbum carò factum, vocetur flos campi, & non horti, seù pomarij, campus hic vtique vterus est Mariæ, qui florem hunc concæpit, generauit, & produxit; campus verò grauidatur dulciter, & suauiter, & leniter de rore cœli, de imbribus cęlestibus irrigatur, impinguatur, fæcundatur, vndè flores generat, & producit, qui vt coronetur floribus, & diuersis florum monilibus, non indiget, vt manus hominis illum fodiat, vel escolat, sed de rore cæli pascitur, nutritur, & fęcundatur.

O nouitas nouitatum admirabilis, ò miraculum miraculorum omnium primum, & secundum non habet, Christus Verbum Patris, iam factus homo absq; alio viridario, ex rore duntaxat Spiritus sancti concipitur, generatur, & nascitur de Maria Virgine, cuius vterus vallatus lilijs, factus est fæcundus non opere humano, (aliàs non esset lilijs vallatus) sed tantum rore Spiritus sancti, non indiguit hominis manu, vel ligone, vel bapilione, aut arte, vt florem produceret, sed vt campus ex solo cœli rore fæcundatus parturiuit.

Et vt tibi clarius innotescat, quæ dico, attende Christum florem campi, campi enim flos, quando nascitur coronat, adornat, pulchrificat ramum, & truncum, à quo ipse nascitur, non corrumpit, non turpificat, sed pulchritudinem adauget, cumulat, & crescit, id matris vtero contulit flos Christus, quando natus est ex ea absq; virginitatis dāno, natus est, & detrimento, imò pulchriorem reddidit, virginalis ille ramusculus quando floruit, & florem hunc virginitatis emisit, pulchrior apparuit, & magis admirabilis, & admiratione dignissimus, cuius nouitatis stupore raptus est Eusebius Emissenus homil. 2. exclamat: *Quid primum miror? quidue postremum? quòd sine conceptu collata est Virginitas, an quòd per partum glorificata est Virginitas, ut naturalis truncus fuisset Virgo ex sua natura sterilis, si gloria fœcunditatis caruisset, at dùm florescit, & flos est diuinus, arte utique diuina pulchrificat uirginitatem potius, quàm corrumpit*; ò nouitas, ò nouitatis miraculum, vt partus glorificet virginitatem, & pulchrificet, & augeat, & condecoret. Euseb.

Hoc mysterium innotescere voluit ipsamet Virgo mater, quando dixit: *ego quasi uitis fructificaui suauitatē odoris; & flores mei fructus honoris, & honestatis*; Ecclesiast. cap. 24. num. 23. à flore emittitur, & emanat odor, qui quando de flore primò egreditur, primò nascitur, primò spiratur: Numquid odor florem corrumpit? à quo generatur? & nascitur? nota vt non erres. Eccles.

Flos de sua natura cùm sit mollis, & delicatus, est corruptibilis, & ipsamet odoris exalatio, seù emanatio, quę fluit ab intrinseco sui esse, quùm sit nimis continua, ita florem eneruat, vt post longam exalationem tabefieri, & corrumpi necesse sit; vndè et floris imaginem, & pulchritudinem statim videmus marcescere, & eius suauiolentiam simul auolare, & euanescere conspicimus: at quùm flos, videlicèt viola, rosa, seù lilium adhuc tumens, nec dùm ex toto folijs dilatatis quando efflorescit, & primo aperitur, rumpitur, & suauem fluxum emittit odoris, quis est, qui ignoret absque sui corruptione totum fieri. Contemplare anima mea Virginis vterum vernantem veluti rosam virginitatis candore; nam et si florem illum, qui & floris, & lilij nomine potitur, & gloriatur

Cant.c.2. nu.1. riatur in Canticis: *ego flos campi, & lilium conuallium*: si Virgo concepit, si Virgo genuit, itá absque suæ virginitatis corruptione; seù lesione Virgo parturiuit, & peperit, & in lucem edidit, & post partum non solum permansit Virgo, sed hoc fæcundata, & coronata flore virginior apparuit. Sistamus hic verba pijssimi Guarrici Abb. qui sic fatur. *Quæris quomodo Virginitas genuerit Saluatorem, sicut flos vitis odore, si corruptum inueneris florem, pro eo, quòd dederit odorem violatum crede pudorem, quia Virgo dedit Saluatorem.* Guarric. Abb.

O Virgo, ò Maria, ò mater, & Virgo, in te sola hæc duo inter se contraria, & multum distantia, copulata, & vnita contemplantur, virginitas fæcunda, & fæcunditas virginalis, quo nexu? quo vinculo? qua manu? qua arte quo ministerio? non nisi diuino, inquit diuinus Nuncius: *Spiritus sanctus superueniet in te*: qui & sanctos omnes suo lumine capere, & intelligere fecit; D. Hieronymus vocat Mariam hortum deliciarum in quo consita sunt vniuersa florum genera, & odoramenta virtutum, & appellando Virginem hortum deliciarum, horto illi, quem primo plantauerat Dominus Deus à principio in Edon, & in quem complacuit primum hominem collocare, assimilare videtur, & ratio huius similitudinis desumitur ex Patre Theodoro Ancire Episcopo, qui inter terrestrem illum Paradisum, & hunc virginalem hanc proportionem, seù similitudinem contemplatur. Luc. c.1. nu.35. D. Hier. Theod. Ancire Episcop.

Sed longè pulchrior, longèque vberior fuit vterus virginalis loco illo deliciarum, licèt assimiletur in multis, tamen non dissimilis videtur in paucis: terrestris namque ille paradisus, vt virgulta, & arbores produceret, fæcundaret, & multiplicaret flores, & fructus suauissimos, nec cultura opus fuit, nec vomere, nec ligone, nec aratro, nec bapilione, sed terra illa ad Verbum Domini ex se, & ex sua substantia absque opere terrestris alicuius artificis germinauit omnia, & cuncta quæ præceperat ei Deus, nihilominus plantulæ illæ, & hærbæ, & omne lignum pomiferum ex sub natura corruptioni erant obnoxia, & subiecta, locus erat deliciarum, sed cuncta germina ad corruptionem tendebant.

At vterus Virginis hortus est deliciarum, quia fæcundus, quia vallatus lilijs, pro germine virgultum habuit Verbum Dei, hoc concæpit, hoc genuit, hoc produxit ex sua substantia absque mortalis hominis cultura, seù aratione, quid illo vberius? quid illo fæcundius? quid illo pulchrius? quid illo fęlicius? flos illius, flos honoris, & integritatis: ò Virgo, quæ ipsum vicisti deliciarum Paradisum, dùm ipse creator secundum carnem factus est germen, & virgultum de terra sitienti, & virginali: meritò stupet natura humana, miratur angelica, generat Virgo, & parit, & partus est Deus, & Virgo fit mater, mater & Virgo, nec flos virginitatis, nec lilia integritatis corruptionem sentiunt, nec experiuntur, hæc natura creata non capit, sed stupet, & miratur, inquit D. Maximus: *Vniuersa nobiscum natura, & creatura miratur, nascitur homo; & non per hominem procreatus, nascitur Christus ex Maria, vt sex fœmineus hominem daret & Deum proderet integritas virginalis.* D. Max.

Hac fascia pectorali sponsus Spiritus sanctus in hoc sacro connubio pectus, & vterum suæ sponsæ præcinxit, ornauit decorauit, nobilitauit, & sic decebat quæ paritura erat Deum.

Cuius partu Mariæ virginitas purior fuit effecta, & in tuto posita, in connubijs hoc præcipuè attenditur, & obseruatur vt sponsæ dos sit in tuto, in aliquo feudo depositatur, & collocatur, quādo nuptias celebraturus erat Deus cum Maria, nuptiarum paranymphus fuit Archangelus Gabriel, qui vt Dei Nuncius, quando ingressus est ad eam, legationem suam exposuit illis verbis: *Ecce concipies in vtero, & paries filium*: & ne timeas, quia totum erit Spiritus sancti opus: *quòd enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*: tui cordis consensus desideratur, & nihil aliud, turbata est Virgo, tacuit, & non subitò responsum dedit, sed cogitabat qualis est hæc salutatio, & quādo post lōgā consideratiōnē respondit, in hæc verba prorupit: *Quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco?* Mariæ dos erat sua virginitas, quā suo spōso Deo iā voto promiserat, & obtulerat, quando dixit: *Quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco*: suæ dotis fiduciam, seù cautionem expostulabat: factus Gabriel non solum harum nuptiarum cęlestis nuncius, sed Luc. c.1. nu.31. Luc. c.1. nu.34.

 fide-

fideiussor, fendum seù fundum nouæ sponsæ ostendit Spiritum sanctum, & Dei Patris virtutem obumbrantem: *Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus Altissimi obumbrabit tibi*: tuta cautio, tuta fiducia, secura fideiussio, dotis suæ virginitatis posita in tuto liberè consensum expressit, *Ecce Ancilla Domini*, nō solum in tutò, sed virtute huius partus purior, & pulchrior fuit effecta, quòd Diu. Anselmus videtur mihi probare quando dicit, *Sit nobis tamquam in imagine deposita virginitas Mariæ, in qua tamquam in speculo relucet virginitas*; quid sanctus hic intendit tibi præmonstrare quum dicit, quòd virginitas Mariæ in conceptione filij Dei relucet vt in speculo? quid speculum ad virginitatem? vel quid virginitas ad speculum? cur hoc? & quæ huius sancti mens? & conceptus? nisi vt capias puriorem esse Mariæ virginitatem in partu filij Dei, quàm in seipsa. Quando quis se contēplatur in speculo ex duobus quæ intuētur in speculo, hoc est obiectum corporeum extra speculum, & species ipsiusmet obiecti contemplati in speculo: siquidem purior est species obiecti spiritualis, quàm obiectum ipsum materiale: Maria est speculum sine macula, in qua tamquam in speculo relucet virginitas quæ dum contemplatur in Maria tamquam in speculo, vtrique non intuetur vt est in seipsa, sed vt est spiritualis, ergo purior est in Maria virginitas, quàm non in se.

Luc. c. 1. nu. 35.

Luc. c. 1. nu. 38.

D. Ans.

Quid est hoc? ò anima mea, virginitas non est ipsa puritas? non est ipsa integritas? ipsa munditieS? ipsa pulchritudo? & pulchritudinis decor? quid puritatis? quid integritatis? quid munditiei? quid pulchritudinis accipit ipsa contemplata in Maria? quantum capio, quantum sapio, purior est in Maria, quā in se: flos virginitatis, qui natus est ex ea, illius virginitatis florem non ademit non imminuit sed auxit, & adijecit decorem, & pulchritudinem, sit tibi ò anima mea in imagine deposita virginitas Mariæ, in qua tamquam in speculo relucet purior virginitas ipsa, hæc fuit fascia pectoralis, qua sponsam Virginem Spiritus sanctus vt cœlestis sponsus pręcinxit in nuptijs, vt ipsius esset apta sponsa: zelotypus est hic diuinus sponsus, & sponsas non amat, nec sibi nubit, nisi hac primò sint præcinctæ fascia pectorali, quæ cum sit Spiritus sancti donum, vt te præcingat anima mea, & tu illi dignè aptèque nubeas, sub hoc ramusculo siste gressus cordis tui, & fascia hac virginitatis præcinge lumbos mentis tuæ simul & carnis tuæ, qui vallati si fuerint puritatis lilijs eris sponsa, & amica Dei tui.

Et quid est, quòd te ad hanc virginitatis sectandam virtutem magis potest allicere, inflammare, & ad eius attrahere amorem, vt hoc virgineum Mariæ vteri speculum, cuius vterus ad hoc speculi nomen meritò virginitatis sibi vēdicat in Canticis cap. 7. n. 2. *Vmbilicus tuus crater tornatilis*, alia lectio legit, *venter tuus sicut speculum rotundum*.

Cant. alia lectio.

O mira & imperscrutabilis Diuinæ sapientiæ altitudo, cur venter Mariæ comparatur speculo? nimirum, quia ille qui erat flos æterni patris sinus, in hoc virginali aluo factus homo, factus est lilium conuallium, sed ex vtero vallatus lilijs, cur hoc? nisi vt pulchritudine sua te alliceret, prouocaret odore, vt geret fragantia, inuitaret candore suo lacteo, incitaret venustate, animaret exemplo, inflammaret figura, & attraheret forma, vt capias quæ dico, attende quæ scribit D. Ambrosius lib. examer. cap. 6. in quo volens nobis aperire modum, quo venatores solent tigridis venari soboles quibus furtiuè, & raptim iam captis vbi mater sui partus iacturā experitur, & patitur rapinam, & lustrum sobolis vacuum reperit & spoliatum, & cubile populatum & inane, illicò raptoris vestigia sæua insistit, & quāmuis ille equo vectus fugaci aufugiat, videns tandem velocitate sæuientis matris, quę cursu velocissima est, quemadmodum & natura sæuissima, ab ea præueniri se posse, nec euadendi vbi comperit nullum equi sui cursum suppetere sibi posse subsidium, aut effugium. Thecam huiusmodi fraude molitur, vbi cōtiguam viderit & propè fieri, speram de vitro proijcit, at illa imagine sui ludit, sobolem putat reuocat impetum, comprimit cursum, colligere fętum desiderans, rursus inani spe retenta, toris sese ad compræhendendum equitem viribus fudit, & iracundiæ stimulo velocior fugientem insequitur, quæ dum illi imminet, & proximatur, iterum ille obiecto speculo insequētem se retardat, nec sedulitatem matris memoria fraudis ex clu-

D. Amb.

cludit cassam versat imaginem, & quasi lactatura fętum resídet, sic pietatis suæ studio deceptа, vindictam amittit & prolem.

En venatoris sagacitatis ars, vt iram matris furentis, & cursum ventis velociorem retardet, & sedet, & capta prolis præda retineat, & gaudeat. Quid venator tunc? vbi feram sibi finitimam, seu propinquam deprehendit globosam de vitro sphæram ante illius oculos proijcit; at illa introspiciens uelut in speculo proprij corporis imaginem ludit, & sobolem suspicatur, retardat cursum, dum fętum amplecti se credit, & desiderat, hoc itaque modo Tigris prole orbatur, & falsa sui ipsius colluditur figura, & cauillatur imagine.

Si speculum rotundum paruam in se referens furenti matri Tigridem, ad quam illa dum ad proprium filium currit, stat, cursum remittit, furori cedit, gestat amplecti, lactari desiderat heu dum ludit in imaginis vmbra, illuditur, & quæ currebat prædari, prædatur & speculo, in quo fętum credit amplexari, amplexata, & prædatur, capitur, & capta venatorem amittit & filium.

Et quæ hæc tigris crudelior, & quæ immanior bestia, & magis varijs distincta maculis, & ad prædam velocior? vt carnis nostræ rabies, titillatio, prurigo, effrenata pronitas, & stimulus; si ab affectionibus, passionibus, tumultibus aues retardare, imo denudare et spoliare, hoc tibi obijcit ante mentis tuæ oculos speculum Deus, siste gradum, intuere speculum à Spiritu sancto vallatum lilijs, et præcinctum hac fascia pectorali, et videbis lilium illud, et lacteum florē, qui flos erat diuinitatis in utero hoc uirginali factus est lilium conualium, quod ad nouam benedictionem terra nostra produxit, et parauit ante faciem omnium: Cur hoc amictu uestiri uoluit humano, et uirginalibus uallari lilijs, ut in speculo dum conspicis tuæ carnis figuram uallatam lilijs, tuæ carnis rebellio, stimulus, et ferocitas ad eius aspectū sedat furorem, mitiget iram, sistat gressus, remittat cursum, fręnet ardorem, delectetur odore, capiatur pulchritudine, & victa virginitatis, & lilij pueri Iesu, & matris liliorum candore, venustate, decore, dulcedine, suauitate, fragantia, & suauiolentia, victrix prędata prædabitur, & captiua collocabitur in libertatem filiorum Dei, de quibus inquit Ioannes, quando centum quadraginta quatuor millia hæc fascia præcincti lilij huius allecti odore: *Virgines enim sunt, sequebantur agnum quocunq; ibat.*

Ad hoc factus est in vtero virginali lilium conualium, vt te præcingeret hac fascia pectorali, & sui & matris incitaret exemplo, præcinge te vt possis & tu ascendere ad Palmam Virgineam, & illius carpere fructus perdulcissimos; sub hoc ramusculo siste gressus tuarum cogitationum, & fascia hac integritatis, puritatis, & virginitatis præcinge lumbos mentis tuæ, quæ si fueris vallata lilijs interioris, & exterioris hominis eris tuta, eris secura.

En feudum virginitatis, en mater puritatis ascende ad palmam, vt carpas fructus perdulcissimos, quibus exatiata, inebriata, impinguata, & repleta reple concauum cordis tui, & oris simul laudibus Mariæ, benedic nomen sanctū eius, quod sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, nūc & in hora mortis meæ. Amen.



DE ANNVLO FIDEI Virginis.

RAMVSCVLVS QVADRAGESIMVS.

Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Luc.c.1.n.35.



Vnctarum virtutum sponsus est Spiritus sanctus, qui vt sibi aptè, & dignè desponsaret Virginem, annulo fidei subarrhauit illam, quando descendit in eam cum omnibus suis essentialibus donis, quibus omnibus, vbi ornatam perfectèque decoratam reddidit, nempè puritate nitidam, sanctitate præditam, innocentiæ floribus aspersam, virtutibus cumulatam, castitatis odore refertam, charitate feruentem, Virginitate redolentem, humilitate pollentem, innuptam fecit fæcundam, Virginem matrem, ancillam Dominã, seruam Dei genitricem, quibus omnibus, vbi induit vestibus gratiarum, Virginis animam, collum ornauit verecundiæ, & modestiæ monilibus, pectus, & vterum virginitatis fascia pectorali, pedes humilitatis calceauit sandalijs, in signum autem dilectionis, & huius sacri connubij (& communis est ritus) digitum sinistræ manus, qui minimo est proximus, fidei signauit annulo, & tali honore meritò decoratur hic digitus, quia in eo est neruus tenuissimus, qui pertingit ad cor.

Quibus donis cohonestata Virgo, vt sponsa Spiritus sancti facta est Thronus Dei, Virga florida, nubecula leuis, hortus conclusus, porta clausa, rosa vernans, lilium candens, flos nitens, virgula fumans, oliua virens, vitis fructificans, campus germinans, terra pullulans, germen æternæ viriditatis. O Maria, ò sponsa nouiter desponsata, quando te diuinus hic tuus sponsus sibi te desponsauit annulo fidei, fæcundauit te prole diuina, quàm mente concipis, ventre generas, gestas in vtero, lacte nutris, cibo alis, foues gremio, stringis fascis, contractas manibus, amplexaris brachijs, quid plura?

Desponsata Maria Spiritui sancto fidei hoc annulo, vt tanti sponsi fores digna sponsa, decorauit te virtutibus, repleuit te gratiarum plenitudine, irradiauit te donorum cęlestium fulgore, resperxit innocentiæ decore, coronauit te virginitatis candore, calceauit te humilitatis sandalijs, exornauit te fascia pectorali, obsignauit te annulo fidei, minutis obedientiæ tessellis variegato, & vermiculato, gemmaque dilectionis suę coronato, inter sponsalia dona hunc fidei Virgo à sponso accępit annulum: qui vt testis est D. Clemens Alexandr. lib. 3. strom. cap. 11. *sponsæ datur, nec quidem ad luxum, & ornatum, sed vt eo obsignet, quæ domi digna sunt, quæ custodiantur, quarum cura ad vxorem pertinet, sed vt esset pignus conuictus ad prolem, & in pignus vxoris temperantiæ, castimoniæ, & fidelitatis,* & vuulgo, fides dicitur. Ex Diu. Clemen.

Ab hoc cõmuni ritu non longè deflexit Spiritus sanctus, sed superueniens in Virginẽ digitum suæ spõsæ hoc decorauit dono, hoc obsignauit annulo in pignus suæ pudicitiæ, in pignus conuictus ad prolem, & in pignus rerum domesticarum sponsi: Tunc te fidei Spiritus sanctus obsignauit annulo in pignus tuæ fidelitatis, & castimoniæ, in pignus futuræ prolis, simul & rerum domesticarum, quando cum suis essentialibus donis descendit in te, ita ut anima mea meritò sic edocta ab Angelo dicat tibi. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. c. 1. num. 35.

O Maria, ò cęlestis sponsi digna sponsa

sa lego & audio; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: quid meditabor? quid dicam? quid obloquar? nisi quòd idem sponsus inspirauit, & docuit Sanctæ Elisabeth, non quòd ab eo intus Spiritus sancti lumine accępit, sed exterius, & sensibili; voce expressit. *Beata quæ credidisti quoniã perficiëtur ea, quæ dicta sũt tibi à Domino*

Luc. c. 1. nu. 35.

Luc. c. 1. nu. 45.

Quid credidit Maria? & cui credidit, & quid dictũ ei fuit à Domino? ò anima mea attende, inspice, & scrutare à Domino, per Angelum nunciatum fuit Virgini, se fore conceptnram, & parituram Deum salua sua virginitate; credidit Deo, credidit Angelo, credidit & Angeli implendum promissum, credidit, & sui virginitatis voti se non transgressuram prosessionem, & mirabili fide credidit posse fieri in se, quòd nunquam auditum fuit, nec in cœlo, nec in terra: iurè beata, quæ credidisti, super his verbis: *Vides*, inquit D. Ambrosius in Luc. cap. 1. *Mariam non dubitasse, sed credidisse, & ideò fructum fidei consequutam*: Et qui fructus fidei? nisi complementum promissionis factæ.

D. Amb.

Et si fides est annulus, quo anima fidelis desponsatur Deo, vt dicitur per Oseam Prophetam, cap. 2. nu. 20. *Sponsabo te mihi in fide*: Et Maria indè beata, quia fructum fidei est consecuta; potuit ne fructum consequi, & annulum fidei à sponso in suo connubio non accipere? & accępit, et excellentissimè gestauit, vermiculatum obedientiæ decore, & coronato gemma dilectionis; ita testatus est D. Albertus Magnus in Luc. cap. 1. *Fidem habuit*, inquit ipse, *in excellentissimo, quæ tam immensæ rei sibi promisisse fidem adhibuit*, & plenius hoc digessit D. Augustinus in serm. 2. de Assumpt. Virg. *Non potuit Diuinitatis Christi non esse credula, quæ se nouerat, hunc non ex virili semine fecundum ordinem naturæ, sed diuino spiramine nunciante Angelo concepisse, videns semper famulantium Angelorum ei adesse frequentiam, vt nascituro, & nato, & in Aegyptum fugienti, atque indè iterum redituro, quibus liquidò cognoscere potuit, qui talia obsequia non nisi Deum decuerant*. Hac Augustinus.

Ose. Proph.

Albert. Magn.

D. Aug.

Huius fidei annuli artifex fuit ipse Spiritus sanctus, & Virginis sponsus, qui suæ sponsæ gestandum tradidit in digito quarto à pollice; illius materia non fuit aurum, seù argentum, sed lumen Spiritus sancti, quo eminenter illustratæ fuerunt illæ duæ intellectuales operationes, quæ ad fidem necessariæ sunt, vna qua percipimus, quę credenda sunt, nam nemo credit, nisi primò intelligat, & capiat, & apprehendat ea, quæ crediturus est, et hæc operatio dicitur intelligentia; alia est operatio, qua rebus iam apprehensis, assentimur, et ita esse iudicamus, et dicitur hæc assensus, in quo stat fides, vt docet Diuus Augustinus: *Credere est cum assentione cogitare*. D. Aug.

O Deus cordis mei, ò artifex, & inspirator eorum, quæ credenda sunt, quę vnquam anima ita intensius, ita feruentius, ita frequentius, & sine intermissione cogitauit de rebus diuinis, vt Maria? quæ ab Angelo audiens; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: penetrauit intellectu, clarè cognouit, quid ista significarent, & quid intendebat Angelus Dei nuncius dicere, ita absque ambiguitate perfectè percępit, & intellexit proprium sensum verborum, & modum concipiendi ei reuelatum ab Angelo, qui à semetipso non loquebatur, sed vt nuncius missus à Deo, ergo Deus per Angelum Mariæ loquebatur, & quùm Deus loquitur, profert verbis conceptum, & simul docet, & dat lumen, quo intelligantur verè, quæ ab eo dicuntur, & qui audit, percipit, capit, intelligit, & credit. Luc. c. 1. nu. 31.

Quæ intellectuales operationes cum fuerint in Virgine excellentissimè super naturam, excellentissimè resplenduit in ea hic fidei annulus, cuius encaustum erat obedientiæ decor, & lapillus, seù gemma erat charitas, & amor, & gestatus à Virgine in illo digito, cuius neruus, seù vena respondet ad cor, & cordis principatui est annexus, & connexus, ò anima mea quos actus fidei, & quàm feruentes, quàm efficaces, quàm effectuosos, quàm singulares, & quàm multiplices cor Virginis producebat in dies, & per cuncta diei momenta? tot, & tales, quòd redduntur menti creatæ non totaliter intelligibiles, imò scrutatu perdifficiles.

Ille dilectionis actus cum actione gratiarum, quem in instanti suæ Conceptionis produxerat Virgo, vtique absq; singulari cognitione, & fidei lumine

non

non fuit,quo illustrata simul, & diuinæ bonitatis, & pulchritudinis amore inebriata,perpetuæ votum virginitatis emisit,vndè hoc in Virgine? nisi ex altissimo actu fidei? nouem mensium spatio, quo fuit in vtero matris Annæ quidquid puellula intelligebat, capiebat,cognoscebat,& edocta à lumine meditabatur,& contemplabatur: vndè hoc ei? nisi ex altissimo actu fidei? vndecim annorum interuallum, quo vitam duxerat in templo.vsque ad harum diuinarũ nuptiarum Verbi diem,si totum fuit in Dei contemplatione,& sacrarum scripturarum lectione,dicat ille cui datum est,& qui nouit,quos actus altissimæ fidei produxerat,& eructauerat cor illud virgineum.

Diuinarum personarum distinctionem,& essentiæ vnitatem, qui est primus nostræ fidei articulus, quis oculus vidit clarius,intellexit altius, & credidit firmius,vt Maria? quando clarè accepit ab Angelo se concepturam Dei Patris filium, solo spiramine Spiritus sancti,credidit Verbi æterni incarnationem,credidit se Deum concipere,& parere absque suæ virginitatis læsione,credidit se matrem fore, & esse Virginem, credidit sui vteri partum esse Deum, & hominem, & hominem vniri Deo, & hunc esse Messiam promissum in lege, mundi redemptorem,& saluatorem, & esse beatum simul,& viatorem,credidit quidquidDeus promiserat per prophetas suos in suo vtero profecturum, & consumaturum.

O annuli splendor,& fidei altitudo, quæ mens non stupet,quæ natura non miratur? quando sentiebat conceptum augeri in vtero, quãdo vidit paruulum natum flere,gemere,nuditatis,& frigoris penuriam pati, & sentire asperitatẽ, suo lacte egere,quando lactabat, quando nutriebat, quando ligabat fascijs, quando locabat in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio, Deum credebat,vt Deum amabat, vt Deum adorabat,& confitebatur.

Quando ab inimicis eum videbat persequi,quærere ad mortem à Doctoribus irrideri,à sacerdotibus illudi, ab hominibus despici,à discipulo tradi, ab Apostolis derelinqui quando vidit eum ad mortem damnari cruci affigi,& iam mortuum inter brachia lugens, vt hominem,& sui vteri partum collacrymabatur,sed Deum immobilem, & stabilẽ credebat,confitebatur ostendebat, & prædicabat. Circa mysterium Sacratissimæ Eucharistiæ de purissimo corde suo quos fidei actus emittebat, eructabat,& multiplicabat? dicat qui nouit, dicat qui intelligit,& capit; ego autem cum D.Augustino confiteor quòd beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi,quàm concipiendo carnem Christi: ò Maria,ò Maria, *Beata quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* D.Aug. Luc. Ev.

Et quo alio medio perfecta sunt in Virgine omnia,quæ nunciauerat Angelus ei,nisi annulo fidei,sic interpetratur hæc Elisabeth uerba Riccard. à Sancto Laurentio lib. 1. de laud. Mariæ cap. 3. *Per fidem concepit, vndè per aurem dicitur concepisse, idest per fidem dictorum, quia fides ex auditu,ideò dicitur ei, Beata quæ credidisti quoniam perficientur ea,* vt intelligas quòd annulus fidei datus fuit Virgini, vt esset pignus conuictus ad prolem,quæ veritas elucescet, si attendas quid in Canticis circa hoc dicit Virgo ipsa. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius,*cap.5.n.4. notanda est particula illa, *Foramen,* quòd multi intelligunt de foramine aurium, sicut per manum intellexerunt filium Dei: ò dulcis connexio,ò nexus ineffabilis anris,& ventris,quid est,*Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius?* nisi modum exprimere quo filius Dei conceptus est in vtero matris, & qualis erat Virginis venter ante conceptionem,talis & remansit post illam, quia Verbi conceptio fuit per fidem, quia fides ex auditu; quando Deus pater misit manum suam,hoc est Deum filium per foramen auris Mariæ, quia vt dicit Diu. Anselmus in Luc.cap.10. *Porta per quã intrauit Iesus Dei filius in mundum, fuit fides Mariæ:* tunc venter eius contremuit,& expauit, quando datus fuit fidei annulus Virgini, & credidit verbis Angelicis, vt ostenderet quòd datus ei fuit, vt esset pignus conuictus ad prolem: nectit autem cum ventre, quia per aurem in ventre formatus est Dei filius. Richard. Laur. Cant. D.Ansel.

O quantum splenduit,& quale lumẽ dedit hic fidei Mariæ annulus,eò usque quò Hoc annulo coronatus,& decoratus

tus nō apparuit Virginis digitus, Deus nec carnem indui, nec mundo redemptionem, & salutem conferre uoluit, meritò ei dicitur, *Beata quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Tantæ perfectionis fuit hic fidei annulus in Virgine, & tantæ uirtutis ex gemma charitatis illi connexa, quòd filium Dei traxit de Cœlo, conclusit in utero: ò Deus cordis mei quæ mens non stupet? & non miratur, si contremuit uenter Virginis quando misit Deus pater manum suam per foramen auris eius: non me credas, sed audi in hac parte quid dicat Guillelmus; *Maluit manum mittere per foramen, per aurem Virginis sono prædicationis Angelicæ illabi in mentem eius ad eliciendam, quæ diuino mysterio cooperaretur fidem: ad manus huius suauissimæ contactum memoria Virginis obstupuit, & expauit*: si mens Virginis, quæ in illo actu fuit sub umbra Spiritus sancti, & sub vmbra uirtutis Dei, quo lumine fidei fuit irradiata? & suus fidei annulus quot radios emisit?

Luc. Eu. c.1, n.45

Guillel.

Fides non percipitur nisi charitate, non perfectionatur nisi dilectione, quia actus fidei est actus intellectus, quo hominis mens credit, & assentit primæ veritati; cum veritas sit intellectus obiectum, scopus, & signum, ad actum fidei intellectus egreditur, non vt ipse vult, sed vt imperatur ei à voluntate, voluntati enim interest excitare, mouere, & implere suaui affectione intellectum ad actus fidei, nec voluntas tali affectione potitur: imò impossibile est sine charitate, sine delectatione, ex quo elicitur quòd fides non est perfecta si charitate non est circumamicta.

D. Greg. Nissen.

Annulus fidei Virginis pro gemma charitatem habebat, quam D. Gregor. Nyssenus fidei vocat sororem, oratione aduersus differentes baptismum. *Fides suam requirit sororem, nempè quæ est ex charitate*, charitatis enim perficit fidei annulum, qui idcircò tali decoratus gemma, datus est Virgini vt illi esset conuictus ad prolem, stimulus voluntatis ad ardorem, & pignus intellectus ad lumen, & splendorem, & cum esset illa mens virginea sic perfectissimè illustrata lumine ad contactum tanti mysterij expauit, & obstupuit: quid mens nostra tot obnubilata ignorantiæ tenebris? expauescat & in eiusdem contemplatione stupeat, miretur diuinam bonitatem, & potentiam, quòd hoc etiam reliquit adumbratum in naturalibus.

Fertur à quibusdam, & à Diu. Petro Damiano confirmatur opuscul. 52. cap. 77. quòd reperitur quoddā animal nomine *Mustella*, quæ in generatione suæ prolis non generat vt alia animalia, sed per aurem, & quòd aure concipit ore ad partum adducit, sic quidam Philosophus nomine Aristea testatur ore *Mustellam* parturire quòd auribus concepit, per aurem Sacri Doctores intelligunt fidem, vt supra dictum est, sed Petrus Damianus addidit obedientiam signare per aurem, quid expressius? annulum fidei Virginis, obedientiæ decore vermiculatum, & quòd datus sit, vt esset pignus conuictus ad prolem, valebit obumbrare simul, & clarius exprimere, seu innotescere, quòd de Mustella prænotatum est, & si naturæ hoc præstitit Deus donum, cur non gratiæ? stupeat mens non dubitationis stupore, non incredulitatis percussa timore, sed ex magnitudine bonitatis, & charitatis diuinæ, & cum Elisabeth exclamet simul & laudet, *Beata quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Vis modum addiscere quo perfecta sunt in Maria, quæ ad Christi conceptionem spectant, quando fide concepit: sermo Angeli Nunciantis maritus fuit, auris Virginis vxor, nunciante Angelo Maria verbis credidit, & aure concępit, aure Dei mandato obediuit, quando exclamauit, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; & sermo maritus: *ò Virgo benedicta, ò Virgo à conditore mundi prælecta*, exclamat D. Eleutherius Episcopus Tornacensis sermon. de Annunciat. Virg. *illum, qui ante omnia sæcula genitus est absque matre, ab æterno patre concipies, mater effecta absque alicuius viri copulatione, ibi enim auricula vxor fuit, Angelicus autem sermo maritus extitit*; quid clarius, quid purius, dic ergo, *Beata quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

D. Petr. Damian.

Luc. c.1.

Luc. c.1.

D. Eleut.

Luc. c.1.

Nisi Spiritus sanctus Virginis sponsus huius suæ sponsæ digitum quartum à pollice obsignasset annulo fidei, in Virgine vtique nec incarnationis Verbi Dei mysterium, nec ea omnia ad quę elegerat eam Deus completa fuissent, nec perfecta, seu consumata, quæ ei promise-

miserat,& nunciauerat Angelus, vt capias quæ dico, velim attendas verba legationis Angelicę,quibus cœleste nuncium octo sacratissimæ Virgini mysteria inuenies nunciasse septem de futu-
1 ro in ea perficienda Primum duntaxat
Luc. de præsenti,& hoc vnum fuit. Luc.cap.
11.nu.31. *Ecce concipies in vtero*: quòd
tunc in fine legationis ad verba illa :
Luc. Luc.cap.1.num.38. *Ecce ancilla Domini*
2 *fiat mihi secundum verbum tuum*: confitemur fuisse completum. Secũdum fuit, *Et paries filium*: hoc futurum erat adimplendum in illa nocte sacratissima, in qua Virgo nouem iam elapsis à conce-
3 ptione mensibus mundo edidit Saluato
Luc. rem. Tertium fuit. Luc.c.2.n.21. *Et vocabis nomen eius Iesum*: quòd octauo
Luc. die à pueri natiuitate fuisse perfectum describit Euang. Luc. cap. 1. num. 32.
4 Quartum: *Hic erit magnus*, quòd in Iesu vitæ decursu legimus consumatum
Luc. dicentibus cunctis. Luc.cap.7 num.17.
5 *Propheta magnus surrexit in nobis*: Quin
Luc. tum, Luc.cap.1.num.32. *Et filius Altissimi vocabitur*, quòd & in confessione
Matth. Petri Apostoli. Matth.cap.16.num.16. *Tu es Christus filius Dei viui*: Centurionis, *Verè filius Dei erat iste*; & ipsi Dæ-
Matth. mones confessi sunt. Matth.cap.27.nu.
6 55. *Quid tibi Iesu fili Dei Altissimi*. Sex
Matth. tum, Matth.cap.8 nu.22. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius*: hoc nouimus adimpletum post Christi A-
Luc. scensionem, dicente Domino Luc. c.1.
num. 32. *Data est mihi omnis potestas in*
Marc. *Cælo, & in terra*, Septimum, Marc.c. 28.
7 nu.18. *Et regnabit in domo Iacob in æter*
Luc. *num*; quòd conscenso iam in cœlo fuisse adimpletum referatum reliquit nobis
Marc. Euangelista Marcus illis verbis cap.16. num 19. *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est in cæ-*
8 *lum, & sedet à dextris Dei*: Octauum, quòd promiserat Angelus Mariæ,& ip-
Luc.c.1. nu 33. sa firma fide credidit, fuit : *Et regni eius non erit finis*; quòd in sessione paternæ Maiestatis consumatum est, cum quo regnat, & regnabit in æternum, ità vidisse testatur primus ille martyr Ste-
Act. Ap. phanus: Act. Apost.cap.7. nu.56. *Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*: quæ omnia perfecta sunt, vt Virgini nunciata,& ipsa credidit annulo fidei.

Hic annulus fidei fuit arrhabo, quem in hoc sacro connubio accæpit Virgo sponsa à Spiritu sancto sponso, qui annulus datur vt sit pignus conuictus ad prolem. O quàm scitè annotauit hoc Diuus Effrem Syrus in lib. de margarita prætiosa: *Pro arrhabone*, inquit, *fidem* D. Effr. Syrus.
accipit puella, & non amplius propendens erat gratia; obscura locutio, sed grauida mysterijs, quando Spiritus sanctus Virginis sponsæ digitum obsignauit annulo fidei, & puella fidem accæpit pro arrhabone, quid tunc? respondit Sanctus; Idem Sanct.
Non amplius propendens erat gratia; ac si diceret, quando pro arrhabone Maria accæpit annulum fidei huius diuinissimi sponsalitij, tunc desierunt,& defecerunt in Dei patris pectore perplexitates,& anxietudines. Anxietate nimia,& desiderio vehementi in vteri lege tenebatur Deus de Incarnatione filij sui, & nulli illarum sanctarũ mulierum quas lex vetus continebat in vtero pro arrhabone datus est hic annulus, cur hoc? quia ad tanti mysterij consumationem, seù perfectionem, aptam idoneam,& dignam Deus inuenit nullam, donec veniret ad istam puellam de qua loquitur Sanctus Effrem. Hæc enim sola à sponso Spiritus sancti vbi accæpit pro sui connubij arrhabone annulum fidei, inquit ipse, desierunt à pectore diuino anxietates illæ, & non amplius propendens fuit gratia: O anima mea, cur hoc? audi non me, sed D. Anselmum in Luc. c.10. S. Ansel.
Porta per quam intrauit Iesus in mundum: fides est Mariæ: annulo fidei puella in virginali suo vtero Verbo Dei aptauit, & præparauit locum, & tantæ maiestatis reddidit capacem, vndè D Pau- D. Paul. Nolæ.
linus Nolæ Episcopus meritò vocat Mariam rapinam fidei quando inquit: *Semper Deus amat rapinam fidei*, & quidem si Maria annulo fidei nõ rapuisset Deo, quæ solius Dei sunt attributa, vtputa capacitatem seu immensitatem, qua ratione creatura intra sui vteri viscera continere valeret? & de qua canitur: *Quia quem cæli capere non poterant tuo gremio contulisti*: fides locum Verbi Dei aptauit in vtero, qui fide factus est immensus & Dei capax.

Sacra narrat historia in Genes. c.18. Genes.
num.2. quod sedens quadam die Abraham in ostio tabernaculi sui, cumque eleuasset oculos apparuerunt ei tres viri stantes propè eum, quos cum vidisset cucurrit in occursum eorum: *Tres vidit & vnum adorauit*; certè tunc Abraham

Deum

Deum vnum in essentia, & trinum in personis verè agnouit, & verè adoratio ne latria adorauit, si Deum agnouit, si Deum vidit, cur ausus est eum rogare ne pertransiret eum, sed rogādo coegit esse in domo sua secum, num domus illa paruulum non erat tugurium? & si Deum agnouit, num Abraham tunc non intellexit Dei immensitatem? & si erat immensus, quæ domus in terra eum capere posset, si eum non capit ipsamet immensitas cœli? agnouit verè tunc Trinitatis mysterium, & Dei immensitatem, & sui tugurij hospitium ad Deum hospitandum valdè angustum; prudens senex, quòd arctabant spatia domus suæ, dilatauit fide, & quòd parietum domus denegabat angustia, merito fidei rapuit Deo ipsiusmet immensitatem, qua claustra suæ domus aptauit Deo, & dilatauit immenso vt caperent eum, quem Cœli non capiunt. Siltamus hic verba D. Augustini serm. 68. de tēp. D. Aug. *Licèt illa maiora non fuerint, quæ exhibentur locorum angustijs, magnitudinem dederat fides, quæ contemni non meruit à Deo.*

Si Abrahę fides hoc potuit, quid Mariæ annulus fidei? quæ longa quidem intercarpedine Abrahæ excelluit fidē, ipsa verè est rapina fidei, quæ & immensitatem Dei rapuit, & de pectore Patris ipsum Verbum immensum, & verbis illis ex magnitudine fidei prolatis. Luc. Luc. c. 1. cap. 1. n. 38. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*, intra lui vteri viscera, & alui parua tentoria conclu fit: *Quando scilicet*, inquit pijssimus Rich. à S. Laur. Riccardus à Sancto Laurentio lib. 4. de laud. Virginis, *ex magnitudine fidei consentiens, vt de sua substantia fieret Christus homo respondit, Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*; & qui nullis limitibus sua immensitate coarceri potest, cùm sit ipso Cęlo maior hoc præstitit fides, vt parui alui eum caperet angustia, credidit Angelo Maria, & perfecta sunt in illa quæ ei dicta fuerant à Domino, quòd lumine Spiritus sancti vbi agnouit Elisabeth, quādo Virginis digitum obsignatum vidit hoc annulo fidei exultans, & læta exclamauit. Luc. c. 1. nu. 45. *Beata quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

O quàm decorus, ò quàm potens, & efficax est hic annulus fidei, quo sic perbellè à Spiritu sancto digitus obsignatur Mariæ; huius enim annuli virtutem potentiam, & excellentiam nobis voluit innotescere hæc sancta mulier quando dixit. *Beata quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino*, Luc. cap. 1. n. 45. ac si diceret, ideo te Luc. c. 1. prædico beatam, quia quæ tibi promissa sunt à Domino, licèt naturaliter, seù naturæ sint impossibilia, vt puta Virginem salua sua integritate posse esse matrem: Virginem sine vllo viro posse filium concipere, & creaturam posse concipere, generare, & parere Creatorem; quamuis hæc sint supra naturam, et impossibilia, ò te beatam perficientur in te quia credidisti, fide tua et annulo tuę fidei fecisti possibilia, en quàm præpotens hic fidei annulus, quo suus sponsus et si pro arrhabone sacri connubij digitum obsignauit suæ Virginis sponsæ, eādem scito anima mea, obsignauit eodem in sua Conceptione, vt hæc sanctissima sponsa sua non esset naturę filia, sed fidei.

Attende plantulam ex qua prodijt in lucem hęc Sancta Virgo, et inuenies tūc produxisse fructum hunc virgineum, quando in ea humor ille ad generandū aptus, et à natura dispositus erat omninò exiccatus, et deficiente non in Ioachim tantum, sed et in matre Anna naturę semine, et virtute seminali: ò verè ineffabilis Dei sapientia ambo supremo lumine ducti ad naturę conditorem firma fide confugerunt, cuius adiutorio, et fidei merito etiam impossibilia redduntur possibilia uerè credenti.

Prolem promiserat Deus Abrahamo sed tempore quo et ipse senex, et ad generationem ineptus, inhabilis erat et impotens, et Sara uxor sterilis, et ipsa anus, *Erāt autem ambo*, inquit sacer textus in Genes. cap. 18. n. 11. *senes, prouectæque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria*: cur hoc? ò anima mea, si generatio est actus vitalis quo viuens à viuente generatur, et producitur, emortuo in ambobus iam generationis humore, et virtutis generatiuæ exiccato iam, et extincto omninò semine promittit Deus Abrahamo sobolem dicens, Genes. *Habebat filium Sara vxor tua*, merito Gen. c. 18 hoc audito Sara risit dicens, *Num verè paritura sum anus.*

In Dei promissis anima mea: *nulla est falsitas*, inquit Diu. Fulgent. lib. 1. ad D. Fulg. Mo.

Monimum, *quia in faciendis nulla omnipotentis est difficultas. hoc credidit Abraham*, inquit Paulus Apostolus scribens ad Roman. cap. 4 n. 19. *Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suũ emortuum*, hoc est mortificatum, & viribus effætum, & ad generandam sobolem ineptum, qui & in promissione Dei non hæsitauit, sed contra spem in spem credidit promissionis diuinæ, vt Pater fieret multarum gentium, oculo mentis erexit se tunc Abraham, & firma fide introspexit omnipotentiam promittentis, qui in faciendis sicut nulla difficultas, sic nec in promissis potest esse falsitas, & quæ sua natura naturaliter sunt impossibilia, credidit esse Deo possibilia, & hoc est contra spem naturæ, seu naturalis potentiæ generatiuæ se ex sterili, & Sara anu posse certissimè prolem accipere sibi promissam, & perficienda consumandaque cuncta quæ illi promiserat Deus, qui vt Isaac nasceretur Abrahamo non naturæ, non ætatis filius, sed fidei, & ipse Pater fieret fidei, & omniũ credentium. Filium ei promisit Deus, quando in eo, & in vxore generationis iam exaruerat humor, & vis in procreandis liberis erat exiccata, vt non naturæ, sed fidei generationis, & huius generationis seruaretur effectus. Ab hoc non longè abit D. Zeno serm. 3. de Abrahamo. *Post hæc promittitur ei*, inquit, *de legitimo matrimonio filius, de fide non de ætate concipit Sara, portat sine labore vteri sarcinam, quæ iam ambulare non poterat, tunc dici mater esse, cum definit*, sed clarius D. Paulus ad Hebræos. cap. 11. n. 11. *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis; quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat.*

Paul Ap.

S. Zeno.

Paul. Ap.

Duo currebant ad generandum in sacra impedimenta, vnum naturæ, quia erat sterilis, alterum ætatis; quia anus, & vtrumque superauit fides, quæ Deo credidit prolem promittentis, licèt primò audito. *Habebit filium Sara vxor tua*, risisset quasi incredula, at vbi intellexit Angelos promittens filium esse legatos Dei, & in Dei nomine hoc nunciare credidit, & credendo fide concepit non natura, vt partus fide conceptus, fidei filij nomen meritò sibi vendicaret, & fidei filius diceretur.

Genes. cap. 18. num. 10.

Cur non verius fidei filia Maria? cujus conceptio, & natiuitas tunc temporis nunciatur ab Angelo, & promittitur à Deo parentibus, quando ab Angelo, & promittitur à Deo parentibus, quando ab eis recesserat generationis virtus, & potentia, tùm ex morbo sterilitatis, tùm ex defectu longeuæ ætatis, et de Ioachim, & Anna dicere possumus, quòd de Abrahamo, & Sara dicit tex. *erant autem ambo senes, provecteque ætatis.* Genes. cap. 18. nu. 11.

At cur Deus voluit, vt hæc Virgo oriatur ex matre sterili, & senili ætate proνecta? respondet Diu. Damascenus orat. 1. de Natiuitate Virginis: *Vt natura diuinæ gratiæ cederet, & Virginis conceptio Dei gratiæ ascriberetur, & non viribus naturæ, & per hoc miraculum, fieret gradus ad incarnationis miraculum.*

Si interrogas Angelum, qui conceptionem Annæ nunciauit, Virginis, & Ioachimo, vt habetur in lib. de ortu Virginis sic respondet: *Quùm alicuius vterum claudit Deus ad hoc facit, vt mirabilius denuò aperiat, & non libidinis esse quòd nascitur, sed diuini muneris cognoscatur.* Idem Sanctus.

Si interrogas D. Petrum Chrysologum sermon. 91. licèt loquatur ipse de Ioanne, & Elisabeth, sic respondet, & quadrat Annæ. *Annæ partus non est ablatus, sed per sterilitatem dilatus, donec transiret tempus carnis, & cupiditatis, castissimusque vterus Virgini concipiendi pararetur.* S. Chrys. serm. 91.

Si Diuum Nicephorum lib. 1. cap. 7. sic respondet: *Virgo, ex membris senilibus, & longè à natura feruore alienis, tamquam quidam diuinitus datus fructus producta est.* D. Nicephorus.

Si interrogas Diuum Zenonem in serm. de Abrahamo sic respondet: *Quia vtriusque ætas ademerat spem sobolis, pignus succidaneum meruerunt, sic meruit fides, quòd ademerat tempus, excorsit credulitas, quòd natura denegauerat*; idcircò Deus tempus sterilitatis, & longeuæ ætatis elegit, vt conciperetur Virgo nõ naturæ viribus, sed fidei merito, vt verè esset fidei filia, & si fide est concepta in fide desponsata, cur non fidei, & ipsa onusta fructibus, qui sunt Dei promissionis complementum, & perfectio, rectè hæc sancta mulier Spiritus sancti lumine afflata tàm laudat, & prædicat beatam dicendo. *Beata quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* S. Zeno. Luc. c. 1. num. 45.

Fœlix

Fœlix pro nobis, fidei annulus Mariæ donatus à Spiritu sancto, qui vsum amoris antiqui hic obseruare voluit, quando sponsam fidei hoc annulo decorauit, vt esset pignus suæ pudicitiæ, fidelitatis, & integritatis, & pignus esset conuictus ad prolem; sed vt etiam esset pignus ad custodiam rerum domesticarum domus Dei, propterea, quòd seruandæ domus ad sponsam cura pertinet, hoc insinuare voluit Sancta Elisabeth, quando hoc fidei annulo obsignatam Virginem vidit: *Beata quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

Luc. c. 1.

Quanta cura, quantaque sollicitudine inuigilabat hæc Spiritus sancti sponsa, custodienda, quæ sponsi sui domus erant, ipsa sancta mulier prima omnium est experta: Zachariæ domus, & quæ in ea erant ad Deum pertinebant, Dei hæreditas erat, Dei res domesticæ: anus erat Elisabeth, mutus erat Zacharias, Ioannes in tenebris erat inuolutus peccati originalis, horum salus ad quem spectabat? nisi ad Mariam? & accepto hoc annulo fidei, vt fidelis sponsa curat cum tanta promptitudine, cum tanta celeritate, cum tanta sollicitudine, quæ domus sponsi sui sunt, quòd statim vt fuit Deo pleda, statim vt in vtero suo concepit Dei filium, non oblita sui muneris magna cum festinatione Montana petijt, quando nobis testatur Sanctus Lucas Euangelista: *Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione*: quæ est hæc tam celeris festinatio? festinata sollicitudo? quæ anxietas tam velox hæc? quæ sic pungebat cor Virginis, & vrgebat? & vnde in Virgine motus tam celer? vt currat, vt festinet, vt cunctas temporis moras rumpat? vt torpescat dilatari, & aliquantulum immorari? Iam effecta erat Dei sponsa, & Dei Verbum, iam conceperat annulo fidei obsignata erat, & decorata, qui pro lapillo charitatis gemmam conneaam habebat, quid miraris de festinatione? si annulum acceperat fidei, ad obsignandum ea, quæ domus erant, vt custodiantur fidei, & charitatis stimulis vrgebatur, vt præsentia filij Dei, quæ carne velatum ipsa gestabant in vtero, & Ioanni opem ferret, & salutem, & à peccato originali redderet liberum, & sanctificaret puerum, pueri sui præcursorem: simul vt & inseruiret matri, & patri muto redderet auditum, & loquelæ, & mutæ linguæ vincula dissolueret, & liberum præberet affatum vt officiosa Maria, vt Dei digna sponsa, quæ sui officij sunt adimpleat cum festinatione cucurrit, & præcurrere festinat.

Luc. c. 1.

Veniat tibi in mentem, quæ supra dicta sunt, quòd annulus datur ad custodiam rerum domesticarum, & quòd pro lapillo seù pala charitatis gemmam habet, & quòd in digito qui quartus est à pollice ponitur, seù gestatur, in quo vena est, quæ connexa cum principatu cordis esse videtur, quid miraris de Mariæ festinatione? quando cum tanta celeritate fertur in montana? si digitum hoc fidei annulo habebat insignitum, quòd expressit D. Bonauentura in speculo Beatæ Virg. cap. 4. *Quid eam ad officium charitatis festinare cogebat? nisi charitas, quæ in corde eius feruebat?* meritò feruebat in corde, quæ annulum fidei gestabat in digito, cuius neruus côneaus est cum corde, qui ad hoc datus est ei vt sit pignus ad custodiam rerum domesticarum Dei.

D. Bonau.

Et quem non custodit Maria? & quē non seruat, & saluat? si ad hoc annulo fidei, & dilectionis signata est eius manus. Timore percussus insignis ille miles Ioab belli Dauid dux strenuus ne occideretur à Salomone, ut Regum narrat historia cap. 2. vt possit esse tutus, & de vita securus, inquit sacer textus, *Fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris*, & amplexatus aram Dei, & in Dei domum ingressus, se tutum promittebat ab omni periculo mortis, & quando ad eum occidendum fuit à Rege missus Banaias, non est ausus illi manus inferre loci reuerentia, nec ausus est Ioab sanguine aram Dei cruentare, nec ab illa auellere, sed pacificis verbis sub dolo dixit, *Hæc dicit Rex egredere, qui ait: non egrediar, sed hic moriar*, non ibi mori cupiebat, sed vt à suo insidiatore spem occidendi tolleret, qui si ibi loci reuerentia nollet, alibi non posset, quæ vt audiuit Rex Salomon, iussit ibi in eum manus mittere, & occidere, *Fac sicut locutus est, & interfice eum, & aggressus interfecit eum*, ò infęlix homo, quando nec domus Dei, nec ipsa ara Dei, ne moreretur, profuerunt ad vitam.

3. Reg.

Cur hæc non profuerunt Ioab? qui sic fidenter confugit ad ea, & stricte

amplexata, vt saluarent eum, tenebat vt scias ô anima mea, quòd non est salus nisi in Maria, quæ tabernaculo illo, & ara illa erat sacrarior, & potentior: anima, quæ ad eius genua se prouoluta accesserit, & fuerit amplexata, erit tuta, & de vita secura, ad hoc gestat annulum fidei, vt sit nobis pignus ad custodiam, quo annulo cunctas nostras obsignat petitiones: & hoc sigillo munitas nondum filio præsentat, quin donet effectũ, non in scrinio repositum habet annulũ, sed in manu semper tenet vt expediat, vt impetret, vt donet, vt custodiat, vt saluet, vt obsignet.

Multò sceleratior fuit Theophilus, Ioab hic effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in balteo suo dixit Rex Dauid in 3. lib. Reg. cap. 2. n. 28. at Theophilus se in perpetuam Diaboli seruitutem commisit, & pactionem proprio suo sanguine obsignauit, & confirmauit, vt à multis memoriæ traditum est, & hic factus pœnitens ad genua Virginis prouolutus, priores culpas lauans lacrymis, abiurans quòd Diabolo scripto, & voto promiserat Virgo non abijecit, imò libens excepit, & liberum à seruitute Diaboli in Christi libertatem donauit, & saluauit, & custodiuit, & seruauit. O anima mea si flagitiosissimum omnium hominum à suo patrocinio, & custodia Maria non reiecit, non exclusit, quem exclusit, quem excludet? ô spes omnium illorum qui à spe non ceciderunt, quem non saluabis? si tuæ est curæ, si tui est muneris, si ad hoc annulum gestas in manu, quando dicit D. Petrus Damian. serm. 1. de Natiuitate Virginis, *Quid tibi negabitur Maria, cui negatum non est, Theophilum de ipsis perditionis faucibus reuocare?* non est qui diffidat, non sit qui de Virginis auxilio desperet, annulum gestat in manu vt gratias conferat; vndè dicebat D. Bernardus. *Sileat misericordiam tuam ô Virgo beata si quis est qui inuocantem in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse*, vt sponsa Dei est illi cura nos saluandi, & sollicitudo de nobis non solum sua præsentia, sed vmbra sui perdulcissimi nominis.

S. Petrus Dam.

D. Bern.

Mortuo Lazaro qui peccatoris erat figura, Martha occurrit Christo antequam ad domum perueniat, & fratris mortem deplorans, dixit illi, *Domine si fuisses hic non esset mortuus frater meus*, Christus vt excitaret cor eius ad resurrectionis fidem, respondit, *Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?* fide disponebat eam ad resurrectionis miraculum, dum credere suadet, fidei merito posse vitam mortuo impetrare; & iam facta credula Martha, *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti*; cur huius iuxta mulieris fidem Lazarum non vocauit ab inferis? sed conuersus ad eã dixit, *Voca sororem tuam*; voluit vt adesset Maria soror eius. cur Mariæ præsentia desideratur? resurrectio Lazari non promittebatur Marthæ fidei? *Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiã si mortuus fuerit viuet*, ad quid, *voca sororem tuam*? si Maria Magdalena non adest, numquid in Martha eneruatur fidei meritum, vel Christi potentia?

Ioa. 6. 11

Ioa. c. 11

Quid est ô anima mea, *Voca sororem tuam*, vt ea præsente reuocetur quatriduanus à mortuis: ô mysteria, ô nominis Mariæ virtus, & potentia: Virgo Maria erat magistra, & sceptrum fidei, ipsi soli datus est in manu annulus, qui est pignus ad custodiam rerum domesticarum Dei, hæc absens erat vt Marthæ fides suum sortiatur effectum, veniat, accedat Maria soror, quæ Mariæ Virginis in nomine typus erat & vmbra, ipsa veluti proregina Mariæ nominis munus sustinet, ipsa Mariæ agat partes, quæ in nomine personam gerit, ipsa quæ Mariæ nominis est baiula veniat, vt absentis locum suppleat, & quòd non potest Maria sua præsentia, quia absens, saltem assistat illa, quæ est baiula nominis illius. Aurea sunt ad hæc verba Diui Petri Chrysologi serm. 64. *Mittitur ad Mariam, quia sine Maria, nec fugari mors poterat, nec poterat vita reparari, veniat Maria, veniat materni nominis baiula*: quid clarius, quid diuinius, vt scias, vt addiscas neminem à peccati morte posse solui, reuocari, & saluari, nisi adsit Maria, nisi ipsa adiuuet, opituletur, patrocinetur, nisi ipsa roget, impetret, & obtineat: extra Mariam non est salus, illi datus est annulus in pignus ad custodiam, erat Lazarus domesticus Dei, ad Deum pertinebat, vt soluatur à vinculis, vt Christus posset dicere: *Lazare, veni foras, tollite lapidem, & soluite, & sinite abire: voca sororem tuam*: veniat

D. Petr. Chrys.

niat Maria, vel saltem deficiente Virgine veniat huius Virginis nominis baiula.

O anima mea, & si vt quatriduana fętes, & si vinculis ligata sepulta iaces, vt excitet te Christus, & liberet, & saluet; en sacer ramusculus, en vmbra vitę, sta sub vmbra illius, lege fructus, voca Mariam, inuoca nomen sanctum eius quia non est vita, non est salus nisi sub hoc nomine, quòd sit benedictum in æternum. ò humilis Virgo, Maria mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meę, Amen.



DE

DE SANDALIIS HVMILITATIS Virginis.

RAMVSCVLVS QVADRAGESIMVSPRIMVS.

Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Luc. cap. 1. num. 35.



Aec sunt ô anima mea sanctæ humilitatis prodigia, hæc cælestis huius virtutis noua spectacula digna Deo, Angelis delectabilia, & hominibus iucunda, vt Virgo purissima & semper benedicta, quæ electione, plenitudine gratiarum, virtutibus, dignitate, & meritis erat omnium prima, esset omnium in suæ opinionis existimatione nonissima, & quò Deus illam sua munificentia cumulabat, honorabat, & extollebat donorum supercælestium celsitudine, eò ipsa per humilitatis deiectionem magis se deiciebat, nihil de se sentiens; eò quā maximè nihil se existimans humiliabat, ita vt hoc humili descensu suæ humilitatis imam attingeret nihilitatem, quam sicut profitebatur corde interius, sic ore confiteri non dedignabatur exterius, ô virtus donorum Dei, & virtutum omnium magistra, & primiceria, tui enim veri partus tui pectoris conceptus sunt primogenita Dei, sunt sublimitatis gradus, sunt honoris ascensus, sunt & vberiores dignitatis profectus, sunt coronæ sidereæ progressus, sunt & celsitudinis iactus inconcussi, firmissimæq; bases.

Ab oraculo illo diuino vbi acceperat Maria futuram mox se fore matrem Dei, Verbi Dei genitricem, & nutricem electissimam, quapropter salutatur ab Angelo, repletur gratia, & donis supercælestibus, promittitur Spiritus sancti aduentus, anteponitur Angelis, antefertur hominibus, constituitur cœlorū Regina, sæculi totius dominatrix, & omnium Imperatrix, deligitur in humani generis reparatricem, & cunctarum eligitur in aduocatam creaturarū: O miracula, ô prodigia, & de his omnibus non extollitur, non eleuatur extra se, nec arrogatrix, nec fastus acu peracuta suam passa est vnquam titillare mentem, & supra se erigere, sed magis magisque se deprimebat, euacuabat, & extenuabat, ita vt non matris, sed humilis seruę Dei nomen, quod colebat, confitebatur, & hoc plurimi faciens, ancillam illius potius, cuius erat mater dilecta, & à Deo electa confiteri se voluit; O rara virtus, ô Virginis profunda humilitas, quam meritò miratur D. Bernardus hom. 4. super missus est quando sic exclamat: *Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloria nescit, mater Dei eligitur, & ancillam se nominat.* S. Bern.

Inter sponsalia dona, hoc vnum in Virgine fuit quidem valde singulare, quando in Verbi Dei Incarnationis articulo illapsus est in eam, & super eam Spiritus sanctus cum omnibus suis essentialibus donis calceare Virginis purissimos pedes humilitatis sandalijs, quibus calceata Maria, ad tanti mysterij dignitatem aptè fuit ipsa disposita; Nam licèt esset Maria eleganti aspectu, vultu decora nimis, virtutibus omnibus exornata gratia plena, gratiosa omnibus, & omnium gratissima oculis illius diuini, & cœlestis Holofernis oculos, nihilominus non rapuit pulchritudine oculorum, non capitis coma, non colli monilis, non genarum verecundia, non brachiorum, & manuum armillis, non pectoris fascia, nec totius corporis miraculosa venustate, cum à planta pedis vsque ad verticem capitis esset omnium pulcherrima, sed duntaxat his humili-

militaris sandalijs, quibus calceati Mariæ pedes, & eiusdem mirum in modum exornati animi affectus, æterni patris Verbum vi tantæ pulchritudinis captū carnem assumere,& descendere, & consedere fecerunt in thalamo vteri virginalis, & quam in suæ æstimationis conceptum fecerunt ex prima nouissimā, maternitatis Dei dignitate fecerunt eadem ex nouissima primam:sistamus hic verba D. Bernardi in serm. signum magnum: *Maria,inquit,quantò maior erat, humiliauit se non modo de omnibus, sed & præ omnibus facta est nouissima prima,quæ cum prima esset omnium sese nouissimam faciebat, meritò facta est omnium Domina quæ se omnium exhibebat ancillam,* quando humilitatis hisce sandalijs,aduentus ei promittitur Spiritus sancti,promittitur, & obseruatur; Luc. cap.1.num.35. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi;* Inter sponsalia dona quibus diuinus sponsus Virginem sponsam cohonestauit, & pulcherrimè exornauit, fuerunt hæc humilatis sandalia, quorū pulchritudine miro modo delectatus Deus, descendit in Virginis vterum, vt ex vtero Mariæ humilitatis merito factus homo, matrem eleuaret ad maternitatisDei dignitatem,qua nihil altius, nihilque sublimius:En quàm suæ nobilitatis via ex nouissima facta est Maria omnium prima,hinc iure exclamat pijssimus Ambrosius Asbertut lib.2.in Apocaly.*O quantum meruisti,ò quantum beata humilitas in sacra Virgine valuisti;* quid enim in sacra Virgine meruisti? Nisi vt Deum homini coniungeret, & Verbum carni vniret, quid hac virtute præstantius, & nobilius? quando ex prima omnium, fecit omnium nouissimam, & ex nouissima omnium primam.

S.Bern.

Luc. c.1.

Ambros. Asbert.

Attende anima mea, non quæ Deus Verbo creauit à principio, sed verba quæ locutus est de Virgine hac, in cuius corpore nō erat pars vlla, quæ quidem non esset digna laudibus, vt ex lib. Canticorum liquidò patet meditantibus de ea, & cunctis à Deo se positis calcaneum quòd est infima, vltima, & pars magis vilis corporis humani, primò laudauit in Virgine,& super omnes nobili triumpho coronauit in Maria ante victoriam, sic alloquendo serpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius:* Genes. cap.3. num.15. O nimis profunda Dei sapientia,ò imperscrutabile cordis Dei arcanum,hanc enim victoriam, & nobilis triumphi palmam non asciuit Deus,non ascripsit Virginis pulchritudini,quę vtique erat in Maria terribilis vt Castrorum acies ordinata; Cur potius non pectoris,non brachij, non manuum præstitit robori, & fortitudini?sed calcaneo?Et quæ pars in fæmina infirmior, & mollior? Nihilominus calcaneum insidiosè primò ipse aggreditur Virginis, à qua calcaneo erat interimendus. O infælix astutia, ò cæca, & inanis insidiatoris præsumptio,Virgini cui dum simulatè tendit insidias,canit victorias,parat triumphum, & exornat trophæum, & sibi insidiatori, qui de muliere hac parauerat suæ frontis laurum, & coronam sui capitis assumit exitiale omen, & parat lugubre exitium,nam sexus idem,qui deceptus est, deceptoris caput omne contriuit.

Genes.

Loquendi modum attendamus,vt capiamus mysteria, per mulierem minatus est Deus serpenti bellum inferre, & vsus est Verbo de futuro, non absque diuino consilio. *Inimicitias ponam inter te,& mulierem:*ex verbo *ponam,*D.Hieronymus in epist.de viro perfecto, eruditè deducit, Deum non de Eua tunc præsenti in illo iudicio, sed de Maria Virgine, quæ futura erat in plenitudine temporis,fuisse tunc locutum: *mater itaque Domini nostri,* inquit Sanctus, *in illa tunc muliere promissa est, ponam dicit inimicitias inter te, & mulierem; non certè,pono,dixit,ne ad Euam pertinere videretur, sed illam vtique mulierem, quæ Saluatorem parturiat,non quæ generat fratricidam;* cui astipulatur D. Rupertus Abbas lib. 2. de victoria verbi cap. 16. deindè, quia non ad ipsam Euam, sed ad alteram eiusdem sexus personam, videlicèt B. Virginem Mariam intendebat ipse qui loquebatur, rectè igitur non ad mulierem malemeritam facta est auxiliatricis gratiæ promissio? sed potius ad serpentem hostilis,& bellica comminatio:bellum non indicebat Deus congressurus serpentem cum Eua, vt indigna auxilio tanti beneficij, sed cum Maria benemerita, quidem vt per eam fieret nobis auxiliatricis,

Genes.c. 3.n.15.

S.Hiero,

Rup.Ab.

tricis, gratiæ, & nostræ redemptionis secura promissio, Mariam igitur intellexit, Mariam tunc prædixit, & promisit mox futuram, & huic vni dedit Deus capiti venenati serpentis ictus, plagas inferre, & vulnera, nec est tibi dubitandi locus si consulas Ruper. Abbat. lib. 2. de victoria Verbi cap. 17. *Et quidem*, inquit ipse, *principaliter B. Virgo Maria mulier illa est, inter quam & serpentem inimicitias positurum se dixit, & posuit Deus, & semē illius, filius est ipsius Iesus Christus.* O insignis victoria, ò nouus bellum gerendi modus, ò noua bellandi tela; *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*: caput serpentis contribuit Maria calcanei fuste, calcanei telis, calcanei sagitta, & triumphauit de hoste insidioso calcanei armis hæc noua bellatrix.

Rup. Ab.

Genes. c. 3. n. 15.

Hisce armis præcincta Virgo processit ad bellum, cucurrit ad pugnam, sui & nostri vniuersalis hostis caput pede, seù calcaneo contritura, calcaneum hoc, quo Virgo caput contriuit, & confregit serpentis, si credamus Diuo Ireneo lib. 5. capit. 19. fuisse eiusdem Virginis innocentiam, & puritatem. *Quemadmodum*, inquit ipse, *morti adstrictum est genus humanum per Virginem, soluatur per Virginem æqua lance disposita virginali inobedientia, per virginalem obedientiam, adhuc enim protboplausti peccatum per correctionem primogenitæ, scilicèt ipsius Mariæ emendationem accipiens, & serpentis prudentia deuicta est in columbæ simplicitate*: hæc ille. Ex verbis sancti huius excipe mysterij profunditatem, per culpam veneno serpens vitiauit fœminam, & per fœminam actus est homo in ruinam sui, & totius suæ posteritatis, iuris expostulabat ratio, vt per fœminam à mortalibus virus illud læthale expelleretur; apud Deum nostrum, hoc est valdè solemne, robustiores hostes per imbecilliora, & infirmiora prostrare, & expugnare, hoc sonant verba à Deo comminata serpenti. *Ipsa conteret caput tuum, & tu isidiaberis calcaneo eius.*

D. Iren.

Genes. c. 3. n. 15.

Per caput diaboli intellige hic, originale peccatum, tùm quia origine trahitur, tùm quia caput est aliorum, & peccatorum actualium seminarium ad contritionem capitis huius, & ad instaurandam Euæ ruinam, Mariam, inquit D. Ireneus à Deo fuisse excogitatam, & eductam in lucem, & illam protoplaustorum peccatum emendasse, & serpentis caput contriuisse calceo protectionis diuinæ, & gratiæ præseruationis calceato, quùm me sic doceat Diu. Rupertus Abbas in Cant. cap. 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis. Idcircò ancilla nempè Eua calcaneum à serpente admorsum, quia discalceata erat: tu verò filia Principis probè calceata serpentis caput contriuisti*: quo fuste? quo fullone? nisi pede tuo, gratia Dei protecta, roborata, & calceata.

Rup. Ab.

Et qui pes iste? nisi Virginis innocentia, & immaculata puritas? si credamus D. Ireneo, qui lib. 5. cap. 19. sic habet: *Quemadmodum morti adstrictum est genus humanum per Virginem, soluatur per Virginem æqua lance disposita virginali inobedientia, per virginalem obedientiam, adhuc enim protboplausti peccatum per correctionem primogenitæ Virginem sic appellat, emendationem accipiens, & serpentis prudentiâ deuicta est in columbæ simplicitate*: hæc est Virginis puritas, qua tota pulchra fuit non in parte, sed in toto, at quæ pedis ad innocentiam cohærentia? Dicam quæ sentio, operum initia pedi solent homines semper ascribere; Nam qui aliquid auspicatur fœliciter, vel infanstè aggreditur, loquendi vsus est, pede fausto, vel infausto ingredi, quia Virgo in matris vtero pede gratia præuentionis, & præseruationis vitam est ingressa calceato, meritò à Deo hæc serpentis victoria pedi Mariæ attribuitur: *Et ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.*

D. Iren.

Genes. c. 3. n. 15.

En quàm fœlicitet prædicatur pes Virginis, quo & si ipsa caput serpentis erat contritura, à puluere originalis peccati pes iste necesse erat, vt esset immunis, nam de Maria, quæ excogitata fuit à Deo, & in lucem edita ad Euæ ruinam instaurandam, & Euæ ruinam Mariam non instaurasse, nisi suæ innocentiæ pede, qui vice gladij erat in manu Dei, & quo decreuerat caput serpentis amputare, sic accipienda esse verba illa; Genes. cap 3. num. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*: docet D. Cyprianus, sic habet ipse: *Inimicitias ponam, non dicit pono, ne ad Euam pertinere videretur, sed ponam, idest, suscitabo mulierem, quę repudiata facilitate credendi, non solū te nō audiat, sed ab ipso etiam Gabriele deferente Verbum, ratione de pro-*

Genes. c. 3. n. 15.
D. Cypr.

promissorum exigat nouitate].

Et si pes iste peccato erat bellnm illaturus, & in totius mundi redemptionem cooperaturus erat, vt talia operaretur, talem eidem præstitit Deus naturam ab eadem culpa omninò immunem, occasione huius textus, licèt sit ab instituto Ramusculi alienum, dicam hoc vnum vt Virginis innocentia magis elucescat. Cur Deus pecante Adamo terræ maledixit, & non personæ? & in pœna peccati Caini, personę, & non terræ maledixit: *Maledicta terra in opere tuo*: dixit primò: *Nunc igitur maledictus eris super terram*: dixit secundò; respondit Doctissimus Rabbanus in Genes. cap. 4. *Notandum, quòd in peccato Adæ terræ maledictio, Cain verò maledictus, quia sciens maledictionem primæ præuaricationis, fratricidium addidit*: alia via incedit D. Augustinus ser. 204. de tempore: *Quia Adam confitendo peccatum, veniæ redditus est, Cain quia negauit, æterna pœna damnatus est*: sed ad rem nostram satis doctè respondit Oleaster: *Nouerat omnipotens Deus, quòd aliquando esset naturam humanam assumpturus, ideò noluit eam maledicere*; ac si diceret, non erat maledictioni subijcienda caro Adæ à Deo assumenda, & per quam abolenda erat peccati maledictio, & benedicenda iam maledicta; huic quæstioni similis est illa, quam mouet D. Augustinus lib. 1. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 4. quæ potest esse ratio, quòd peccante primo parente terram maledictione affecit Deus, & non aquas? sic respondet Sanctus: *Aquis à maledicto Adæ Deus pepercit, quia per aquam diluere maledictionem illam parauerat, quòd in diluuio est factum, & nunc per baptismum indulgetur*; hæc Augustinus, aqua vsus est Deus tamquam suæ iræ, indignationis, & vindictæ instrumento, vt orbem terræ mundaret à sordibus peccatorum, & nūc quòd est lex gratię, vtitur tamquam causa instrumentali, vt lauet maculas originalis peccati à cordibus nostris, qua & cœlum aperit baptizatis.

Gen. c. 3. nu. 17. & c. 4. n. 11. Rabban.

D. Aug.

Oleast.

D. Aug. lib. de mirab. sac. scrip.

Si aqua, qua purgantur peccata hominum, & mundus, saluatur à maledicto peccati, fecit vt esset maledictionis expers, quantò fortius necesse fuit, vt à maledictione, & à labe peccati originalis esset Maria immunis? cui si commissum erat nostrę redemptionis pretium, & ab ea instauranda erat vniuersalis ruina, vt non tangeret calcaneum eius occultus insidiator, rationi, & diuinæ legi valdè fuit consentaneum, si datum est aquæ, cur non Mariæ? sistamus hic verba D. Leonis Papæ serm. 2. de Natiuitat. *Oportuit, vt primam Genitricis integritatē nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium diuini spiritus virtus infusa seruaret, qua statuerat deiecta erigere, & confracta solidare*: & alludens ad mysterium aquæ serm. 5. ita scribit: *Originem quam sumpsit in vtero Virginis, posuit in fonte baptismatis, dedit aquę quòd dedit matri*: ac si diceret, vt iustos detersis sordibus Christi generaret ad sanctitatem dedit aquæ ita dedit matri, vt Christum sanctum, & iustum gigneret ab initio, & quòd hæc sit mens huius Sancti Pontificis, audiamus ipsum sic loquentem in serm. 4. *Cuius spiritualem originem in regeneratione quisque consequitur*], *& omni homini renascenti aqua baptismatis, instar est vteri virginalis eodem Spiritu sancto replente fontem, qui repleuit & Virginem, vt peccatum, quòd ibi vacuauit sancta Conceptio, hic mystica tollat ablutio*: O anima mea si expers maledictionis fuit aqua Dei dono singulari, quia sua ablutione habebat abluere, & extergere hominum peccata: Cur traducis culpæ non ignara, & non immunis Maria? de qua dicit Diu. Hieronymus scribens ad Eustoch. Virgin. *Ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ. Hæc est illa*, inquit D. Hidelphonsus ser. 2. de Assumptione: *Per quam omnis maledictio soluta est primorum parentum, & cœlestis benedictio in toto venit mundo*: & hoc quando? nisi quando pede suo gratia innocentiæ, & præseruationis contriuit caput venenati serpentis, tunc adimpletum est diuinum hoc oraculum: *Et ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*: Sed iam ad nostram & ad Virginis hoc calcaneum cor primò dirigamus obtutum, & linguam, quia ad illud dixerit & Deus, quando hoc iuxta D. Bernardi sententiam humilitatis curauit calceare sādalijs, & vt capias anima mea, quæ dico, velim scias serpentem hunc cuius caput suo calcaneo contritura erat Maria, cognouisse ante primi hominis lapsum humanam naturam Diuino Verbo

D. Leo Papa.

Idem Sanct.

Idem sanctus.

D. Hier.

D. Idelphonsus.

Ex Diuo Bernar.

fore hypostaticè copulandam, vt docẽt Sacri Doctores,& signanter D.Bern. in Cantic.serm. 17. Alexander de Ales 3.p.q.74.mem.8. & fusius D.Bernardinus Senens. de amore incarnante to. 4. serm.37. fer.5.dist. 5. inter cætera verba hæc habet: *Vndè si benè intelligis fuit demonstratum intelligentiæ angelicæ filium Dei in vtero Virginis obumbrandum, & qualiter debebat nasci & mori, & qualiter oportebat Christum pati voluntariè, & intrare in gloriam, & habere illud præmium propter saluare genus humanum.*

D. Bern. Alexan. de Ales. D. Bernardinus

Et quòd cuncti illi spiritus cœlorum agnouerint incarnationis mysterium, antè illius executionem, probat Apostolus scribens ad Hebræos cap. 1.n.6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei*: particula hæc, iterum insinuat aliam introductionẽ, hoc sonat ly iterum ac secundo, sicque Christus futurus homo,& nasciturus in carne ex Virgine, primò fuit propositus Angelis, vt adorarent illum per fidem, ergo in illo Angelorum creationis instanti fuit Christus mentibus illorum obiectus, homo futurus, & quando D.Paulus dicit: *Et cum iterum introducit in orbem terræ*: intelligit, quando reuera est incarnatus, natus, & mundo introductus, quòd & clarius expressit scribens ad Timotheum epist.1.cap. 3. num.16. *Et manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quòd manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria*; tunc verbum Patris iam caro factum, visum est Angelis, quando viderunt Deum infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio,& secundò tunc adorauerunt, quando: *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: Luc. cap.2.num.13. sic enim docet doctissimus Lyranus: *Ante cognouerunt Christi mysterium, tamen ipso completo cognouerunt in effectu nouo modo, notitia intuitiua, & experimentali*; si ante cognouerunt hoc pietatis Sacramentum, en Verbi incarnandi prima obiectiua apparitio in mentibus Angelorum, qui vtique in eorum creatione habuerunt fidem Christi venturi, & cognouerunt

Paul.Ap.

Paul.Ap.

Luc. Eu. Lyranus.

incarnationis mysterium quantum ad substantiam, vt annotauit D. Augustinus in Genes. lib.5. ad litter. capit. 19. *Nec Angelis latuit mysterium Regni cælorum, quòd opportuno tempore reuelatum est pro salute nostra, quo ex hac peregrinatione liberati eorum cœtui coniungamur.*

D.Aug.

Er in hac cognitione,& tanti profundi mysterij manifestatione, seu reuelatione non fuit Angelorum æqualis cognitio, nam Michael,& socij eius admirantes celsitudinem incomprehensibilis Deitatis, & infinitatem simul, & fragilitate humanæ carnis debere incarnari, & d uinari, consentientes voluntati diuinæ humiliantes se adorauerunt Verbum, sicut intellexerunt, ita est mens Diui Bernardi loco citato, viderunt, cognouerunt, & intellexerunt Verbum in carne venturum, & proni adorauerunt; Lucifer verò & eius asseclæ vident, & oderunt, & superbiæ fumo occæcati, inuidiæ liuore ducti inuiderunt fælicitati humanæ naturæ, quæ super eos eleuanda erat vsque ad Verbi vnionem hypostaticam,& superbiæ telis armatus, mulieris, quàm elegerat Deus in huius diuini sponsalitij sponsam, partem illam primò aggreditur, qua naturarum perficienda erat vnio illa benedicta.

Et quæ pars hæc in Virgine primò à serpente insidiosè aggressa? nisi eiusdem Virginis calcaneum, quòd vbi suæ culpæ callidus hostis nititur inficere, & commaculare simul se credidit, sed incassum, immutabile immutare Dei consiliũ: ò cæce tuæ superbiæ fumo excæcatus,& tuę inuidię liuore orbatus radijs veri luminis, incassum dico, tela iactasti,& ne naturam illam humilitatis dono super te exaltandam pronus adorares, superbiendo, inuidendo, contemnendo, fradulenter,& insidiosè agendo calcaneum primò aggrederis, calcaneo tuas paras insidias illius mulieris, cuius calcaneum, ò verè cæce, prosternendus iam acceperas oraculum.

O quàm pulchrè sub vmbra Babylonici Regis statuæ miro artificio elaboratæ hanc Deiparæ Virginis victoriam obumbrauit Sãctus Propheta Daniel cap. 2. erat enim statuæ caput ex auro purissimo, pectus & brachia ex argento, venter & femoralia ex ære, tibiæ verò ex ferro, quòd hisce metallis for-

Ex Dan. Proph.

fortius? & quid illis altius? nihilominus ictu vnius lapilli de monte ſine manibus exciſi legimus confractam, & comminutam; *Percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos, tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ*: quis lapillus iſte tantæ virtutis, & fortitudinis abſciſſus de monte ſine manibus? Chriſtum Dominum de vtero virginali natum abſq; virili ſemine, ſic fert communis ſententia. *Ex quo monte*, inquit D. Damaſcenus orat. 1. de Natiuitate Deiparæ, ideſt *Maria citra vllam manuum operam corporeo modo excidi voluit lapis angularis Chriſtus*. Idem docet D. Hieronymus in comment. huius loci; *In fine*, inquit, *horum omnium regnorum auri, argenti, æris & ferri abſciſſus eſt lapis, Dominus atq; Saluator ſine manibus, ideſt ſine coitu, & humano ſemine de vtero virginali, & contritis omnibus regnis, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.*

S. Dam. — S. Hiero.

Sed non pigeat piè contemplando, per lapidem hunc intelligere verbum illud prolatum à Virgine, & exciſo de monte illo Virgineo, quando Angelo ſic reſpondit: Luc. cap. 1. num. 38. *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*: verbum illud, verbum profundæ humilitatis fuit, audiendus eſt hic D. Bernardus qui in ſerm. quadrageſimo ſecundo in Cant. ſic habet. *Cum humilitate reſpondet & quantò maiorem ſe audit, tantò humiliat ſe in omnibus. nõ gloriatur in meritis, nec inter laudes ſuas humilitatis obliniſcitur*: & idem Sanctus in ſerm. ſuper ſignum magnum: *Nec in ſola tantum Mariæ taciturnitate commendatur humilitas, ſed euidentius reſonat in ſermone Angelico, audierat quòd ex te naſcetur Sanctum vocabitur filius Dei, & nihil aliud quàm ancillam eius ſe eſſe reſpondit*. Hæc Bernardus. O rara virtus in Virgine, reſpondit lingua, & ore & corde ſe confitetur ancillã, diſſimulata ſuæ maternæ dignitatis maieſtate, non ad capita erigit ſe aurea, ſed ad pedes ſe ſubmittit: Cur hoc? niſi quia calceata humilitatis ſandalijs, & Verbum ad terras de ſinu patris fecit dimittere. Hoc erat myſterium, quod Iob ſic anxiè quærebat intelligere ſimul & capere: *Quis demiſit lapidem angularem eius?* Iob cap. 38. num. 6. liberè reſpondemus hoc Virginis Verbum humilitatis: *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*; & hunc lapidẽ de virgineo monte exciſum ſine manibus, at non ſine Virginis humilitatis verbo, ſic enim prædixerat ſerpenti Deus, lib. Geneſ. cap. 3. nu. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen illius*; duo ſimul aduerſus ſerpentem implacabiles hoſtes vno tenore produxit in campum filium, & matrem, hæc vt mater, & ille vt filius humilitatis pede omnia ſtatuæ metalla diſſiparunt, atque in fauillam æſtiuæ areæ redigerunt. quòd & varia lectio præmonſtrat, nam vbi noſtra vulgata legit: *Ipſa conteret caput tuum*; hoc eſt Maria, habet greca: *Ipſe*, hoc eſt, filius conteret, ſiue legas ipſe, ſiue ipſa ſemper reſonat idẽ, quùm exploratum ſit Virginem per ſeipſam potiſſimum, ſed per filium ſerpentis caput contriuiſſe. En ſumma ſanctiſſimæ Virginis ad vincendum Dæmonem facilitas, & patientia, ſiquidem pede tam leuiter impreſſo poteſt illum tamquam obiectum vermiculum ſubitò opprimere, & interimere. *Cui ſeruata eſt hæc victoria*, inquit D. Bernardus: *Niſi Mariæ? quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem, tam de carnis illecebra, quàm de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum*. O humilitatis virtus cuius Maria calceata ſandalijs, quò maior erat effecta, tum tot victoriæ palmis, & coronis, tum donorum & gratiarum plenitudine, tum ſublimis dignitatis Dei maternitatis altitudine, eò profundius ſe humiliando, & victrix facta eſt de hoſte, & ex nouiſſima omnium prima.

Luc. — S. Bern. — Idem Sanctus. — Iob. — Geneſ. — Lectio greca. — Bern.

Hæc humilitatis ſandalia in Virginis calcaneo contemplans D. Ambroſius in Luc. cap. 1. ſic habet: *Quæ mater eligitur, ancillam ſe nominat*: & hunc Virginis humilitatis actum appellat ipſe apparatum officij: *apparatus enim officij*, & maternæ ſuæ dignitatis fuit hic humilitatis actus, ſi ad eam mittitur Angelus, ſi hic ſalutat: *Aue gratia plena Dominus tecum*: ſi filij Dei conceptum denunciat, & partum: Si aduentus Spiritus ſancti ſuper eam promittitur, ſi plenitudo gratiæ, benedictionis prædicitur, virtutes, ſponſalia, munera, & cuncta dona cæleſtia, antequam concipiat donantur, hæc & alia officij apparatus? Cur Sanctus humilitati hoc nomen aſcripſit?

S. Ambr.

Dicam quæ ſentio, quidquid præceſ-

ferat quia Virgo ad mysterium Incarnationis aptè disponebat, & præparabat ad dignitatem illam, apparatus erat, sed dispositiuus, inchoatiuus, & præparatiuus: humilitas verò, quia & eiusdem fuit terminatiuus, & perfectiuus, meritò appellatur officij apparatus, attende quàm arguté loquatur pijssimus Albertus Magnus serm. 6. de Natiuitate Domini: *Maria non tantum pro eo quod erat mundissima, sed potius pro eo quod erat humillima meruit concipere filium Dei, sicut per seipsam testatur, respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ, non ait castitatem, licèt esset castissima, sed humilitatem*; & D. Bernard. hom. 1. super missus est: *Et si placuit ex virginitate, de humilitate tamen concepit.*

Albert.

S. Bern.

Quapropter meritò vocat humilitatem speculum peracutum, qui enim speculatur in speculo, & se introspicit, hæc illi nouitas occurrit, quòd speculū reddit imaginem inuersam ab illa, quæ præsentatur, immutat, & peruertit membrorum ordinem, quòd in homine est pars dextera, in speculo apparet sinistra, & quia omnia immutat, & inuertit, humilitas assimilatur speculo, quando Maria audiuit ab Angelo, Luc. cap. 1. num. 28. 31. & 32. *Aue gratia plena Dominus tecum benedicta tu inter mulieres ecce concipies in vtero, & paries filium, & hic erit Altissimi filius*: & se vidit eleuatam ad Dei matris dignitatem, licèt esset primogenita, & Domina Angelorum, cælorum Regina, hominumq; Imperatrix, & omnium prima.

Luc.

Et quia speculi est cuncta sibi perostensa inuersa repræsentare, ô vis, & virtus tantæ humilitatis, seruam se esse Maria fatetur, & Dei se confitetur ancillam, & hæc sua humilitas fuit apparatus officij, nam prolatis à Virgine hisce humilitatis, & obedientiæ verbis, assensuque præstito, sine vlteriori mora descendit super eam Spiritus sanctus, & obumbrauit eam virtus Altissimi, & tunc Verbum caro in ea factum est, ita mens Diui Ruperti Abbatis lib. 1. de operibus Spiritus sancti cap. 9. *Vbi Virgo benè credula os suum aperuit, vt diceret, ecce ancilla Domini, mox iuxta dictū Angeli, Spiritus sanctus superueniens per apertas fidei ianuas sese infudit in templum sacri vteri, vt Christi matrem faceret*: Et effecta Maria Christi mater, quomodo, quæ se exhibebat omnium nouissimam, facta est omnium prima, & hoc vndè? nisi ex sola humilitatis radice, quæ fuit solus tantæ dignitatis, & officij apparatus.

Rup. Ab.

Et quidem officij, dignitatis, altitudinis, sublimitatis, & excellentiæ apparatus humilitas est, non crescit ad bonum, nec sublimia tangit, nec potest ascendere, qui in radice nō sedit humilitatis, quam meritò D. Bernard. lib. 2. de consideratione appellat pretiosissimam gemmam: *Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu Summi Pontificis, quò enim celsior cæteris, eò humilitate apparet illustrior, & seipso*: hinc D. Ambrosius in lib. 2. de Spiritu sancto cap. 5. contemplans verba illa Isaiæ Prophetæ cap. 11. *Et flōs de radice eius ascendet*, inquit ipse: *Opus Spiritus sancti flos radicis est*: ac si diceret, opus Incarnationis filij Dei, opus quidem est Spiritus sancti, quòd certè ipse diuinus spiritus non est operatus, nisi de radice pusillæ humilitatis Mariæ, quæ virga fuit de radice Iesse: *Et flos de radice eius ascendet*: virga Virgo Maria, flos Dominus Iesus, ô profunditas mysterij de radice prodiit mater de radice & filius, cur vterq; nō de trunco, nō de ramis prodij? O vim ineffabilē humilitatis? quid filij Dei Incarnationis mysterio altius? quid sublimius? & quid radice profundius? vt addiscas, quòd sicut nec filij Dei humanitatis altitudo, sic nec Virginis matris dignitas aliunde traxerunt originem, nisi ex radice humilitatis, hæc est officij apparatus, quando vt inquit Guarricus Abbas in serm. de parab. filij prodigi, ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa consumantur, per ipsam conseruantur, cumque omnibus, vt virtutes sint, tribuat, si qua earum defuerit, vel minus perfecta fuerit, ipsa alterius defectu proficiens dispendium illius de se compensat, vt de radice Virginis nasceretur Dei filius, nata est & ipsa de radice Iesse.

S. Bern.

S. Ambr.

Isaias Proph.

Guarric. Abb.

Fuit enim Maria æmulatrix floris Christi nimis morosa, voluit vt & ille de radice nasci, & non nisi de radice viuere humilitatis, licèt professio Christianorum sit illa ore proferre, & lingua quæ seruat, & meditatur in corde, ita docet D. Iacob. Apostol. cap. 5. num. 12. *Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester est, est, non, non*: quòd vide-

S. Iacob. Apost.

D.Aug. videtur approbare D. Augustin. in sermone de monte, *Christianus verum loquatur, neque iurationibus crebris, sed morum probitate commendet veritatem*: veritatem commendare est, sermonem illum ore proferre, quem corde iam concep t, at Christiano ambulanti per viam humilitatis, conceditur tantummodo vt lingua non respondeat cordi, nec cor linguæ, & ori: humilitatis virtuti duntaxat datum est approbare lingua, quòd corde denegat, & assentire corde, quòd renunciat lingua, quoniam quantò quis confitetur non mereri, nec esse dignus, tantò fit dignior, & magis idoneus, & benemeritus.

Christus Iesus, qui humilitatis fuit magister, egressus trans torrentem Cedron vbi erat hortus, & positis genibus Patrem oraturus, cuius decretum iam nouerat de sua morte, & orans sic humiliter supplicabat Patrem, Mar. *Abba, pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicē hunc à me*, Marc. cap. 14. n. 36. quando Luc. c. 22 mors illi erat in optatis. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum*: nunc videt mortem in limine domus suæ & pauet, & timet, nōne spontè quasi hostia pro peccato ad mactationem se obtulit Patri? à quo & mortis acceperat mandatum hoc, & respondit, *Ecce venio*, en adsum hostia tibi grata, quam poscis: & vndè pauor nunc, & timor? & humilis supplicatio, vt calix transiret ab eo? si non inuitus, non coactus armis, vel vi inimicorum suorum, si non reluctans, sed volens & liberè, & spontè acceptans volūtatem Patris, & iussum, Mar. c. 14 cur à se reiecere satagens, sic orat, *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me. Si oblatus est*, inquit D. Bern. D. Bernard. serm. 3. de Purificatione B. Mariæ, *iuxtà illud Isaiæ proph. cap. 53. oblatus est quia ipse voluit, non quia meruit, non quia Iudæus præualuit, sed quia ipse voluit*, ergo quando orabat *transfer calicem hunc à me*, non est primæ voluntatis pęnitentia, nec mortis effugium, sed suæ humilitatis perostensio, ¦ passionis initium, & totus eiusdem progressus fuit gressus humilitatis, inquit D. Paul. D. Paul. *Christus humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, Philip. c. 2. n. 8. incedens per viam humilitatis, & quæ sunt huius virtutis, voluit & eiusdem esse perfectissimus obseruator; hinc est quòd orando reijcere seù abdicare ostendit lingua, hoc idem corde accipiebat & corpore, huius veritatis testis est sanguis ille, quem toto corpore orationis tempore sudauit, *Ventum est ad orationem*, inquit D. Bernard. D. Bern. serm. 3. in ramis palmarum. *& factus in agonia orabat, vbi quidem non solis oculis sed quasi membris omnibus fleuisse videretur*, & fletus ille fuit sanguineus testatur Euangelista, Luc. *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* Luc. c. 22. n. 44.

Sudor enim quem laxatus homo desudat in se, & per se sanguis est, fit albus & aqueus quando foras emittitur transiens per arctos, & angustos meatus; at si poros ex omni parte corporis homo haberet apertos, & dilatatos vtique vice sudoris emitteret sanguinem, si Christus quando orabat in horto non solum oculis, sed membris omnibus sudauit, & fleuit; quid est meatus corporis, & pellis habere apertos, & sanguinem emittere? nisi annuere corde, quòd abnuebat lingua, Mar. c. 26 *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste*, dicebat lingua & calicem videtur abdicare, & abijcere, sed quòd subterfugiebat lingua negando hoc idem amplecti indicabat corde dum se totum committit diuinę voluntati, cui se primò spōtè obtulerat, quòd apertura pororum, et sanguinis effusionem præmōstrat, dicens, *Veruntamen nō sicut ego volo, sed sicut tu*, postposita voluntate humana quæ ex infirmitate carnis oriebatur totus se committit voluntati diuinæ ità est mens D. Leonis serm. 5. de passione Domini *Vt suscipientis,* D. Leo. *& susceptæ carnis seù naturæ esset manifesta distinctio, quòd erat hominis diuinam desiderauit potentiam, quòd erat Dei ad causam respexit humanam, quàm vt perficeret viam aggressus humilitatis corde tenens quòd negabat lingua*.

Cuius exemplum obsecuta Maria, quòd ipsa negabat ore, et lingua huic auidè assentiebat corde: attende, salutatur ab Angelo, à quo et Dei maternitatis dignitas annunciatur. Luc. c. 1. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*, quid tunc ipsa? cæpit pauere, cæpit et timere, *Turbata est in sermone eius*, non sum digna tecum alloqui Angele Dei, nec tantæ dignitatis idonea, vel apta & dum ore se prædicat indignam, Luc. c. 1. *Ecce Ancilla Domini*, non mater, sed serua, Ancilla et nō Dei sponsa, en quomodo corde consentit

tit,et annuit, *Fiat mihi secundum verbũ tuum*;et salutata ab Elisabeth,et Domini mater appellata sic cecinit, *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, exultatio spiritus fuit voluntatis consensus, quo amplexabatur nuncium de filij Dei incarnatione,quòd ore videbatur negare,et à se repellere vt indigna; quid mirum si incedens per viam humilitatis sic edocta à filio,si eò fit,sit tanta dignitate dignior,quò se minus existimabat dignam,quantò Maria magis repugnabat,tantò magis in se Dei viscera concitabat,et merebatur negando quòd esse nolebat,eoque dignior erat,quò magis se clamabat indignam, et effecta est nouissima prima,quæ in sua opinione ex prima se fecit nouissimam.

Meritò exornando Deus Virginis calcaneum humilitatis sandalijs expressit quòd hęc humilitatis virtus fuit huius sacri connubij apparatus,et præparatio consumata, et quidem quomodo mens humana capere potest Virginem concipere Deum,creaturam generare Creatorem,quia humilitati seruata sũt prodigia hæc tam magna Virginis sandalia sunt attendenda, quibus Spiritus sanctus super eam adueniens calceauit pedes,et exornauit calcaneum.

Verbum æternum vt generetur à patre,et sit illi omninò æqualis, coæternus,et consubstantialis, et eiusdem maiestatis potentię,et magnitudinis necesse fuit vt conceptus paterni intellectus, esset rei intellectæ, seù conceptæ omninò,et ex æquo conformis et consimilis: Pater enim Deus à sua natura habet esse suum æternum,infinitum,immensum beatum,et gloriosum, et est omnium perfectionum pelagus,et abyssus inscrutabilis,generando vt generaret Deum, sibi coæqualem, oportuit vt conceptus Dei Patris generantis tantæ esset sublimitatis,vt pertingeret ad altitudinem suæ naturæ,compręhendendo eam cum omnibus suis perfectionibus,quas velut thesaurum tenet absconditas,et thesaurizatas in ærario ipsiusmet naturæ diuinæ,ex qua intellectione intelligendo, et dicendo genuit Verbum generanti omninò persimile,et coæquale.

Verbi igitur æterni generatio ad intra ortum habet ex Dei Patris conceptu,quo se Pater ipse,et suam naturam cunctasque suas perfectiones intelligit, et compræhendit perfectissimè: qualis est diuini intellectus conceptus, tale et Verbum quòd generans sic intelligendo generat,et genuit.

Hoc idem Verbum quando datum est Virgini vt conciperet, quia non generabat Deum,licèt verè esset Deus, et ipsa vera Dei mater, et ipsummet Verbum sui virginalis vteri cõceptus,quia tamen genuit humana carne vestitum, genuit illum in forma serui, vt nos docet D.Paulus scribens ad Philipp. cap. 2.n.6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,sed exinaniuit,hoc est exhausit,semetipsum,& euacuauit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*,ratione naturæ humanæ quam assumpserat,vt seruum generaret Virgo, necesse fuit vt mater generans in ipso generationis actu talem intra se in mente formaret; seù contemplaret conceptum, & haberet consimilem illi, quem generare intentabat,& intendebat. Paul.Ap.

Si quòd habebat Maria statutum in animo,erat Deum generare Redemptorem,& seruum: quid miraris anima mea? si quæ erat plena gratia,& virtutibus supercœlestibus: si quæ erat prima,facta est omnium nouissima,& in illo generationis actu se sic euacuauit, sic se exinaniuit,sic se effecit inanem, & vacuam vt videretur ad nihilum redacta: cur hoc? nisi vt apta esset & digna,simul & posset generare Deum. Humilitatis virtus est dispositio ad gratiã, gratiam autem,vt docent D. Bonauentura lib.2. d.26.art.1. & idem docent Riccard.in 2.d.26.art.1.Scotus in 4. d. 1.q.5.Gabriel Biel q.1.art.2. Sotus lib. de natura & gratia cap.9.& alij quamplurimi Deum creare ex nihilo, quòd quidem non est aliud, nisi ipsa humilitatis virtus, ergo quantò quis magis se humiliat, & annihilat, tantò magis à Deo maiori gratia eleuatur ad maiorem gradum. D.Bona Riccard. Scoto Gab.Biel Soto

Dignitas autem maternitatis Dei collata Mariæ vt docet Diu.Thomas habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito,& illam non creauit Deus, nisi ex nihilo,ad quòd sua meditatione, seù cognitione in actu conceptionis filij Dei descendit Maria: ò Deus cordis mei quis intelliget quantum descendit hæc tuæ sponsæ humilitas? & sui ipsius cognitio? quando potuit eam vsque ad digni- D.Tho.

dignitatem eleuare infinitam: infinita hæc,infinita & illa.

Vt capias, quæ dico hoc vno primò prænotato, quod Mariæ humilitas fuit velut æquipondium maternæ suæ digni tati, probemus exemplo,si in vna trutinæ lance ponatur aliquod pondus graue,& in altera nihil,vel propè nihil, & hæc secunda licèt vacua,& exonerata grauamine sua leuitate, et vt verius loquar sua nihilitate traheret primam illam suo pondere sic aggrauatam vsque ad terram,et secunda suo nihilo eleuaretur Cœlum versus, cui si apponatur onus per quam graue, vel et grauius quàm haberi potest, nec cederet oneri primæ,nec ab ea pateretur vinci,nec quod admirabilius est,illi primæ æquiparare: vtique hoc videns stupore correptus cogitur exclamare ò Deus,et quanti ponderis est illud nihil, quòd superari non sustinet à pondere tam graui?

Luc.c.1. O Maria,ò Virgo benedicta et humilis Dei mater et sponsa,si ad tuæ dignitatis pondus flexa ad terram ceruice exclamasti, *Ecce Ancilla Domini* et ego vociferans dico: ò Deus cordis mei quanti ponderis est hæc Virginis humilitas? *inde fœlix,inde beata*, inquit Diu. Bern. Bernard.hom.1.super missus est, *quia humilis est,non quia in vtero Verbum caro factum est.*

Io vna lance libræ ponit Maria suæ humilitatis virtutem,et in altera Angelus pondus gratiarum, et donorum su- Luc.c.1. percœlestium, *Aue gratia plena Dominus tecum,benedicta tu in mulieribus*: et hoc pondere, nec ad momentum lanx mouetur à terra, turbatam legimus et cogitabundam,sed minimè eleuatam,et Angelus pondera ponderibus grauiora Luc.c.1. apponit: *Ne timeas Maria,inuenisti gratiam apud Deum,ecce concipies,& paries filium, & vocabitur nomen eius Iesum: hic erit magnus,& filius Altissimi vocabitur*; et bilanx nec paulisper eleuatur à terra,sed interrogat, *Quomodo fiet istud?* et nunc ei us ille diuinus onera oneribus Luc.c.1. maiora addidit; *Spiritus sanctus superueniet in te,& virtus Altissimi obumbrabit tibi:ideoque & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei*: & hoc pondus secum trahebat & aliud,nempe sceptrum vniuersalis dominij vtriusque, tum triumphantis, tum militantis Ecclesiæ,diadema regni, & Angelorum & hominum imperium: his omnibus appensis ad scoma:ò prodigia,ò miracula maioris quidem ponderis est illud Virginis nihilum, quàm Dei maternitatis onus, tantorum donorum cumulo, & pondere aggrauatum gratiarum,& hoc cum esset tale ac tantum lancem in qua erat Virginis nihil non valuit à terra, nec ad minimum assurgere, quinimmo magis descendere fecit: *Ecce Ancilla* Luc. c.1. *Domini*. *Quæ vocatur ab Angelo Domina*, inquit D.Petrus Chrysolog.serm. D.Petr. Chrysol. 142. *ipsa se cognoscit, & confitetur Ancilla,non pertumescit ad superbiam, non prosilit ad arrogantiam. Quia non est magnum esse humilem in abiectione*, inquit D. Bern. D.Bernard hom.super missus est, *sed vera est virtus humilitas honorata*; & si Virginis humilitas honorata præsentia, & persona filij Dei non potuit nec ad minimum illam eleuare,fateri necesse est, quòd grauioris ponderis est Mariæ humilitas, quàm illa Dei materna dignitas,quæ cum sit infinita ex bono infinito,& non vincere, sed vinci trutinando conspicimus à Virginis nihilo, & hoc nihil ad infinitatem quamdam ascendere cogimur confiteri.

O Maria,ò humilis Virgo,& Dei purissima mater, Deus ipse qui ex te nasci voluit,& Spiritus sanctus sponsus tuus, qui humilitatis sandalijs te calceauit lauder te: ego siquidem fateor vinci, & hæc mea corona,& gloria vinci, vt & tu,quæ magistra es humilitatis victum tuum doceas hanc tuæ humilitatis virtutem ut sciat & ipse exemplo tuo humiliari in omnibus,& ex nouissimo fieri primum.

Non nobilitate,non pulchritudine, non sapientia,non puritate, neque virginitate traxit Maria de Cœlis ad terrã filium Dei,sed humilitate: sic docet D. Bernardus hom.1. super missus est: *Si* D. Bern. *igitur Maria humilis non fuisset,super eã Spiritus sanctus non requieuisset, quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? quia & si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit*. Audiamus & ipsam Virginem,quæ sic cecinit, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, & eiusdem Luc.c.1. suut verba illa Canticorum cap.1.n.12. *Dum esset Rex in accubitu suo nardus* Cant. *mea dedit odorem suum*.

Duo insinuat & accubitum,& herbã quamdam nomine Nardus: accubitus in quo ab æterno Verbum Patris accubuit,est sinus Patris hic sinus est hortus deli-

deliciarum, Dei florum Paradiſus, pomarium voluptatis diuinæ, cuius florũ odoramenta ſunt infinitæ ſuauitatis, immenſæ ſuauiolentiæ, ſunt infinitæ fragantiæ, & odores quos ſinus ille efflat, ſunt ineffabilis dulcedinis, ſunt conſolationis diuinæ, tales ſunt qualis eſt locus, qui ſi pectus eſt Dei, quales flores, quales odores ſpirat, redolet, emittit, diffundit? penſet qui poteſt & cui datũ eſt contemplare ſimul, & guſtare; & dũ Verbum Patris paſcebatur, commorabatur inter lilia, inter flores paterni pectoris: Nardus quæ eſt herba paruula, & neſcit in altum ſe erigere nata in pectore Virginis odorem ſpirauit tantæ dulcedinis, tantæ fragantiæ, quòd filius Dei patris, qui recumbebat in ſinu eius victus odore huius Virginis nardi, relicto pectoris patris ſinu, & allectus nardi odore deſcendit in vterum matris: ò anima mea quæ eſt nardus, & qui eius odor? et quæ vis odoris? et quæ celeritas ſuauitatis tantæ? vt de terra aſcenderet, et tranſcenderet cœlos? et quæ acies ſeù acrimonia tantæ ſuauiolentiæ? vt odor nardi huius penetraret patris æterni pectus et ſinum, quo delectatus, et allectus eius filius hunc relinqueret accubitum, vt accubaret in vtero Virginis? eſt D. Bernard. in Cantic. *Nam*
D. Bern. *quid eſt aliud, Nardus mea dedit odorem ſuum, quàm placuit mea humilitas, adeò vt cum eſſet Rex in acubitu ſuo, ideſt in excelſo habitaculo ſuo, illuc quoque humilitatis odor aſcendit:* quàm acutus, quàm delicatus hic odor, vt in ſublime vſque ad ſinum Dei ſe efferat, & attrahat ad ſe Verbum Dei patris, & eò fit odor penetrabilior, & eò humilitatis, & Nardi ſuauiolentia altius aſcendit, quò ſe profundius Maria demittebat, & veluti Nardus odoroſiſſima odorem, & ſuauiolentiam humilitatis tantæ virtutis efflabat, quòd extra Dei patris accubitum in rebus creatis filio Dei non fuit locus deliciarum, niſi vterus matris ſuæ Mariæ, hic accubuit libens, & amęniſſimè deliciatus eſt; ſic docet nos D. Petr.
D. Pet. Dam. Damianus in ſerm. de Annunciat. B. V. *Locum voluptatis,* inquit, *vterum Mariæ intelligo, in quo cumulauit omnes delicias deliciarum Dominus, de cuius delicijs Spiritus ſanctus admiratorio ſermone ſic eructat: quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens? numquid in Angelis voluptatem habet Altiſſimus, in quibus ipſe reperit prauitatem? numquid in conſtellatione vel ſcintillatione ſtellarum? quarum aliæ conuertuntur in ſanguinem, aliæ cadent de cælo, aliæ in tenebras obſcurantur? numquid in aere vel in igne, vel in ventis? nequaquam quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in ſpiritu Dominus: numquid in aquis? vbi furens, & tortuoſus Leuiathan immoratur, aut in terra? quæ ſub maledicto Adæ ſpinas emittit, & tribulos? non eſt locus voluptatis niſi vterus Virginis:* hæc ille: qui veluti hortis deliciarum Dei ſuauiſſimos humilitatis, & nardi ſpirans, & efflans odores, per aſſumptam humanitatem præparauit filio Dei accubitum, & delicioſè accubuit.

O anima mea quid eſt, quod Regem attraxit? quid eſt quòd filium Dei deſcendere fecit in vterum Virginis? ò Maria, ò Virgo dic animæ ſerui tui: vt ad te ſe inclinaret filius Dei, quid feciſti? quid obtuliſti? quæ ſuffragia præmiſiſti? quid laboraſti? quomodo in tuo vtero formatus eſt ille filius, cuius Deus ſolus eſt Pater? quomodo ſine imbre carnalis ſeminis genuiſti? quo ſpiritu? qua cogitatione ad hoc vt acciperes præueniſti? & præueniſti ad hoc? ſic tibi reſpondendum conſidera, oblatio mea fuit nardus humilitatis meæ: reſpexit Deus humilitatem Mariæ, cui per humilitatis meritum dedit vt filium Dei in carne conciperet, & de ſua carne verum Deum, & hominem, & omnium Saluatorem generaret.

O humilitatis prodigia, quò ſe Maria humilitatis ſandalijs calceata profundius demittebat, eò acriorem humilitatis odorem emittebat. *Ergo*, inquit S. Bern.
D. Bernardus, *quàm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus ſponſa dedit odorem ſuum*: accubitus Regis ſinus eſt Patris, quia ſemper in Patre filius, & dum recumbebat in ſinu Patris, quid accidit? ex nardi humilitatis herba vbi Virgo fecit ſibi faſciculum ſuauiſſimum, vt ipſa teſtatur *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*, Cant. cap. Cant.
1. n. 13. en qui accubebat in Patris ſinu, modo inter vbera ſponſæ commorari dicitur: modo dormiebat in pectore Patris, in quo erat ſuus accubitus, nunc reclinatus fouet in matris ſinu, & vbera ſugit? quid eſt quòd inclinauit filium Dei, quid eum attraxit, matris humilitatis ſandalia, effuſus eſt humilitatis

odor

odor, pectus adijt, æterni patris penetrauit accubitum, & Verbum, quòd in illo sinu recumbebat huius humilitatis odore allectum, se demisit in vterum matris, à quo humilitatis odor ascendebat, qui eo suauior, eò acutior erat, quò magis Virgo se euacuabat, & humiliabat, quò omnium nouissimam se faciebat, Diui Bernardi sententia est in Cant. serm. 43. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Modò Rex, modò dilectus, ante in accubitu Regio, modò inter sponsæ vbera, magna humilitatis virtus & odor, cui etiam Deitatis maiestas se inclinat*: vbi Maria calceata sandalijs humiliando si demissè se demisit quando ancillam se nominat, eò suauiorem spirauit odorē humilitatis, quo trahens ad se filium Dei facta est ex nouissima prima, quæ ex quo erat prima facta est nouissima omnium. D. Bern.

O quantum debes anima mea humilitati Mariæ, cuius odor traxit ad se filium Patris, & te non trahet? Virgo tan tum se humiliauit, tantum se demisit, vt te erigeret ad salutem, vt te doceret: En sacer hic Ramusculus, sub vmbra illius sede, & addisce a Maria humilitatem, ab ea addisce te demittere; quid tumescis, quid superbis ò cinis, & puluis? time ne tua superbia perdas, quòd Virginis humilitas tibi obtinuit, & quid sua humilitate tibi impetrauit Virgo? nisi Dei filiationem adoptiuam, humilitas est speculum, quo agnoscitur, quis dignus censetur Dei filiatione. Baptizato Domino in Iordane, quòd fuit opus summæ humilitatis, baptismo non subibant nisi homines peccatis obnoxij, statim facta est vox de cœlo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: Matthæ. cap. 3. nu. 17. *Si Christus humiliate agnitus est filius Dei à Patre, & quem humilitas probabilem fecerat*, inquit D. Hilarius in psalm. 138. *filium complacitum sibi, postquam probauit ostendit*: quid speras si humilitatem Mariæ, & filij non imiteris, nec filius patris, nec Christi frater, nec Mariæ seruus, vt hanc virtutem te doceret Virgo tantum se humiliauit, vt ex nouissimo fias primus. Matth. D. Hilar.

Sub vmbra huius Ramusculi sede anima mea deuotè carpe humilitatis fructus, hic præbebit Maria vbera pectoris sui, hic humilitatis lacte te lactabit, & quasi filium nutriet, lac propinabit æternæ dilectionis, & mel dulcedinis, & quietis, preme vbera, lac suge, imitare Virginem, & tui sacratissimi nominis repleta dulcedine, benedic nomen sanctum eius, quòd sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei te præcor ò Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei quoniam in te sola sperar, & confidit anima mea: Sub vmbra huius Ramusculi protege me, nunc & in hora mortis meæ. Amen.



DE
VERBI CONCEPTIONE,
& partu Virginis.

RAMVSCVLVS QVADRAGESIMVSSECVNDVS.

Ecce concipies in vtero, & paries filium.
Luc. c. 1. n. 31.



Mperſcrutabile quidem, & diuinum ænigma filii Dei, eſt hæc eiuſdem conceptionis, & partus, ſacratisſimę Virgini facta promisſio, Gabriele internuncio, & Dei digito, ac Spiritus ſancti ſtylo aureis litteris virginalis alui obſignatum in lamina, ęnigmaticis notis enunciatum ab Angelo, & nobis contemplandum Euangelij ſui ab Euangeliſta, Virginis à ſecretis paucisſimis his verbis exaratum in pagina; *Ecce concipies in vtero, & paries filium*: cuius hæc conceptio tam noua? & inſolita? cuius hic vterus cœlo ipſo capacior? Et quæ hæc Virgo tàm purisſima, quæ mater effecta, parturiens, Virgo perſeuerat poſt partum? ò inſcrutabilia arcana Verbi Dei, ò nouitas, ò nouitatis concipiendi, & parturiendi modus ineffabilis? & omni mente creatæ incomprehenſibilis.

Luc. c. 1. nn. 31.

D. Cyril. Alexan. Meritò ęnigma ſacratisſimum filij Dei, & mulieris, à D. Cyrillo Alexand. ad Reginas vocatur hoc incarnationis myſterium; *Quis intelligere poteſt hoc ęnigma*, inquit ipſe: *Pater in cœlo, & mater in terra, ænigma; in cœlo ſine matre, & in terra ſine patre, ænigma vt eſt filius matris Virginis, temporalis eſt, ęnigma, vt verò Deus, eſt immenſus, at quatenus temporalem abbreuiatum eſt, ænigma, naſcitur ex muliere, ſed remanet Virgo, ænigma, creatura generat Creatorem. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, ęnigma.*

Ecclef. c. 24. n. 12.

D. Dion. O ęnigma inſolubile, quòd nec mens humana valet penetrare, nec perſcrutari Angelica, inquit D. Dionyſius Areopagita lib. de diuinis nominibus cap. 2. *Ieſu in carne apparitio ineffabilis eſt ſermone, & omni ignota intelligentiæ, ipſi quoque antiquisſimorum Angelorum non ſatis perſpecta*: Et tàm inſcrutabile, quòd non verbis tantum, ſed neque mente poſſe concipi adiudicauit Diu. Ambroſius in lib. de fide ad Gratianum: *Impoſſibile eſt*, inquit ipſe; *generationis ſcire ſecretum, mens deficit, vox ſilet, non mea tantum, ſed & Angelorum*: O profunditas myſterij, Virgini matri quando aperitur ab Angelo, ſub verbis ęnigmaticis nunciatur. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*: & vt ignara tanti Sacramenti, non intelligens illius profunditatem & vt intelligeret Angelum ſic interrogat: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Angelus, quia non erat ei, nec reſpondendi, nec Virginis interrogationi ſatisfaciēdi facultas, remiſit illam ad Spiritum ſanctum: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altisſimi obumbrabit tibi*: quòd caro fiat, qui Verbum eſt Patris; & qui genitus eſt ab æterno ex vtero Patris, carnem induat in vtero matris; & qui fecit ventrem, ſit ipſe conceptus in ipſomet ventre, qui fundauit eam Altisſimus, homo natus ſit in ea, qui eſt antiquus dierum, factus eſt puer, Verbũ infans, æternus, temporalis, immortalis, mortalis, immenſus, paruulus, Creator, creatura, mens quippè humana naturali lumine vtriq; hoc ineffabile myſteriũ capere minimè valet, eſt enim ęnigma filij Dei, & mulieris Virginis.

D. Amb.

Luc. c. 1. nn. 34.

Luc. c. 1. nn. 35.

Quo pacto immenſus Deus potuit ſe contrahere in ventre? & impasſibilis pasſionem ſubire? & crucis mortem pati immortalis? æternus tempori ſubeſſe? & vterus Virginis quomodo valuit continere continentem omnia? &

ſe

se maiorem? & colligere in se, & circumdare, & deuincire illum, qui diuinitate excelsior est cœlo? humilitate profundior est inferno? longanimitatis mensura longior est terra? & charitate latior est mare? ænigma filij Dei, & mulieris, non verbis explorandum, sed tantum adoratione, veneratione, & admiratione dignum, vt idem fatetur D. Cyril. *ænigma sacratissimum, quòd potius summa veneratione suscipiendum est, quàm humani ingenij trutinæ subijciendum*.

D. Cyril.

O Virgo mater, ô lumen oculorum meorum, si tua lucis gratia me non illuminas, & tenebras non expellis ignorantiæ meæ, inanis est omnis humanus labor, si naturalis rationis æquilibrio, seù statera vult hoc examinare ænigma, qualiter Deus sit tui vteri ingressus secretum? vel qualiter sit egressus ex vtero, nemo nouit, sola ipsa egressio cognouit, absque veste ingreditur, ô Maria, sed carne tuæ carnis vestitus egreditur, ô mater, plenum est mysterijs hoc ænigma sacratissimum, vt capiam, vt intelligam, tuo adiutorio ingrediar, & egrediar ad contemplandum, ô Domina mea, ô lux mentis meæ, da vt petitiones cordis mei fiducialitèr ingrediatur thronum exauditionis tuæ, & maternæ tuæ pietatis, vt petitiones cordis mei, vt sciam quo pacto est ænigma filij Dei, & mulieris Virginis.

Luc. c. 1. 3 5.

O Maria: *Ecce concipies in vtero, & paries filium*: Hoc est ænigma filij Dei, & mulieris Virginis, hic est vterus in quo Spiritus sancti calamo Deus Trinitas ineffabili modo descripsit Verbum à Patre genitum ex suo vtero ante luciferum, & veluti ænigma diuinum stupet, & miratur mater Ecclesia. hanc filij Dei Conceptionem in vtero Virginis, dùm præ stupore sic exclamat: *quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti*; portauit quidem vterus Virginis intra se Verbum Patris ipsum totum continens, ita vt non esset aliquid de natura, seù illius essentia, quòd claustrum, seù circulus ventris intra se non contineret, & sic, nullum est miraculum, nullaque adest differentia inter cœlum, et Virginem, imò summa & perfecta æqualitas, vna ni fallor tantùmodo interfuit differentia, puta continentiæ, qua Deipara differt, & multum distat à cęlo, & de qua miratur Sancta mater Ecclesia, & est, quòd Verbum patris subsistens in vtero matris, erat nihilominus in alijs rebus, & locis totius vniuersi per essentiam, quia extra immensitatè diuinæ naturæ nihil manet: per præsentiam, quia propter limpiditatem diuinæ præsentiæ nihil latet, per potentiam, quùm contra infinitatem diuinæ potentiæ nihil valet, nimirum quia Deus, & Deus semper omnipotens, qui sic intendit omnibus, vt adsit semper singulis, vt similiter omnibus, sic enim exteriora circundat, vt interiora impleat, sic interiora implet, vt exteriora circundet, sic summa regit, vt ima non deserat, sic imis præsens est, vt à superioribus non recedat. sic latet in sua specie, vt tamen cognoscatur in operatione, sic cognoscitur in suo opere, vt tamen comprehendi non valeat à cognoscentis ęstimatione, cur hoc? quia talis naturæ est Deus, qui cum posset quamlibet aliam creaturam hypostaticè assumere ex nulla alia illarum carnem assumpsit, nisi duntaxat ex sola Virgine matre, cuius purissimus aluus, licèt naturæ humanæ limites non sit transgressus, ô mira Dei ineffabilis sapientia, capacitate tamen cęlum ipsum transuolauit, transcendit, vicit, & excessit. Adducendus est hic D. Chrysostomus in Matth. cap. 1. *Quia quem totus mundus capere non poterat, nec merebatur accipere, in cubiculo vteri sui meruit Virgo sola suscipere generare, portare, & quasi coarctare*: En qua ratione facta est Maria speciosior, dignior, & capacior toto mundo, imò ipso cœlo, & cęlis cœlorum vas capacior?

Matet Ecclesia.

D. Chrys.

In cęlo nihil astat maius, nihil nobilius, nihil eminet altius, nihil emicat capacius, quàm quòd sit cœlum ipsum, sedes Dei; supra quàm singulari modo Deum sedere, vidit Beatus Ioannes, & multi alij Prophetæ, sed si attendas anima mea, quòd de Virgine scribit in sua missa B. Apostolus Iacobus, nobiliori modo Deum existere in vtero matris, quàm in cęlo, facilè intelliges, ait ipse: *Tuum enim vterum ô Maria thronum fecisti, & tuum ventrem latiorem, & cœlis ipsis ampliorem reddidisti*; quid mirabilius? quando, *quem cœli capere non poterant*: suo Virgo continuit gremio. Hoc est ænigma, quòd obstupescere fecit vniuersam creaturam, vt testatur D. Hieronymus in serm. de Assumptione: *Quòd natura non habet, inquit ipse, vsus nesci-*

D. Iacobus.

D. Hier.

nesciuit, ignorat ratio, mens non concipit humana, pauet Cœlum, stupet terra, creatura etiam cœlestis miratur, hoc totum est, quòd per Gabrielem Mariæ promittitur: Luc. cap. 1. num. 31. *Concipies in vtero, & paries filium*: & quòd promittitur ab Angelo, adimpletur per Spiritum sanctum.

Luc.

Quid est ò anima mea, quòd terminata legatione ab Angelo, terminatoque legationis effectu, statim discessit ab ea Angelus? discessus hic Angelicus à Maria, non absque mysterio, hic Angelus missus à Deo ad Virginem, non fuit tantum ad officium huius legationis, sed Angelus erat delegatus ad Virginis custodiam, vt colligitur ex d uo Bernardo epist. 77. *Sed & ipsam Virginem, rogo, vndè probabitur ex nomine, vel ex facie ante cognitam Angelis? quòd & ipsa esset, quam Deus elegerit in matrem sibi, excepto duntaxat Archangelo, cui & seruanda ab initio tradita fuisse credenda est*: O mira Dei sapientia, ò profunditas tanti mysterij.

S. Bern.

Vt custos Virginis hic Angelus, & munus custodiæ spatio quatuordecim annorum iam perfecisset in eam custodiendo, familiaritèr conuersando, & dulcitèr colloquendo, nam virginitatis dono eleuabatur Maria supra naturam humanam, & æqualis erat Angelis, idcircò missus est Angelus ad Virginem Mariam, ingressus est Angelus ad Virginem, & vt Virgo, Angelus eam salutat, consabulatur, colloquitur, conuersatur, nec mirum quia *Semper est Angelis cognata virginitas*.

At quando exaltatã vidit eam ad maternæ dignitatis Dei gradũ, & ad Dei similitudinem transformatam: O anima mea ex tunc quando Virgo suæ legationi dedit assensum, & Verbum quòd ex vtero paternæ fœcunditatis ab æterno, æterna generatione nascitur Patri coæquale, & consubstantiale, consubstantiale in natura humana ab eo assumpta factum vidit matri, & matri Virgini.

Mens angelica stuporis magnitudine circumfusa, factum hoc æstimauit ænigma, enigmaticè loquens, Luc. cap. 1. num. 31. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*; hic filius, qui partus est Patris Dei, idem conceptus, & partus est est vteri virginalis, filius non tantum relatione quam habet ad Patrem à quo nascitur, & cum quo vna, eademque natura potitur diuina, quæ ex suamet natura est summè simplex, non composita, non componibilis summè infinita, & æterna non corruptibilis, non deflectibilis, summè necessaria, & fæcunda, nec substantialiter, nec accidentaliter mutabilis. *Essentiam suam*, inquit D. Athanasius ad simplic. *in se ipse genitor retinens totam in filio suo inenarrabiliter genuit*.

Luc.

S. Atha.

Et hic filius, qui cum patre est eiusdem maiestatis, eiusdem gloriæ, bonitatis, immensitatis, omnipotentiæ hic idẽ erit tui vteri conceptus, & partus, vt clarè annotauit D. Anselmus in lib. de excellentia Virginis cap. 3. *Vnum filium* inquit Sanctus, *consubstantialem Deus Pater genuit, hunc sibi vnicum, & omnibus modis æqualem, non est passus remanere solummodo suum, sed cum ipso in rei veritate esse B. Mariæ vnicum, & æqualem filium*: cuius conceptus, & partus relatione, Virgo quæ virginitatis candore æqualis erat Angelis, eleuata est ad æqualitatem Dei, & facta est mater illius filij, qui in cœlo ab æterno Patrẽ habet solum Deum, quæ dignitas materna sic in altum euexit Mariam, quòd vt affirmant D. Augustinus serm. de Assumptione D. Bernard. serm. de Natiuit. Virginis. Cyrilllus lib. de fide ad Reginas. Origenes hom. 2. ex varijs. Laurentius Iustinianus serm. de Purificatione & Assumptione. Anselmus lib. de excellentia Virginis in principio, transcendit capacitatem humanam, & angelicam, huius ænigmatis altitudo, mentem huius Angeli traxit in stuporem, & stupore perterritus, & reuerentia tantæ dignitatis discessit ab ea Angelus, indignũ se existimauit societate tantæ Virginis, vt custos & Angelus ad eam delegatus à Deo ingreditur ad eã, salutat, & familiariter alloquitur, & cõuersatur benè quidem, quia erat tãtum Virgo, at postquam Dei Verbum in suo vtero carne vestitum, & de Virgine facta est mater, & Virgo, non potuit spiritus ille cœlestis tantæ dignitatis sustinere fulgorem, sed timorẽ, & dignitatis stupore percussus discessit ab ea Angelus, & eius discessu nobis voluit innotescere hoc sacratissimum ænigma potius summa veneratione adorandum, & suscipiendum, quàm temerè, & curiosè inuestigandum, credi debet, & nõ perscrutari, & auctoritas dicentis debet

D. Ansel.

S. Aug.
S. Bern.
S. Cyril.
Orige.
Laure.
Iustinia.
D. Ansel.

esse huius mysterij probatio, & non ratio naturalis.

Quomodo factum sit istud, Spiritus sanctus superueniat in te, & doceat, & aperiat tibi, qui hoc ænigma filij Dei, & mulieris, & sanctis Patribus sæpè dignatus est adaperire, sed adhuc sub ęnigmaticis figuris, quando sub typo domus, & montis ostendit locum, in quo hoc mysterium operaturus erat, hic erat veerus Virginis aperuit. & modum sed ænigmaticè quando dixit Propheta Sanctus: *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Isai. cap. 2. num. 2. & quòd vterum intelligat virginalem, in quo Deus factus est homo, docet S. Gregorius in lib. 1. Regum: *An non mons sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad soliū Deitatis erexit.*

Isaias.

S.Greg.

Et coaceruans Deus in Maria merita supra merita, dona supra dona, virtutes supra virtutes, perfectiones supra perfectiones, sanctitatem supra sanctitatem, effecta est mons seu Abyssus omnium virtutum supra verticem montium, cuius summitas pertingit vsq; ad thronum maiestatis diuinæ: *Nam mons in vertice montium Maria non fieret*, inquit idem Pater Gregorius: *si supra Angelorum altitudinem hanc diuina fæcunditas non leuaret, & domus Domini non fieret, si in eius ventre per assumptam humanitatem Verbi diuinitas non iaceret*: humiliatur creator, vt creaturam sic exaltaret: O ænigma sacratissimum, verè mons in vertice montium tunc effectus fuit venter Virginis, quando intra illius angustias seniciruulo suæ humilitatis conclusit Verbi Dei immensitatem, & Maiestatem, & quando descendit in aluum Virginis, vt omnibus esset notum, quòd ipsa erat. Isai. cap. 2. num. 2. *Mons domus Domini præparatus in vertice montium. Venit saliens in montibus*, inquit sponsa, *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Cant. c. 2. n. 9.

S.Greg.

Isai.

Cant.

Dum Maria iure dignitatis maternæ supergressa est sublimitate altitudinem cuiuscunque creaturæ, per colles, choros, & ordines Angelorum possumus hic accipere, sicut per montes, omnes Patriarchas, quòd hoc sit consonum veritati, scitè docet S. Damascenus orat. 1. de Natiuitate Deiparæ, *Clarissimus mōs Dei Maria, mons* (inquam ille) *qui collem omnium, & montem, idest Angelorum, & hominum sublimitate exuperat, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*; & S. Dionysius Carthusianus cap. 2. in Cant. art. 6. *Per Incarnationis mysterium venit in mundum de cælis descendens in ordinibus Angelorum, operans per carnis propagationem prosiliens.*

S.Dama.

S. Dion.

Attende altitudinē mysterij, & ænigmatis intelligentiam, quando venit Verbum Patris in vterum Virginis, venit *Saliens in montibus trasiliens colles*; qui saltat in quo salit pedum vestigia imprimit, & signata relinquit: saliens ergo in collibus Angelorum, in eis virtutum suarum perfectionum monumenta obsignando impresit.

In primo colle Seraphim incendium reliquit sui diuini amoris, quo spiritus illi cœlestes semper ardent, in colle Cherubim vestigia reliquit scientiæ, in colle Thronorum quietis, in colle Dominationum magnitudinis, in colle Principatum dominij, in colle Potestatum securitatis, in colle Virtutum fortitudinis, in colle Archangelorum lucis, in Angelorum colle custodiæ, & protectionis reliquit vestigia, sed nunquid in illis remansit? vtique non, sed transilijt, & saltauit in montibus.

In monte Abrami fidei reliquit vestigium, in Isaac lætitiæ spiritualis, in Iacob longanimitatis, in Iuda confessionis, & laudis, in Phares charitatis, in Esron pacis, in Aram dilectionis diuinæ, in Aminadab constantiæ, in Naason consolationis, in Salmon prouidentiæ, in Booz pietatis, in Obed humilitatis, in Iesse Dei cognitionis, in Dauid patientiæ, in Salomone sapientiæ, in Roboam conuersionis ad Deum, in Abia bonæ conuersationis, in Asa raptus mentis, in Iosaphat discretionis, in Ioram castitatis, in Ozia firmitatis in bonum, in Ioathan omnis perfectionis, in Acab gratitudinis, in Ezechia spei, in Manasse contemptus mundi, in Amon obedientiæ, in Iosia fidelitatis, in Iechonia mansuetudinis, in Salatiel benignitatis, in Zorobabel zeli, in Abiud paupertatis, in Eliacim virginitatis, in Azor innocentiæ, in Eliud temperantiæ, in Eleazar fiduciæ, in Mathan perfecti amoris, in Iacob modestiæ, in Ioseph virtutis, & fortitudinis, sic saltauit in montibus, & in collibus, vt omnium virtutis monumenta,

nescivit, ignorat ratio, mens non concipit humana, pavet Cœlum, stupet terra, creatura etiam cœlestis miratur, hoc totum est, quòd per Gabrielem Mariæ promittitur: Luc. cap. 1. num. 31. *Concipies in vtero, & paries filium*: & quòd promittitur ab Angelo, adimpletur per Spiritum sanctum. Luc.

Quid est ò anima mea, quòd terminata legatione ab Angelo, terminatoque legationis effectu, statim discessit ab ea Angelus? discessus hic Angelicus à Mariâ, non absque mysterio, hic Angelus missus à Deo ad Virginem, non fuit tantum ad officium huius legationis, sed Angelus erat delegatus ad Virginis custodiam, vt colligitur ex d. Bernardo epist. 77. *Sed & ipsam Virginem, rogo, vndè probabitur ex nomine, vel ex facie ante cognitam Angelis? quòd & ipsa esset, quam Deus elegerit in matrem sibi, excepto duntaxat Archangelo, cui & servanda ab initio tradita fuisse credenda est*: O mira Dei sapientia, ò profunditas tanti mysterij. S. Bern.

Vt custos Virginis hic Angelus, & munus custodiæ spatio quatuordecim annorum iam perfecisset in eam custodiendo, familiariter conuersando, & dulciter colloquendo, nam virginitatis dono eleuabatur Maria supra naturam humanam, & æqualis erat Angelis, idcirco missus est Angelus ad Virginem Mariam, ingressus est Angelus ad Virginem, & vt Virgo, Angelus eam salutat, confabulatur, colloquitur, conuersatur, nec mirum quia *Semper est Angelis cognata virginitas.*

At quando exaltatã vidit eam ad maternæ dignitatis Dei gradũ, & ad Dei similitudinem transformatam: O anima mea ex tunc quando Virgo suæ legationi dedit assensum, & Verbum quòd ex vtero paternæ fœcunditatis ab æterno, æterna generatione nascitur Patri coæquale, & consubstantiale, consubstantiale in natura humana ab eo assumpta factum vidit matri, & matri Virgini.

Mens angelica stuporis magnitudine circumfusa, factum hoc æstimauit ænigma, enigmaticè loquens, Luc. cap. 1. num. 31. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*; hic filius, qui partus est Patris Dei, idem conceptus, & partus est est vteri virginalis, filius non tantum relatione quam habet ad Patrem à quo nascitur, & cum quo vna, eademque Luc.

natura potitur diuina, quæ ex suamet natura est summè simplex, non composita, non componibilis summè infinita, & æterna non corruptibilis, non deflectibilis, summè necessaria, & fœcunda, nec substantialiter, nec accidentaliter mutabilis. *Essentiam suam*, inquit D. Athanasius ad simplic. *in se ipse genitor retinens totam in filio suo inenarrabiliter genuit.* S. Atha.

Et hic filius, qui cum patre est eiusdem maiestatis, eiusdem gloriæ, bonitatis, immensitatis, omnipotentiæ hic idẽ erit tui vteri conceptus, & partus, vt clarè annotauit D. Anselmus in lib. de excellentia Virginis cap. 3. *Vnum filium* inquit Sanctus, *consubstantialem Deus Pater genuit, hunc sibi vnicum, & omnibus modis æqualem, non est passus remanere solummodo suum, sed eum ipso in rei veritate esse B. Mariæ vnicum, & æqualem filium*: cuius conceptus, & partus relatione, Virgo quæ virginitatis candore æqualia erat Angelis, eleuata est ad æqualitatem Dei, & facta est mater illius filij, qui in cœlo ab æterno Patrẽ habet solum Deum, quæ dignitas materna sic in altum euexit Mariam, quòd vt affirmant D. Augustinus serm. de Assumptione D. Bernard. serm. de Natiuit. Virginis. Cyrilllus lib. de fide ad Reginas. Origenes hom. 2. ex varijs. Laurentius Iustinianus serm. de Purificatione & Assumptione. Anselmus lib. de excellentia Virginis in principio, transcendit capacitatem humanam, & angelicam, huius ænigmatis altitudo, mentem huius Angeli traxit in stuporem, & stupore perterritus, & reuerentia tantæ dignitatis discessit ab ea Angelus, indignũ se existimauit societare tantæ Virginis, vt custos & Angelus ad eam delegatus à Deo ingreditur ad eã, salutat, & familiariter alloquitur, & cõuersatur benè quidem, quia erat rarum Virgo, at postquam Dei Verbum in suo vtero carne vestitum, & de Virgine facta est mater, & Virgo, non potuit spiritus ille cœlestis tantæ dignitatis sustinere fulgorem, sed timore, & dignitatis stupore percussus discessit ab ea Angelus, & eius discessu nobis voluit innotescere hoc sacratissimum ænigma potius summa veneratione adorandum, & suscipiendum, quàm temerè, & curiosè inuestigandum, credi debet, & nõ perscrutari, & auctoritas dicentis debet D. Ans. S. Aug. S Bern. S. Cyr. Origen. Laurent. Iustini. D. Ans.

esse

esse huius mysterij probatio, & non ratio naturalis.

Quomodo factum sit istud, Spiritus sanctus superueniat in te, & doceat, & aperiat tibi, qui hoc ænigma filij Dei, & mulieris, & sanctis Patribus sæpè dignatus est adaperire, sed adhuc sub ęnigmaticis figuris, quando sub typo domus, & montis ostendit locum, in quo hoc mysterium operaturus erat, hic erat vterus Virginis aperuit. & modum sed ænigmaticè quando dixit Propheta Sanctus: *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice* Isaias. *montium*. Isai. cap. 2. num. 2. & quòd vterum intelligat virginalem, in quo Deus S.Greg. factus est homo, docet S. Gregorius in lib. 1. Regum: *An non mons sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad soliũ Deitatis erexit.*

Et coaceruans Deus in Maria merita supra merita, dona supra dona, virtutes supra virtutes, perfectiones supra perfectiones, sanctitatem supra sanctitatem; effecta est mons seu Abyssus omnium virtutum supra verticem montium, cuius summitas pertingit vsq; ad thronum maiestatis diuinæ: *Nam mons in vertice* S.Greg. *montium Maria non fieret*, inquit idem Pater Gregorius: *si supra Angelorum altitudinem hanc diuina fæcunditas non leuaret, & domus Domini non fieret, si in eius ventre per assumptam humanitatem Verbi diuinitas non iaceret*: humiliatur creator, vt creaturam sic exaltaret: O ænigma sacratissimum, verè mons in vertice montium tunc effectus fuit venter Virginis, quando intra illius angustias semicirculo suæ humilitatis conclusit Verbi Dei immensitatem, & Maiestatem, & quando descendit in aluum Virginis, vt omnibus esset notum, quòd Isai. ipsa erat. Isai. cap. 2. num. 2. *Mons domus Domini præparatus in vertice montium. Venit saliens in montibus*, inquit sponsa, *Ecce iste venit saliens in montibus, tran-* Cant. *siliens colles*. Cant. c. 2. n. 9.

Dum Maria iure dignitatis maternæ supergressa est sublimitate altitudinem cuiuscunque creaturæ, per colles, choros, & ordines Angelorum possumus hic accipere, sicut per montes, omnes Patriarchas, quòd hoc sit consonum veritati, scitè docet S. Damascenus orat. 1. S.Dama. de Natiuitate Deiparæ. *Clarissimus mõs Dei Maria, mons inquam ille, qui collem omnium, & montem, id est Angelorum, & hominum sublimitate exuperat, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*: & S. Dionysius Carthusianus cap. 2. in S. Dion. Cant. art. 6. *Per Incarnationis mysterium venit in mundum de cælis descendens in ordinibus Angelorum, operans per carnis propagationem prosiliens.*

Attende altitudinẽ mysterij, & ænigmatis intelligentiam, quando venit Verbum Patris in vterum Virginis, venit *Saliens in montibus trasiliens colles*; qui saltat in quo salit pedum vestigia imprimit, & signata relinquit: saliens ergo in collibus Angelorum, in eis virtutum suarum perfectionum monumenta obsignando impressit.

In primo colle Seraphim incendium reliquit sui diuini amoris, quo spiritus illi cœlestes semper ardent, in colle Cherubim vestigia reliquit scientiæ, in colle Thronorum quietis, in colle Dominationum magnitudinis, in colle Principatum dominij, in colle Potestatum securitatis, in colle Virtutum fortitudinis, in colle Archangelorum lucis, in Angelorum colle custodiæ, & protectionis reliquit vestigia, sed nunquid in illis remansit? vtique non, sed transilijt, & saltauit in montibus.

In monte Abrami fidei reliquit vestigium, in Isaac lætitiæ spiritualis, in Iacob longanimitatis, in Iuda confessionis, & laudis, in Phares charitatis, in Esron pacis, in Aram dilectionis diuinæ, in Aminadab constantiæ, in Naason consolationis, in Salmon prouidentiæ, in Booz pietatis, in Obed humilitatis, in Iesse Dei cognitionis, in Dauid patientiæ, in Salomone sapientiæ, in Roboam conuersionis ad Deum, in Abis bonæ conuersationis, in Asa raptus mentis, in Iosaphat discretionis, in Ioram castitatis, in Ozia firmitatis in bonum, in Ioathan omnis perfectionis, in Acab gratitudinis, in Ezechia spei, in Manasse contemptus mundi, in Amon obedientiæ, in Iosia fidelitatis, in Iechonia mansuetudinis, in Salatiel benignitatis, in Zorobabel zeli, in Abiud paupertatis, in Eliacim virginitatis, in Azor innocentiæ, in Eliud temperantiæ, in Eleazar fiduciæ, in Mathan perfecti amoris, in Iacob modestiæ, in Ioseph virtutis, & fortitudinis, sic saltauit in montibus, & in collibus, vt omnium virtutis monumenta,

ta,& pedum vestigia relinqueret.

At quia nec illi colles Angelici, nec isti Patriarcharum montes erant, *Mons præparatus in vertice montium*, idcircò in nullo illorum remansit, sed saliens venit in vterum Virginis, qui solus erat, *Mons domus Domini præparatus in vertice montium*. Mons præparatus,& exornatus fuit Maria in vertice montium, quem primò Deus exornauit fortitudine,& virtutis constantia Iosephi, modestia Iacob (si placet enumera montes & colles retrogrede vsque peruenias ad incendium amoris Seraphim) ex quo monte sic benè disposito, & perfectionibus omnium Angelorum,& omnium Sanctorum virtutibus sic coronato, citra vllam manuum operam, corporeo modo excindi voluit lapis angularis Christus, quando in eius ventre hoc scripsit sine manibus ænigma; *Ecce concipies in vtero,& paries filium*, Luc.c.1.nu.31. ænigmatica locutio, quia ille conceptus in vtero concipiendus promittitur Virgini, quia in eodem instanti, quòd concipitur, & concipientem seruauit Virginem,& maternæ dignitatis cohonestauit titulo, & honore: matris titulus nulli ex mulieribus ante partum congruit excepta Maria, cæteræ omnes licet concipiant, & verè fœtum generent,& gestent in vtero, matres dici, seù nuncupari non merentur propter timorem abortus: pati abortum sæpè accidit, antequàm ad partum perueniant: *Ab hoc periculo*, inquit Theophilatus, *ex nuncij Dei oraculo fuit Maria immunis: Virginis namque conceptus erat ad partum, vndè dixit concipies in vtero,& paries filium*; en securitas,& partus infallibilis certitudo, possumus & aliam subdere rationem,& est, quòd mater non dicitur alicuius, nisi hoc sit eiusdem speciei cum matre; Conceptus seù fœtus in vtero concipientis antequam animetur & informetur anima rationali, non est homo,& per consequens non est eiusdẽ speciei cum matre fœtum concipiente, vsque dum anima rationali animetur, quòd in quadragesimo sexto completur die, at Christi conceptio in vtero Virginis in eodem instanti, in quo fuit conceptus in aluo Mariæ fuit animatus, nã sanguinis separatio, consolidatio, coagulatio, figuratio, animatio, & Deificatio non fuit successiuè vt in nos, non paulatim, tacitisque incrementis fuit corporis Christi absoluta figura, sed vno, eodemque momento subito fuit facta Christi conceptio, nam humana natura non fuit prius assumpta à Verbo quam esset perfecta tota secundum speciem suam, partes enim humanæ naturæ non sunt per se assumptibiles, sed ratione totius,& ita in instanti suæ conceptionis Christus fuit homo perfectus, vndè necesse est confiteri subitaneam fuisse illam conceptionem, nempè in eodem instanti conuersus est sanguis in carnẽ, & perfectè organizatum corpus,& anima sibi vnita est,& persona diuina illam naturam assumpsit, quòd expresit Ieremias propheta cap.31.num.22. *Fœmina circundabit virum*, in instanti in quo cõceptus est, fuit homo perfectus.

Luc.

Theofil.

Dicam & hoc, si totius operis agens fuit Spiritus sanctus, cuius est operari absque mora, quid miraris? ò anima mea, quid quæris, quomodo factum est istud? crede vt intelligas; ænigma est diuinissimum filij Dei,& mulieris Virginis, quæ concipiens in vtero, quùm eius conceptus fuit ad partum absque abortus periculo,& ex omni parte perfectus & eiusdem speciei cum Virgine, quoad humanitatem, quam assumpserat ab ea, sola nomen meretur matris ante partũ, quod si tu Virginem confiteris Mariam ante partum, in partu, & post partum, & ego dico tibi, quòd eadem est & mater ante partum, mater in partu, & mater post partum, quomodo factum est istud? enigma est sacratissimum.

Nonne ænigma diuinissimum filij Dei,& mulieris Virginis, qui concipitur Deus est. nihil altius, nihilque grandius,& homo, quid vilius? & humilius? & tamen verum est, quòd idem est perfectus Deus,& perfectus homo; ita namque inter se conuenerunt hæ duæ naturæ nempè diuina,& humana in vnitate personæ diuinæ, non per conuersionem diuinitatis in carnem, sed per assumptionem humanitatis in Deum, seruata integritate vtriusque naturæ Deus factus est homo,& homo Deus in vtero virginali, quomodo factum est istud? dicam quæ possum, & quæ sentio adiuuante Spiritus sancti lumine, hic diuinus conceptus sic occultabatur in Mariæ aluo, vt sol iste, qui oculis cernitur in sua sphera.

Intra cuius circulum inhabitat, commoratur, mouetur,& girat orbem vniuer-

uersum, & à proprijs suæ lucis radijs, seù splendoribus ita tuetur, ita velatur, vt perstringat aciem oculorum cuiuscunque, qui in eum lumina figere tentat, & audet, & sic nec videri se sinit, nec permittit intueri: amictu suæ claritatis se tegit, obnubilat, & velat, ne videre possit clarissimo suo lumine, à quocunque se protegit, & defendit, lucet, & splendet suos operatur effectus, & tamen vt absconditus non apparet, suis radijs protectus, & non alio videri se non permittit.

Christus Iesus sol vtique est iustitiæ,
Malach. hoc enim appellauit nomine Malachias propheta cap. 4. n. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iustitiæ*, dum in vtero matris in carne assumpta quasi in propria sphera commoratur, detinetur, ne videatur, ne cognoscatur, ne intelligatur occultatur, absconditur, & cœlatur, quasi in splendoribus, & radijs plenitudinis virtutum, & perfectionum omnium.

Sanctus Dauid ad hoc ęnigma intel-
Dau. Pr. ligendum sic saxus est, *In Sole posuit tabernaculum suum, exultauit vt gigas ad currendam viam*. Quidam Doctor gra-
Cosmus Adempl. uis nomine Cosmus Ademplopastes, Sol iste est Verbū Dei, solis verò tabernaculum est corpus à Virgine assumptum, & sibi vnitum suppositali vnione, & in hoc tabernaculo sui corporis Dei Patris Verbum, tot & tantas splendores suæ claritatis, & lucis obducit tenebras, & ita se amictu sui corporis occultat, abscondit, cęlat, vt omni intellectui etiā Angelico reddatur inuisibilis, lucet, splendet, suos producit effectus, & tamē se videri non sinit.

Oculus cuiuscunque creaturæ, licèt Aquilæ vigeat acumine quo pacto vel capere, vel intelligere, vel videre, vel scire potest carnem illam humanam ex sāguinibus Virginis efformatam assumi à diuina in supposito diuino, ad conspectum huius Solis tabernaculi perspicaces Aquilæ cęcutiunt veluti Talpæ, & obtenebrantur; idcircò vt se vti est red-
N. 14. deret inuisibilem, *In Sole posuit tabernaculum suum*, capacitas humanæ intelligentiæ naturali lumine pertingere non potest, nec ingredi solis huius tabernaculi.

Hoc enigma exaratum Deus reliquit sub vmbra Spiritus sancti & sub amictu virtutis Altissimi, quòd Deus sub velamine carnis humanæ concipiatur, & nascatur à Virgine, quòd Deus tantum se demittat, & humiliet, vt infimam, & vilem nobilitet, & exaltet naturam hominis, quòd hoc sit opus totius Sanctissimæ Trinitatis, & sola persona filij termi net arcanum incarnationis, quòd Virgo concipiat, & pariat salua virginitate, quòd sui vteri conceptus ille sit, qui est æterna generatione vnigenitus Patris, ratio ò anima mea non valet attingere, sed sola fides intelligit, & capit. Ità docet D. Augustinus lib. contra Feli. *hoc* D. Aug. *fides credat, intelligentia non requirat*, & Sacrum Concilium Toletanum, *Fatemur ergo Deum aliquid posse, & nos inuestigare non posse*, idcircò locutione Cõc. Tol. ęnigmatica vti sunt sancti Dei homines loquentes de hoc diuino arcano.

Quarum vna est, quæ præmanibus tractamus inuisibilem se esse Deum in tabernaculo sui corporis testatur Sanctus Dauid, quando dicit, *In Sole posuit tabernaculum suum*, si inuisibilis est ocu- Dauid Proph. lis capacitatis humanæ, & naturalis rationis ò Dauid? quomodo dicis te vidisse eum ad currendam viam, & vti gigantem exultasse? *Exultauit vt gigas ad currendam viam*, quo pacto gigantis nomine collaudas eum, qui in vtero matris conceptus erat in tam parua quantitate quanta est vna apis, & spatio quadraginta sex dierum crescendo peruenit vsque ad illam quantitatem, & magnitudinem ad quam perueniunt alia corpora humana, ergo corpus nullius hominis, proportionaliter loquendo, fuit vnquam tam paruæ quantitatis, sicut corpus Christi, si corpus habuit vt apis, vndè? & quomodo vidisti exultare vt gigantem?

Si paruæ fuit quantitatis in illo instanti, quomodo tantæ potuit simul esse magnitudinis, quantæ est gigas? hoc est ęnigma filij Dei, et mulieris matris Virginis, Gigas est et apis, apis est et gigas, gigas est, quia immortalis apis, quia simul et mortalis: gigas est quia æternus, apis quia temporalis, gigas est quia infinitus, apis quia finitus, gigas est quia Deus, apis quia homo, gigas quia filius Dei cùm esset in forma Dei, apis quia filius Virginis, et quia exinaniuit semetipsum, gigas et paruus Deus est et homo, Rex et seruus.

Peroptas ò anima mea ingredi in hoc solis tabernaculum, solue calcea-
men-

menta de pedibus tuis, renuncia rationi humanæ, cum sis rationis compos, cede huic iuri tuo naturali, quia mens humana nec huius ęnigmatis valet explorare secretum, nec eius dignoscere vestigia, lux tua ius rationis, sit fides vt fiat tibi visibilis in speculo in ęnigmate, qui in suo tabernaculo est omnibus inuisibilis, dicam tibi, quæ et huius mysterij Dei nuncius respondit Virgini sic interroganti. *Quomodo fiet istud? Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, quæ verba expandens D. Bernard. hom. 4. super missus est sic habet. *Ac si dicat Angelus, modum illum, quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus, Dei sapientia Christus sic in suo sacratissimo consilio obumbrando conteget, & occultabit, quatenus sibi tantum notum habeatur & tibi, quòd igitur à me requiris, quòd in te mox experieris, sciens scies & fœliciter scies, sed illo ductore, quo & auctore, ego autem missus sum annunciare virginale conceptum, non creare, non potest doceri nisi à docente, non potest addisci nisi à suscipiente*, hæc Bernardus.

Luc. c. 1.

D. Bern.

Vt tibi magis clariora fiant, ducatū præstet id, quòd accidit cuidam pictori nomine Thiman, huic vt magnum gigantem efficeret ducta fuit paruula tabella quæ paruitate suæ latitudinis corpus tantæ magnitudinis capere vtique non valebat, prudens pictor arte sua suppleuit, quòd natura denegabat in tabula, quum esset corporis tantæ magnitudinis incapax tabella, in medio tabellæ non totum corpus, sed brachium gigantis depinxit, propè cuius digitum effinxit, & formam ad viuum expressit vnius satyri paruulæ staturæ, qui virgulam manu tenens magno conatu metiebatur vnum tantum digitum illius brachij & stetit, qui intuebantur picturam, & Satyrum videbant cum virgula tam longa, omni studio, omnibusque viribus metiri contendere, & mensurare elaborare solum digitum dicebant, heu si vt metiatur digitus solus opus est virgula tam longa, quid si metiendum foret corpus totum? hoc vtique brachium non potest esse nisi alicuius gigantis, & ex paruo digito intelligebant corporis magnitudinem, & quantitatem illam gigantream.

Luc. c. 1. Quando Deus omnipotens in tabella tam paruula vt erat Virginis vterus, *Ecce concipies in vtero*, & figuræ forma pingenda erat de genere giganteo, tam grandis, & tam alta, quòd à terra pertingit vsque ad Cœlum, locus nec capax, nec proportionatus tantæ figuræ, artis inuentio fuit diuina, non hominū, dum qui erat in forma Dei, & æqualis Patri, sub forma humana expressit Deus imaginem illam, vt nostræ mentis oculus attingat, quòd ille homo est simul & Deus, propè tabellam locat Angelum, qui lingua sua veluti virgula, & mensura metitur digitum tantum: ò anima mea attende, intuere, vt capias, *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*. Luc. c. 1.

Ac si apertè diceret ò Virgo, ò Maria, hic homo de quo tibi loquor, *Erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*, & licet sit talis ex sua natura, in vtero paruulus, & infans pingetur à Spiritu sancto, & licet apparebit homo, & in forma serui, *Erit magnus, & filius Altissimi*: erit paruus & gigas, erit apis & magnus, erit homo & Deus; si non capis, si non intelligis, sit auctoritas dicentis huius altitudinis mysterij probatio, fides erudiat & doceat, quòd non capit ratio, nec intelligit suo lumine mens humana. Luc. c. 1. Prou. c. 30. n. 18.

Tantæ siquidem altitudinis est hoc incarnationis ęnigma, quòd ad illius contemplationis obtutum talpæ etiam censentur audaces Aquilæ, quarum vna licèt perspicacior omnibus, in hoc tamen sacramento se cœcultare fatetur, quando inquit, *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in Cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia*, Prouerb. cap. 30. n. 18. quæ omnia satis appositè adaptantur Christo Domino nostro, qui quamuis esset beatus, veluti nauis in medio maris suæ passionis, visus est mortis pœnarum, & dolorum scopulis nihilominus agitari, & vndis, quique velut serpens super petram sepulchri, à quo tertia die rediuiuus exiuit, at sui incessus, & egressus vestigia non reliquit, & hic quidem consummaris quadraginta diebus veluti aquila altiuola, et regalis penetrando cęlos celerrimo diuinitatis suæ gloriæ volatu in die ascensionis ad dexteram Dei Patris conscendit.

Hæc tria difficilia captu visa sunt Salomoni, sed quartum quòd erat via viri in adolescentia penitus ignorare, & suam omninò transcendere intelligentiam

stiam non veretur fateri, nec pudore affici,& quartum hoc, quòd sit illud ineffabile filij Dei incarnationis mysteriū, dubitationem à uobis tollit é medio.lectio quædam grauis.et celebris, quæ sic legit,*Viam viri in adolescentula*, et clarius Pagninus ex hebręo. *Viam viri in Virgine*; cui astipulatur Rabbi Methecadoz qui per virum, vt refert Petrus Galatinus in lib.de arcanis Cathol ven. cap.7. intelligit Christum Dominum nostrum, qui solus ab instanti suæ conceptionis fuit vir perfectissimus fuit enim Deus et homo.

Palmin. Rabbi Methec. & Petrus Galat.

O ænigma sacratissimum, ille qui est ante sæcula genitus ex Deo patre.in tēpore concipitur ex Virgine matre: in illa natiuitate æterna ex impassibili nascitur genitore,et ex ista incorrupta cōcipitur ex Virgine,æternam illam solus Pater sciuit, qui genuit hanc in se sola Virgo, et mater intemerata cognouit, quæ virum in concipiendo non pertulit,in patre impassibilitas, in matre incorruptibilitas, in patre perpetua diuinitas,in matre æterna virginitas,ex patre inuisibiliter,ex matre visibiliter, incomparabiliter ex patre,et incomparabiliter ex matre,quia incorruptibiliter in illa natiuitate Patrem Deum habet sine homine matre,in ista matrem habet Virginem,sed hominem non habet Patrem,in illa coæternus est Patris,& coæternus auctoris in ista filius est Virginis,& auctor est matris, ipse enim formauit vterum,qui descendit in vterum, exiuit de vtero,& nō corrupit vterum, & qui Deum Patrem haber in cœlis, Virginem matrem haberet in terris, in illa sine tempore genitus, in ista in fine temporum natus,in illa nascitur, in ista concipitur sine semine,in illa sine initio generationis,in ista sub conditione legis & carnis,in illa inuisibilis Deus, in ista visibilis homo,per corpus quia Verbum caro factū est, ita magnus in suis, ita paruus in nostris vt eum beata mater,quæ intacta conceperat inuiolata proferret.

Quis valet ò anima mea profundum hoc cœlestis cōsilij æstimare arcanum? quando vt docet S. Dionysius Areopagita lib. 2. de diuin. nominibus cap.2. quòd *Ipsa Iesu in carne apparitio, & ineffabilis est sermone,& omni ignota intelligentiæ, ipsisquoque Angelorum primati non cognita*:hoc est plenè, & perfectè quò ad omnia videre Deum immortalem intra Virginis vterum, mortalitatis vestibus indutum,non consumpta diuina, & perfectè assumpta humana substantia, fieri hominis filium absque detrimento vtriusque naturæ. David Propheta psal.105.num.2. *Quis intelligit potentias Domini auditas faciet omnes laudes eius, aut non potius cum Salomone exclamet,& quartum penitus ignoro*: Nam mens non capit humana, nec angelicis potest exprimi verbis, sic S. Ambrosius lib.1. de fide ad Gratianum cap.3.*Mihi quidem de se fatetur hic Sanctus, impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum sed & Angelorum*: cui adhærere videtur D. Iustinus lib. de confessione Trinitatis: *Non pudebit me fateri huius vnionis ignorantiam habere, imò gloriabor potius, quòd credam arcana, qua nec ratio,nec mens valet percipere.*

D.Dion. David Proph. D.Amb. D. Iust.

Humanæ menti quid magis obscurum hoc ænigmate? Verbum Patris, & Patri coæternum,& coæquale, quo facta sunt omnia, quòd in vtero vnius fœminæ fiat homo verbo Virginis eiusdē? verbo vnius ancillæ? & quòd concipiatur absque sui diminutione? & quòd illud generet Virgo sine sui corruptione?hoc est, quòd meritò sapiens fatetur ignorare,& testatur S. Bernardus hom. 4.super missus est, qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis se visceribus infundens, & vt Virgo inaccessibilem ad se accedere ferre potuisset? de portiuncula eiusdem corporis cui se animacon temperauit,reliquæ massæ vmbraculum fecerit,venit Christus,aure concipitur, vtero portatur, & talis Virgo Maria remansit,postquam peperit, qualis antequam aure, & verbo conceperit, & vtero, inanis vtique est omnis labor si lux fidei non micat, non irradiat, non eleuat, non adiuuat, non instruit, non docet.

D. Bern.

Poterat per seipsum Deus absque pranubo, & Angelico internuncio hoc Virgini sacratissimæ Incarnationis aperire secretum,& operare mysterium,ad quid hæc legati missio ad Virginem? Nisi vt ei innotesceret,quòd erat Sacramentum fidei, inquit Tertullianus in lib.de carne Christi, ad maius Virginis meritum eidem mittitur Angelus, & ad fidei exercitium. *Credidit Eua*,inquit ipse, *Serpenti, credidit Maria Gabrieli*,

Tertull.

quòd illa credendo deliquit, ista credendo, deleuit: Verbo nunciantis credidit Maria, & Dei Verbum verbo credendo, & assentiendo concepit, & quo verbo? nisi quando assentiendo respondit. Luc. cap. 1. num. 38. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.*

Luc.

Hoc namque verbo Virginis; *Fiat, Verbum caro factum est*: quòd quidem quātæ fuerit virtutis, & efficaciæ in ore huius ancillæ, & Dei famulæ ostendit Euangelista, describit ipse mittentis legationem et missi, locum & personam ad quam fuit Nuncius missus, dicens: Luc. cap. 1. num. 26. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, & nomen Virginis Maria*: fœtus conceptionem; Luc cap. 1. n. 31. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*: concipiendi modum absque virili semine: Luc. cap. 1. nu. 35. *Spiritus sanctus superueniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: genus pueri, prosapiam, & nobilitatem, nomen, & officij, & vitæ eiusdem seriem, & ordinem. Luc cap. 1. nu. 32. *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*; & illis verbis prolatis à Virgine: Luc. cap. 1. n. 36. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; statim absque vlla mora fuit in ea Incarnationis mysterium celebratum, cur Euangelista conceptum iam verbum Patris in vtero matris Virginis silentio præterijt, & non dixit, vt Ioannes Euangelista cap. 1. numer. 14. *Et Verbum caro factum est*: sed ad alia silens prosiliuit?

Luc.
Luc.
Luc.
Luc.
Luc.
Ioan. Eu.

Si verbo Dei; *fiat*, quando dixit Deus, *fiat lux*; vt iubentis omnipotentiam, & iussionis effectum nobis innotesceret Moyses subdidit immediatè: *Et facta est lux*; & quodcunque fieri præcipiebat Deus, solo Verbo; *fiat*, testatur Sanctus Chronista; *& factum est ita*; cur huic Virginis verbo *fiat* non addidit Euangelista; *& factum est ita*: ò Deus cordis mei, quid est hoc? tuo enim verbo; *fiat*; opus apponitur, vt reddatur certius, & non Virginis verbo? cur hoc ò Deus immensæ maiestatis? nisi quòd Virginis verbum idem est opus, dicendo; *fiat mihi secundum verbum tuum*; verbo concæpit Dei Verbum. Audi non me, sed Sanctam Matrem Ecclesiam in laudem Virginis sic canentem; *Domus pudici pectoris templum repentè fit Dei, intacta nesciens virum verbo concepit filium*; Ad cuius conceptionis terminum, thalamo à Spiritu sancto virtutibus omnibus, & grat js iam præparato, nihil desiderabatur nisi Virginis consensus, quò à Maria exhibito verbis illis; *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuū*. Secundum Diui Ambrosij intelligentiam in Luc. cap. 1 num. 38. celebratæ fuerunt nuptiæ, & Deus factus est homo, & Christi, & filij Dei consumata conceptio, dum sic ait ipse; *Nec ita operatur Deus in electis suis, vt artifex in materia inanimata, & insensibili, requirit enim ille assensum suum, quem etiam Angelus ex Virgine assecutus est, quàm illa dixit, ecce ancilla Domini fiat mibi secundum verbum tuum.*

Genes c. 1 n. 44. & 13.
Luc. c. 1. nu 38.
S. Matrē Ecclesi.

Luc. c. 1. nu. 38.
D. Amb.
Luc. c. 1. nu. 38.

Annuente igitur Virgine, & illius, & diuinarum quoque nuptiarum consensu nobis expresso, sub quo expressa voluit Euangelista, vt esset diuini Verbi conceptio, & vnio illa hypostatica, & indiuisibilis. Huius veritatis testis est D. Augustinus serm. 17. de Natiuitates *Nec mora reuertitur Angelus*, inquit ipse, *& nuptiale thronum ingreditur Christus, accepit stolam carnis in thalamo Virginis, & diuinitati sponsatur homo adfuit ille missus à Deo, vt Virginem suaderet ad consentiendum, & illius consensus existeret testis fidelis*: vt est mens D. Thomæ p. 3. q. 39. art. 1. *Congruum fuit B. Virgini annunciari, quòd esset Christum concepturæ, vt ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter filium Dei, & naturam humanam, & ideò per annunciationem expectabatur consensus Virginis loco totius naturæ humanæ.*

D. Aug.
S. Thom.

Consensu autē ia n edito à Virgine Dei verbū ipsa car e vestiuit, lites, & litigia, quę inter Dcū & homines, inter homines, & Angelos, primi homiois culpa erant, eūcta sola Virgo diremit, si vnius fęminę verbū, dęmonis fraude deceptę, consona cuncta sic enim creauerat ea Deus, qui in pondere, & mēsura dispotuit omnia, ita vt symphoniam perdulcissimam formare videantur, iuxtà Platonis sententiam, & Pitagora docebat, motum cœli modulatè moueri, dissona fecit nonne diuinæ referebat Sapientię, mendaeij verbo apponere verbum veritatis, & verbo retundare verbum, vt hominem perditum, qui per mulieris instigationem ante fuerat æternæ damnationi addictus, & morti, per vnius as-

Plato
Pitagra

seu-

sensum Virginis reuocaret ad vitam: hoc satis concinnè cecinit Diu. Petrus Chrysologus serm. 142. *Audistis agi, inquit, vt homo cursibus ysdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem rediret ad vitam, agit cum Maria Angelus, quia cum Eua egerat Angelus de ruina, vt nostrę perditionis conueniens nostrę reparationis principium responderet; at hoc non nisi verbo Virginis factum legimus.* D. Petrus Chrysol.

Et vt capias, quæ dico, scito anima mea musicalem disciplinam, seù canendi artem, vt suauem valeat ipsa reddere concentum, quatuor ad minus constare debet vocibus, infima, graui, acuta, & suprema; artis huius perfectissimus moderator Deus est, qui iuxta creaturarum proprietates distribuit et voces, homini qui de limo terrę erat dedit vocem, seù notam infimam, cœli qui ca-rura sunt nobliores, & sublimiores præstitit notam graué, Angelis verò, quùm sint spiritus magis eleuati, & creaturis omnibus spiritualiores donauit acutam, sibi autem, vt omnium supremus, seruauit supremam, & vt vocum moderator, & cantus modulator, manu numerando notas, prouidentia, & sapientia sua cuncta disponens, & gubernans, vbique locorum dulcissimus resonabat sonus, & canentium suauissimus erat cantus, & melodia, voces vt magister tunc composuit Deus, quando vt dicit Psalmista psalm. 17. num. 14. *Intonuit de Cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam*: dedit cuilibet parti vocem suam, ô fœlix cunctorum melodia, Adam dùm sensus subiectos habebat rationi, Deo obediendo modulatè canens voce sua ima, humili, & infima erat inter cantores in domo Dei, ad hoc posuit illum Dominus in Paradiso voluptatis, en quàm singillatim perscriptas obseruabat sibi notas; *Præcepit nobis Deus ne comederemus*: Cœli narrantes voce graui gloriã Dei concinnè reddebant, & ipsi melodiam, spiritus illi cœlorũ psallentes quoq; voce acuta, quãdo *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum*: Deus verò ducens choreas, ludens in orbe terrarum, & voce sua suprema canens, & modulans, quid miraris anima mea, si tùm in cœlo, tum in terra dulcissimus erat concentus, & melodia resonabat per suauissima. David [illegible]

Proh'dolor, & lachrymabilis casus, quòm vnus ex cantoribus voce sua recitans acuta, supremam, quæ solius Dei erat satis temerariè præsumpsit sibi assumere, dicens: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*; Isai. cap. 14. num. 13. Infœlix è choro concinnè canentium eũ parte, quàm secum post se traxerat, fuit foras emissus, & liuore inuidiæ ductus, quòd adhuc concors, & perdulcissimus esset concentus auribus illius primi hominis vocem suam acutam fictè intonuit, quando dixit: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi?* Genes. cap. 3. n. 1. cui Adam voce sua ima respondit; *ne fortè moriamur*: voce consternatus in sua fictus tentator supremam, quæ erat Dei intonuit; *nequaquam moriemini*; ac si diceret, huius arboris fructus tanta est dulcedo, quòd comedentis organa vim habet mulcendi, & emolliendi, ita, vt possit ille etiã voce Dei canere: papè credidit huic fallaciæ miser, & sua voce dimissa, illi inhærens, quæ Dei erat, quin et misericordia motus, portabat enim Adam totius sui generis massam, ne à choro excluderetur, laborauit quantum potuit illum ad pristinam vocem remittere: *Adam vbi es? vocem tuam audiui*; ipsa me tenet, suprema vocalatio, tua meum occupauit auditum, & cùm ex consona symphonia, inelegans, & dissona esset facta, vt redderet eum concordem Deus, voces inuertit, & permutauit partes, vt ipse supremus voce canerent demissa, humili, & ima, & homo imus voce suprema, quæ erat Dei, quibus sic permutatis, potuit dicere Deus; *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*. lib. Genes. cap. 3. nu. 22. Is. propheta cap. 14. nu. 13. Genes. Genes. c. 3. n. 10. Genes.

Quæ vocum commutatio, quæ concentus modulatio si facta est in vtero Virgini, in quo Deus factus est homo, & homo Deus, vt caneret hic voce suprema, ille verò infima, & ima, & hoc totum factum legimus verbo Virginis Mariæ quando sic cecinit; *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*; tunc Deus descendit ad ima, vt homo ascenderet ad suprema. Luc. c. 1. nu. 38.

En quam suauis concentus, quàm dulcis musicorum modulatio, canit Angelus voce illa acuta; Luc. cap. 1. nu. 28. *Aue gratia plena*: grauem tetinent cœli Luc. c. 1. nu. 28.

 par-

narrantes gloriam Dei, voce humili, & ima, quę prius erat hominis, canit Deus quando Ioan. cap. 1 num. 14. *Verbum caro factum est*: in persona totius humanæ naturæ canit Maria, sed voce molli, & suprema Luc. c. 1, nu. 38. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuū*; qua modulatè, & dulciter concertando Cantores vocibus commutatis in concordes permeunt cantus, & gratissima resonat melodia, qui Deus erat obumbrata maiestatis suæ dignitate manens, quod erat, formam hominis suscipiens factus est homo, voce canit infima, quæ erat hominis, & homo manente hominis substantia fit Deus, vt possit voce canere, quæ Dei erat, quando hoc? & quomodo? nisi verbo Virginis, quando de imo sui pectoris suprema voce intonuit: Luc. cap. 1. nu. 38. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.*

Ioan.

Luc.

Luc.

Hæc erat vox illa, & hoc verbū, quòd præstolabatur Deus, Angelus, mundus totus, & orbis, Deus vt indueretur carne, Angelus repararetur illius ruina, & mundus, vt saluaretur homo? Non te tedeat, quæ dulcissimo suo annotauit calamo S. Bernardus super missus est hom 4. *Expectat Angelus responsum, expectamus & nos, ò Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis in sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, & ecce morimur in uno breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur, hoc supplicat te, ò pia Virgo flebilis Adam cum misera sobole sua exul de Paradiso, hoc Abrahā, hoc Dauid, hoc cæteri flagitabant Patres Sancti, hoc totus mundus tui genibus prouolutus expectat ò Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi, ipse quoque omnium Rex, & Dominus quantum concupiuit decorē tuum, tantum desiderat responsionis assensum*: Hæc Bernardus.

S. Bern.

Quid hoc verbo Virginis admirabilius? & quid ò anima mea hoc verbo ad tuæ salutis exordium, & consummationē vtilius? quòd *verbo Domini cæli firmati sint*: sic enim testatur Propheta Dauid psalm 32. mirum est, & admirabile, quia non aliqua naturæ necessitate coactus, non vtilitatis tuæ consideratione ductus, sed misericordia, & clementia sua permotus creauit omnia, & quidem admirabile quia ex nihilo, fine labore, sine mora temporis, sine ministris, sine machinis, & sine fatigatione aliqua, solo verbo fecit, & creauit ea Deus, & quę verbo Dei facta sunt, verbo Virginis refecta legimus, dum eius verbo Verbum Patris caro factum est, & referta sunt omnia, & si Deus noluit incarnari nisi dependenter ex consensu Virginis, salutem tuam ab hoc virginali Verbo quodammodo pendere, velim scias, ita fuit mens D. Bernardi vbi supra: *Expectamus & nos, ò Domina, verbum miserationis, ecce offertur tibi pretium salutis nostræ, statim liberabimur si consentis, hoc totus mundus expectat, ex ore tuo dependet redemptio captiuorum, responde verbum, quòd terra, quòd inferi, quòd expectant & superi*, cui concors videtur D. Petrus Damianus; *Per ipsam, & in ipsa, & de ipsa totum hoc faciendum decernitur, vt sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectum.*

Dauid Proph.

S. Bern.

S. Petrus Dam.

O fælix nobis ora, ò vox Virginis dulcissima, & omni laude digna, quoniam quando Maria hoc protulit verbum. Luc. cap. 1. num 38. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*: tunc consumatæ fuere tot de tua salute Dei promissiones, tunc omnis consumationis aduenit finis, tunc Dei operibus apposita fuit vltima manus, tunc inter nebulas in signum fœderis perlucidus refulsit arcus.

Luc.

Tunc arca Dei fuit cooperta nobili tentorio, tunc in sylo descendit Dei tabernaculum, tunc Dominus ingressus est Aegiptum, tunc cœli distillauerunt pluuiam voluntariam, tunc fœmina circumdedit virum, tunc Sol ille æterni luminis tenebris visus est circumamictus, tūc terra germinauit Saluatorem, tunc Gedeonis vellus rore cœlesti visus est madefactus, tunc apparuit vitis illa habens tres propagines, tunc fuit plantatus hortus ille deliciarum Dei, tunc egressus est fons, vt omnem irrigaret terram, tunc ad vescendum datum est lignum vitæ, tunc fabricata fuit arca ad salutem totius generis humani, tunc nouum factum est diluuium gratiarum Dei, tunc visus est rubus ardere, & non comburi, tūc erecta est scala illa Iacob, tunc pluit manna suauissimum, tunc ærarius fuit nobis apertus thesaurorum Dei, tunc natus est fortissimus Samson ad ruinam Philistæorum, & Sanctus Emanuel ortus est coram Zacharia, & Vria, tunc lapis angularis locatus fuit in

in templo Dei, tunc Sol regressus est decem lineis, tunc venit desideratus cunctis gentibus.

O admirabile verbum Virginis quo descendit summus, vt eleuaretur imus, æternus temporalis vt fieret temporalis æternus, cœlestis terrenus, & terrestris cęlestis, causa effectus, & effectus causa, creatura Creator, & Creator creatura, inuisibilis visibilis, & uisibilis inuisibilis: obmutuit Verbum, sitiuit fons, esurijt qui panis est Angelorum, tunc imminuta fuit longitudo, coarctata latitudo, complanata profunditas, & depressa altitudo Maiestatis diuinæ, tunc salus passa est, mortua est vita, qua mortem saluauit, passionem, honorauit Crucis patibulum, roborauit deiectum, viuificauit mortem, inuenit dragmam perditam, saluauit hominem quem redemit vita, & sanguine suo, & de mancipio vilis factus est liber positus in libertatem filiorum Dei; quando ò anima mea hoc totum factum est, nisi tunc quando Virgo succensa igne illo diuino, quo æstuabat tota supra seipsam rapta, & a sensibilibus mundi secessa, & remota, inter mysteria nobis ineffabilia iam posita, & tota in Deum transformata; vndè referta reuerentia virginali humilitate profunda, charitate feruenti, patientia inuincibili, iustitia incorrupta, fide viua, pietate summa, integritate inuiolata, contemplatione extatica, oratione vehementi, libertate singulari, exemplaritate admirabili, sanctitate rara, deuotione pia, religione pura, alienæ salutis sollicita, in laboribus indefexa, in periculis secura, in dubijs certa in tribulationibus fortis, & constans, in prosperis timida, in penalibus læta, laudibus inimica, omnibus grata, & benigna, sibi soli aspera, incessu grauis, parca verbis, cibo sobria, patiens in contumelijs, vestibus simplex, pauper facultatibus, animo percurrere prudens, in decernendo sapiens, voluntate obediens, & parata voluntati diuinæ tota ardens amore, & nostræ salutis desiderio genibus in terra positis, manibusque simul iunctis inclinato capite stabilis in proposito suæ seruandæ virginitatis, ineffabili dulcedine peroptans vt Deus iam fieret homo, qnid moraris Virgo, quid expectas ò Maria, responde iam Virgo sacra, assensum tuum Angelus præstolatur, Deus in porta est, Angelus quem moraris expectat ò Maria, sæculum omne captiuum tuum deprecatur assensū, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur.

Quo exhibito verbo: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuū*, & assensu iam à Virgine præstito, *Verbum caro factum est*, Ioan. cap. 1. n. 14. & verbo Virginis Deus indutus est carne, & diuinitati desponsatus est homo: si mysterium non capit ratio, mens non intelligit humana, adsit fides vt ęnigma sacratissimum summa veneratione suscipiendum, & adorandum. Luc. c. 1. Ioa. c. 1.

Anima quæ humiliter credit, & adorat, veneratur, meditatur, & meditationis flammis succensa in Deum vnitur & transformatur, capit & intelligit, amat & amoris sagittas in se experitur et huius mysterij effectus experimento in se probat, qui licèt sint multi et infiniti, et omnes ad tuam salutem, duos tantum in se expertus Isaias prophæta exclamat: *Vtinam dirumperes Cœlos, & descenderes, à facie tua montes defluerēt. Sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum.* Isa proph. cap. 64. n. 1. Hoc erat illorum Sanctorum ardens desiderium, hoc exaratum videre ęnigma in vtero Virginis, heu anima mea inclinauit, dirupit cęlos & descendit hic Sol æterni luminis carnis nostræ detectus nube, & eius ad nos descensus, hic scopus hic finis vt igne sui amoris adureret mentes, & in cineres conuerteret: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur*: venit, descendit, homo factus est, habitu amictus vt homo, & ignem sui amoris misit in terram, quòd non ardeat, quòd non comburat, quòd non consumet, qnòd fluere non faciat montes? quid est hoc? nunquid non omnipotens est hic ignis? quæ mens tam superba, quę ad conspectum humilitatis Dei, exinanitionis Verbi Dei non se demittat? nō defluat in vallem humilitatis? quando pro te, & tua salute tantum se humiliauit Deus, qui existens *in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Paul. Apost. ad Philipp. cap. 2. nu. 6. Hac Dei humilitate considerata, quæ tam insolens, & superba anima, quæ non se deijciat Is. Proph. Paul. Ap

ciat, non se substernat.

Aquæ arderent igni, ò ignis ardens, ò vehemens dilectionis Dei amor, quæ pectora tam frigida, quæ corda tam gelida, & gelu duriora, & glacie frigidiora, quæ non liquescant? non ardeant ad conspectum illius? qui victus hominum amore descendit de cęlo, & cum esset Deus voluit homo fieri, vt homo fieret filius Dei.

Tantæ uirtutis est & efficaciæ hic diuini amoris ignis, ut aquas comburat, & cor tuum ò glacies, ò gelu, & non cor, si non ardet, si non accenditur, si non comburitur, si in ignem amoris totum non conuertitur, recordare anima mea, & memoria retine, & reuolue quanta pro te fecit Deus, Deus factus est homo, impassibilis, passibilis, immortalis, mortalis, quanta pro tua salute passus sit, & quæ amoris argumenta nõ ostendit, quid potuit facere, quod tui amore non fecit?

Sub hoc ramusculo collige te, ascende ad palmam vt tuæ salutis, tuæ redemptionis colligas fructus, venter Virginis hortus est deliciarum, in quo deliciatur Deus, ipsam quæ opere Spiritus sancti concepit fructum hunc perdulcissimum, inuoca vt te adiuuet, vt suo auxilio te purificet, te foueat, te incalescat, & ad conspectum ignis, quem ipsa fouet in sinu suo, liquescas amore, & sic diuini amoris igne succensa transformeris vt transformata laudes, & collaudes nomen sanctum eius, quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea: sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE VIRGINIS DILECTIONE ad Proximum.

RAMVSCVLVS QVADRAGESIMVS TERTIVS.

Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione in Ciuitatem Iudæ, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth.
Luc.c.1.n.39.



IAmque descenderat in Virgine Spiritus sanctus cum omnibus suis essentialibus donis, iam sua virtute Virginem diuina fœcundauerat prole, iam gratiarum, donorum, & benedictionum eam repleuerat plenitudine, vt esset plena sibi, & superplena nobis, iam suæ dilectionis flamma, & supercœlestis amoris sui iam totam incanduerat igne, & æternæ suæ charitatis in se totam transformauerat ardore diuinus amor, qui solus esse non patitur, sui amoris vices exigit, & vicissim expostulat ab amato; est enim amor amantis, & amati, quasi quædam vnio ligans amantem amato, & amatum conuertens in amantem, ò amor vehemens, ò nexus indissolubilis amantis, & amati: ò charitatis vinculũ, quo in corde nectitur simul amor Dei, & proximi, proximi & Dei. Dum Maria montana conscendit tanta cum festinatione, en ò anima mea vtriusque amoris nexus & vinculum, vt adesset Elisabeth partui, vt cognatæ ministraret & deseruiret mensibus tribus, proximi charitatis fuit effectus, qua erga Deum intus vehementer æstuans, & ardens exultauit spiritus eius in Deo salutari suo, vis fuit diuini amoris erga Deum.

Intuere Mariam, & totam videbis eã diuini amoris liquore madefactam, & oblinitam totam amoris Dei igne succensam, & in Dei amorem totam transformatam, non ascendebat cogitatio de corde illo Virgineo, non egrediebatur verbulum de ore illo perdulcissimo, nõ erat motus, nec erat actus, nec gestus in corpore illo permundissimo, quòd Dei amorem non spiraret, non exhalaret, nõ saperet, non fragraret, non oleret, non redoleret, & amoris Dei sagittas non vibraret, & simul vicissim in proximum proximi dilectionis quotidiana benefacta gaudens non cumularet: *Amor*, inquit D. Augustinus, *est delectatio cordis alicuius ad aliquid propter aliquod desiderium in appetendo, & gaudium in perfruendo per desiderium currens, requiescens per gaudium.* D.Aug.

Hi duo amores, qui vnus est Dei, & proximi, mutuò et inter se pariter, et pari vinculo nectebantur, pari cursu currebant, pari celeritate festinabant in Virgine vt frueretur Deo, Deum magnificans, et gauderet in proximo appetendo illi omne bonum, et si vna est vtriusque amoris vena et origo, quia est habitus infusus à Deo, quo Deum ipsum amamus et proximum, Deum propter ipsum, proximum in Deo, et propter Deum; nam ratio diligendi proximum, est ipse Deus, vt inquit D. Augustinus: *Nullus certior gradus ad amorem Dei fieri potest, quàm hominis erga homines charitas*; si cum tanta celeritate, sollicitudine, et festinatione montana petere videmus Mariam, et vt inquit D. Ireneus. *Festinabat Christus sanctificare Ioannem, & liberare eum à peccato originali in quo conceperat eum mater sua Elisabeth; & mater Maria*, vt inquit D. Ignatius martyr scribens ad Ioannem epist. 1. *non pigrescit subuenire, & condolere* D.Aug. D.Iren. D.Ignat.

lere miseris,& afflictis;sed audito ab Angelo concepto et partu Elisabeth paucissimis post conceptionem Verbi in suo vtero interpositis diebus perrexit festina in montana. festina intrauit in domum Zachariæ,festina salutauit Elisabeth eam consolando,lætificando, adiuuando,et ministrando, replendo eam Spiritu sancto,à peccato mundando infantem adhuc in vtero,et iam natum illum suo fouendo sinu,spiritu prophetico cumulando Zachariam, et omnibus gaudium nouum nunciando, sunt cęlestis amoris flammæ,sunt diuinæ dilectionis incendia,quæ impellunt et vrgent Mariam ad nos miseros celeri festinatione adiuuandos,succurrendos,et liberandos, Dei namque amor est etiam proximorum charitas,quæ quum alicuius occupat animam, non sui solius cōmodum attendit, sed et alijs prodesse celeri cursu festinat, intra septa sui cubiculi Mariam orantem, & contemplationis dulcedini uacantem inuenit Angelus quando à Deo missus, ut ei Verbi Dei conceptionem nunciaret descendit ad ipsam, & peracta iam in utero Virginali filij Dei incarnatione, subdidit

Luc. c. 1. Euangelista; *Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione*, ab oratione utique surrexit ut peteret montana,ita

D. Dion. Cart. est mens D. Dionisij Carthusian. *Exurgens ab oratione*,inquit ipse *exurgens à meditatione abijt in montana cum festinatione*:& quæ nouitas hæc tua tam noua ò Maria,ò Regina Cęlorum? in domo Domini clausa vndecim penè transegeras annos,& desponsata clausuræ adhuc nec oblita legis,semper oculis omnium abscondita, & hominum segregata tumultibus,nunc prodis in publicum? & tot itinera quis te coegit pedibus calcare cum festinatione tanta? percurrere montana,& ciuitatem Hebron adire? Quid est hoc ò Maria,ò amatrix solitudinis?

Charitas Dei vrsit me,diuini amoris flamma me coegit, audierat enim ab

Luc. c. 1. Angelo, *Aue gratia plena Dominus tecū, Spiritus sanctus superueniet in te,& virtus Altissimi obumbrabit tibi*: & iam cōceperat in vtero Verbum Dei Patris,& totam iam incanduerat diuinus amor, quid miraris anima mea si tota flectitur in proximis salutem, & ad eiusdem tota conuertitur commodum? sistamus

Vgon. hic verba pijssimi Vgonis in Eccles. c.

24. *Pietas trahebat eam,quando concepto Saluatore abijt in montana cum festinatione,vt seruiret Elisabeth in partu, Ioannē solueret à nexibus originalis culpæ, & matrem repleret Spiritu sancto*. Sedere in solitudine,frui contemplationis dulcedine,propriæ vacare quieti,vltra non patitur charitas,non perfert Dei amor, sed vrget currere cum festinatione, suis charitas Dei non studet iacturis,sed nimis est sollicita de aliorum salute.

Huc spectant verba ista Canticorum cap. 1.n.4. *Trahe me,post te curremus in* Cant. *odorem vnguentorum tuorum*,verba hæc sunt Virginis ad sui cordis dilectum sponsum,quorum sensus videtur esse, vt curramus omnes,*attrahe me post te*,sponsi sui manum expectabat hæc diuina sponsa,qua primò trahi desiderat, qua tracta Maria,possit & ipsa trahere sodales suas,quid est hoc?si sola pro se rogat trahi à sponso,*Trahe me post te*, & si sic trahitur,cunctas filias Ierusalem secum trahere promittit nobili comitatu, & *curremus* nonnè satis erat dicere,& curram potius,quàm *curremus*; non quidē cogitabat enim ipsa,& sperabat,si modo ipsa à sponso traheretur,scù duceretur, & adiuuaretur se facilè posse eum sequi, atque etiam instar Magnetis attractura etiam adolescentulas sodales suas,vt ipsum sponsum simul secum assequi possint,tracta ipsa primò à sponso suas secum subinde sperat trahere socias, quæ sponsi omnes suffultæ auxilio possint post ipsum currere, et quocunque ierit consectari.

Est enim Dei amoris effectus intra limites ipsius non acquiescere, sed ad alios euolare vt adiuuet,saluet,& protegat,& magnetis more post se trahat,trahit ad se ferrum magnes,sed fortius trahit hominum corda charitas Dei, quæ plenius,& perfectius per Spiritum sanctum diffusa erat in pectore Virginis Mariæ, ad quam si descendit Spiritus sanctus cum omnibus suis essentialibus donis, æstuans illa diuinæ charitatis flammis,si fortius quàm magnes sodalium suarum corda trahere promittit vt currant,licèt imbecillæ essent, & tenellæ in odorem suorum vnguētorum, quæ in hoc loco iuxta D. Ruper. Abba- Rup. Ab. ris intelligentiam, flant pro Dei beneficijs,quibus iam plena, & supetplena Maria,vt certiores redderet consocias, & sodales suas,ipsius gratioso sodalitio

toi e

fore promittit compartícipes, conſęderatas & coęquales, ac ſi diceret; ſi ſponſus me tot gratijs, fauoribus, & beneficijs ad ſe traxit; illa vobis ego impartiendo attraham vos, vt & ipſum ſponſum vos ſequi mecum poſſitis, & poſt ipſum currere, quia ſi trahendi ſumus, ab illo ſiquidem, cui dicit quæ diligit: *Trahe me poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum*: trahi neceſſe eſt. Si
S.Hiero. enim vt inquit D. Hieronymus lib. 1. comm. in Matth. cap. 29. *in magnete lapide, & ſuccinit hac eſſe vis dicitur, vt annulos, & ſtipulam, & feſtucam ſibi copulent, quantò magis Dominus Ieſus ad ſe trahere poterat quos volebat*: meritò igitur Virgo Maria iam Deo plena, & gratia ſuperplena, vt nobis impartiret ſua dona, attrahi rogat à ſponſo, vt poſſit ad illa, & ſimul nos ad Deum ipſum
Rup.Ab. trahere: ita eſt mens D. Ruper. Abbatis, qui fœminam deſideriorum appellat Mariam quando inquit: *Trahebatur poſt Deum fœmina deſideriorum, trahebatur & currebat in odorem vnguentorum, & beneficiorum, & ipſam currere in montana cum feſtinatione, nam qui veraciter diligit, & trahitur, & trahi cupit, & attrahere.*

Et vt capias quæ dico, velim attendas, quæ acciderunt Andreæ Apoſtolo, erat enim vnus ex diſcipulis Ioannis Baptiſtæ, à quo audiens verba illa: Ecce agnus Dei, oſtendens illi Ieſum, & ſtatim ſequutus eſt Ieſum, ſic habet textus
Ioan. Ioann cap. 1. num. 40. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus qui audierant à Ioanne, & ſequuti fuerant eum*: O myſteria, ò ſacramenta diuina, Andreas erat frater minor Simonis, & hic eligitur vt ad Chriſtum traheret fratrem ſuum maiorem; cur non potius, vt naturæ poſtulabat ratio, maior eligitur, vt trahat minorem, ſic
Beda reſpondet Beda; *Non dedignatur maior minorem ſequi, quia non erat ordo ætatis, vbi erat meritum fidei*; fidei meritum perpendebatur, & ſpectabatur gratia, non ætas, non natura: Andream amoris vi ad Ieſum traxit Ioannes prædicans,
Ioan. illi Ieſum demonſtrans verbis illis. Ioa. cap. 1. num. 37. *Ecce agnus Dei*: & Ieſus trahendo Andream ſui amoris Magnete, qui ſic tractus poterat dicere. Cant.
Cant. cap. 1. num. 4. *Trahe me, poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum*: fratrem, voluit trahere poſt ſe ad Chriſtum, ſic habes: *Inuenit hic primum fratrem ſuũ Simonẽ, & dixit ei: Inuenimus Meſsiam, quòd eſt interpretatum Chriſtus, & adduxit eum ad Ieſum*: Ioan. cap. 1. nu. 41. Ioan.

Quę verba contẽplans D. Baſil. Seleu- D. Baſil. Seleuc.
cus orat. 25. duo notat, & non abſque tempore, ſollicitudo Andreæ, & antiequs aperiendi theſaurum, quem inuenit, & Petri deuotio comitandi, & fratri ſuo ſe aſſociandi. *Dicit Andreas Petro inuenimus Meſsiam*, inquit Sanctus, *& ad vocem auribus ligabatur*: quo vinculo ligatus eſt? qua vi tractus ad Ieſum? niſi dilectionis vinculo? niſi charitatis magnete? qua ardens intus Andreas, intra ſui pectoris terminos nõ valens acquieſcere, foras erupit, & emiſit flammas, quibus intus æſtuans ipſe, ardere fecit fratris ſui præcordia, vt traheretur ſic de facili ad Ieſum.

Tantò fortius in Maria hic amoris diuini erat effectus, quantò omnibus erat Deo, & Dei amore plenior, & feruentior, quæ idcircò *Exurgens abijt in Montana cum feſtinatione*: audito enim nuncio, de Eliſabeth conceptione Virgo, quæ ſolita erat intra domus ſuæ clauſtra recluſa remanere, nunc Spiritus ſancti impulſu proficiſcitur in montana; *non quaſi incredula de oraculo*, vt
inquit D. Ambroſius: *nec quaſi incerta de nuncio, nec quaſi dubitans de exemplo, ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina præ gaudio perrexit in Iudæã* & intrauit in domum Zachariæ; & ſalutauit Eliſabeth, & infantem, qui clauſus adhuc tenebatur in vtero, purgauit à culpa originali, hoc eſt Virginis munus, hæc illi cura de nobis, qua ex vi amoris, quo erga nos ardet, quo nos amat, ſemper cum feſtinatione abſoluit; S.Amb.
quia inquit D. Bonauentura in ſpeculo S. Bona.
B. Virginis cap. 6. *Sicut Maria apud Deum omnibus ſanctis eſt potentior, ita pro nobis apud Deum omnibus Sanctis eſt ſollicitior, non pigreſcit, ſed celeri curſu præcurrit vt nos adiuuet, protegat, ſaluet & ſuccurrat.*

Leuis eſt Maria ad nobis benefaciendum, vt noſtræ reparationis iter perficiat cum feſtinatione venit, volat vento velocior, & leuior penna de calceis pedum huius Virginis cogitabundus quadam die Deus amoroſa ſollicitudine premebatur, & per Ezechielem Ezechiel
Proph. c. 16. quæ circa illos erant ſua Proph.
conſilia aperuit, quando dixit: *Calceaui*

te Hyacinthe: non quidem pellibus mortuorum pedes Virginis calceare promittit Deus, sed Hyacintho, quid est hoc o Deus cordis mei, vt pedes indueres Virginis, numquid non erat alia gemmula vt formares ex ea sandalia, & hæc tuæ sponsæ calceaméta? si de lapidibus prætiosis illius pedes calceare decernis, cur ad Hyacinthum animum admouisti, & non potius ad Smaragdum? Pytopum? vel ad Topazium? Et si de Hyacintho exornare hanc Virginem peroptas: Cur eo non caput potius eiusdem coronas? Cur non collum nouo torque cingis? Cur non pectus decoras quasi; fascia pectorali? sed Virginis pedes? *Calceaui te Hyacinthe.* O solatium miserorũ, ò omnium consolatio. D. Hieronymus docet quòd Hyacinthus est aerei coloris, non potuit Deus nobis expri nere celeritatem, sollicitudinem, velocitatem, festinationem, qua Maria festinauit, cucurrit ad Ioannem vt illum à peccato originali solueret liberaret, & purgaret, & matrem repleret Spiritu sancto, & qua venit ad nos succurrendum, auxiliandum, & ad benefaciendum, quàm in Hyacintho, qui aerei est coloris, quia potentior est omnibus Sanctis, & etiam sollicitior omnibus ad suum nobis prestandum auxilium, quæ res aere leuior? & velocior? quæ res vento celerior, & festinantior? Maria, cuius pedes ad hoc calceauit Deus Hyacintho, vt intelligas ò anima mea, quòd Maria ad te succurrendum, ad te subleuandum à miseria, vento, & aere est velocior, & festinantior, ideo quando accepit ab Angelo conceptionem Elisabeth, vt ministraret matri; & gratiam iustificationis præstaret Ioanni, abijt & perrexit in montana cum festinatione.

Non præpediuit Virginem itineris longitudo, nec deterruit montium asperitas, sed celeri cursu festinanter aggreditur longum suæ peregrinationis iter, vtpute quæ erat Spiritu sancto plena, & in corde ardebat ignis diuini amoris, & in vtero cóceperat Dei filium, hoc erat leuamen totius laboris, & fatigationis extenuatio, hæc difficultatis imminutio, & ex hoc diuino conceptu, quid in Virgine tarditatis, timoris, vel molestiæ oriri poterat? *A facie tua cócepimus*, inquit Isai. cap. 26. num. 18. *& parturiuimus spiritum salutis*; [Isaias] quando anima grauidatur Dei spiritu, impregnatur sanctis desiderijs, ex conceptu tam sancto qualis expectatur, & speratur partus? nisi salutis, nisi perfectionis? non est difficultas ad bonum peragendum impediens, non est asperitas perterrefaciens, anima Deo plena calcat omnia, omnia conculcat, superat, & leuiter suauiterq; arduum peragit iter. *Qui autem sperát in Domino*, idem Proph. Isai. cap. 40. nu. 31. [Idem Proph.] *mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient, ex imbeccilibus*, exponit Procopius, [Procop.] *mutabuntur in fortes, & ex vitiosis fient robusti, & sanctissimi*; O diuini conceptus, ò pondus leue, mutabunt fortitudinem, ex defatigato euadet fortis, ex cunctatore leuis, ex pigro sollicitus, ex peccatore Sanctus, ex vitioso perfectus, assumet pennas & volabit.

O Maria, ò Virgo iam Deo plena, Deo grauida, Deo onusta, quàm celeriter, quàm leuis calceata Hyacintho volabas, absque fatigatione pergis à Nazareth ad Montana, imò cum festinatione, hos tuos gressus, & pedum tuorum passus, quibus longum, & asperum tantæ peregrinationis perfecisti iter, suauiter, celeriter, & leniter, adoro, benedico, glorifico, & illorum vestigia deosculor, lambo lingua, labia cordis mei infigo, amplector corde, trahe me post te, & curram viam mandatorum Dei, & deosculer, & pedum tuorum vestigia, & festinationem.

Quid miraris, ò anima mea, Virginis celeritatem? Animalia illa ostensa Ezechieli, & ab eo visa per aera volantia, vento velociora, illorum volatus admiratione non erat dignus, quia innoluta erant igne, currus, quem trahebant, flammas emittebat, currus rotæ igne; accensę, & animalia ipsa scintillæ erant ignis, inquit Propheta Sanctus; quòd *vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*; Ezechiel. cap. 1. nu. 12. [Ezechiel.] tota illa machina igne erat grauida, & spiritu, quid mirum? si trahebatur ab igne, & à vi spiritus, vbi erat impetus ignis per aera.

Quando Maria peregit hoc iter in montana si grauida erat Deo, qui ignis nomine potitur; *Deus noster ignis consumens est*; Paulus Apostolus ad Hebr. [Paul. Ap.] cap. 12. num. 29. quid mirum si leuis, si celer, si festina currit, imò volat, ibi gradiebatur, vbi erat impetus spiritus, quid ei im-

ei impedimento esse poterat, vel currum impedire, & iter perturbare, si vndequaque flammas ignis, & scintillas amoris emittebat. Amoris est trahere amantem. Inquit D. August. *Amor meus pondus meum, eò feror quocunque feror.* D. Aug.

Origenes hom 7. in Luc. Christo, qui erat in vtero matris ascribit hanc festinationem; *Festinabat Christus*, inquit ipse, *qui in vtero illius erat (hoc est in vtero Virginis) adhuc in ventrem matris positum sanctificare Ioannem*; Ioannes fuit primus, in quo Deus ostendit diuitias gloriæ suæ, & Regni sui magnitudinem, & iactantiam potentiæ suæ, nouiter descenderat è cœlo onustus diuitijs, & gratiarum gemmis, vt ostenderet diuitias Regni sui, in Ioanne erexit suæ potentiæ vexillum, liberans eum à peccato originali, iustificans illum in vtero matris suæ, destruxit in hoc puero primo congressu caput venenati serpentis, & ad hæc præstanda tardus ne? an leuis erat Deus? leuis & vento velocior, inquit Propheta Dauid psal. 17. num. 11. *Ascendit super Cherubim, & volauit, volauit super pennas ventorum*; Sed numquid leuior, et celerior est Maria ipso filio? Intuere cor Virginis, ò anima mea, & videbis alatum sed alæ illius alæ ignis, quibus cor Mariæ, adeò afficiebatur, quòd ad nos succurrendos erat vēto leuius, erat filio celerius, huic veritati patrocinatur D. Anselmus; *Velocior est nōnunquam salus memorato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Iesu vnigeniti fily Dei*; hoc idem Isaias Propheta cap. 19. nu. 1. Aegypti idolatriam euersurus erat Dominus, hoc est peccatum originale in Ioanne, ingreditur domum Zachariæ, inquit Propheta Sanctus; *Ecce ascendet Dominus super nubem leuem*: si sanctificare Ioannem festinabat Christus, cur nubem leuem ascendit? nube leui vti, & hac nube leui trahi voluit? si ipse volat super Cherubim, si ascendit super pennas ventorum, quando venit vt animam à peccato mortuam niuificet, & gratiæ vitam conferat? quid opus est nube?

Origen. — Dauid Proph. — D. Ansel. — Isai. proph. c. 19. n. 1.

Diuus Ambrosius lib. de instit. Virg. cap. 14. D. Hieronymus in psalm. 77. Diu. Cyrillus Alexandr. Nubem hanc Beatissimam Deiparam intelligunt, sed cur leuis? respondet D. Hieronymus. *Quia nullo semine humano pergrauatur*: cur leuis? respondet Diu. Ambrosius. *Quia leuauit hunc mundum de graui fœnore peccatorum*: leuis erat, quæ remissionem peccatorum gestabat: cur leuis? respondet Procopius: *quia libera erat omni passione, & fomite*; *Et quòd super omnes res terrenas volabat*: Cur leuis? dicam, quæ sentio, quia plena Deo, nullo terrenæ molis pondere premebatur, imò plena igne Spiritus sancti, plena amore diuino, plena charitate, plena misericordia erga nos, vt Ioanni opem ferret, vt gratiam iustificationis tribueret, & inseruiret matri stimulis amoris concitata festinabat; charitas, quæ in corde Virginis feruebat, festinare cogebat, vt celerius, vt velocius Ioanni succurreret, & sanctificaret, Verbum Patris ascendit super hanc nubem leuem, quia; *Velocior est nonnumquam salus memorato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Iesu vnigeniti fily Dei*, vt docet D. Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 6. Et vndè velocior salus à matre, quàm à filio? D. Bernardus in illa verba; *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*, sic inquit: *Diuinam in Christo reuerentur homines maiestatem, non solum cantatur illi misericordia, cantatur pariter, & iudicium, denique, Deus noster ignis consumens est*; quidni vereatur peccator accedere? Ergò ad Christum meritò homo peccator timet accedere, quia ad ipsum tamquam ad Iudicem pertinet etiam & punire. De Virgine subdit Sanctus; *Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est*: ad Virginem non trepidat fragilitas humana, quia solum eius est misericordia, & solum habet miseri, & solam misericordiam exercere.

D. Hier. D. Cyril. Alexand. — D. Ambr. lib. de instit. Virg. cap. 14. — Procop. — D. Ansel. — D. Bern. — Paul Ap. ad Hebr. cap. 12. nu. 29. — Id. Sanct.

Notabile Sacramentum, pendebat Christus de cruce, & iam morti proximus, vltima verba, quæ in matris reliquit pectore fuerunt illa, quibus commendauit nos omnes, & suæ protectioni commisit; *Mulier, ecce filius tuus*; Ioan. cap. 19. nu. 27. hoc omnium verborum suorum in hac vita mortali fuit codicillum his verbis à se dimisit illam, & vltimo dicta non vacant mysterio, si apud quem pro nobis præcandum, & supplicandum erat ipsemet, qui matri nos commendat: ò Deus cordis mei, ò Deus salutis meæ, si nihil aliud sitiebas, nisi nos saluare, nobis benefacere, quid Ioan.

opus est alterius præcatoris, mediatoris, & aduocati? si te aduocatum habemus apud patrem? cur matri commendas? si solus factus es nostra salus, nostra redemptio, nostra iustificatio?

O Maria, ò Virgo potentissima pro nobis, apud illum, qui famescit nobis, benefacere, nos tibi dilectus filius tuus commendat, cur hoc? nisi quia magis Mariæ confidit, quàm sibi, de se, vt ita dicam, dubitat, quòd non de Maria viribus Mariæ nititur, quòd non suis, & quid est? quòd dubitas de te ò amor cordis mei, quòd non de Virgine? tot & tàm continuæ sunt erga Deum nostræ offensiones, culpæ, & errores, licèt nos intimè amet, vt iustus suæ iustitiæ non obliniscitur, imò zelator & emulator existens timendum est de sua ira, ne nos percutiat in gladio furoris sui, magis de Maria confidit quàm de se ipso, non adest sua misericordia? apud quam potest statuere, & committere nostram salutẽ? non adest suus immensus amor? quo nos diligit, & amat, qui & totum reddat tutum? si amor hic traxit illum de cœlo confixit cruci, & addixit morti? amori huic, vt omnipotens, & qui vicit omnia, tutè potuit committere, & non Virgini, quæ huic dilectioni inferioris est potentiæ, & virtutis.

Maioris ponderis est Dei misericordia, & diuinus eius amor, quàm Virgo, attamen Virgini committitur nostra salus & non amori, nec eius misericordiæ, non vt potentior, sed vt intelligas, vt capias, quantũ præualet Virgo apud Deum, ad cuius conspectum, vbi patrocinatura ingreditur Maria aduocans pro nobis, plus præualet eius intercessio ad Deum placandum, quàm non fuit nostræ culpæ malitia ad eum irritandum contra nos, & ne quid gratiæ, indulgentiæ, & misericordiæ donaretur nobis finè intercessione Mariæ, illi nos commendat in vltimo vitæ suæ; Io. c. 19. nu. 27. *Mulier, ecce filius tuus.*

Pendens de Cruce Dominus Iesus tot nunc nos ad salutem parturiebat doloribus, quot in corpore patiebatur, & sustinebat in corde, si enim eius sanguis ad nos lauandum, redimendum, & protegendum, saluandumque satis sufficiens erat, ad quid hæc matri tàm ardens commendatio? nisi vt ostenderet quàm potens, quàm vehemens, quàm sollicita sit Virgo de nostra salute. Audiendus est Diuus Ambrosius lib. 10. in Luc *Pluris putat victor suppliciorum atque pœnarum victor Diaboli pietatis officia diuidebat, quàm quòd Regnum cœleste donabat.* D. Amb.

Qualia erant hæc pietatis officia, quę Christus diuidebat in cruce cum matre? memorare anima mea, quòd quæ Christus pro nobis patiebatur, erant pietatis, erant misericordiæ, & suæ dilectionis argumenta, arcana, & sacramenta, at vnumquodque illorum non erat absque iustitia, iustitia in omnibus se immiscuit, donauit chyrographum nostri delicti, deleuit culpam, satisfecit debito nostræ præuaricationis, opus amoris, & misericordiæ, sed cum iustitia admixtum, quando igitur pendebat de cruce, & debitum humanæ naturæ in crucis statera soluebat, quando nos matri commendauit, inquit D. Ambrosius *Pietatis officia diuidebat:* nam quidquid iustitiæ satisfaciendæ, erat sibi integrum, & totum reseruabat, quidquid verò pietatis, & misericordiæ erat, munus matri impertiebat, ad salutem tuam peragendam, ò anima mea conueniunt ex parte Christi solius iustitię officium, & ex parte matris Mariæ munus pietatis, & misericordiæ. Hoc idem est, quòd D. Bernardus dixerat in serm. de Beata Maria; *Fidelis planè, & potens mediator Dei, & hominum Christus Iesus, sed diuinam in eo verentur homines maiestatem, opus est mediatore, ad mediatorem illum nec aliter nobis vtilior, quàm Maria.* Hæc ille. Id. Sanct. D. Bern.

In tutò est tua salus, vbi & Iesus operatur & Maria, vt saluent, festinant, volant, præueniunt occurrunt, vt iustificent ascendunt super Cherubim, & volant super pennas ventorum: ò anima mea, quàm fœlix vmbra huius Ramusculi, quàm dulces, & suaues illius fructus, & efficaces ad vitam, quid hic cursus ad Ioannem adhuc in peccato originali inuolutum? sit anima peccatrix, sit vel viuat in vmbra mortis, si ad Virginem confugit potest sperare salutem, licèt esset vt Iudas, non timeat, non se desperet, sed speret, ascendat ad palmam, quiescat in ramis eius, & viuet, mater est, non potest obliuisci quos peperit sub cruce, si illa est mater esto tu anima mea eius filia, nihil trepides, nihil dubites.

Diuus Philippus Abbas lib. 3. in Cant. D. Phil.

Cant. cap.8. damnationis Iudæ exquirens causam, non aliam fuisse, nisi quia antequam venisset hoc tempus, quo filius esse posset tantæ matris, quando Christus dixit Virgini, *mulier ecce filius tuus*,& ad Ioannem cap.19.nu.27. *ecce mater tua*;ò infælix,ò miserabilis laqueo se suspendit,& suspendio perijt. Ioan.

Non est dãnatus, quia proditor fuit, sed quia filius non fuit huius Virginis, peccauit Iudas Christum tradendo osculo,& vendendo pecunia: Petrus peccauit negando Christum, nonne legimus? Matth.cap.26. num.57. *Et relicto eo omnes fugerunt*; vt magistri desertores peccauerũt & omnes, quid est quòd omnes in passionis diluuio salui facti sunt veluti in arca, solus Iudas vt coruus non redijt, sed suffocatus remansit in aquis desperationis suę? Matth.

Et in Euangelijs legimus, quòd Ioannes erat iuxta Crucem Iesu, erant & noti eius à longe, multi ex discipulis astabant morti eius, quando Iesus dixit matri ostendens Ioannem cap. 19. nu. 27. *Mulier ecce filius tuus*:& ad discipulum *ecce mater tua*; hoc dixit ad omnes præsentes et absentes, qui omnes cum Ioanne collocari potuerunt sub tutela, & protectione tantæ matris, potuerunt saluari, & salui facti sunt: Iudas solus suspendio seipsum præueniens,& præoccupans, perijt,& damnatus est, quia nõ fuit sub tutela tantæ matris, audi ipsum Abbatem lib. 3. in Cant. cap. 8. *Omnes denique tulit aqua, lasit diluuium, culpa morsit, sed cateris per gratiam euadentibus, Iudas perditus nõ emersit, ille quippe diffidentia suffocatus laqueo gutture se suspendit*: Ioannem arcem gratiæ vidẽdi fastigium apprehendit, quia Christus in Cruce patiens, curam Iudæ à sua longè beneuolentia relegauit: Ioannem verò diligens curam eius matri Virgini delegauit. Ioan cap.19.num.27. *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus*; quàm fælix vmbra, quàm secura tutela, beati qui Mariæ curæ à Christo traditi sunt, hi nimirum à naufragio culpæ liberi euadent: Euasisset miserabilis Iudas, si eius cura data fuisset Mariæ. En alter Ioannes in vtero matris, vt fuit sub vmbra protectionis Virginis exultat, & saltat præ gaudio, quia filius censetur Mariæ, ad cuius vocem, ad cuius conspectum, fugam arripuit culpa originalis, & liber, & saluus tripudiat, & lætatur, & gaudet, mater est, potens est, non amat, & deserit, sed amoris flamma flagrans, currit, festinat, volat, vt adiuuet, vt saluet. Ioan. S. Philip. Abb. Ioan.

Eius, *Amor*, vt inquit D. Chrysologus serm. 147. *non recipit de impossibilitate solatium, non recipit de difficultate remedium, nisi ad desiderata perueniat*: O vis amoris, ò vehementia dilectionis Virginis erga nos, non est difficultas, non est impossibilitas, quæ eius flammas non remittat, vel extinguat hæc amoris potentia, & efficacia, hic dilectionis triumphus, & victoria amore rei amatæ etiam alias impossibilia vincere,& superare. S. Petrus Chrys.

Perdidit filius ille prodigus, quæ erant filij peccando, domum patris deserendo, bona paterna dissipando, viuẽdo cum meretricibus, at quadam die pœnitentia ductus, humilis collacrymans errata vitæ præteritæ dixit: Luc. cap. 15. num. 18. *Surgam & ibo ad patrem meum*: quæ verba contemplans D. Petrus Chrysologus serm. 14. miratur de audacia huius filij. *Surgam & ibo, qua spe? qua fiducia? qua confidentia?* inquit Sanctus; *dissipator existens bonorum spiritualium, si substantiam perdidisti, & tempus, vt vacares sensibus, qua fiducia? qua confidentia? domus paterna limina tuis speras pedibus pramere, in illam ingredi, qua spe te fore à patre recepturum? non qua filius, sed qua ille pater: ego perdidi, quòd erat filij, at ille quòd patris est non amisit*; si ego quæ filij erant inuenilibus erroribus dissipaui viuendo luxoriosè, ille perdere non potuit, quæ patris sunt, quia pater est, *surgam & ibo ad patrem meum*. Luc. S. Petrus Chrys. Luc. c. 15 nu. 18.

Hoc quòd sperat filius hic perditus, vanè sperat, inaniter confidit, imò obtinere, quòd sperat videtur impossibilitatis laborare difficultate, nam pater, & filius sunt relatiua, & vno destructo impossibile alterum remanere, posita se ponunt & perempta se perimunt, si fatetur ipse se perdidisse quæ erant filij, impossibile est vt pater seruet quæ erãt patris, deficiente vno relatiuorum deficit & alterum, impossibile est vnum posse subsistere, altero eorum corrupto.

Hoc est amoris vexillum hæc amoris potentia, virtus, & fortitudo, hæc amoris insignia magna suscipere, egregium facinus aggredi, & præclara conari, impossibilia, possibilia facere, licèt ego per didi

didi, quæ sunt filij, Pater non potuit perdere, quæ sunt patris, quia pater est, si quæris, qua fiducia: *Surgam*, qua confidentia, *ibo*, qua spe veniam me sperare, & obtinere promitto, non qua ego filius, sed qua ille pater, quia paternus affectus vincit quæ impossibilia sunt pro re amata D. Chrysologus: *Non recipit de impossibilitate solatium, nec de difficultate remedium, donec ad desiderata perueniat rei amatæ.*

S. Chryſ.

O Virgo, ô mater, si amor tuus vincit amores omnium creaturarum, & ego perdidi, quę sunt filij, numquid ami sisti tu, quæ sunt matris? si dissipaui, quæ sunt filij, ô mater dilectionis, numquid contines manus tuas, vt perdas quem genuisti? quem amasti, cuius cura, & salutis custodia tibi commissa est?

Offerebatur mortuus ille vnicus matris suæ vt sepulturæ traderetur, & desperantibus omnibus, et cæteris cunctis cadauer comitantibus, sed nec de eius remedio, nec de miraculo, nec de resurrectione nihil cogitantibus, sola mater flebat, et si non loquendo audebat petere filij vitam ab Auctore vitæ, nec præces emittere præsumebat, lacrymis, & fletibus vitam postulabat, præcabatur, & filio defuncto patrocinabatur, quid igitur defuncto filio defuncta erat, & filij relatio ad matrem, numquid & mater perdiderat, quæ matris erant, audi, et attende materni affectus, effectus ad eam versus, misericordia motus Dominus dixit, *Noli flere*, et inclamans mortuum reuocauit ad vitam, et dedit illum matri suæ, et vicit maternus affectus, quæ impossibilia erant, imò vt aduertit D. Ambrosius quando Christus reuocauit ad vitam Archisynagogi filiam remotis arbitris in secreto domus suscitauit, hunc viduæ filium non nisi in porta Ciuitatis, vbi iam confluxerat multitudo copiosa, et quasi Ciuleas rota, cur no iussit cadauer reportari in domum? cur non in secreto? sed coram omnibus, et ibi vbi illud occurrit?

Luc. c.7. nu. 14.

Respondet sic Ambros. lib. 6. in Luc. c. 8. *Puto quòd in eo quoque pietas Domini declaretur, quòd vidua mater vinci non patiatur moras, & ideò ne amplius afficeretur maturitas, & festinatio addatur, noluit Dominus minimam nec morulam in conferendo beneficio interponere, sed & miraculum maturauit, & mortuo filio vitam ne aliàs differret vbi aderat maternus affectus qui præcabatur, postulabat, & lacrymis petebat filij resurrectionem*: idem amoris materni cordis affectus moras non est passus, sed obtinuit vt illicò dominus cum festinatione, reuocaret ad vitam, et ne moras interponeret non iussit reuerti in domum, sed in porta Ciuitatis vocauit illum à mortuis.

D. Amb.

O Maria maternus tuus hic amor, mihi iam mortuo ve conferat vitam nō moram oblongam sustinebit? et patietur cunctationem, et procrastinationē? et quamuis ego perdidi, quæ sunt filij, tu quidem non amisisti, quæ materni tui sunt pectoris, nec quæ tui sunt muneris, et officij, quia mater constituta es vitæ, tua nunc interest, et me mortuum verè reddere vitæ, et viuum me præstare illi, qui tibi ad hoc dedit nomen vitæ, et matris cunctorum viuentium.

Duplici nomine Adam, refert sacer textus, vxorem suam cohonestasse, cum esset ipse sopore illo cœlesti, ac diuino, non naturali sopitus, quādo tulit Deus vnam de costis eius, et ædificauit in mulierem, quam vt vidit, dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hac vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Genes. cap. 2. n. 23. hoc est primū nomen *Virago*; postquam autem ex erāsgresione diuini præcepti lapsus est in culpam, pro qua accępit mortis sententiam, & vt vniuersitatis pater, factus est vniuersorum interemptor ex diuino illo oraculo meruit audire. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Genes. cap. 3. n. 20. Gen. 2. Genes.

Accępta hac mortis sententia, & morti addictus ipse, vxor, et filij omnes suæ posteritatis. *Omnes nos*, inquit D. Aug. epist. de peccato originali, *vnus homo Diabulo gignendos commisit*; et D. Paulus Apostolus ad Rom. scribens cap. 5. n. 12. *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*; in quantum nos omnes eramus in Adam non formaliter, sed rantum originaliter, seminaliter, radicaliter, et repræsentatiuè contenti, et compræhēsi, itaque actus ille primi hominis fuit vniuscuiusque nostrum, quia non fuit tantum personalis, sed toti hominum generi, & naturæ communi. D. Aug. Paul. Ap

A Deo

A Deo accepit ipsum vxorem, & filios in puluerem conuertendos, & quũ esset inter lapsos mortis constitutus, vocat nihilominus vxorem suam vitã, & matrem uiuentium,cur hoc? & undè ipsi, & uxori, & suæ posteritatis filijs spes uitæ? respondet doctissimus Lyranus hoc Euæ nomen non significare simpliciter matrem uiuentium,sed cum quadam restrictione, ærumnosè & miserè uiuentium, Respondet Rup. Abb. lib.3.de Trinitate cap. 26. Adamum tumore quodam superbiæ,& incredulitatis imbecillitate sic loquutum fuisse. *Quid insanius*,inquit ipse, *& quàm in illo talis causæ iudicio illam nuncupare Euam?* hoc est vitam, quæ vitam in se non habebat, eamque dicere matrem cunctorum viuentium,quæ potius mater est cunctorum morientium,mirabile itaque est,quòd vbi mortis corporeæ sententia ferebatur iam spirituali morte mortuus,& postea corporali etiam moriturus,illic vxorem suam Euam, idest vitam appellauit,præcipiente Deo *In quacunque enim die comederis ex hoc ligno morte morieris.* Genes.cap.2.n.17. non credidit,sed comedit,quia mulierẽ, quæ prior comederat non statim corporaliter mortuam esse vidit, sic nunc dicente Deo; *Quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Genes.cap.3.nu.20.adeo non credidit,vt è contrario vocaret nomen vxoris suæ, *Euam*, vitam, eò quòd esset mater cunctorum viuentium.

Lyran. | Rup.Ap. | Genes. | Genes. | Genes. | Imag. | Tertull.

Binominis fuit illa prima mulier, & sub nomine primo,*Virago* crediderim nomen Euæ nomen spei, & vitæ Adam sumpsisse auspicium dum vidit eam efformatam ex sui ipsius latere obdormientis,sic enim habet sacer textus Genes.cap.2.num. 21. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset,tulit vnam de costis eius, & repleuis carnem pro ea,& ædificauit Dominus Deus costam,quam tulerat de Adam in mulierem:* verbum illud, *soporem*, legunt Septuaginta *extasim*,quia somnus ille,quo tunc soporatus est Adam,extasim fecit in eo. inquit Tertullianus in lib. de anima cap. 11. *Cecidit extasim super Adamum Spiritus sancti vis, operatrix prophetiæ,nam vbi sensus sopor absorbuit in se exteriores, mentis verò oculis clarè vidit mulieris formationem ex eius costa,& latere:*sensibus igitur sic abstractis mente pura, interius diuinitus illustratus,& spiritu prophetico repletus intuens, & intelligens prophetauit.Inquit Rupert. Abbas in Genes.lib. 2.cap.34. *Sopor quem Deus immisit,non vigilias rationis claudere debuit, sed obturatis quinque sensibus corporis, sensum mentis liberum reliquit, vt scire posset, quid erga se ageret omnium artifex sapientia Dei, vnde postea muliere sibi adducta dicere potuit. Hoc nunc os ex ossibus meis,fortassis ideireò Septuaginta extasim,idest excessum mentis transtulerunt.* Hæc ille.Et sic prophetans, & formationis mulieris intelligens mysterium typicè locutus est, nempè in figuram Virginis Deiparę,cuius Eua typus erat, & quemadmodum illa in adiutorium facta est primi hominis. ex cuius costa formata est & latere, sic Maria facta est in adiutorium secundi Adami,de cuius obdormitionis latere educta est, sicut & prima de primo. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea,hac vocabitur virago,quoniam de viro sumpta est.* Genes.cap.3.num.23. & non ex alia parte, nisi de latere dormientis, ex modo, & ex fine formationis, & nomine Adamo orta est iam morti addicto spes vitæ.

Rup.Ab.

Et quòd Maria, quemadmodum & Eua ex latere primi hominis obdormientis,de latere Christi obdormientis in Cruce,quando vnus militum lancea latus eius aperuit, fit educta, & formata:Sisto hic verba pijssimi Catherini disputantis de Virginis Conceptione in lib.3.cap.4.sic habet. *Accipe nunc secundum generationis modum Euæ, & hic etiam ante peccatum, & à Deo, sed non sine viro, etenim de costa viri in soporem coniecti ædificata est post virum mulier in innocentia*; hic quæso aperi oculos, bone lector, & agnosce hanc secundam generationem spiritualem Virginis, quam profitemur, quæ ex Christo fuit non à semetipsa ex vi propriæ natiuitatis, & tamen in innocentia sicut ille, & ex costa eius,idest ex fortitudine,& potentia gratiæ, qua voluit apud patrem, vt inde educi posset adiutorium simile sibi,idest innocentissimum pro aliorum regeneratione, & quàm pulchrè tunc educta est, quum in soporem coniectus est vir ille, vt intelligas etiam Virgini opus fuisse morte Christi, vt ex eius latere isto modo illibatissima educeretur, quum pendere cæpit in Cruce illa Dei caro,cuius ipsa mater erat, tùc

Cather.

verè

verè mulier prodijt, vt & alios cum viro generare posset Deo, sicut illa Eua generauit carni, propter quod & illam mysterij huius vocem audiuit, stans ante Crucem. Ioan. cap. 19. num. 27. *Mulier, ecce filius tuus:* vndè *Virago* verissimè Maria dici potest, quia de viro Christo educta est, & de costa, & de eiusdem latere aperto, quòd Christi latus cum fons verè sit vitæ, cur non speranda ex eo spes vitæ in Adamo? qui in sui lateris apertura prophetica luce in sopore illo intellexit præfigurari Christi latus lancea apertum in Cruce, quòd cum sit fons vitæ, per quod & mortui ad vitã erant viuificandi, sic docet Apostolus scribens ad Corinthios cap. 15. num. 22. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur;* quæ verba satis opportunè D. Amadeus homil. 7. flectit in Mariam: *Sicut*, inquit, *in Eua omnes moriũtur, ita & in Maria omnes viuificabuntur;* Cur hoc? nisi quia prodijt Maria ex latere illo, in quo etiam mortui erant ad vitam habituri.

Ioan. Eu. Paul. Ap.

Quid mirum igitur, ò anima mea, si Adam morti iam damnatus, tùm ex apertione lateris, sui tùm ex modo formationis suæ vxoris, tùm ex nomine, *Virago;* quo primum cohonestauit illam, aucupatus est secundum nomen; *Eua:* & intellexit etiam inter mortuos posse sperare vitam, & nomen vitæ, & matris viuentium illi rectè ascire, quando vidit illam efformatam ex latere, quòd Christi latus lancea apertum in cruce præfigurabat, & in quo ad vitam mortui erant viuificandi. Audiamus D. Augustinum in Ioan. tract. 120. qui de hoc verba faciens sic ait; *Vnus militum lancea latus eius aperuit, hoc prænunciabat, quòd Noe in latere arcæ ostium facere iussus est, qua intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita materque viuentium:* Non de Eua, quæ suos fœtus priusquam pareret, extinxit, nouerca potius, quàm mater appellanda, sed de Maria intellexit, quæ non morientium, sed reuiuiscentium verè mater extitit: ita est mens Diui Epiphanij hæres. 78. *Beata mater Dei Maria per Euam significatur, quæ in ænigma accepit vt mater viuentium vocetur, à Maria verè hæc vita mundo genita est, vt viuentem gigneret, & fieret mater viuentium.*

D. Aug. S. Epiph.

O Maria, o vita dulcedo, tu verè vita, tu spes vitæ; tu sola rectè mater viuentium, nata tu sola alijs viuendi causa extitisti, & facta es ipsissima vita, in typum Maria dicta est Eua, non viua, sed vita, ac cur potius vita, quàm viua? nisi vt innotesceret Mariam omnibus mortalibus verè vitæ, & viuendi causam extitisse.

Hoc nomen Virginis, hoc suæ naturæ conditio, hoc sui muneris finis, & meritum sonat; quando Adam dedit nomen vitæ Euæ, quę pręcessit Mariam vt figura, & non viuam, sed vitam vocauit eam, quid exprimere tentauit, nisi totum hoc quòd à Virgine erat operandum, quæ quidem non sibi soli bona, & vtilis futura erat, sed & nobis omnibus morti addictis, si viuã nominasset proprium vtique & personale suum cõmodum innotesceret, at dum appellauit vitam, vniuersalitatis hoc nomine, vita enim est formæ commune vocabulum, patefecit commune beneficium, aperiuit vniuersale bonum, & huic vitæ intellexit, nunquam admisceri mortis corruptionem, & vitam vnquam emori esse impossibile, sic habet Diuus Dionysius lib. 2. de laud. Mariæ capit. 26. *Non viuam sed vitam appellauit, vt constaret Mariam omnibus viuendi causam esse;* vita enim est formæ commune vocabulum, & quidquid viuit per vitam viuit.

Quùm ò Maria non tibi soli facta es ad vitam, sed ad vitam omnium esto mihi vita, quæ effecta es ad vitam de latere illius, qui me morte sua quæsiuit ad vitam, confiteor me perdidisse, quæ sunt filij, tu quæ matris sunt non perdidisti, quia mater es, & mater viuẽtiũ, apud te non intercedit extraneus, intus est in tuo materno pectore ipse, qui interuenit, & exorat affectus, vrgeri scio tua materna viscera iterum me filium genitura per veniam, ego reus & peccator venio ad te matrẽ viuentium, tua interest mox filij operire reatum, dissimulare iudicium, sententiam cito vertere in veniam: scio te cupere me ad te redire, vt filium, & non perire, hæc spes me traxit ad palmam, & hunc ascendere Ramusculum, ne videaris, ò Maria, te perdidisse, quæ matris sunt, festina, accelera, inclama vt viuam: hac fiducia sedeo sub vmbra huius Ramusculi, vt

audiam te dicentem, *Adolescens tibi dico surge*, vt tua sic vificatus voce tibi soli etiam & viuam, si me tua manu consertum trahas ó Maria, ó mater æternæ vitæ, si me tuæ dilectionis vi rapias ad te, oto vt ego meas mecum traham socias, hoc est mentis meæ potentias, & cuncta mei pectoris vota, & præcordia mecum post te traham, quæ sic tracta, sic rapta consertis manibus continenti chorea post te saltabimus, post te curremus iubilando, psallendo, decantando tuas laudes, & merita, & benedicendo perdulcissimum nomen sanctum tuum, quod sit benedictum in æternum, ó humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei, te precor ó Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea: sub umbra huius Ramusculi protege me nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE EFFICACIA VOCIS VIRGINIS; & de dulcedine eiusdem.

RAMVSCVLVS QVADRAGESIMVSQVARTVS.

Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.
Luc. cap. 1. num. 44.



T quæ exultatio tàm pottentosa? & quæ lætitia tàm noua & insolita? infantis adhuc in vtero matris existentis obstruso? & vsus nondum compotis rationis? & quæ saltationis tripudij & huius noui gaudij origo, & occasio? & quæ tympanistria tàm diuina, vt vna salutationis echo, & melodia, vnaq; tantum vocis chorda sui cordis, linguæ penna tacta Virginis, puerum sex penè mensium exultare faciat, & choreas ducere in vtero? & gaudium, quòd spiritu conceperat, & mente, præ magnitudine, & spiritualis lætitiæ dulcedine effluere faciat in corpusculum, quòd saliendo, & exiliendo matri læto motu indicat corporis,

O anima mea, cuius hæc vox tàm potens, & efficax, tàm dulcis, & miraculosa non significatiua tantum, sed præpotens, & operatiua ad salutem? quæ & latentis in vtero cognoscere faciat, & sentire Christi præsentiam intelligere incarnationis mysterium, Virginis dignitatem, & excellentiam; donorum supercœlestium, charismata, purgationem à culpa originali, rationis vsus accelerationem, prophetiæ, gratiæ, & fidei munera? dicentem, nisi dixisset Euangelista cap 1. nu. 41. *Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius*; cui assipulatur Diu. Ambrosius de institutione Virginum c. 7. *Tanta gratia collata fuit Mariæ, vt non solum in se Virginitatis gratia referuaret, sed etiam ijs, quos viseret, integritatis insigne conferret*; visitauie Ioannem, & in vtero matris priusquam nasceretur exultauit, ad vocem Mariæ exultauit infantulus, obsecutus antequam genitus. hoc idem testatur Diuus Chrysostomus hom. 2. in Lucam: *Ideò Christus fecit Mariam salutare Elisabeth, ut sermo procedens de vtero matris, vbi habitabat Dominus, per aures Elisabeth ingressus descenderet ad Ioannem, & illum vngeret in Prophetam, mundaret à culpa, & repleret Spiritu sancto, & spirituali lætitia*; Ee vnde tibi hæc exultatio, ò puer? nondum natus & exultas, & Prophetas? Matrem Domini agnoscis ad vocem, quam quia resalutare non potes, exultando agis, quòd potes: quàm lætus ei occurreres, si iam natus eum vidéres cuius voce audita, exultando obniam ire conatis.

Luc. Eu. | D. Amb. | S. Chrys.

O miracula, ò prodigia, Dei Verbum carne velatum, & in matris vtero adhuc inclusum ad salutem pueri, & matrem eiusdem Spiritu sancto replendam voce matris Virginis vice suæ vocis vti complacuit, & matris voci seruauit proficiendū existens in vtero, quòd in Ioanne sua voce perfecisset, si extrà matris vterum extitisset, ita est mens Diui Cyrilli Alexandr. in lib. de recta fide ad Reginas, *Salutatio Sanctæ Mariæ Virginis*, inquit Sanctus; *adhuc secum Iesum ferentis in vtero, mouit Ioannem ad prophetiam, quomodo non Deus Christus etiam in vtero Virginis diuino more Baptistam ad prophetiæ virtutem moueret*; O Maria verè tu Spiritus sancti vox, & organum, si tamen efficax, suauis, & dulcis est vox tua, vt anima serui tui capiat, intelligat, confiteatur, amet, & diligat, & perfectè adoret, & laudet quæ in te perfecit Deus, sonet vox tua in auribus meis, vt exul- tet,

D. Cyril.

tre in te spiritus meus: si vox tua replet cœlum dulcedine, terram fęcundar benedictionibus: si vbi personuit in domo Zachariæ repleuit eam nouo gaudio, infantem noua gratia, matrem Spiritu sancto, prophetia & fide, Iudeæ colles iucunditate montana noua lętitia, surge propera amica mea, columba mea, sonet vox tua in auribus meis, cuius echo nox atra discedat, hiems frigida abeat, & nubilosus transeat peccatorum meorum imber: uox enim tua amoris est, quia uox est turturis: ò Maria, si personuerit in terra serui tui dabit tibi ficus grossos suos, si uox turturis neris est omen & nuncium, cur non vox Virginis, quæ veluti castissima turtur volatu celerrimo vbi aduolauit in montana, & vox in salutatione Elisabeth personuit, veris fuit prænuncia, quòd iam hiems diuinæ iustitiæ transierit, imber indignationis recesserit, & quòd aduenerit tempus veris, tempus gratiæ, indulgentiæ, & remissionis, tempus cōsolationis, & misericordiæ, tempus dilectionis, & benignitatis, quòd voce, & dulci cantu præmonstrauit & factis.

En veris gratiæ effectus dum ficus sterilis protulit grossos suos, sterilis ficus erat primò Elisabeth, nunc ad vocem turturis fæcunda protulit grossos laudis, & benedictionis. Luc. c. 1. nu. 43. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*; sterilis ficus erat hęc mulier nunc fæcūditatis protulit grossos suos, hoc est Ioannem, sterilis ficus erat grādæuus Zacharias. nūc fæcunda floribus, laudibusque diuinis, vndè & cecinit. Luc. cap. 1. num. 68. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*; sterilis ficus, & peccati originalis sterelitate infæcundus erat Ioannes, nunc ad vocem turturis protulit grossos suos cognitionis diuinæ, accelerationis vsus rationis, & adorationis perfectę. *Habebat*, inquir D. Ambrosius in Luc. *Ioannes intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum*: & D. Hieronymus epist. 7. ad Letam. *Audiebat Ioannes verba Domini per os Virginis pertonantis, & de ventre matris in occursum eius gestiebat erumpere, quando ex ventre, & in vtero adorauit Dominum cuius erat præcursor, & prænuncius*; O vox Virginis efficax ad salutem, & dulcissima ad alliciendum, cuius vi, efficacia, & dulcedine, terra sitiens pectoris humani, quæ sterilis erat, inanis, & vacua, nunc ad vocem huius castissimæ turturis, cælesti hoc nouo fæcundata rore frondescit, virescit, florescit, fructificat, & fructus affert perdulcissimos, ita vt quælibet anima, licèt sterilis vt Elisabeth possit simul cum ea dicere ad laudem Virginis.

Luc. | Luc. | D. Amb. | Hier.

Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo. En quam efficax, & quàm dulcis vox Virginis, meritò quidem, & vndequaque commendabile visum est etiam cælesti sponso hoc os perbelle Virginis, siue illud silentio quùm seruaret conclusum, siue quum idem aperiret ad loquendum, ita vt in laudem eius sic legimus eum cecinisse in Canticis. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Cant. cap. 4. num. 3. ac si diceret, ò Maria, dum seruas silentium, & tua rosea constricta taciturnitatis filo detines labia, vittæ seu funiculi coccinei speciem mihi videntur habere, dum verò aperis vt loquaris vox quidem dulcis est, & eloquium tuum suaue perquàm maximè, vt audientibus verbis tuis deferas gratiam, oblectationem, & salutem. Luc. c. 1. | Cant.

Mariæ labijs tanta vis inerat in dicendo, & loquelæ, sermonisq; oris eius tanta erat suauitas, quòd Spiritus Dei efficacitas inesse videretur in sermone, & verbis illius, dum dulcedinem quam intus cælabat in corde, aperto ore, lingua proferebat, & promebat exterius, Ita docet nos Rup. Abb. in Cantic. super hæc verba; *Hæc est enim*, inquit ipse, *vitta coccinea, quia charitas est ignea qua benè eum Deo ligata, sic illi adhæsisti, vt vnus cum Deo spiritus sis, hinc eloquium tuum dulce, quia videlicet ex abundantia cordis os loquitur, & dulcedinem, quæ abundat interius, sapit sermo, qui redundat exterius.* Rup. Ab.

Quanta autem fuerit erga nos, oris Virginis hac dulcedinis exuberantia, & eloquentiæ eiusdem vis, & efficacitas, paucis verbis expressit Vgo de Sancto Victore in suis miscellaneis eruditionibus rheologicis lib. 1. tit. 115. super verba illa Canticorum. *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Cant. cap. 4. num. 11. *Fauus*, inquit, *est Verbum caro factum in Virgine, distillās redundantiam significat, ipsum enim totum redundans, & gratiam infundens,* Vgo de S. Vict. | Cant.

quia quod fecit, & dixit doctrina fuit, quod fuit medicina, ideo distillans, quia vnicuique secundum mensuram gratiæ infundens, quando Virgo loquebatur, & labia eius verba promebant erant fauus distillans, quia sub lingua eius mel erat tantummodo, & lac. Quid fauus? nisi Verbum Patris caro factum in Virgine. *In fauo*, inquit D. Greg. hic, *mel latet, & cera videtur*. Mel igitur est diuinitas, cera verò humanitas illa, idem est dicere. Cât. c. 4. n. 11. *Mel & lac sub lingua tua*: ac si dixisset Verbum Patris sub carne tua, sub lingua tua, Verbum, sub lingua tua, quia absconditum mel & lac, Deus homo in utero Virginis, in corde Mariæ, quę quando oris sui soluebat labia, quid loqui poterat, & quæ illa sonabant? nec aliquid os eius loqui poterat, nec aliud sonare quàm quòd in pectore habebat, & abscondebat in corde. Mariæ labia semper loquebantur ex abundantia cordis, in cuius centro si Deus erat, si Deus latebat, quid miraris anima mea si vox Virginis tàm efficax erat ad salutem, & tàm dulcis ad solatium: si sub lingua lac & mel Deum habebat Maria, & hominem, et labia eius semper ligata uitta coccinea, cloquia oris eius, quæ de charitate procedebant, et profluebant de fonte gratiæ, cur non efficacia? cur non dulcia? cur non dulcis? non suauis? non cœlesti dulcedine plena uox Mariæ? si eius labia non communi uinculo erant conclusa, sed tantum nexu coccineo; color enim coccineus ad rubedinem rendit; *Meritò*; inquit pijssimus Riccard. in Cantic. *Labia sponsæ uittæ comparantur, & uittæ coccineæ, quia per coccinum charitas intelligitur, quo labia hæc ligantur*; dulcis uox, quæ charitatem sonat dulcis sermo, qui charitatem sapit: stillabant labia Mariæ hac vitta ligata coccinea fauum dulcedinis, dùm in Dei laudem, & glorificationem, & in proximi ædificationem, & vtilitatem ipsa soluebat.

D. Greg. in Cant.

Cant. c. 4. n. 11.

Riccard.

Sermo semper bonus est, quem generat silentium, dulcis vox quam parturit taciturnitas, & ad aliorum pergit salutem, currit, & proloquitur. Apparuit Angelus Domini Zachariæ, & aperuit ei ortum, & nomen pueri; ordinem vitæ, dignitatem personæ, & officium, & munus; at cum esset ipse grandæuus, & senex, & vxor eius processerat in diebus suis, nec verbis Angelicis credidit, nec promissis præstitit fidem, sed signa petijt, quando sic respondit; *Vndè hoc sciam? ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis*; Luc. cap. 1. nu. 11. impossibilis res sibi visa est, signoque aliquo proximum confirmari voluit; *vndè sciam?* hoc est, quo signo sciam verum esse, quòd promittitur; siquidem ætati meæ, vxorisque simul repugnat filij generatio, & dictis non assentire sibi nunciantis, quem iam nouerat esse Dei nuncium fuit incredulitatis error, & valdè culpabilis; *Dubitans timuit, & timore correptus factus est dubius superni promissi, Zacharias*; Inquit Diu. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 8. *Non modum scire quærit, sed argumentum, & signum credendi postulat; idcircò infidelitatis crimen incurrit*; quæ infidelitatis culpa silentij, & taciturnitatis pœna fuit ab Angelo correpta, indixit enim illi vsque ad ortum pueri loquendi facultatem. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem, quo hæc fiant*; Luc. cap. 1. num. 20. & statim perdidie Zacharias modum loquendi, & affatum & obmutuit vsque in diem partus, & taciturnitas hæc fuit illi signum promissionis implendæ, & supplicium hæsitationis: ita est mens Diui Augustini in lib. 50. hom. 44. *Accepit Zacharias supplicium taciturnitatis, meritò infidelitatis, quia non credidit, tacuit*; & D. Ambrosius in Luc. cap. 2. *Incredulitas Zachariæ affatum eripuerat, & auditum*; & Theoph. *damnatur, vt surdus fit, & siliat.*

Luc.

D. Ambr.

Luc.

D. Aug.

D. Amb.

Sed cur Zachariæ non credenti potius amissionis loquelæ pœna infligitur quàm cuacuationis promissi? & Deus ipse cur vsum abstulit loquelæ maximè, & linguæ affatum, & articulatam prolationem promptè loquendi, & non cuacuauit sui nuncij verba, vel saltem promissa non protraxit in longum? dicam quæ sentio, pœna priuationis loquelæ multatus est Zacharias, vt ex pœna sibi inflicta erratum suum cognosceret, emendaret, atque pœniteret ex animo.

Thophil.

Sed si minitantis Angeli mentem perpendimus, & verba inuenimus, quòd vbi affatus, & loquelæ priuatio fuit Patri suæ infidelitatis pęna, nasci- turo mox filio fuit eadem laus & gloria & nobile præconium, prædixerat enim primo: *Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium hic erit magnus coram Domino vinũ, & siceram nō bibet, & Spiritu sancto reple-*

Luc. c. 1. n. 14. 15. 15. & 17.

replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum parare Domino plebem perfectam: ortus Ioannis, vita, munus, & officium, adeò erant disposita, & ordinata, vt sua prædicatione, sermonibus, voce, & eloquio conuerteret corda patrum in filios; & incredulos ad prudentiã iustorum. Tria prædixit Angelus de Ioanne, quòd prædicabit Iudæis pęnitentiam, & legis Dei obseruationem: secundò quòd conuinceret incredulos Messiam iam adesse, & tertiò quando digito, & voce Christum ostendet eis. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Hisce omnibus Zacharias incredulus increduli lingua facta est muta, tum in hæsitantis pęnam, tum in promissi fœtus laudem, & gloriam; nam vox, quæ in salutem proximi, salutis habebat stillare documenta, non potest non esse dulcis, atque suauis, semper enim dulcis est sermo, quem præcedit silentium vt Ioannis Angelus ostenderet vocis dulcedinem ex inflicta patri eiusdem pęna præmonstrauit; vox quidem erat Ioannes, sic enim interrogatus à Iudæis: *Quid dicis de te ipso?* Ioan. cap. 1. n. 23. *respondit, ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta:* vt hæc vox sit plena cęlesti dulcedine ad salutem aliorum nascatur ex silente patre, & muto genitore, taciturnitas autem silentij dulcem, vtilemque producit, & generat sermonem, & eloquium, vt & addiscamus & nos vocis, sermonisque legitimum parentem esse silentium; idcircò silentij pęna, & loquelæ supplicio mulcault Angelus Zachariam, dicens: *Eris tacens, & non poteris loqui.* Luc. c. 1. n. 20. huic veritati astipulatur pijssimus Golfridus in lib. allegoriarum in Luc. *Non vacat,* inquit, *à mysterio, quòd mutus Pater Ioannem genuit, qui vox clamantis fuit, semper enim melius vox in silentio generatur, & spiritualis otij quiete sapientia foris proferenda percipitur,* si Ioanni, cuius vox vt esset efficax, & perdulcis ad salutem proximi hoc est, *vt multos filiorum Israel conuerteret ad Dominum Deum ipsorum; & corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, & parare Domino plebem perfectam.* Nasci datum é Cęlo ex patre muto, quantò cum vberiori affluentia gratiarum voci datum est Mariæ, quæ cum esset eloquens valdè, rarò tamen, & parcissimè loquebatur, sed taciturnitati, & sanctis meditationibus iugiter erat intenta, & pro totiùs humani generis salute orabat assiduè, ad cuius salutem vt esset efficax, & afficiês ad dulcedinem, labia spatio quatuordecim annorum habuit alligata vitta coccinea, quã in domo Zachariæ, quandò aperuit os Virgo, vt salutaret Elisabeth iam soluta, si vox illa silentij partus erat & filia, quid miraris ò anima mea, si tã dulcissimè personuit, & tam efficax fuit vt Elisabeth ad eius echo repleuit Spiritu sancto, et ab originali valuit emundare Ioannem; testis est ipsemet puer, qui existens adhuc in vtero matris suæ sentiens Domini præsentiam exultando, et saltando tripudiauit præ gaudio, et quem lingua, et voce salutare non potuit, vt potuit animo exultante salutauit, exultationis, et iubilationis motu, vt dicat mater eiusdem.

Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo. sed dices quid silentij nexus cum eloquij dulcedine? aût quid sermonis, et linguæ impedimentũ cum uoce tam uiuida, et tam efficaci? ut ad uocem Mariæ infans peccato originali emortuus reuocaretur ad uitam, et exultet præ gaudio, et trepudiet ad salutem utique ex silentij uita, quã constricta labia nunc laxatis habenis, semper Virgo seruauit, cuncta silebant in Virgine coccino filo ligata, cui adiûcta erat uerecundia, modestia, et humilitas, quibus suaui uocis, et spiritus mo deratione, concinno, ac uerecundo oris motu uerba proferebat tantum sibi, et proximo utilia, uel ad Dei laudes concinendas. Nonerat Maria silentij uirtutem, et effecta silentij amatrix y quando ab Angelo salutata audiuit, *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus;* turbata fuit, sed silentij zelotypia, testatur pijssimus Riccardus de S. Laurentio lib. 4. de laudibus Virginis: *Turbata est,* inquit, *quia salutata ab Angelo silentium, quòd valdè amabat, respondendo infringere vel orationes suas interrumpere cogebatur,* quòd patet ex eo, quòd bis ipsam fuerat allocutus antequàm responderet, & Verbo Dei iam facta

Ioan. Luc. Gulfrid. Ricc. de s. Laur.

facta fœta, ò anima mea, cur non dulcis non efficax eius vox, quæ in silentio Dei vacabat verbo, attendebat, audiebat, meditabatur, & dulcitèr, & quietè fruendo contemplabatur, & si laxauit ora, & linguam quando vt salutaret Elisabeth ingressa est Zachariæ domum: en quàm dulcis eius vox, en quàm efficax eius allocutio, vt ex pueri pectore suæ vocis echo liquato iam gelu Spiritus sancti prunas accenderet, sex mensibus antequā Maria vox hæc pertonuit in montanis vallibus, & per aures Elisabeth descenderet ad Ioannis auditum iacuerat amabilis puer peccati originalis nebula obuolutus, & vt Dei inimicus, filius iræ, filiusque gehennæ, culpæ frigore constrictus obdormiebat immotus, quid est, quòd nunc exultare, tripudiare, saltare præ gaudio cernitur, & Deo astare, & in illius occursum prosilire? cuius gratia, vel virtute excussis peccati nebulis, geluque liquato, solutoque frigore, feruidus feruet, & diuini amoris igne succensus exultat, & salit, respondit mater ex Virginis voce, quæ ita dulcis, & ex longo silentio ita efficax vt valeat, & frigida matris viscera, & filij penetralia incalescere. *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*, quia igne Spiritus sancti succensus puer, calefecit & matrem, ità Origines in Luc. sic habet: *Non dubium est, quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto, propter filium sit repleta, neque enim mater primum Spiritum sanctum meruit. sed cum Ioannes sanctum spiritum accepisset, tunc & illa post sanctificationem filij repleta est Spiritu sancto*, qui sui amoris calore ardere fecit & prunas, excitauit primo in puero adhuc in ventre matris existēte, sed ad vocem Virginis matrem pueri salutantis. Sistamus hic verba Vener. Bedæ hom. 2. sic habet, *In uno, eodēque momento cum voce salutantis Mariæ, gaudium nascitur infantis, quia dum vox ad aures peruenit corporales, uirtus spiritualis cor intrauit audientis, nec solum genitricem, sed & sobolem amore Domini aduenientis accendit.* Benedicta tu ò Maria à Domino, & benedictum eloquium tuum, quo peccati dissoluitur gelu, incalescunt frigida, viuificantur emortua, & ora laxantur alligata vel ad Dei laudem, vel ad proximorum salutem.

Luc. c. 1

Orig.

Beda.

Vox quidem erat Ioannes, & vox clamantis in deserto, & vt vocis adimpleret munus, et officium, nascitur ex parentibus mutis, mutum Ioannes habuit patrem, silentij amicam nouit matrem, huius ueritatis testis est D. Lucas Euangelista cap. 1. n. 20. et 24. nam Zacharias pater modum locutionis, et affatum amisit, et obmutuit usque in diem partus pueri: *Ecce eris tacens*, dixerat illi Angelus, *& non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant*, et de matre testatur, *Concepit Elisabeth uxor eius, & occultabat se mensibus quinque*, mutus pater generans, et silens erat mater, quæ genuit, quòd miro modo obseruauit Diu. Chrysolog. serm. 92. *Pater tacet ex pœna ex uerecundia mater cœlat, ò quanto silentio uox nascitur, ò quanta taciturnitate tuba sæculis inclamatura generatur*, quid est sæculis inclamatura? nisi adeò uiuida, adeò uiua, adeò efficax, et operatiua futura erat vox Ioannis quòd prædixerat Angelus, *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu, & uirtute Eliæ, ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum parare Domino plebem perfectam.* Luc. cap. 1. n. 16. 17. et 18. et ut huius officij sui munus impleret Ioannes, necesse fuit ut ex parentibus generaretur, nasceretur, et nutriretur silentibus, lingua enim quæ silentij fræno cohibetur, statim ut fuerit à uinculo soluta salutaria uerba promit, et diuinæ laudis præconia extollit. De muto illo adducto ad Iesum, qui cum digito suo linguam muti hominis tetigerit, et silentii esoluit impedimentum, et affatum rectè loquēdi præstitit, sic habet D. Marc. c. 7. quòd *statim apertæ sunt aures eius, & solutū est uinculū linguæ eius, & loquebatur rectè*: ille vtique scit rectè loqui, qui nouit ordinatè tacere, ille rectè loquitur, qui ex silentio didicit ora laxare, vel ad Dei laudem, vel ad proximorum salutem: ò silentij miracula; ò tantæ virtutis mira prodigia, *loquebatur rectè*, & huius allocutionis rectitudo, & vocis efficacitas, vndè? vtique ex impedimento linguæ, si mutus hic homo, non mutus natus fuisset, communi lingua, communi voce, communi idiomate loqueretur; at vbi à Domino fuit illi ablatum linguæ silentium, & silentij iam vitta soluta, à digito Iesu, qui tetigit linguam eius, quid loqui potuit, nisi recta, non terrena,

Luc.

D. Chrys

Luc.

D. Mar.

na, nisi cœlestia non humana, voce diuina non hominis lingua: sistenda sunt hic verba Diui Chrysologi sermon. 86.

D. Chrys. *Mundanus sermo, vt humano profertur ex sensu, humanis seruit, & obsecundat ingenijs: diuinus ergo sermo in potestate dantis est, non dicentis*: hoc idem videtur astruere pijssimus Victor Antiochenus,

Victor Antioch. *Quomodò enim*, inquit, *non rectè loqueretur, rectèque audiret, quùm natura opifex id expleret quòd natura deerat.*

Zachariæ deerat articulata prolatio, at vbi à Domino solutum est vinculum linguæ eius, loquebatur rectè; & licèt dubitans factus sit mutus, non fuit taciturnitas hæc tantum suæ dubitationis pœna, sed mysterium; ita docet me D. Chrysolog. serm. 86. *Denique Zacharias ipse, quòd tacet non est pœna, sed signum, non est terrena debilitas, sed cæleste*

D. Chry. *secretum*. Deus, qui loqui dat, tacere facit, & imperat silentium, qui infert vet bũ: vt daret rectè loqui dedit primò, & ordinatè tacere, vt ex silentio addisceret ora soluere, & linguam in Dei laudem. sic habet Luc. Euangelista cap. 1. num. 64. *Apertum est autem illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum*:

Luc.

Si tacuit pater vocis: *ego vox clamantis in deserto*; si obmutuit genitor clamoris cur hoc? nisi quia diuina responsa relatutus intrauerat, egressus silentium retulit: quid miraris in Virgine tàm amica silentij, accola solitudinis, incola templi, omnium oculis abscondita, si mater & genitrix erat Verbi, si tacuit, & occultauit se intra septa, & penetralia domus Dei quatuordecim annis, nunc facta fœta Verbo Dei prodit in publicum, in domũ pergit Zachariæ, soluit vittam coccineã labiorũ suorũ, & salutat Elisabeth: vox hæc silentij non nisi dulcis ad Dei laudes concinendas: en quàm dulcis cecinit; *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. Luc. cap. 1. nu. 47. non nisi efficax ad salutem proximi, & operatiua mirabiliũ, audi anima mea ipsammet Elisabeth; *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo*: Luc. cap. 1. nu. 44. & scias quia lingua, quæ silentij amore multum tacuit non nisi in Dei laudem verba promit, & in salutem proximorum.

Io. cap. 1. nu. 23.

Luc. c. 1. nu. 47.

Luc.

Quorum corda ad Dei laudem, & suorum salutẽ non sic facilè mouent, & alliciunt ipsamet Dei opera, & miracula, vt vox eiusdem; hæc quidem potentissima est ad se cor hominis conuertere, rapere, & attrahere; vt capias quæ dico, attende ad ipsiusmet Dei opera ad extra, & operum Dei prima, cœlum & terram fuisse testatur sacer textus. *In principio creauit Deus cœlum & terram*: Genes. cap. 1. n. 1. & silentio creauit ea, tacens produxit, nullo interueniente vocis sonitu apparuerunt ex nihilo: Cœlorum tecta summo Dei silentio fabricata sunt, visa est moles terræ, et aquarum gurgita, super quæ insidebat Spiritus Domini, qui ferebatur super aquas apparuerunt et ipsa sub silentio: prosecutus est Deus opus suum, at vbi peruenit ad lucis creationem, primò auditur vox Dei. Dixitque; *Deus, fiat lux*, quid est? quòd cœlum, et terram creauit silentio, et lucem vocis prolatione? sistamus hic verba Diu. Basilij Seleuc. orat. 1. *Cælum profectò productum est, & terra cum aquis, quum vox antecerteret nulla: lux verò quùm producebatur, Deus voce praiuit non ergo potuit quidcunque cohibitum fuerat silentio facere, meritò nunc loqui occupat, vt eius, quòd fit sensu, & admiratione Angelos moueat, quo imperium effectione rei comitatum conspicati in hymnum Creatoris conuertantur*, hæc ille.

Genes.

Genes. c. 1. n. 3.

D. Basil. Seleuc.

Quid est hoc, ò anima mea, creat Deus cœlum, & terram silentio, & tacent pariter Angeli, & nõ mouentur ad Deum laudandum ex cœlorum, & terræ creatione, vt moueret illos addidit vocem ex productione lucis, quam vt produceret voce præiuit, & hac voce excitati illi spiritus cœlorum ad Dei laudes, & magnalia concinenda dulciter ora laxarunt: idem Deus per Iob testatus est: *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*: Iob cap. 38. nu. 7. & clarius lectio Septuaginta interpetrum. *Quando facta sunt sydera laudauerunt me voce magna omnes Angeli mei*: Diu. Chrysostomus eleganter subnectit; *Angeli ipso aspectu obstupuerunt, quùm multitudinem, pulchritudinem, dispositionem, vtilitatem, ornatum, splendorem, concentum, cæteraque omnia, quæ multò illi, quàm nos melius vident intuerentur*: hac de causa dicuntur astra matutina, quia statim ab exordio creationis conditoris potentiam, sapien-

Iob. Septuag.

D. Chry.

pientiam, & bonitatem prædicauerunt conditori gratias agendo, & vnico consensu, vnicoque concentu laudauerunt; quòd testatur D. Epiphanius lib. 2. hæres. 65. *Quando genita fuerunt sydera, laudauerunt me omnes Angeli*: non laudabant quando creauit Deus cœlum & terram, quia deerat vox, & in silentio creata sunt, vox tamen potentissima fuit Angelorum excitare mentes, & soluere linguam & extollere diuinam bonitatem, simul gratias agendo non solum quia communicauit se sua bonitate supernis mentibus, sed etiam inferioribus terrestribusque corporibus.

D. Epiph.

Diuus verò Anastasius Sinaita lib. 4. Examer. censet Angelos quarta die Deum laudasse propter creationem astrorum, & propter mysterium Incarnationis, quòd in illis repræsentabatur hymnis Deum celebrarunt, quamobrem? quoniam facta sunt astra, non certè propterea, sed cum vidissent solem è terra recurrentem, in ministerio didicerunt Christi incarnationem, & ideò cum vidissent eum ex Sancta Virgine tamquam ex abysso exortum statim exclamauerunt; *Gloria in Altissimis Deo*. Luc. cap. 2. nu. 14. perfecerat namque Deus opus incarnationis in vtero virginali, at omnia sub silentio, & in abscondito. quia ex Virgine, & sub velamine carnis nostræ mortalitatis, cunctaque cum silerent; qui Deo debitas laudes gratiasque referret, non erat vox deerat, & hæc opus erat vt adesset; & sic mentes hominum mouerentur ad eas decantandas.

D. Anast.

O Maria, ò vox Dei, ò vox Spiritus sancti quid fecisti? Iam Verbo Dei fœta facta? cum festinatione perrexit in montana, & ingressa domum Zachariæ, vittam labiorum suorum coccineam, dum salutauit Elisabeth, exoluit, nouum illud Canticum, Canticorum omnium argumentum, tùm noui, tùm veteris testamenti diuino quodam artificio comprehendens, in dechachordo psalterio Dei afflata spiritu, Deum magnificans, Deoque dignas decantas laudes gratiarum exoluens debitum sic dulciter cecinisti: *Magnificat anima mea Dominum*; Luc. cap. 1. nu. 47. in quo veluti in admirabili compendio victorias, Dei laudes, gratiarum actiones, beneficia omnia, liberationem, redemptionem, & promissiones Dei humano generi antè repromissas, & iam completas complexa es: quo hymno mentes omnium, & Angelorum, & hominum excitasti, attraxisti ad Deum collaudandum, & ad memoriam recolendam tam ineffabilis beneficij.

Luc.

Quòd solemni ritu præmonstrare in dies conatur Sancta Mater Ecclesia, dùm nullus labitur dies, in quo hoc Virginale Canticum in nostris concameratis auribus suaui melodia non resonet, vt annotauit Ven. Beda homil. de visitat. Virginis. *Optimus & saluberrimus in Sancta Ecclesia mos inoleuit, vt hymnus B. Virginis Mariæ quotidiè cum psalmodia vespertina laudis omnibus canatur, quatenus ex hoc animos fidelium, & frequenter dominicæ incarnationis memoria, & effectum deuotionis, & præcogitata sæpius exempla genitricis illius, in virtutum soliditate confirment*:

Beda.

Mutus erat Zacharias, tacens erat Elisabeth, silentio oppressus inuolutus iacebat Ioannes, cuncta silebant montana, & si hæc noua lætitia, nouaque exultatione perfunduntur, & eorum valles resonant nouis gaudijs, quis hoc illis præstitit, nisi vox Mariæ quando abijt in montana cum festinatione; *Omnia montana*; inquit Ven. Beda: *fama nati Prophetæ perfundit*; & hoc insinuat idem Euangelista, quando dicit; *Et factus est timor super omnes vicinos eorum & super omnia montana Iudeæ diuulgabantur omnia verba hæc*. Luc. capit. 1. num. 65.

Beda.

Luc.

Si in vtero tripudiat, & saltat puer, & exultat, & saltibus conatur incliuare, quæ lingua denegabat, & locus, vndè illi hæc omnia? nisi à Virginis voce? *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*. Luc. cap. 1. num. 44. & Ioanni alloquens Ven. Beda sic habet: *Vndè tibi exultatio? nondum natus & Prophetas, matrem Domini in voce cognoscis, quam quia salutare non potes, exultando agis, quàm lætus ei occurreres si iam natus eum videres, cuius voce audita exultando obuiam ire conaris*.

Luc.

Beda.

Si Elisabeth deposito silentij timore, & taciturnitatis verecundia, Spiritu sancto repleta, prophetans in Dei & Virginis laudes, & præconia, ora laxat, & linguam, exaltans vocem suam, læta cecinit: *Benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*. Luc. cap. 1. num. 42.

Luc.

num. 42. Vnde hoc illi? nisi ex Mariæ voce eam salutantis. *Quanta Elisabeth gratia, Maria intrante ditauit*, ait Beda, *quam simul de præterito, de præsenti, atque futuro per prophetiæ spiritum illuminauit, quando sic exclamauit, vnde hoc mihi? ut ueniat mater Domini mei ad me?*

Si Zachariæ reformantur organa vocis, & vinculis soluta illius lingua in diuinas prorumpere cernimus laudes, gratias agendo Deo de beneficijs collatis sibi, & toti mundo, quando lætus cecinit: *Benedictus Dominus Deus Israel quia uisitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*. Luc. cap. 1. num. 68. quis huic muto & linguam & affatum simul contulit, & prophetiam, Nemo nisi vox Mariæ, quæ vbi personuit in domum Zachariæ quando salutauit Elisabeth, ad vocem Virginis repletus est Spiritu sancto puer, & agnouit Dei filium, quē salutare lingua & voce non poterat, animo exultante, & motu exultationis salutauit, & ab vtero matris suę præcursoris officium inchoauit, & ex cognitione, quam de Dei Verbo in carne mortali adhuc in vtero matris existente Ioannes habuit, fecit vt Pater Zacharias, & mater Elisabeth, pueri meritis addiscerent abscondita, & arcana Dei eloqui, aperire, decantare, & manifestare: Nec mirum si vox Mariæ domum repleuit dulcedine, quæ mundum totū eiusdem vocis potuit replere suauitate, vt tacentes & muti, veluti aues Cæli aduenienteaurora ora laxent, & organa vocis in laudes Domini Iesu, & Virginis matris Mariæ.

Luc. c. 1. n. 68.

Cuius vocis suauitatem, & efficaciā non absque mysterio omnium primus audiuit Ioannes in vtero, quum ad eius Echo tripudians exaltauit præ gaudio, & vocis dulcedine. *Elisabeth per infantem*: inquit Titus Bostrensis Episcopus: *quem intra uiscera gestabat Spiritu sancto afflata prophetica verba detonuit*, idē docet D. Ambrosius: *Non prius mater repleta est quam filius sed cum filius esset repletus Spiritu sancto repleuit, & matrem.*

Tit. Bostren.

Ambr.

Grande mysterium, & peccatoribus grande solatium, Verbo Dei fæcunda Maria, ad suos primò perrexit, & vocis suæ efficaciam, & dulcedinem primò sentire fecit, & experiri Ioannem, qui & in vtero erat inclusus, & nube peccati originalis erat contectus, & ad illius huius salutem linguam primo direxit Maria & vocem? cur hoc? & quæ mysterij profunditas? dicam quæ sentio, Maria ad hoc effecta est Dei mater, & obūbrata virtute Altissimi, vt vmbra sua peccatores obumbraret, & protegeret, vt vocis suæ dulcedine, & efficacia conuerteret, & saluaret.

Inter Virginis Epitalamia, quæ ad eius laudem, & gloriam cecinit Spiritus sanctus in Canticis illud mihi videtur nimis laudabile quando audiuit à cœlesti sponso. *Si ignoras te ò pulcherrima mulierum egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos*. Cant. cap. 1. num. 8. Ad hædos pascendos mittitur Maria, ò anima mea, cur Mariæ hædorum committitur cura, & pascendi sollicitudo?

Cant.

Dixerat Dominus Iesus Petro: *Simon Ioannis diligis me plus his? cui Apostolus, etiam Domine, tu scis quia amo te, dicit ei, pasce agnos meos*, dicit ei tertio, *Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te, dixit ei, pasce oues meas*. Ioan. cap. 21. num. 15. 16. & 17. Ouium & agnorum cura Petro mandatur, & Virginis custodiæ, seu protectioni non oues, non agni, sed filij Caprarum tantummodo committuntur, & hædi? cur hoc? & quid est, pasce hædos tuos? ac si diceret sub vmbra tua, sub tua protectione, & custodia accipe hædos pascendos, accipe peccatores, vt lacte tuæ protectionis pascantur, & saluentur Ouium & agnorum qui sunt ad dexteram meā sit Petri cura, & sollicitudo: hædorum verò, qui sunt ad sinistram, vt à sinistra transeant ad dexteram, & ex hædis fiāt oues, & agni, tua est potentia, tua quoque sit cura, Pasce hædos tuos, qui licēt sint æterno igni depuṫati ad sinistram, & à Regno Dei alienati, si intrant sub Mariæ cura, & vmbra possunt conuerti in oues, & in Regno Christi sedere ad dexteram, & Virgini vnde potestas hęc, & illius solius? Nimirum, *Quia Dei mater est, & mater pietatis, & misericordiæ*, inquit D. Bernard. super Salue Regina, *eò quòd diuinæ pietatis abyssum cui vult, & quando vult, & quomodo uult creditur aperire, vt quiuis enormis peccator non pereat, cui sancta sanctorum patrocinijs suis suffragia præstat.*

Ioan.

S. Bern.

Cant. Et hoc quidem est, quod dicit ei cœlestis sponsus, Cant. cap. 1. nu. 8. *Si ignoras te ò pulcherrima mulierum?* ac si diceret, quùm non ignoras te, vndè tu pulchra sis inter omnes mulieres, ex eo quia es mater, & quum audis Mariam esse Dei matrem, hinc reliqua omnia colligere poteris vniuersa eius dona huic dignitati esse commensuranda, D. Tho. quapropter D. Thomas de Villanoua serm. 2. docet Euangelistas siluisse Virginis gesta, vitam, & sanctitatem, propterea quia Virginis gloria magis cogitari poterat quàm describi, & omnia collegisse quùm dixerunt ex ea natum fuisse Iesum, sufficit ad eius plenam historiam. quod scriptum est, quia de illa natus est Iesus, quid amplius, quid vltra requiris in Virgine? sufficit tibi quòd mater Dei est, non fuit calami, seu eloquentiæ exiguitas, vel inopia, nec calami, seu negligentię defectus, & deliquiū, sed quòd siluerunt, fuit Virginis altitudo, & maiestas, fuit Dei maternitatis dignitas: Si tuam magnitudinem, si tuā dignitatem, & maiestatem non ignoras ò Maria, quæ vtiq; est eadem cum filio, quem ex te genuisti, si hanc non ignoras: Cant. *Abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos.* Cant. cap. 1. nu. 8. vt tuæ vocis dulcedine excitati, & allecti tuæ vocis efficacia, & vmbra protecti de hædis, & peccatoribus iustos facias, & in oues, & agnos conuertas, vt quiuis enormis peccator non pereat, cui tu pia mater tuis patrocinijs suffragia præstas, hunc his verbis sensum præstat Guil. Ab. pijssimus Guillelmus Abbas, piæ matris hædos vocat, non quos ipsa fecit, vel vult esse hædos, qui statuantur ad sinistram, sed quòd magis magisque conuertit in oues ponendos ad dexteram, Riccar. Victor. quia vt testatur pijssimus Riccardus Victorinus part. 2. in Cant. cap. 23. Maria in protegendo peccatores, aut par aut maior est omnibus Sanctis: Sistamus hic eius verba. *Itaque quum tam Angeli, quàm sanctæ animæ sollicita sint, & eis tam meritis, quàm intercessione subueniant, credendum est Beatam Virginem tantū in hoc posse, quantum vtramq; hanc creaturam, imò vtraque potior iudicatur:* peccator igitur qui in sui tutelā, ac custodiam Mariam solam habuerit, plus habet, quàm si ei Angelorum, & Sanctorum omnium daretur patrocinium, hinc Deus commisit Petro oues, & agnos, Mariæ verò hædos pascendos, & saluandos.

Cum penderet de Cruce Iesus Ioanni tradidit matrem, vt bonorum suorū faceret hæredem, quum Petro, qui negauit eum paulò ante totam commisisset Ecclesiam. Cur hoc ò anima mea, numquid Petrus de bonis Christi plus acceperit quàm Ioannes inter Apostolos dilectissimus? Non quidem quum inter Christi bona quando Ioannes accæpit Mariam in sua, erat Maria pars potior, atque præstantior, vel saltem toti Ecclesiæ non inæqualis, illam vtiq; dedit dilecto in suę hęreditatis partem, quæ & Angelorum, & hominum Sanctorum Ecclesiam coæquabat, vel potius, & verius excedebat, audiamus de hoc pijssimum Guarricum Abbatem Guar. Ab. serm. 4. de Assumptione Virginis, qui sic habet. *Sic quippè inter Petrum, qui plus diligebat, & Ioannem qui plus diligebatur, hæreditatem suam Christus diuisit, vt Petrus sortiretur Ecclesiam, & Ioannes Mariam, quæ vt præstantior, & dignitate sublimior non oues, non agnos, sed hædos sub cura pascendos accæpit:* vt possis & tu anima mea illi dicere. *Si* Cantic. c. 1. n. 8. *ignoras te ò pulcherrima mulierum, egredere, & abi post uestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos.*

Peccatores vocat Dominus Iesus Mariæ hædos, non quòd ipsa faciat hædos, sed vt de hædis faceret oues. at cur peccatores Mariæ dicti sunt hædi? nisi quia de illis est nimis sollicita, vt eis lac suæ misericordiæ, suæ gratiæ vt in suos primò effundat, & munus benefaciendi vt à suis primò incipiat; Dei namque Virgo mater effecta, quò suos direxit gressus? nisi in domum Zachariæ, in quam perrexit cum festinatione, vt Ioannem, qui vt hædus pelle, & lana tegebatur peccati originalis mutaret in ouem, conuerteret in agnum, quem & si repleuit Spiritu sancto adhuc in vtero matris suæ hanc contulit gratiam, vt & à suis puer inciperet benefacere.

Zacharię patri incredulo affatus eripitur, & hæc suæ incredulitatis pœna vsq; ad ortum, & circumcisionem pueri differtur non absque mysterio. *Respicite Ioannem,* inquit D. Ambrosius serm. 2. D. Amb. de eodem; *quanta sit vis eis vocabuli, cuius nuncupatio reddidit muto vocem, videns Baptistæ meritum vocem patri red-* didit

didit, Sacerdoti eloquium recuperauit, & à suis infans vix natus, à Spiritu sancto sic edoctus incapit benefacere. Audiamus D.Chrysologum ser.9. de Sancto Ioanne. *Egreditur Pontifex gestans in ore sterilitatis indicium, portans in pectore conceptionis figuram, ut cum mater pareret filium, daret filius uocem, tunc Verbi Pater ederet sacramentum, & ante natus daret patri ueniam, quam dilueret crimina uetusta populorum.* datus erat Ioannes vt vocis suæ efficacia, & dulcedine conuerteret corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, & pararet Domino plebem perfectam, sed hoc benefaciendi munus, hoc alios adiuuandi officium, à patre tamquam à suis incipit.

S. Chrys.

Quid Maria, quæ fons est omnis gratiæ, & vitæ, & cui Deus committens hędos suo lacte, sua vmbra, sua protectione pascendos, & singulariter voluit esse suos, vt à suis incipiat benefaciendi munus, & sic à suis cæpit benefacere, quapropter perrexit in montana cum festinatione, & vitta labiorum suorum laxata coccinea salutauit Elisabeth, & quid accidit ad eius vocis echo. *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Luc. cap. 1. num. 44. En quàm verè quòd Ioannes Virginis vocis primò prægustauit dulcedinem, & expertus est efficaciam, dum hac vocis suauitate perfusus in ventre non valuit se continere, quin lætus non exiliret, & non exultaret præ gaudio.

Luc.

Virginis enim vox, & Deo suauis est, et nobis vitalis, homo qui non respirat, non viuit, si vita mortali absque respiratione non viuit homo, num viuet sine Maria vita spirituali? Ipsa enim est hominis spiraculum, sibilo suæ vocis viuit anima fidelis. D. Idiota docet et appellat Mariam spiraculum hominis, quando in lib. de contemplatione Virginis cap.5. sic habet. *Peccator per Mariam respiret ad vitam in spe veniæ, & gratiæ.* veneno peccati originalis penè mortuus, et alienus à vita iacebat Ioannes, vbi ad ingressum Virginis matrem salutans, audiuit sibilum auræ tenuis suæ vocis respirauit ad vitam: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Luc. cap. 1. num. 44. et vixit, et reuixit, et exultauit præ gaudio.

D. Idiota

Luc.

O anima mea quid trepidas ad Mariam accedere? vox enim eius dulcis est, et efficax ad vitam, ad quam enormis peccator non resurgit nisi per Mariam, illi soli data est cura pascendi hædos, et saluandi, et deducendi ad caulas cœlestis ouilis, quia illa nullus potentior, et efficacior apud Deum. *Neque dubium est,* inquit D. Augustinus serm. 3. de Natiuit. Virginis: *quia quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus Sanctis liberatis impendere suffragium, & sicut apud Deum est potentior, ita & omnibus Sanctis est sollicitior.*

D. Aug.

D. Ioannes in sua canonica cap. 5. testatur esse peccatum ad mortem, *Non pro illo dico vt roget quis,* Ioan. Apostol. epist. 1. c. 5. n. 15. num pro peccatoribus vt conuertantur ad Dominum non est orandum à Sanctis? & quidem, sed non ab omnibus, vt capias quæ dico. Mos inoleuit in bellis, exercitum in tres diuidere partes, in prima acie ponuntur pedites, in secunda equites, in tertia vero heroes fortissimos, & ad belli doctissimos, & ij omnes pro muro inexpugnabilis stant in protectione peditum, & equitum, vita hæc mortalis quid est, militia super terram, & ad nostram custodiam quia pedites sumus, & imbecilles in primo propugnaculo stant Sancti, & electi Dei, in secundo spiritus Angelici, in vltimo ponitur Maria; nam si pro peccatorum nostrorum enormitate repelluntur primi, & secundi non exaudiantur: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis,* iræ diuinæ iustitię & enormitati peccatorum obsistere non est omnium virtus, & potestas, nisi tantum Mariæ, cui datum est, & hædos pascere, & de hædis facere agnos & oues. *Ipsa tenente,* dicebat D. Bernardus, *non corruit peccator, ipsa protegente non metuit, ipsa duce non fatigatur, ipsa propitia peruenit ad vitam.*

Ioan. Ap.

Idem Apost.

D. Bern.

O Maria sonet vox tua, vox enim tua dulcis & efficax ad vitam, peccaui peccatum ad mortem, num moriar in putredine peccatorum meorum, ò mater vitæ? si pro me non est qui roget, sonet vox tua pro me in auribus Dei viui, vt resurgam ad vitam, & viuam, sonet uox tua in auribus Dei mei in quem peccaui, & fœtore peccatorum meorum excitaui ad iram contra me. Si peccata mea collocarunt me, vt hædum ad sinistram, & huius hædi, & pascedi in ouem

commutandi tibi soli tradita est cura, & potestas, vocis tuæ efficacia, uocis tuæ dulcedine reuoca me ad vitam, & lacte tuæ protectionis pasce me. Recordare Maria, quòd tuæ pietati me commendauit filius tuus, *Mulier ecce filius tuus*, Ioan. cap. 19. n. 26. intuere non peccata mea, sed pretium sanguinis quo me redemit filius tuus, memento quòd mater non Dei tantum, sed & mea, & si ego perdidi, quæ sunt filij, tu non amisisti, quæ sunt matris, loquere pro me, sonet vox tua, & da mihi lumen in corde, verbum in ore, vt cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea tota die laudes tuas, sed quia nó est pulchra laus in ore peccatoris, & uir pollutus labijs ego sum, munda obsecro os meũ ab omni inquinamento, sanctifica me tu sancta sanctorum interius & exterius ut cantem tibi, & benedicam nomen sanctum tuum, quòd sit benedictum in æternum, ó humilis Virgo Maria mater Iesu filii Dei, te præcor ó Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperar, & confidit anima mea: sub umbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

Ioan.



DE IVGI VIRGINIS BENEFICIORVM Dei memoria.

RAMVSCVLVS QVADRAGESIMVSQVINTVS.

Magnificat anima mea Dominum.
Luc.c.1.n.47.



IAm celeri cursu primo attritis Iudeæ montiū itineribus, festina conscenderat Virgo Deipara in Ciuitatem Hebron, inter salutantis amplexus & Elisabeth resalutantis complexus adinuenerat, vt cœlestis auicula, ramusculum, sterilem quondam, nunc autem nono miraculo florentem vbi quiesceret pes eius, & quòd iam transierat sterilis hyems, & quòd inundans indignationis diuinæ iam recesserat imber, & quòd noui flores iam apparueraft in terra nostra, tactis Spiritus sancti plectro chordis, sui cordis psalterij, fœlicissimi ueris, & gratiæ effecta vera prænuncia velnti castissima turtur voce canora, & dulci decan-
Luc. tare cæpit. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. c. 1. n. 47.

O vox lætitiæ, ò cantus harmonicus, ò exultantis præ gaudio cordis Virginis iucunda psalmodia. *Tunc verè,* inquit D. Apponius in Cant. cap. 1. *per*
D. Appo. *Beatam Mariam vox turturis audita est in terra nostra, quandq dixit, Magnificat anima mea Dominum.*

O Maria, ò dulcis Virgo, vox enim tua hæc vox turturis est, ad cuius echo magnificatur Deus Trinitas, psallendo nouo gaudio iubilant spiritus cœlorū, cœlum ipsum ridet, & congaudet, terra lætatur & orbis, exultant iusti, consolantur miseri, & subleuantur à miseria, contremiscit infernus, tremunt & pauescunt Dæmones, aufugiunt spiritus tenebrarum.

Luc. 1 MAgnificat anima mea Dominum, Luc. cap. 1. n. 47. Hæc vox est, qua à Virgine dignè Deus laudatur, & magnificatur vt Deus magnus, omnipotēs bonorum largitor, & iure creationis omnium Dominus, & dominator, in cuius ditione cuncta sunt posita, & cui soli Virgo omnia refert, & nihil se profitetur habere, quin ab eo acceperit, & exultans exclamat.

ET *exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. c. 1. n. 47. Hæc vox est, qua Virgo dulci cantico nobis exprimit summi, & exaltat nostræ redemptionis ineffabile sacramentum, & incarnationis mysterium, quo à Diaboli tyrannide non minus misericorditer, ac potenter liberauit nos Deus, & sua bonitate nos redemit, & saluauit, meritò quoniam 2 Luc.

R*Espexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. cap. 1. num. 48. Hæc vox est, qua Virgo commendat diuinam clementiam, & bonitatis abyssum, qua respexit Deus nostræ conditionis humanæ miseriam, & è profundo miseriarum subleuando humiles vsque ad solium maiestatis diuinę euexit, tunc quando 3 Luc.

F*Ecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Luc. c. 1. n. 49. Hæc vox est, qua Virgo quarta chorda personat operum Dei magnalia, & mirabilium suorum magnitudinem, & magnificentiam portentorum manus suæ simul, & sanctissimi nominis sui formidabilem maiestatem, ò maiestas formidabilis simul & misericors. 4 Luc.

E*T misericordia eius à progenie in pro* 5 Luc.

gentes timentibus eum. Luc.cap.1. n.50. Hæc vox est, qua denunciantur à Virgine iam aduenisse,& aduentasse miseri cordiæ tempus peroptatum, & præstolatum à Patribus, quo misertus nostri Deus effudit in nos misericordiam suã, & suæ dilectionis auxilium præstans timentibus se.

6 Luc **F**Ecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Luc.c. 1.n.51. Hæc vox est,qua tympanistria nostra exaltat fortitudinem Verbi Dei, quòd brachium est Patris æterni, in conculcatione,& dispersione mentium superbarum, quas prædefinito consilio sui cordis Deus,zelo iustitiæ deiecit, & dispersit superbos mente cordis sui.

7 Luc. **D**Eposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.Luc.c.1.nu. 52. Hæc vox est,qua à Virgine exaltatur opus illud solius brachij Dei, qui depulsis primò de sede superbis, arrogantibus exclusis de Regno,Deus in carne sua fortitudine vicit Diabolum, spoliauit Infernum, Sanctorum Patrum animas secum uexit ad cœlestia,exaltauit humiles quando per id,quòd factum est, in ipso redemptum est,quòd factum est ab ipso.

8 Luc. **E**Surientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.Luc.c.1.n.53. Hæc vox est,qua Virgo terret impios,& peccatores simul,& consolatur iustos,quos Deus ibi bonis cœlestibus satiat, & replet sua misericordia, sic iniquorum euertit sapientiam, expugnat Principum potentiam,& cassam reddit diuitum confidentiam, & spem in diuitijs suis.

9 Luc. **S**Vscepit Israel puerum suum,recordatus misericordiæ suæ. Luc.c.1.n.54. Hæc vox est,qua Virgo autumat iam venisse quem prædixerunt prophetæ,in dicauerunt vmbra,figurauerunt figuræ, desiderauerunt Patriarchę, promiserũt oracula,expectauerunt patres, & quòd promissum fuit Abrahę iam esse comple tum gratias agens de susceptione huma næ naturæ dum cecinit. *Suscepit Israel puerũ suum recordatus misericordiæ suæ.*

10 Luc. **S**Icut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Luc.c.1.n.55.Hæc vox est,qua à Virgine veritatis astruitur Dei fidelitas in promissis, & quæ pollicitus est Patribus de filij sui incarnatione, & nostra redemptione licèt tardauerat,iam adimpleuit,& non minus acceperunt,& adepti sunt,qui in illum crediderunt promissum,quàm qui susceperunt donatũ, & sic hac decima chorda canendo, laudando conclusit. *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula.*

Si per singulas ætates successiuè non cessat beneficiorum Dei in nos occursus, sic in nos cessare non debet erga Deum gratiarum actionum recursus, ad hoc cor Virginis, ò anima mea, sibi & à sui gloriam adaptauit in psalterium decem chordarum, vt Deo pro se, & ex parte totius mundi, cuius est Regina, & Domina, persolueret laudes, & tibi gratitudinis præberet exemplum,quando accæpit à B.Elisabeth,quòd esset benedicta inter mulieres, & beatam ob fidem Angeli verbis præstitam, & quòd esset mater Dei,has laudes non sibi Virgo ascripsit,sed Deo donatori suo, vndè & ait. *Magnificat anima mea Dominum.* Luc.cap.1.nu.47. Luc.

Hic Virginis harmonicus hymnus, quem ipsa Deipara in Dei laudem, & in gratiarum actionem beneficiorum Dei decantauit, satis apertè præmonstrat cor ipsius fuisse Dei psalterium decem chordarum; nam si cuilibet homini insunt decem sensus, quapropter Sanctus Dauid,qui est & foris, & intus Deo canebat,foris corpore,& voce,intus verò corde, de se dicit in psal. 143. num. 9. *Deus Canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi;* D.Ambrosius in psalm. quadragesimo deducit hanc conclusionem. *Psalterium ergo est homo consumatus in Christo, in quo sicut arte concinentium fila chordarum ita conuenientium resonant opera canora virtutum.* Dauid Proph. D.Ambr.

Psalmus quippè cantus est,non quidem quilibet cantus, sed cantus psalterij, qui psallit, non sola voce psallit, sed assumpto psalterio, accedentibus manibus, voci concordat, homo tunc dicitur verè psallere quando opera concordant cum voce, ergo psallere est idem ac Deum voce, & operibus simul laudare, si omnis homo concordando

actio-

actiones sensuum interiorum cum exteriorum actionibus, voce & corde psallendo Deo psalterium dicitur decem chordarum, ex eò quia præcepta sacri decaloci tangens, opere complet, ò Deus cordis mei, omnium creaturarum etiam supercęlestium, cuius cor fuit vnquam, tùm puritate vitæ, tùm Virginitatis integritate, tùm legis obseruatione, & mandatorum tuorum executione ita perfectum, concorde, regulatum ordinatum, & consumatum in te, vt cor virginis Mariæ? quid operabatur ad extra, quòd intus non responderet? et quid intus cogitabat, meditabatur, quòd exterius non concorditer præluceret?

Iure nomen psalterij Maria super cęteros sibi vendicat, vt Deo perfectè psalleret, et psallendo ad te, ò Deus cordis mei, eoeo corde, et perfecto amore tenderet, sæpè vt credimus oblita sui, ac potius sprecta carnali necessitate, noctes insomnes agebat, vt tibi psalleret, vt te cogitaret, vt te laudaret, vt tibi gratias ageret et sæpè agebat, quòd in Canticis scriptum est cap.5.num.2. *Ego dormio & cor meum vigilat*; corpore quippè dormiens animo vigilabat, nocturna quiete somnians, quæ per singulos dies cogitabat, et vigilans in eisdem se inueniebat, et actus sopori concedens in pace in idipsum quiescebat: ò cor Virginis, ò Dei verè psalterium decem chordarum et vigilans, et dormiens cęlestia meditabatur, & diuina beneficia ante oculos semper habebat. Cant.

Vigilabat cor virginis, quando corpore dormiebat, quia clara illa cognitio beneficiorum Dei, quam habebat, & eorum innumerabilis multitudo vrgebat cor illud ad innumerabiles Deo laudes decantandas, in animo grato hoc est onus beneficiorum Dei, vt cum primum in memoriam venerint, compellunt, & vrgent, vt accipiens, accæpti beneficij sit memor in omni tempore, & non creaturis, sed vniuersali omnium Creatori, & datori Deo gratias referat, & suum largitorem laudet, & benedicat, Elisabeth exultationem fœtus sentiens in vtero, & tot beneficia sibi collata à Deo voce Mariæ. *Ecce enim vt facta est uox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo*. Luc.cap.1.n.44. vt minus perfecta ad creaturam laudandum se conuertit, Luc.

Mariam laudabat, Mariæ laudes decantabat; *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vndè hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* Luc.cap.1.nu.42. Luc.

Mariæ verò Deum beneficiorum cōfitetur Auctorem, & vt donatori suo ipsi soli psallit, laudat, & gratias agit. Quando Deus primò creauit molem terræ vniuersalis, de ea Sacer Cronista testatur, quòd *erat inanis & vacua*; vt legimus in primo cap. Genes. Septuaginta legunt: *Inuisibilis, & incommposita*: si Dei perfecta sunt opera, cur hoc potius? quàm visibilem & spectabilem non creauit eam? ne homo creaturę redderet gratitudinis vices, laudem, & gratias, quas soli Creatori debet, & tenetur, arguté huic obiectioni, respondet D. Chrysostomus hom.2. in Genes. *Ne homines ob vsus necessitatem, plusquàm dignum est terram venerentur, ostendit primò rudem & absque forma, & inespoliatam, & ne beneficia terræ telluris naturæ imputes, sed ei tribuas, qui illam ex nihilo creauit*. Septuag. D. Chry.

Verè Dei psalterium tantummodo cor Mariæ, quæ Elisabeth creaturæ referenti, seù imputanti, & non Deo, dona ipsi sic cumulatè à Deo collata Virgini, respondit personuitque dulciter. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. Luc. cap.1.num.46. quasi diceret, Deo tribue, Deum lauda, Deo gratias age, & non mihi; mihi ò Elisabeth ascribis, quæ Dei sunt? scito, nihil mihi imputo, sed Deo, qui de nihilo creauit; *Fecit mihi magna, qui potens est, ipse respexit humilitatem ancillæ suæ*; En ò anima mea, quàm meritò nomen psalterij vendicat sibi Maria, & sic respondendo, & Elisabeth instruit, & tibi quid faciendum reliquie exemplum, vt beneficia ante oculos mentis semper habeas, & intimè mediteris. Luc.

Ne cor Virginis ingratitudinis nota criminaretur, quia vt inquit D. Bernardus serm.4.psal.90. *Accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus*; in meditatione beneficiorum Dei semper vigilans mentis oculo, semper contemplans, & ante oculos semper habenda, & præmatura consideratione semper pertractanda. optima beneficiorum custos est memoria beneficiorum, qua memoria, & clara cognitione eleuabatur cor D. Bern.

illud

illud virginale ad agnitionem bonitatis Dei, & dilectionis diuinæ, qua nos dilexit, & diligit, & sic gratitudinis sagitta percussum continuè vrgebatur ad amandum, laudandum, benedicendum Deum, & vt datori suo omnium bonorum ad gratias agendum.

Ad hoc spectat illud Isaiæ vaticinium, seu cuilibet animæ fideli salubre consilium; *Leua in circuitu oculos tuos, & vide*. Isai. cap. 60. num. 4. cur flectendi sunt oculi in circuitu? quid circulus hic? & quorsum directum? nisi vt cuncta creata non passim, & in superficie, sed intimè studeat rimari, non est creatura licèt minima, & minutissima, non est locus, nec pars aliqua mundi machinæ, vertat mens humana oculos, quò voluerit, quin beneficijs diuinis non videat refertam, & circumamictã; *Leua in circuitu oculos tuos, & vide*; quonam pacto cuncta sint Dei beneficijs plena, & exuberantia, in benefactis diuinis dilatescit diuinus amor, diuina bonitas, diuina misericordia, & Dei magnificentia, liberalitas, omnipotentia, & Deus ipse, quid est quod circumuallatum non sit Dei beneficijs; *Leua in circuitu oculos tuos, & vide*; & quæ exterius apparent, & quæ interius latent, si intimè attendas stimulus sunt, quo te vrgent, quo te prouocant, vt creatori tuo, saluatori tuo, donatori tuo, in cunctis creaturis persoluas gratitudinis debitum, & gratias agas, & Deum ipsum laudes, & benedicas, quẽ in beneficijs reperies gratis effusum.

Isai. — Isai. c. 60. — Isai. c. 60.

In commentarijs huius loci lege Oleastrum, qui sic dicit; *Non sunt dissimulanda, aut sine maxima intentione prætereunda dona, & beneficia Dei, sed linceis, vt aiunt oculis, penetranda, vt non solum ea, quæ ante te sunt, videas, sed etiam ea, quæ sunt in circuitu tuo, & licèt ad turpia, vitia, & terrestria visus dimittendus sit, leuandus tamen nimium est ad munera Dei, aduerte etiam quomodo vndique circundaris beneficijs, & donis Dei*.

Oleast.

O quàm exactè, ò quàm sine intermissione circuitum beneficiorum Dei cucurrit cor virginis, sicut sine intermissione vigilabat, sic continua meditatione contemplabatur, non linceo oculo, sed clara luce, diuino quodam lumine assiduè intuebatur meditando, contemplando, intimè percurrebat omnia, ò anima mea quã amoris flamma succensa Maria ardebat? qua veritatis luce perfusa scrutabatur, rimabatur, & penetrabat intimè vim, & altitudinem beneficiorum Dei, & in ostensione gratitudinis cordis sui, assiduè vigilabat, vt videret, videns cuncta Dei beneficijs circulo perfecto, & ambitu circumuallata, & stipata vigilabat, vt Deo gratias ageret, vt præsentia semper haberet, non sua tantum, sed quæ cunctis creaturis, & singulis Deus contulerat, & contulit, & confert laudibus diuinis, & in gratijs agendis de acceptis non cessabat Virgo quia Deus non cessabat dona sua cunctis præstare, & vt ipsa perfectè persolueret gratias pro ijs, quæ sibi, & quæ creaturis omnibus præstitit Deus, & tibi quid faciendum exempla præmonstrat, ait; *Magnificat anima mea Dominum, Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. Luc. cap. 1. num. 47.

Luc. — D. Chrys.

Recogitemus singuli, dicebat D. Chrysostomus homil. 38. in Actib. Apostol. *quòd sibi peculiariter datum est, recogitemus autem id quotidie igitur, quòd magnam hoc habeant vim, vnusquisque nostrum apud seipsum recogites, & diligenter scrutetur, num aliquando in periculum prolapsus, hostium manus effugerit, & beneficia Dei, quæ conscribi præ multitudine nequeunt, tamquam in libro habeat*.

Cur Sanctus in libro conscripta nos habere consulit Dei beneficia? Nisi quia optima beneficiorum custodia est memoria beneficiorum, en vnde trahebat ortum interrupta vigilia cordis Virginis, vt ne per morulam quidem à Dei beneficijs oculos clauderet, & præsentia iugiter non haberet, vigilabat ad cognitionem, vigilabat ad contemplationem, vigilabat ad recordationem, vigilabat ad gratiarum actionem.

Huius beneficiorum Dei cognitionis iugis memoria operabatur in Virgine, vt quæ omnibus sunt communia, sibi peculiaria vendicabat Maria, vt quæ toti mundo sunt donata sibi faciebat propria, vt pro omnibus in gratijs agendis Deo ipsa sola videretur ob noxia, qui actus vtique grati animi est signum reputare sibi propria, quæ communiter omnibus sunt largita à Deo. Præs & fideiussor esse non dubitat, dùm in suo harmonico cantu cecinit. *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*;

Luc. c. 1.

Num

Num pro ipsa sola redimenda factus est saluator? & pro ipsa sola Deus factus est homo? cur, *in salutari meo*, si communis & vniuersalis fuit Redem-
Luc. c. 1. ptor? *Quia fecit mihi magna qui potens est*; Cur mihi? si Deus in omnes se effudit. *Respexit humilitatem ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent om-*
Luc. *nes generationes.* Luc. cap. 1. numer. 48. Num et alios non respexit Deus? cur; *humilitatem ancillæ suæ?* Si Christus venit, vt omnes saluos faceret? O ardens cor Virginis ô dilectionis flamma, quę ex beneficiorum Dei cognitione, meditatione, & recordatione succensa ardebat in Virgine, & sui ardoris flammæ adeò sursū eleuabantur, quòd pro omnibus se fecit obnoxiam Deo, vt pro omnibus & Deum laudaret, & Deo gratias ageret. Audi anima mea illam, quæ sic fatetur in Canticis cap. 2. n. 16.
Cant. Paginus. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Pagnin. *Dilectus meus est meus*; Num Virgo sacratissima tuus solus est Deus, & non noster? si communis est, cur, aut quomodo factus est tuus, ita peculiaris, vt dicas; *Dilectus meus est meus*; huius difficultatis solutio pendet ex verbis, quæ respondit olim Deus Moysi interroganti: *Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis, Deus Patrum uestrorum misit me ad uos. Si dixerint mihi, quòd est nomen eius? quid dicam eis? Dixit Deus ad*
Exod. *Moysen: Ego sum qui sum.* Ait. *Sic dices filijs Israel, qui est misit me ad uos. Dixitque iterum Deus ad Moysen: Hæc dices filijs Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos.* Exod. cap. 3. nu. 13. 14. & 15.

O anima mea si Dominus Deus erat Deus patrum vestrorum, ad quid illa trina diuini nominis repetitio in appellatione singulorum patrum; *Abraham, Isaac, & Iacob*? O misteria, ô Sacramenta, tanta est bonitas Maiestatis Diuinæ, vt addiscas, quòd ità se gerit Deus erga quemlibet illorum patrum sua prudentia cura, sollicitudine, & gubernatione, sic singulariter ac si vnius tantummodo esset Deus, sic vni vacat sua prouidentia ac si vnius solummodo curam haberet, sic vni attendit, ac si vno solo ditando muneribus, cumulandò donis, replendo beneficijs, & in hunc vnum solum liberando, salutando, redimendo, glorificando, beatificando effudisset vires suæ bonitatis, ita est mens Diui Augustini lib. 3. confess. cap. 11. D. Aug.
O tu bone omnipotens, qui sic curas unum quemq; nostrū, uelut solū cures, & sic omnes tāquam singulos curares ac diligeres.

Hoc est quòd intendit Maria, quando dicit; *Dilectus meus est meus*: ac si diceret, tanta est Dei bonitas, quòd sic mihi soli intendit, vt omnem curam suam, & studium in me vna sola sua beneficentia effundendo, cohonestando, cumulando totus videretur impensus, pro omnibus natus est homo, pro omnibus redimendis passus est, sed dico; *Salutari meo, & fecit mihi magna*: Non quòd velim cohangustare amplissima Dei munera, & per orbem terræ diffusa, sed vt pro omnibus me exhiberem obnoxiam in Deum laudando, & Deo gratias agendo. Audi D. Bernardum serm. 70. D. Bern.
in Cantic. *Ille mihi & ego ille, ille mihi, quia non sum ingrata, ille mihi gratiam, ex gratia, ego illi gratiam pro gratia, ille meæ liberationi, ego illius honori, ille saluti meæ, ego illius voluntati, ille mihi, & non alteri, quoniam vna sum columba eius, ego illi & non alteri.*

O vis amoris, quo vrgebatur cor Virginis, vt amori dilecti inctaret Virgo, vt pro omnibus esset obnoxia, & fideiussor in gratijs agendis, solum datorem, solum suæ salutis Auctorem intendens solum spectabat, quòd extitit suū salutare, vndè illi soli, & non alteri exultat. *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo* Luc cap. 2. nu. 47. Luc.

Quàm frequens istet gratiarum actio ne esset cor Virginis, & quàm feruens ex ijs, quæ illi acciderunt apertè præmonstrari potest, euectam confitemur, & exaltatam super choros Angelorum, vndè in Maria, tàm alta sublitas? & tàm sublimis dignitas? constituta super omnia à Deo creata? Diuus Bernardus in D. Bern.
serm. 4. in psal. 90. inquit; *qui fidelis inuenitur in modico iure constituitur super multa*; Audiamus & Diu. Chrysostomum hom. 26. in Matth. vbi sic habes; D. Chrys.
Agamus gratias non de proprijs tantum, verum etiam de alienis bonis: hoc munus erat Virgini multum familiare, hoc quippè, idest esse assiduus in gratiarum actione pro acceptis à Deo beneficijs, & à terra nos liberat, & trasponit in cœlum, atque ex hominibus Angelos facit, nam & illi ordinantes choros pro ijs, quæ nobis collata sunt bonis, gra-

tias agebant Deo,atque dicebāt. *Gloria in altissimis Deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*:huc vsque Chrysostomus, & nos Virginem videmus ex homine iam eleuatam super Angelos, cur hoc? quia fuit fidelis in modico, meritò videmus supra multa constitutam.

Vna gratiarum actio præponderat omni sacrificio legali,& omni sacrificio est Deo gratior; *Immola Deo sacrificium laudis* dicebat Sanctus Dauid psal. 49.num.14.*& redde altissimo vota tua*: de omnibus gratias age. Decem leprosos expiauerat Dominus Iesus à lepra, *& dum irent, mundati sunt*, inquit Sanctus Euangelista Luc. cap.17. num.14. iuxta legem Moysis, ad Sacerdotes miserat illos Dominus, e quibus vnus sanatis in via *regressus est cum magna voce magnificans Deū,& cecidit in faciem suam ante pedes eius, gratias agens*, omnibus præceperat,vt irent ad Sacerdotem, & offerrent sacrificium pro sanitate recuperanda, & cunctis sanitati iam institutis, cur nouem duntaxat præcepit munus offerre, & decimum non remisit? si hic sanitati donatus erat,vt cæteri, cur nouem iussit munus legis offerre, ab hoc qui Samaritanus erat nihil exigit? cur à lege legali hunc solum fecit immunem, & remisit in pace? Audi in hoc antiquum Tertullianum lib.4. contra Marcion.cap.34. *Vnum*,inquit ipse,*illum solum ex decem memorem diuinæ gratiæ Samaritanum, miratus,non mandat offerre munus ex lege,quia satis iam obtulerat, gloriam Deo reddens gratitudo animi de accepto beneficio, decimum liberauit à mandato legis, & quia reuersus est cum magna voce gratias agens, hac vna gratiarum actio tam grata fuit Christo Domino, vt hac vna, omnia debita legalia potuit de facilè compensare, quando procidit in faciem suam ante pedes Iesu,gratias agens,tunc immolās sacrificium laudis reddidit vota cordis sui Deo tunc hoc vno satis obtulit,prænalet sacrificium laudis sacrificio legis*. Benè exclamat S.Chrysostomus homil.1. ad populum. *Magnus thesaurus gratiarum actio, magnæ diuitiæ in consumptum bonum armatura fortis*: hic thesaurus reconditus in corde Virginis, vnde ad hoc vigilabat, vt Deo gratias semper ageret, & Deo in omnibus, & pro omnibus gratias agens continuè immolabat hoc Deo sacrificium laudis, & quæ fuit fidelis in omnibus, en meritò super omia nunc videmus in Cœlo constitutam.

David Proph. | Luc. | Tertull. | S.Chryſ.

Hinc dicebat D. Anselmus, quia *qui vult alia impetrare, debet ex perceptis gratus esse*: & D. Brun. *Redditio gratiarum ad impetranda futura vtilis est*: valet recordatio beneficiorum Dei cū gratiarum actione confirmare animos nostros labentes ne ruamur in malum, ne labamur in perditionem, inter futura beneficia quæ gratitudo, & gratiarū redditio facit nos impetrare, & mereri & salus, & salutis certitudo.

D.Ansel.

Noudum erat cæna finita,nec adhuc surrexerat Dominus, quando adhuc suis manibus ministrabat discipulis sui corporis ferculum. Sanctus Euangelista loquens de Iuda, qui vnus erat ex discumbentibus.*Cum ergo accepisset ille buccellam,exiuit cōtinuo*; Ioan. cap.13.num. 30. Nihil immoratus, nec expectauit, vt de more solito gratias Deo agerentur, sed accepta buccella statim exiuit, quò iuit? quò perrexit? quò progressus est? nisi vt ingratus beneficio ad proditionem benefactoris perrexit traditionis occasio, & sui lapsus à culmine Apostolatus in damnationem causa fuit, quia dimissa gratiarum actione, recessit à Christo, quia continuò exiuit, suam damnationem præmonstrauit,ita docet D.Chrysostomus hom.de baptismo Christi.*Quando vltima cæna communicauit, Iudas nocte illa postremā cæteris omnibus recumbentibus ipse se proripiens excessit, illum & imitantur & isti, qui ante vltimam gratiarum actionē discedūt,nisi enim exisset, ille proditor factus non esset*. ô formidabilis casus, *nisi exisset,proditor factus nō esset*.Tanta vis inest gratitudini,& gratiarum redditioni, quòd labentem Iudam à lapsu tenere potuisset, si statim de cæna non surrexisset,si gratus beneficio fuisset,quòd tunc acceperat,& debitas soluisset gratias,custodire,tenere, gratiarum redditio potuisset, ne se in tantis perditionis laqueis inuolueret.

Ioan. | S. Chryſ.

O infælix oblitus beneficijs, surrexit e cæna,vt ingratus nullis gratijs primò persoluris exijt,vt curreret ad proditionem sui datoris, descendit ad præcipitium, & suffocatus remansit in centro æternę suæ damnationis.

Addisce o anima mea à Virgine Deo gra-

gratam te exhibere, vigila ad Deum laudandum, agnosce Dei tui beneuolentiã, esto grata gratias agendo, en Virgo tibi præbet exemplum, si mensa sua Dominus Iesus dignam te fecit, commorare cum discumbentibus, cum eis gratias age, vt gratiarum actio te in bono confirmet, à lapsu te retrahat, à ruina te saluet, insurgentibus tentationibus & pene his sua custodia te muniat, protegãt & defendat, optima quippè beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confessio.

Huius lapsus timor, & periculum quamuis longè abesset à Virgine, ipsa tamen vt gratissima Dei beneficijs, sicut nulla erat hora, vel punctum, quo Dei beneficio non vteretur, non frueretur, sic nullum adiudicauit abire momentum, quo Deum non haberet ante oculos, & in memoria eum diligendo, & eidem pro acceptis gratias exhibendo, nescit sterilescere in animo grati, virtus gratitudinis, imò fructus eius fœcundissimè fœcundat, & multiplicat, nouisque in dies augmentis coaceruat, & coagmentat, quòd & in Virgine absque hæsitatione probari potest, quæ vt supra probatum est, cum esset fidelis in modico supra multa constitutam euexit eam Deus, quæ tam humilis erat, tam parua, & vilis, quonam pacto eleuata est super choros Angelorum? dicam quæ sentio, fuit sui cordis vigilãtia ad Deo gratias agendum, sedula erat Maria de acceptis, & de accipiẽdis, vel gratias agere, vel etiã sæpissimè gratias præmittere. Hæc erat fœlix illa concertatio qua Deus, & Virgo Deipara simul concertabant. *Dilectus meus mihi & ego illi*; Cant. cap. 2. num. 16. Ille mihi dona sua conferendo ego illi gratias agendo, ille mihi me cohonestando beneficijs, ego illi laudes rependendo, & quo sedula & solcitior erat Maria in reddendo Deo gratias pro acceptis, eò feruentior Deus in Virginem se totum diffundẽs cum suis essentialibus donis, vbi crescit gratiarum actio, vel redditio, eò crescunt, & Dei munera. — Cant.

Inter portentosa Christi facinora valde memorabile illud censetur, quòd prænotatur ab Euangelista Ioanne c. 6. suæ historiæ, quòd Iesus paucissimis panibus, quinque numero fuere, & non pluites, satiauit illam multitudinem hominum copiosam, quando acceptis quinque panibus in suis manibus, adeò illos multiplicauit, quòd potuit quinque mille hominum satiare, et de fragmentis impleuerunt duodecim cophinos. — Ioan. Eu.

Quæ potuit esse illorum panum multiplicationis causa moralis? Non loquor de causa effectiua, quæ fuit potentia illius, cui nihil impossibile, sed de morali, attende verba Euangelistæ, cui placuit tibi innotescere quando dicit. *Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus*. Ioan. cap. 6. num. 11. quasi diceret, quid miraris? si de paucis his panibus satiauit Dominus quinque millia hominũ, hæc panũ multiplicatio emanauit ab actione gratiarum, antequam distribuerentur discumbentibus præmissa, quia primò gratias egit, panes multiplicantur, eruditè hic annotauit Abbas Franconius. *Tanta autem post gratiarum actionem secuta est vbertas benedictionis, vt de paucis panibus, tot millibus satiatis, fragmenta, quæ superfuerunt duodecim cophinos exuberarent.* — Ioan. Eu. — Franco. Abbas

O anima mea, & quæ donorum incrementa non acquirit anima grata Deo? quæ noua munera non respondẽt ei, si de acceptis extitit gratissima suo largitori? qui & si Virginem tot muneribus cumulauit, tam sublime euexit, si super Choros Angelorum constituit, & muneribus munera in dies cumulauit, hæc in Virgine donorum, gratiarum, munerum, beneficiorum multiplicatio, à radice gratitudinis, & redditionis, & actionis gratiarum Deo redditarum emanauit, pullulauit, & excreuit, vt etiã in nos effundens satiaret, & plenè expleret.

O anima mea, panis quo mundus totus satiatur, vnus est, & hoc vno non quinque millia, sed millia hominum pascuntur, satiantur, saginantur, & viuunt, & vita vera, vita æterna viuunt, panis qui supra altaris mensa expositus tibi porrigitur, vt comedas, & viuas, coctus est igne Spiritus sancti in vtero Virginis, panis est quem Virgo genuit, Virgo gremio fouit, materna cura nutriuit, & de Virgineis sanguinibus Spiritus sanctus efformauit, hinc dicebat D. Bernardus ser. 2. de Natiuitate Domini. *Fœlix mulier benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus superueniente igne* — S. Bern.

Spiritus sancti coctus est panis iste.

Et huius vnius panis multiplicatio in tot millia hominum, vndè ò anima mea emanat? quis auctor? quis huius miraculi perpetrator? quò ad causam moralem, nisi illa cuius amore donarū est, & quotidie donatur, cum eodem diuo Bernardo concludens dico. *Perpende quantum debes huic Virgini, & quas illi post Deum gratias agere debes, impar est illi omne humanæ linguæ præconium, si de carnis suæ visceribus tibi protulit cibū ut viuas, & viuas Deo:* quas gratias, quas laudes tibi rependā ò Maria ò Maria, quibus te laudibus efferam nescio, si impotens, si indignus, si incapax ego infælix, nec te laudare, nec tibi debitas gratias agere valeo, adiuua infirmitatē meam, robora imbecillitatem meam, tua puritate munda impolluta labia mea, munda & cor meum immundum, quo purgato igne tuę dilectionis, quo possum voce tibi gratias ago, te laudo, te benedico, & si exilij est hæc mea laus gestio te laudare cum spiritibus illis supercælestibus, qui non cessant te laudare, & tibi quotidie gratias agere.

Idem Sanctus.

Sub vmbra huius ramusculi confugio, fultus spe veniæ, confisus de tua benignitate, si te traxit amor Dei, & tua erga me benignitas, vt quæ erant omnibus communia, tibi fecisti peculiaria, vt pro omnibus esses obnoxia, & debitrix Deo in gratijs agendis, ipsa te cogat benignitas, doce me sub vmbra huius ramusculi te laudare, te benedicere, & tibi gratias agere, & licet sim indignus omni bono, potens es ò Maria vt per te accipiam omne bonum, age ò Maria, vt sim bonus, vt bonus effectus dignè te laudem, & benedicam nomen sanctum tuum, quòd sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria mater Iesu filii Dei, te præcor ò Maria monstra te esse matrem & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea: sub umbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE VMBRA TERTIÆ PALMÆ VIRGINEAE.

Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Cant.c.2.n.3.



AD annos nubiles, in domo Domini iam plantata secus decursus aquarum virentium, cum peruenisset nostra Palma Virginea, & quidem copiosius Dei impinguata spiritu, omniumque virentibus vernans ipsa virtutum, & perfectionum folijs, necnon & puritatis, pulchritudinis, & innocentiæ quàm plurimis affluens florum odoramentis, ac feruentium desideriorum cœlum versus expansis dilatatisque ramusculis superæ, & irrite ò anima mea, vmbram vt expanderet suæ protectionis, vmbram obumbrantē non effecit, non emisit, non emanauit, non protulit, non expandit, nisi duplici ipsa primò esset obumbrata vmbra sponsi Ioseph, videlicet, & Spiritus sancti, ac vt virginali suo vtero conciperet, & pareret, illa vt aptè, & congruè portaret, & effunderet, hinc factum est vt primò desponsaretur Iosepho, quàm Spiritus sancti fæcundaretur vmbra, & conciperet eum, eu us fructus contemplantis gutturi esset perdulcissimus, & vmbra producentis palmæ eidem esset suauissima.

Et hoc est, quòd tibi Virgo vult innotescere dum eam sic iucundè canentem audis. *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant.cap.2.n.3. & vndè ò Virgo benedicta, & quale hoc tui cordis singulare desiderium sedere sub vmbra, & fructus tanti desiderati degustare sub vmbra? nimirum vt arbitror non aliundè nisi ex fonte Sacræ Scripturæ, & ex claritate diuini luminis, quo aduentum filij Dei in carne ad salutem omnium super omnes, & singulariter & prænouit & ardentius desiderauit. Cant.

Quod desiderium fuit etiam, & antiquorum patrum, quorum voces & vota vnanimiter conspirabāt in vnum, nempè desiderare, & videre in carne mortali Messiam in lege promissum, vt satis apertè ostendit per Aggæum prophetam cap.2.n.7. ipsemet Deus inquiens. *Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes*, qui hic motus? nisi ardentis desiderij, quò tenebantur, vrgebantur, angebantur antiqui illi Patres, & amoris stimulo stimulabantur videre præoptatum, & desideratum: *Et veniet desideratus cunctis gētibus*, idem proph. cap.2.n.28. vel vt hebraicè habetur, *Desiderium omnium gentium*, proh vis amoris, & desiderantium ardens desiderium desiderati. Si Cœlum, si terra, si mare, si arida, si insulæ, si gentes idolorum cultrices, quę nec oculos, nec aures, nec viscera, nec cor possident vt Messiam agnoscerent, amarent, viderent, aut intelligerent desiderio commotæ sunt in aduentu Messiæ, duntaxat propter hoc, quia obiectum erat summæ desiderabile, & totum desiderium, quid Patriarchæ? quid Prophetæ? qui videntes interpetrantur, et fidei lumine agnouerunt, et viderunt, et è eglo accęperunt promissum, flammisque amoris ardentes ità desiderauerunt, ità auidè et præstolati sunt, vt etiam post mortem hoc eum ossibus desiderium secum asportauerunt, et in sepulchro condiderunt, quorum sub eineribus ignem flagrantis desiderij conturati sunt, sic nobis testatur Apostol. ad Hebræ.cap.11.nu.13. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus*, et Ioseph ille Aegypti salutator hoc idem satis apertè insinuauit dicens, *Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Genes.c.50.n.25.

Aggę.Pr.

Id.Prop.

Lect.heb

Paul.Ap.

Genes.

O anima mea quid Maria? quæ ardentioribus tot flagrabat flammis desideriorum, tot peracutis, et pungentibus

bus

bus incitabatur stimulis, adeò ut illorũ patrum desideria concupiscentium, quã auidè Verbi Diuini temporalem conceptionem, et ortum Virgineis comparata desiderijs, suspirijs, lacrymis, præcibus, uocibus, uotisque, et flammis, torpor censeri potius uidebantur, quàm ardor, et feruor, nam Virgo clariori luce circumfusa, et uberiori lumine tota circumamicta clarius et perfectius ipsum Dei Verbum ob diuinam, et infinitam suam bonitatem magis desiderabile cõtemplabatur, intelligebat, et uicinius mentis oculo intuebatur.

Vndè desiderati allecta desiderio, et quidem descripta desiderati sui cordis in Canticis singularium partium pulchritudine, et per totum corporis elegantia, laudans illum à planta pedis usque ad uerticem capitis, uolens quasi in unum illius complectere laudes, quasi per compendium, protupit in hæc uerba, *Et totus desiderabilis*. Cant. c. 5. n. 16. Septuaginta legunt, *Totum desiderium*, et Nyssenus, *Nihil nisi desideria*. Cant. Septuag. Nyssen.

Erat aduentus filii Dei totus desiderabilis, et uocibus, uotisque flammigeris, ignitisque desideriis postulandus, et præstolandus, sed sub umbra, at Virgo quæ sic accinit, *Sub umbra illius, quem desideraueram sedi*, et cur sub umbra desiderati desiderat frui fructibus Virgo hæc benedicta? Cantic. c. 2. n. 3.

Nimirum ut quàm ineffabile sit, præmonstrat huius sacramenti mysterium ut Virgo uirginitate seruata facta sit mater non cuiusuis partus, sed Dei, quẽ ut conciperet Virgo, et concipiendi ca peret modum, quem non potuit ab Angelo, intelligat et capiat et Virgo, et ma ter effecta concipiat sub umbra. Ad hęc spectant uerba D. Athanasii sermon. de Deipara. *Obumbrauit Mariam virtus altissimi corroborans eam, & diuinæ vmbræ imaginem induxit, vt inde lineamentis collectis, videre posset, quatenus possibile est, Deum formæ expertem in se concipi, vtpote obumbrante illam virtute altissimi, & vmbras lineamentaque quasi faciente*, hæc ille. Et quem sub Spiritus sancti concępit umbra, sedens sub umbra Ioseph cœlat ut congruè portet, et ueniat ad partum: undè non nisi obumbrata Maria primò sub umbra obumbrat filium Dei, sede et tu sub umbra huius Palmæ Virgineæ ut ramusculorũ perdulcissimos carpas fructus, sũt enim D. Atha.

et fructus, et flores, et folia, et umbra ad tui custodiam, protectionęm, & salutẽ, si tuæ salutis fructus pendent ab vmbra huius palmæ, esto sub vmbra illius, imitare Mariam, vt possis & tu dicere cum illa.

Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Cant. cap. 2. n. 3. O quàm fœlix, ò quam verè Beata Virginis hac sub vmbra Spiritus sancti sessionis quies, & commoratio, sub qua idcircò obumbrata sedet, vt tibi innotesceret Virgo semper benedicta hac sua sessione, & quàm fuerit vehemens, & ardens, quàm flexibile, & immutabile sui cordis desiderium desiderati frui dulcedine fructus, quem vt sua uiter degustaret, conciperet in vtero, & concipiendi modum, qui ex sui natura incomprænhensibilis erat, & ineffabilis omni creato intellectui, etiam Angelico ipsa sola intelligeret, nam & Angelus, qui tanti mysterij ad Virginem simplex fuit nuntius, cum accepisset ab ea, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* illam ad Spiritus sancti vmbram legimus remisisse dicens, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Luc. c. 1. n. 35. Cant. Luc.

O anima mea si Spiritus sancti referebat, & modum concipiendi aperire Virgini, & ipsam sua vmbra fęcundare prole diuina, eiusdem nimirum intererat & matris, & prolis consulere honori, ex quo factum est, vt D. Euangelista Matthæus testatur, quòd primò despon saretur Maria Iosepho, & postea fæcundaretur æterni Verbi Conceptione. *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam conuenirent inuenta est in utero habens de Spiritu sancto*, Matth. cap. 1. n. 18. Cur non de simplici Virgine concipi voluit Dei Patris Verbum? sed de desponsata? ne matris & filij honor, seu fama denigraretur infamia, de Virgine sic habes à D. Ambrosio lib. 2. in Lucam. *Desponsata fuit Virgo ne temeratæ Virginitatis adureretur infamia, cuius grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre*, de filio verò sic scribit Albertus Magnus in Luc. c. 1. *Quia si non de desponsata nasceretur illegitimus haberetur, & sic doctrina eius iustè coram hominibus refutaretur*. Matthæ. D. Ambr. Alb. Mag.

O imperscrutabilis Dei sapientia, ò Deus summi consilii, qui prole diuina sub vmbra Spiritus sancti nouit Virginita-

nitate seruata fæcundare Virginem, & eiusdem, & partus sub vmbra Ioseph complacuit seruare famam,& honorem & vtriusque enim vmbræ fructus fuit Virginis gutturi perdulcissimus,vt me
Cant. ritò canat.*Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant.c.2.n.3.

Perdulcissimus fuit fructus sacerrimi coniugij inter Mariam, & Ioseph, quia non terrenum fuit, & humanum
Rup.Ab. tantum,sed cœleste,inquit in cap.1.Matthæi B.Rupertus Abbas. *O coniugium verum,& sanctum*,exclamat ipse,*coniugium cæleste,non terrenum,vnus spiritus, & vna fides erat in eis, sola illic carnis corruptio desiuit*, hæc ille. Quia Virgo tradita fuit à Deo Ioseph non ad copulam,sed ad custodiam tum virginitatis, tum famæ,& honoris, at hic fructus nô degustauit Virgo, nisi sub vmbra Iosephi.

Ipsammet Virginem audiamus quid dicat de hoc suo sacratissimo coniugio cum Ioseph. *Ego quasi Palma exaltata*
Eccles. *sum in cades*,Eccles.cap.24. n.18. est & alia lectio,quæ legit, *Ego quasi Palma*
D.Hier. *maritata sum in cades.*Cades iuxta Diui Hieronymi sententiam in lib.de nominibus hebraicis sonat idem,quòd apud nos *Sanctitas*,non fuit in hoc Ioseph, & Mariç connubio,quòd sanctitatis,quòd honoris,quòd honestatis,quòd gloriæ, quòd puritatis non redoleret.

D.Ephr. Syr. D.Ephrem Syrus in tractatu de margarita scribens de Ficulneis,inquit, *Ficulnearum nonnullæ fructum non ferunt, nisi ramis maribus obumbrentur*. Sileamus de ficulneis,cum idem narret de Palmis, palmarum mares dum obumbrant fœminas,fructuosas illas efficiût, cum tamen neque illis misceantur, neque vllam ipsis substantiam præbeant.

En huius arboris miraculosa quasi proprietas,dum palma fœmina nullum fert fructum, nisi alterius palmæ præ-
Id.sanct. sentia,& vmbra. *Et ad fructus producendos non opus est*,inquit Sanctus, *vt radicibus inter se copulentur, vel ramusculis se tangant,nec masculus vllam substantiã præbeat,nisi vmbram tantum,& præsentiam.*O naturæ singulare prodigium, quid est Maria ò anima mea,nisi palma Virginea,vt ipsa ore suo testatur. *Ego quasi Palma maritata sum in cades.* En palma fœmina,& quid Sanctus Ioseph? cui nupsit Virgo? nisi palma masculus, teste Euangelista,quum dicit,*Ioseph autem vir eius cum esset iustus.*Matth.cap. Matthæ.
1.n.19.ac si dixisset, Ioseph autem cum esset palma Spiritu sancto per os Dauid dicente, *Iustus vt Palma florebit.* Dau.Pr.
Dauid.proph.psalm.91.n.13.O mira Dei sapientia,floruit illa palma Virginea,& fructus illius,fructus honoris, & honestatis,desponsatur Iosepho absque cuius tactu,sed virtute tantum Spiritus sancti fçcundatur,& concæpit, & peperit fructum ventris sui,sed non absque præsentia,& vmbra sponsi,& huius palmæ Iosephi, qui non substantiam præbuit,sed solummodo vmbram. *Ventris* Tertull.
fructus,inquit Tertullianus contra Marciam.cap.1. *dicitur caro Christi, quæ ex vtero Mariæ floruit, ideoque, & fructus uentris tantum nominatur,ut propriè uentris,quasi solius uentris,& non etiam viri.* Vir enim tantum præsentia profuit Virgini,& vmbra.*Ne*,vt inquit Ambro D.Ambr
sius,*temeratæ uirginitatis adureretur infamia*,si virginitas, & honor, & fama Virginis seruatur sub vmbra Ioseph, cur non perdulcissimi ij fructus gutturi Mariæ? dicat ergo & iucundè canat.

Sub vmbra illius quem desideraueram Cant.
sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Cant.cap.2.n.3. Cuius est hæc vmbra? sub qua Virgo benedicta sedere tam vehementi ferebatur desiderio? non alterius vtique,nisi Sanctissimi Ioseph,quê ob præclaras illius virtutes, & super omnes filios Adam perfectionum præstantiam componit ipsa cum malo inter ligna siluarum,inquiens.*Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter* Cant.
filios,Cant.cap.2.n.3.& immediatè subdit, *Sub vmbra illius quem desiderauerã sedi,& fructus eius dulcis gutturi meo*,& sedere sub vmbra, & vmbram facere coniugum proprium est, & vt testatur Tertullian.lib.de corona militis cap.4. quòd in die nuptiarum mos erat apud Iudæos in modestiæ, & honestatis insigne, sponsum sponsam suo operire pallio.*Apud Iudæos*,inquit, *tam solemne est* Tertull.
fœminis eorum uelamen capitis, ut inde noscantur, est & loquendi modus Sacræ Scripturæ,nã quãdo Angelus dixit Ma-
riæ. *Spiritus Sãctus superueniet,in te, &* Luc.
uirtus Altissimi obumbrabit tibi, ac si dixisset, opus nuptiale spiritus Sanctus vice humani sponsi sua diuina virtute ipse perficiet, maritale munus ipse côsumabit,ipse te fæcundabit, faciendo te

fæcun-

fęcundam, & conferuando te Virginem.

At hic oritur dubiolum, si sedere sub vmbra idem est, ac nubere, qua ratione Virgo purissima, quæ Deo virginitatem suam consecrauerat, has Iosephi potuit desiderare nuptias, & sedere sub illius vmbra? Dicam, quæ sentio, sine vlla suæ virginitatis iniuria, & absque vlla voti violatione, potuit, & desiderare, & hac sedere sub vmbra. dicente Diuo Bernardo; *Quòd quidquid de occultis diuinis scimus, aut scriptura docente, aut Deo reuelante, aut quòd est perfectorum (gustando didicimus:)* O anima mea, & quid perfectius Virgine, aut Deo vicinius ipsa? Virginis coniugium opus fuit Dei, à Deo inspiratum, nam antequam nuptui traderetur, cunctis omnibus orationi incumbentibus à Deum consulendum accessit in Sancta Sanctorum templi Summus Pontifex, & cunctis audientibus facta est vox, quòd illi desponsanda erat Virgo, cuius floruisset virga, & in cacumine eiusdem consedisset Spiritus sanctus in Columbæ specie, iuxtà oraculum. Isai. cap. 11. n. 1. *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini*; hoc testatur Diu. Germanus Archiepiscopus Constant. *Mansit Virgo in templo vsque ad secundam ætatem, tunc autem Dei nutu, & consilio Sacerdotum, de ea datur sors, & sorte eligitur Ioseph iustus*: huius solius ex omnibus de domo Dauid, Virga floruit, si oraculo suæ vocis Deus, si signo hoc externo indicauit Deus, cui tradenda erat Virgo, cur non Virgini altius & perfectius imò clarius reuelauerit.

D. Bern. | Isai. | D. Germ. Archiep.

Certa igitur ex diuina reuelatione, & ex diuina voluntate, cui tota se commiserat, quòd traderetur viro, cui perpetuam quoque erat in animo virginitatem colere, & illi sub nomine desponsationis desponsaretur non ad copulam carnalem, sed ad custodiam suæ illibatæ virginitatis, potuit absque voti, & suæ puritatis iniuria desiderare, & sedere sub hac Iosephina vmbra, & illi nubere, intelligens hoc sacrũ conubiũ esse tegumentum, seu velamẽ Incarnationis Filij Dei à Spiritu sancto compactũ, & compositum ex varietate, & perfectione omnium virtutum; firmare videtur hæc omnia D. Bernardus serm. 48. in Cant. meritò eius desiderauerat vmbram, *de quo refrigerium esset, & refectionem pariter acceptura*.

D. Bern.

Si sedere sub vmbra Ioseph desiderabat Virgo, cur relicta cęterarum arborum syluestrium vmbra, vmbram illius comparat vmbræ mali? *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Cant. cap. 2. num. 3. Duo sunt hic aduertenda. Primum est comparantis Virginis ingenium. Secundum, ipsius comparationis ad rem comparatam finis: Si ò anima mea, primum attendis, fuit vt tibi præmonstraret, tanta præfulgere Ioseph virtutum præstantia, quòd eminebat inter Sanctos, imò & aliorum vincebat, superabatq; sanctitates, & illi possumus ascribere, quę in hęc verba scripsit Doctissimus Origenus hom. 2. in Cantica. *Omnia ligna, omnes syluæ arbores ad comparationem Ioseph, sylua inferaces existimantur, quæ enim possunt dici ad eum comparata fructiferæ etiam ligna, quę videbantur fructibus incurnari ad collationem illius infructuosa monstrata sunt*: hæc ille, & subsequi, quæ in serm. 48. scripsit D. Bernardus: *Ipsi sunt namque (ac si omnes dixisset) ligna sylnestria, & infructuosa*: quoniam secundum Prophetam psalm. 13. *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum non est vsque ad vnum*.

Cant. | Origen. | D. Bern. | Dauid Proph.

Si comparationis finem attendamus, & ad rem comparatam huius vmbræ fructuum dulcedines voluit insinuare, & ipsa verè dicere; *& fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. cap. 2. nu. 3. Meritò, inquit Diu. Bernardus vbi supra: *Sicut malus, quæ instar fructiferæ arboris, & vmbrã refrigerij habet & fert fructum optimum, an non verè fructiferum lignũ Ioseph, cuius flores sunt fructus honoris, & honestatis.*

D. Ben.

Arbores enim, quæ celeberrimæ sunt vmbra, sunt Platanus, Vlmus, & aliæ permultæ, at infęcundæ sunt, & sine fructu emittunt vmbram, at malus & vmbram habet gratissimam, & fructus profert suauissimos, & vt arbor fructifera symbolum est iusti, de quo ait Psalmista psalm. 1. num 3. *Et erit tamquam lignum, quòd plantatum est secus decursus aquarum*, non syluestre, & infęcundum, sed fructiferum: *quòd fructum suum dabit in tempore suo.*

Dauid Proph.

Et bene malo comparatur, tùm quia

Philo. malus, vt docet Philo, amoris coniugalis ieroglificus est, tùm quia vt docet Plin. Plinius, malus symbolum est temperantiæ, vt describerent illi veteres scriptores hominem omni virtute præditum, D. Greg. Naz. inquit D. Gregorius Nanzianz. orat. 2. contra Iudæos. *Pinserunt Herculem olim*, ait, *virtutis, & probitatis figuram proposuit vetustas, tria poma manu sua tenentem*; Quæ symbolum erant temperantiæ, malis recentibus moderatio est, & signabant tres virtutes singulares. Prima erat, non excandescere. Secunda, non esse deditum auaritiæ. Et tertia, esse liberum à voluptatibus, meritò à Virgine malo comparatur Sanctus Ioseph, quia inter arbores non est, quæ eius exprimat figuram, vt malus, quæ amoris coniugalis est symbolū, & temperantiæ typus. Si prima virtus est, non excandescere, en quomodo in nostro Ioseph præfulsit mansuetudo, quando ita zelotypicum furorem, vxorem prægnantem videns ab eo intactam, cohi- Mat. c. 1. buit, quòd vt ait Euangelista Matth. *noluit eam traducere*; seu accusare. Si secunda docet non esse auarum, en quàm magna eius liberalitas, & animi magnificentia, quòd quidquid labore manuum suarū quæritabat, totum in prolis, & matris subsidium impendebat, & conuertebat. Si tertia est, liberum esse à voluptatibus, quis inter homines illo purior, & castior? qui tanta puritate præfulsit, vt meruerit Virgini sponsæ, quæ virginitatis est speculum, meritò Gerson. comparari, vt testatur Gerson in serm. de Natiuit. Virginis consideratione 3. *Sicut decuit Mariam*, inquit, *vt summa puritate niteret, sic decuit vt haberet suo modo, parem sponsum purissimum, qui cum perpetua Virgine, Virgo prius, & posterius permaneret*, hæc ille, vndè datus est Virgini in sponsum, non ad consumationem coniugij, sed ad custodiam virginitatis.

En quàm perdulcissimus fructus hic Cant. gutturi Sanctæ Virginis, vt sub vmbra illius læta canat; *Et fructus eius dulcis gutturi meo*. Cant. cap. 2. n. 3. sunt & alij fructus, quos ab arbore malo sui sponsi quotidie legebat Virgo sponsa, & tan- D. Bern. git eos D. Bernardus hom. 2. super missus est; *Non est dubium, quin bonus, & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater est desponsata Saluatoris, fidelis inquam seruus, & prudens, quem constituit Dominus sui & matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni con[...] coadiutorem fidelissimum*.

Piè contemplare, anima mea, Virginem sub vmbra Ioseph sedentem simul, & dicentem illi verba illa Isaiæ Prophetæ cap. 4. nu. 1. *Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum*: O quam Isai. Proph. suauis, ó quàm dulcis hic fructus, vt præ dulcedine exclamet vna cum filio, qui erat sub vmbra adhuc sui virginalis vteri, ne matris, & filij honor infamia turparetur, traditus est Mariæ Ioseph in sponsum, qui & Christi dictus est Pater, vt comedamus panem nostrum habemus, & vestes quibus operiamur, hoc tantum à te expostulo, vt super nos inuocetur nomen tuum, quid hac vmbra Ioseph suauius? & quis fructus hoc dulcior? quid est, *inuocetur super nos nomen tuum*: nisi vt vmbra tua nos obumbrando auferas à nobis opprobrium nostrum, quapropter & Christi dictus est pater, & Mariæ sponsus sub vmbra Ioseph.

Nonne Ioseph, vt dicit Bernardus D. Bern. fuit carnis Christi, & Virginis nutricium, coadiutorem, & solatium, cur Virgo dicit se suum habere panem quo se valeat substentare, nonne ex labore manuum Ioseph vixit Maria? quid est hoc, fateri, opus non habere, nisi vt suo nomine illi obumbret, vestimentis non indigere, sed tantum vt super eam vmbram effundat.

Velim scias, quòd Virgo vixit in templo vsque eò, quò tradita est Iosepho, & in templo non vixit de communi cibo, sed per manus Angeli quotidiè cibum sumebat, ita testatur Diuus Bonauentura in lib. suarum meditationum. D. Andreas Cretensis in oratione de dormitione Virginis, D. Gregorius Nicomed. Archiepiscopus, & Diu. Germanus in oratione de oblatione Virg. S. Bonau. S. Andr. Cretensi. D. Greg. Nicome. D. Germ. *Mansit*, inquit hic Sanctus, *in Sancta Sanctorum, seu in templi penetralibus, ambrosiam nutrimentum per Angelum accepit*: & quid mirum, quòd Angeli ministrent Angelorum Reginæ? & illi Virgini, quæ electa erat in Matrem Dei Altissimi.

Nec vestibus indiguit, quæ vna tantum tunica, & eadem illa, cum qua à matre præsentata fuit in templo, quæ

cum Virgine crescebat, & semper creuit vsque dum Virgo in hac vixit peregrinatione, sic enim habemus de tunica Christi inconsutili, opus digitorum manus Mariæ, vnica hac tantum vsus est Christus, quia illa cum puero Iesu semper crescebat, nec hoc in Virgine incredibile, in qua inquit Sapientissimus

Idiota Idiota in lib. de laud. Mariæ: *In Maria omnia priuilegia sunt congesta*: si hoc datum est Hebræis in deserto per quadraginta annos peregrinantibus, vt in paruulis vestimenta crescerent, & in adultis non scinderentur, neque veterascerent, hoc sunt illi insigniti priuilegio; cur non Virgo in qua omnia priuilegia Sanctorum sunt congesta?

Quando Virgo dicit; *Panem nostrum comedemus*: ac si diceret, si tu ô Ioseph times nos alimento ex tuo labore alere, & sustentare, noli timere: *Panem no-*

Isai. *strum comedemus, & vestimentis nostris operiemur*: Isai. cap. 4. nu. 1. sunt Angeli, qui quotidiè ministrant, & Deus ipse curam gerit de nobis, tantummodo tua vmbra indigemus, vt à nobis auferatur opprobrium nostrum, at Ioseph vt arbor fæcunda, & fructifera, & vmbram refrigerij præbuit, & fructus præstitit honoris, & honestatis, vt meritò dicat Virgo: *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi*

Cant. *meo*. Cant. cap. 2. nu. 3.

Hos honestatis, & honoris perdulcissimos fructus, vbi sua vmbra Ioseph sedens carpserit Virgo, sub vmbra Spiritus sancti legit fructus diuinitatis, & virginitatis, & mysterium tantæ altitudinis capit, & incarnationis, seu concipiendi modum intelligit, & non alibi, nisi sub hac vmbra, nam quando dixit;

Luc. *Quomodo fiet istud*? Luc. cap. 1. nu. 34.

D. Bern. *Non dubitat de facto*, inquit D. Bernard. hom. 4. super missus est, *sed modum requirit, & ordinem, nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo*, cui Angelus, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus*

Luc. *Altissimi obumbrabit tibi*. Luc. cap. 1. num. 35. Et quæ hæc obumbratio? vtique

D. Bern. captu difficilis, vndè sic exponit D. Bernard. vbi supra. *Qui potest capere, capiat: Quis enim excepta fortassis illa, quæ hoc solu in se fęlicissimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis sese visceribus infuderit, & vt illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset, de particula eiusdem corporis cui se animatè contemperauit, reliqua massæ vmbraculum fecerit? & fortasse propter hoc maximè dictum est, obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramento erat, & quòd sola per se Trinitas in sola, & cum sola Virgine voluit operari, solum datum est nosse, cui soli datum est experiri*. Hæc ille.

Tanti igitur mysterij altitudo, profunditas, immensitas, & modus ipse operandi soli Deo notus erat, & Virgini sub hac vmbra sedenti, mentibus Angelicis, & humanæ creaturæ, semper hoc diuinum mysterium sub vmbraticis fuit obumbratum velaminibus, nec capi vnquam posse, nisi sub vmbra hac Spiritus sancti.

Cum Deus Ezechię Regis Iudę, morti iam proximi, optioni daret in signũ suæ vitæ, & salutis, vellet ne vt vmbra Solis decem lineis ascenderet, an totidem gradibus ad suum reuerteretur & ortum. *Vis vt ascendat vmbra decem lineis*, sic legitur in lib. 4. Regum cap. 20. 4. Reg.
num. 9. *an vt reuertatur totidem gradibus*; Et cum non esset ascensio minoris miraculi, quã solis retrocessio, cur Rex descensum potius elegit, quam Solis ascensum in testimonium suæ salutis? & Deus ipse, cur hoc signum, non nisi in vmbra voluit præmonstrare? *Facilè est vmbram crescere decem lineis, nec hoc volo, vt fiat*: dixit infirmus Ezechias, *sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus*. Vmbra in lineis horologij solaris non formatur, nisi ex præsentia Solis, Sol iste, illum hic signat Solem, qui est lumen de lumine, & Deus de Deo, quapropter non ascensum præoptauit, quia Verbum patris, vt Deus, ne vno quidẽ gradu naturæ, licèt minimo potuit altior ascendere, seu perfectior fieri, sed exoptauit descensum vsq; ad decimam lineam, per quam natura signatur humana, ex eo quia post nouem Angelorum choros, & lineas perfectior Eua fit, & altior, dum ad illam descendit Deus, sibi vniuit, copulauit, & assumpsit. Audiendus est D. Augustinus in lib. de

D. Aug. prædestinatione Sanctorum cap. 19. *Prædestinata est natura humana tanta, & tam excelsa & summa subiectio, vt quò attolleretur altius, non haberet, sicut ipsa diuinitas quò se deponeret humilius, non habuit.*

O Deus cordis mei, quòd Verbum caro

caro factum sit, confitetur anima serui tui,& lumine fidei profitetur,quomodo autem hoc factum sit, quomodo tu Deus abbreuiasti, & imminuisti infinitam tuã Deitatẽ,& immensitatẽ in tam paruo folliculo carnis pernicornio, ob extremorum maximè distantium vnionẽ, non est humanæ mentis intelligentiæ, nisi sub vmbra Spiritus sancti,& vmbra velo fidei.

Quia Verbi incarnatio, seu vnio ad naturam humanam non fuit tantummodo apparens, seu accidentalis, sed substantialis, & realis, ita vt verè esset vna persona Deus & homo, quæ mens creata valet comprehendere Deum,purissimum, & simplicissimum spiritum fieri corporeum, & homo materialis corporeusque fieri spiritualis, & totus diuinus? Et quòd est mirabilius ita vniuir Deus maiestatem suæ immensitatis cum paruula nostra natura in persona Verbi, quòd sicut maiestas non imminuitur in sua immensitate,ita humana natura extollitur, & eleuatur, vt progrediatur extra suæ naturæ terminos, sed existens natura diuina in sua deitate, & immensitate, & humana in sua paruitate, factus est Deus homo, & homo Deus nõ confusione naturæ, sed in vnitate duntaxat personæ.

Formato Spiritus sancti virtute ex sanguinibus virgineis in vtero Virginis illo corpusculo,& anima illi infusa non substantia subsistit hominis,sed Dei supposito illius animati corporis persona seu suppositum, non hominis fuit, sed Dei,quòd si non Dei esset, sed hominis, non diceretur homo ille, homo Deus, necDeus homo,imo ausim dicere,quòd nostra salus, & redemptio tota corrueret, nam dum actiones sunt suppositorum, si vna Christi Domini non esset persona,non esset verus homo,nec pro homine moreretur Deus homo.

O vinculum amoris, ô immensitas dilectionis diuinæ,vt saluaretur homo, factus est Deus homo in vnitate personæ,qua vnitate ita eleuatur homo ad Dei vnitatem, quòd magis vnius est Deo homini,quãtum ad aliquid, quàm Verbum Patris patri, à quo generatur, quia in diuinis Pater, & Verbum duæ sunt personæ realiter distinctæ, at in Christo Deus,& homo,est vna persona.

D. Bern. *Inter omnia*,inquit D.Bernardus lib.5. de consideratione differens de vnitate circa medium, *quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres personæ vna substantia sunt, secundo loco,illa præcellit,quæ è conuerso tres substantiæ vna in Christo persona sunt*: hæc ille. Ergo in Christo, Verbum,anima,& corpus sine confusione essentiarum vna tantum est persona.

Quando igitur in vtero Virginis Verbum caro factum est, non vnitate naturæ, hoc est non ex natura diuina, & humana vnitus est Deus homini, nec homo factus est Deus,sed vnitate personæ ad participationem naturæ diuinæ assumptus & homo, & ita Deo vnitus, vt audeat dicere D. Augustinus in lib. 1. de Trinitate c. 10. *Cum filius sit Deus, & homo,alia substantia Deus, alia homo, homo potius in filio, quam filius in patre.* D. Aug.

Vt hanc personæ vnitatem, qua homo assumptus à Deo factus est Deus,& Deus homo,vt ipse innotesceret,inquit, hominem magis intimè esse in filio, quam filium in patre, non ratione naturæ, quæ vna & eadem est in patre, & in filio, sed ratione personalis vnionis, & quæ in Patre,& filio est alia, & alia in Christo Domino est tantummodo vna.

O vis amoris, ô imperscrutabile sacramentum excepta natura diuinæ vnitate in tribus personis, quæ maior vnitas hac vnitate? qua homo eleuatus est ad diuinam personalitatem,& Deus ipse factus est homo? vt homo non affectione seu amoris nexu, vt assolet amicus amico, tu alter ego, sed verè & realiter dicere potest Deo. *O Deus cordis mei verè tu alter ego, non transfiguratione*, inquit D. Augustinus in lib. 83.qq.q.37. *in hominem, sed habitu factus est, cum indutus est hominem, quem sibi vniens, & quodamodo sibi conformãs immortalitati,æternitatiq; sociaret.* Quid est hoc, ô anima mea? vilisne creatura sic eleuatur ad Dei societatem?qua via? quomodo?audi non me,sed D.Paulum Apostolum ad Chorinthios epist. 1. c. 1. nu. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri*: vt nos,qui Dei inimici eramus, essemus filij Dei, socij,membra, fratres, & cohæredes Christi, & hæredes Dei, insuper vt & patris, & filij, & Spiritus sancti associaremur societati, vinculo vnionis hipostaticæ consociatus est ipse naturæ humanæ, vt te in præmio fa- S. Aug. Paul. Ap.

 ceret

ceret consortem, & sodalem in mensa, quòd expressit D. Ioannes Euang. epist. 1. cap. 1. num. 3. *Vt societas nostra sit cum patre, & filio eius Iesu Christo:* quapropter exclamat D. Bernard. *O suauitatem, ô gratiam, ô vim! itane summus omnium vnius factus est omnium, quis hoc fecit? Amor dignitatis nesciens, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax, denique semetipsum exinaniuit, vt scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est.*

Ioan. Eu.

D. Bern.

Sed vbi quando, & quomodo? Nimirum quando sol ille æterni luminis nouem Angelorum retrogressis lineis, ita se demisit in centro vteri virginalis, & stetit, & lumine suæ claritatis decimam naturæ humanæ lineam irradians, vmbram effecit, & obumbratam eleuauit eam, quò altius eleuari non haberet, sociata diuinitati, & hypostaticè vnita Deo, vt Deus sit homo, & homo Deus? Quid hac altitudine altius? quid sublimius? quando vt caperet Virgo, & modum, & ordinem Angelus innotesceret Deiparæ ad vmbram remisit Spiritus sancti. Luc. cap. 1. num. 35. *Spiritus sanctus*, inquit, *superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi;* Sol idest Christi diuinitas tegmine se humanæ naturæ quasi vmbraculo quodam obtexit, quo mediante Virginis eum viscera ferre sufficerent. *Sicque virtus Altissimi,* inquit Ven. Beda in hom. de Annunciatione, *obumbrauit ei, dum diuina Christi potentia, & eam præsentialiter impleuit, & ut capi posset ab ea substantia se nostræ mortalitatis obnubilauit.*

Luc.

Beda

Sub qua vmbra Virgo & modum intellexit, & fæcundata concæpit, & Virgo perdulcissimos fructus degustauit, vt verè dicere posit. *Sub umbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. cap. 2. num. 3. vt hac obumbrata vmbra, nos obumbraret facta est ipsa vmbra nostræ protectionis, & salutis. Satis obseruauit hoc D. Idelphonsus serm. 4. de Annunciatione B. Mariæ Virginis. *Quia illa meruit uirtute Altissimi obumbrari, nos mereamur eius precibus adiuuari:* inter fructus quos ab vmbra Spiritus sancti legit, & degustauit Virgo, hic illi, & nobis perdulcissimus est, nempè fructus nostræ salutis non est vulnus animæ, nō est cordis humani virus, qui sub vmbra Virginis non curetur.

Cant.

D. Idelp.

Ægrotanti Ezechiæ, & morti proximo fieri magnô sanitatem obtinuit à Deo, qui ad vitæ productionem eisdē addidit quindecim annos, vt habetur in lib. 4. Regum cap. 20. num. 6. sed sanitati non restituitur, vita quindecim annorum ei non conceditur nisi sub vmbra virginea, nam quando accæpit à Propheta lib. 4. Reg. cap. 20. num. 5. & 6. 4. Reg. *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, audiui orationem tuam, & uidi lacrymam tuam, & ecce sanaui te, die tertio ascendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos:* ob promissionis certitudinem signum quæsiuit a *Quod erit signum quia Dominus me sanabit?* aliud non præstitit signum Isaias nisi reducere vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, quid hæc vmbra? & quod horologium istud? nisi Virgo Maria, in cuius vtero nouem lineas Angelorum retrogrediens Dei filius, qui est Sol iustitiæ stetit in decima generis humani, cuius naturam assumpsit, quando illi obumbrauit in horologio Achaz, hoc est, virgineum per solare horologium, in quo vmbram reduxit Dominus per decem lineas, quando minoratus paulominus ab Angelis pro salute hominum factus est homo, & Virginem exaltauit super choros Angelorum, quorum virtutes ac perfectiones in hoc virgineo, & solari horologio Spiritus sancti vmbra signat continere, imo & nostræ salutis, & sanitatis remedium, quando reuerti fecit vmbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole retrorsum decem lineis, quę verba de Virgine vtique intelligit pijssimus Bernardin. Bern. de de Busto serm. 9. de operat. virt. B. Virginis: *Horologium,* inquit ipse, *ad cuius decimam lineam reuersus est Sol, est Beata Virgo ex Rege Achaz descendens, quæ in se habuit perfectionem omnium ordinem Angelorum & hominum.* Busto.

In vmbra igitur illa, quæ Ezechiæ fuit ad vitam, & ad salutem obumbratur hæc nostra Virginis vmbra, quę nostræ salutis, & sanitatis suo modo, & causa, & signum, & indicium fuit, attende quadragesimi quarti rami huius tertiæ palmæ, vt capias, quę dico, quando Virgo iam Deo fœta perrexit in montana, eius aduentus in domo Zachariæ, quòd fuerit in signum salutis, se Galbano

Eccleſ. no comparuit, ita in cap. 24. Eccleſiaſt. n. 21. *Et quaſi ſtorax & Galbanus, & vngula, & gutta, & quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam*, Galbanus inquit Plinius lib. 24. cap. 50. quòd valet, & eſt præſtantiſsimum remedium ad adiuuandam fœminam in partu, eſt etiam Galbanus efficaciſsimum antidotum contra venenoſum ſcorpionis morſum, valet ad tuſsim ſanandam, & ad vocem benè formandam.

Plin.

O fœlix & ſalubris Galbani Virginis vmbra, ſub qua ſedens Eliſabeth in partu Ioannis, non legis dolorem paſſa eſt, ſed gaudium, quo ſi illius natiuitate multi gauiſi ſunt, præſentia Virginis expers effecta eſt mater in partu, & ipſa repleta gaudio, & Ioannes ſub hac vmbra degens, qui peccati originalis morſu vulneratus erat, liber effectus eſt, ſaluti reſtitutus, & reuocatus ad gratiæ vitam, & veneni illius expulſio cauſa fuit in illo illa inſolita exultatio, & lætitia. *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Luc. cap. 1. n. 44. & qui naſcebatur vox & præco, & præcurſor Verbi Dei à tuſsi originalis culpæ illum impedientis ne debitam vocem poſſet ad laudem, & præconium ſui creatoris formare, vmbra noſtra Galbani antidotum exhibuit, pectus & organa vocis emundauit, tunc euaporauit odorem ſuauitatis, quando matrem ſalutans, & dulciſsimè amplectens, obumbrauit puero ſua vmbra protexit, adiuuit, & ſanitati reſtituit, ò fœlix Virginis vmbra Ioanni, ſub qua ex materno exiens vtero puer, exceptus eſt inter brachia Virginis in ſinu virginali collocatus, quid tunc ò ſanctiſsime puer, ò Verbi Dei vox & præcurſor, quando Virginis pectori admotus ſuis te Virgo obſidebat brachijs, concludebat amplexibus, & iteratis oſculis blandiendo oſculabatur?

Luc.

Niſi more infantium, qui ipſorum ſpeculantes imagines in ſpeculo, iocosè geſticulantur, amplexim circumciſa flectendo brachia, auent cingere, & cingi, & illis dulci fœdere accedere, & iungi, & illas deoſculari, & amplecti, & in vtero, & ex vtero hæc erat Ioannis noua exultatio, lætitia, & iubilatio, quando ad vocem Virginis exultauit infans, qua tunc in ſpeculo, quæ vtique eſt ſpeculum ſine macula, intuebatur Dei Patris imaginem, ſub carnis vmbram obumbratam, & ſic in vtero, & ex vtero ò mi ſanctæ puer amplexatus amplexabaris, deoſculatus oſculabaris, & fructuum dulcedines, & paradiſi delicias ſub Virginis vmbra non deguſtauit expertus, & exatiatus? vt & exulcans dicat, & ipſe: *Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. cap. 2. n. 3.

Cant.

Sub qua ſede & tu anima mea, non telo tantummodo ſauciata originalis culpæ, ſed millies ad mortem vulnerata peccatorum iaculis, ſi ſurgere optas de vmbra mortis, ſurge, & ſede ſub hac Virginis vmbra, quæ vmbra eſt vitæ, obumbrata ad hoc vt tibi obumbrat, protegat, & ſaluet, hinc ſcitè ſatis dicebat pijſsimus Rychardus à S. Laurentio lib. 12. de laud. Mariæ. *In Maria veluti in horto condenſo, & vmbroſo inuenitur vmbra propitiationis*, ad hoc enim obumbrauit eam virtus altiſsimi in filij conceptione, vt ipſa precibus ſuis, meritis, & exemplis obumbraret tibi contra feruorem diuinæ iracundiæ. Rogo te Domina Dei mater digniſsima non aſpeneris petentem cum tremore, quærentem ex pietate, pulſantem cum charitate, rogo te quo affectu mouebaris, quo amore tenebaris, quibus ſtimulis agitabaris quum hæc fierent in te, & Verbū carnem ſuſciperet ex te, vbi erat anima tua? vbi cor? vbi mens? vbi ſenſus? vbi ratio? ardebas vt rubus qui olim oſtenſus eſt Moyſi, & non comburebaris, liquefiebas ſupernis ignibus, liquefacta igne, vires reſumebas ab igne, vt ſemper arderes, & interim liquefieres, ignis ille rorem luminis exhibuit, ros luminoſus vnctionem præbuit, vnctio ſemen ſanctum præſtitit, in quo repromiſſum eſt Abrahæ, quòd in eo benedicentur omnes gentes, hæſiſti enim Virgo pulcherrima ſtrictis amplexibus auctori pulchritudinis, & effecta plus Virgo, imò pluſquam Virgo, quia mater & Virgo, hoc ſacroſanctum ſemen Deifica infuſione ſuſcepiſti, aue igitur gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Ieſus Chriſtus in ſæcula.

Ric. de S. Laur.

O fœlix anima, quæ ne comburatur à Sole diuinæ iuſtitiæ, ſedeat ſub vmbra viuat ſub vmbra, quia vmbra ſalutis eſt. O mea palma virginea obumbrata Spiritus ſancti vmbra, obumbra animam

ſerui

serui tui, vt vmbra tua eius saneutur vulnera, tibi viuat, te amet, te laudet, & benedicat sub vmbra nomen sanctum tuum, quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei, te præcor ò Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, sub hac vmbra tua protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

Finis Tertij Tomi.



PALMA
QVARTA:
SEV
TOMVS
QVARTVS.

AD SACRATISSIMAM

VIRGINEM MARIAM Dei Matrem mei Dominam, & Reginam.



N ò benedicta in æternum ò Maria mater, & Virgo,& Virgo sola omni laude dignissima, en animæ serui tui ardens ascendi desiderium iam ad quartam Palmam Virgineam,cuius ascensus dum sua improbitate,& imbecillitate ad illam, illi dignè præcluditur aditus, tua interest ò pietatis mater, tuæ dilectionis maternæ dulcedine complanare gressus, auertere congressus,pandere iter, auxiliari impotenti, reddere dignam,cui proprium deest meritum,labiorum præstare mũditiam, cordis puritatem,vitæ innocentiam, frui illius vmbra,suoauiolentiam sentire florum, & fructuum degustare dulcedinem,ad tuas laudes cor flexit illa,& sui pectoris vota iam tibi prompsit,tu illi tuæ benignitatis flecte manum, tu illi tuæ gratiæ prode lucem.

Scito ò nimis laudabilem te mea non indigere laude, quę laudum tuarum Deum habes laudatorem, nam si laus est Verbum,quo laudati virtus laudatur,ò Maria,ò Deipara tui partus vteri nonne Dei Verbum? quo laudantur omnia,& quo clarificantur,& irradiantur cuncta creata, cum sit lux vera,quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et si Verbum Patris alui tui virginei factus est perdulcissimus fructus,& ex fructu quæque cognoscitur arbor, quoniam non potest arbor bona malos fructus facere, & hic benedictus fructus ventris tui est Deus, qui est Verbum,quo tantummodo magnificatur, & dignè extollitur laus tua ò benedicta super mulieres,si Deum laudũ tuarum habes præconem,tacebit ne, vel à laudibus tuis silebit ne anima serui tui? ò laudabilis Virgo, illas quis vn-

quam suppressit sine crimine? vel illas, quis obticendo silentio continuit absque culpa? & ingratitudinis nota? communis est omnium creaturarum census te laudare, te laudat Deus, te laudant spiritus Cœlorum, & suis proprietatibus laudant te etiam insensibilia, ferent ne materna tuę pietatis viscera solam à laude tua silere animam meam? scio laudes tuas omnium encomiorum legem excedere, etiam vt inquit amabilis seruus tuus D. Ioannes Damascenus orat. 2. de Natiuitate Virginis. *Si omnes in toto orbe dispersæ linguæ in vnum coeant, tuas laudes oratione consequi non possunt*, vndè factum est, vt in laudibus tuis silerent etiam Euangelistæ, quia laudum tuarum magnitudo cunctis ineffabilis est, vnico, & solo hoc complectitur Panagyrico, quòd mater sis Dei hæc tota tua laus ò Maria, quia ex te natus est Iesus, qui vocatur Christus, ipse te tantum dignè laudat, qui ex te nasci voluit Deus homo. Quælibet alia creatura vel tibi subest, vel non æquatur, & quòd te excedit, nō est creatura, sed creator & Deus, qui solus te plenè laudat, quòd humana nequit indignitas, imò ausim dicere.

Nouum tuæ laudis hoc genus est fateri, vt verè fateor, me tuis laudibus imparem esse, & hæc tua ò Maria maxima laus, non posse à creaturis plenè laudari, & pium laudantis te saltem non respuere affectum, nonnè in tuam maximè cedit laudem ò omni laude dignissima? illum tibi sisto, illum & tu maternis oculis respice, non laudatoris vitam, qui ad tui solius nominis laudem quartam iam virgineam exoluit palmam.

Quam si in specu Bethlehemitico plantatam intuetur, & partus Virginei, & pueri circumcisionis, & Iesu nominis perdulcissimi, & magorum adorationis, & oblationis in tēplo, & tuæ purissimæ Purificationis vernantem te contemplatur, & varijs coronatam floribus, si traductam in Aegyptum, non virentem frondibus, sed potius te pallentem conspicit in fuga, & exilio, in necessitatibus, & ærumnis filij tui, si in Caluariæ montem translatam, tot te punctam piè meditatur gladijs, quot tunc eras vestita folijs, si transportatam

tanti in montem Sion, & Oliueti, ò quàm perdulcissimis te spectat onustam dactylis, tum filij tui Resurrectionis, tum triumphalis in cœlum eiusdem Ascensionis cum charismatum Spiritus sancti plenitudine vt detur animæ, te contemplanti, his frui fructibus, his tecum pungi folijs, his potiri floribus, hac virgineæ tuæ palmæ delectari vmbra, non sit tibi hoc munus ingratum, & debiti mei in laudibus tibi persoluendis non erit indebita, seù inepta solutio, quidquid in me deest dignitatis, tua suppetant pietatis viscera, & vt dignus tui laudator existam, tuis præcibus impetra, dignare me, laudare te ò benedicta in æternum.

Tuæ Maiestatis Virgineæ

Minimorum seruus

F. Bernardus à Crypta Mineruæ.

NVMERVS RAMVSCVLORVM HVIVS

Quartæ Palmæ breuitèr collectorum.

Ramusculus Quadragesimussextus.

PRæmonstrat cordis Mariæ ineffabile desiderium videndi filium natum, illum intueri oculis,amplecti brachijs,lactare mammis,& deosculari osculo oris sui, vim & vehementiam huius Virginis desiderium præmonstrant illi spiritus Cœlorum,dum appellant eam Lunam,Iob terram ignitam, sed circumuallatam aquis, quæ ardens ardebat,sed non comburebatur,hinc Salomon assimilat Mariam chrystallo,& quam seuerè punit eos,qui iusta desiderium ab eo immissa ad eorum salutem flectunt ad vana vt Rex Herodes,Maria Virgo non ita,cuius desideria exatiata fuerunt,quibus & Patrum excelsit desideria,præbens nobis exemplum quàm vtilia sint,imò & necessaria sancta hæc habere desideria si velimus Deo parare locum.

Ramusculus Quadragesimusseptimus.

PRæmonstrat exatiatę fuisse Virginis desiderium videndi partum sui vteri,cuius natiuitas matrem ineffabili repleuit gaudio, & lætitia,& quæ in nocte gesta sunt,etiam męsta,& quę męrore plena erant, cœlestium gaudiorum nobis omnibus causa fuerunt.ita lacrymæ pueri Iesu,matris paupertas,loci vilitas, præsepe, paleæ,& fœnum,ita vt diceret Angelus Annuncio vobis gaudium magnum, quòd erit omni populo,quo repleri non meretur,qui exemplo Virginis, patrum antiquorum,& pastorum custodientium vigilias noctis, his amoris desiderijs non fumat,non ardet videndi puerum natum.

Ramusculus Quadragesimusoctauus.

PRæmonstrat puerum Iesum hominis amore victum (quum esset ipse lilium ueris ęterni paterni pectoris) voluisse nasci inter spinas,vt de spinis faceret lilia.spinis peccatorum pungi,& cruentari sanguine per manus ipsius matris Virginis, quæ velut ministra circumcisionis,vigilanti cura, carnis particulam cultro abscissam à carne pueri apud se seruauit vsque ad mortem , & seruandam reliquit Ioanni ad nostram consolationem, sicut et filius dedit sanguinem in prætium nostræ redemptionis, nobis natus, nobis quoque datus ad salutem, quam vt conferret hoc peccatoris stemma (vt erat tunc circumcisio) in se accępit,vt te reformaret,lauaretq; à peccatis prout ostendit in lotione pedum discipulorum in vltima cęna, & in nomine Iesu qui erga te,quamuis sit dulcedine plenus, in se fuit austerus figuratus in lapide Iaspide,qui velut aurora,seù flos spé salutis pronunciat,vt de eo prædixerat Isaias loquens de victoria Gedeonis, qui fractis vasculis triumphauit de inimicis, & dilecto populo præstitit salutem.

Ramusculus Quadragesimusnonus.

PRæmonstrat Mariam sub Spiritus sancti vmbra obumbrata, totam fuisse effectam luminosam,& diuina illa luce irradiatam, qua potens est irradiare, & illuminare mentes sperantium in ea,sic contulit idem spiritus terræ in principio suę creationis quando ferebatur super aquas,cur non vberius,& perfectius Mariæ?quę conuallis est,in qua nascitur,& commoratur lilium filij Dei,quem vt inuenias, & adores non vt sponsa in lectulo,non vt Iacob in domo paterna,sed vt Virgo ipsa,& illi tres orientales viri quære in Maria,& per Mariam iuxta sapientis consilium, egredimini,& videte Regem Salomonem,quem coronauit mater sua, ipsa enim est locus pueri Iesu,ipsa aspirat,aspira tu vt respires eo inuento, quia nunquam fine Iesu Maria,cum sit idem quòd ipsa,quam identitatem expressit Ioannes, quando vidit Virginem solis amictu vestitam,quo vestitur & filius,qui comparat Calcedonio,qui semper splendet,& lucet,vt ducatum præstet,& ne viam aberres, & locum inuenias pueri Iesu,Maria est locus,ipsa est stella,ipsa te irradiabit, & ducet ad Iesum; quapropter exclamat,transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini, & si viues sub vmbra gustabis fructus tui laboris, tui desiderij,& desiderati cordis tui.

Ramusculus Quinquagesimus.

PRæmonstrat Virginem semper floruisse puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi,& quando se subiecit legi purificationis,non ad indigentiam hoc fecit,sed in argumentum suæ perfectionis,& suæ puritatis, ita Spiritus sanctus in Canticis, Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli,qui pascuntur in lilijs, Maria lactans filium vicissim lactebatur ab illo,cuius lac,dum erat lac diuinitatis,mores, & Virginis puritas diuinitatem spirabant,& filij puritati persimilis, licet non ex æquo quòd probatur exemplo adamantis,chrystalli,& electri, Maria veluti argentum auro diuinitatis immersa,prælucebat,quasi vt aurum puritatis filij sui, quam ipsa appellat balsamum non mixtum, vermiculatum argento humilitatis suæ ad nostram doctrinam,& instructionem,velut columba lota in lacte cognitionis suæ se humiliauit legi purificationis,vt quæ erat in humilitate filii persimilis esset omninò & in puritate innocentiæ suæ.

Ramusculus Quinquagesimusprimus.

PRæmonstrat diem oblationis Christi in templo nobis fuisse diē lætitiæ,& exultationis,tùm ex parte oblationis,tùm ex parte offerentis,hæc fuit Maria, quæ Sacerdotis functa est officio, offerens Deo patri hostiam placentem, & placabilem,& comparatur Ba samo,seu Aspalato, quia velut arcus fœderis flexit Deum ad misericordiam, ex parte hostiæ,hæc fuit puer Iesus,qui vt puer adoratur à Magis,at vt puer,&Iesus offertur à matre,quibus munusculis placatur de facili Deus, qui vt puer paruis capitur auiculis, dùm offertur supra altare placabile Virginis Mariæ,supra quòd fuit victima non mactanda,sed redimenda, non ad mortem, sed ad vitam,quæ nobis mortuis in peccatis, vt Lazaro non præstatur, nisi præsente Maria,quæ panem Angelorum mutauit in cibum hominum,& incrementa accępit ex manibus Mariæ,vt quinque panes ex manibus Christi, qui ex hac oblatione factus est omnibus, quùm primò esset solius populi Israelitici ad salutem, & hoc ex manibus Virginis,quæ non vt Eua æmulata est naturam,sed vt Christi mater ęmulata est crucem,quando expansis manibus filium obtulit in templo.

Ramusculus Quinquagesimussecundus.

PRæmonstrat fugam arripuisse, & secessisse in Aegyptum, non fuisse timoris fugam,sed amoris, non fugit, vt manus Herodis effugiat, sed vt nos insequeretur,& vt se exposuit calamitatibus,& ærumnis,vt nos inueniret & saluaret, non

in domibus Regum elegit deliciari, sed vt Moyses potius in Aegypto elegit affligi, & incomoda multa pati, non vt Ioas in templo, sed vt fugitiuus perrexit in Aegyptum ne occideretur in lacte matris suæ,& quæ passurus erat in ætate iu uenili experiri voluit in pectore matris, vis amoris hoc fecit, vt nos ascriberet in cœlo, qui nondum natus recenseri voluit in terra, & quos habuit socios in passionibus, & laboribus, consortes haberet in patria: sunt & alia meditationis & pietatis plena.

Ramusculus Quinquagesimustertius.

PRæmonstrat puerum Iesum cum matre Maria, & Ioseph octo in Aegypto consumpsisse annos in ærumna,& labore manuum suarum, grauia, & amara licèt essent, quæ passi sunt. dulcia illis videbantur, tùm ex præsentia pueri, tùm ex conformitate voluntati diuinæ, vt vera filia Adę semper eadem, tàm in aduersis, quàm in prosperis angebatur cor eius, & dolebat naturali affectu, mater erat, sed patienter cuncta tolerabat ex charitate, qua ardebat se Deo conformare, vt filius in horto, ita charitas incanduerat cor Mariæ, quòd veluti alter Elisęus se conformabat vita Christi filij sui, qui non inuenitur, nec associatur, nisi cum ijs, qui sunt vt Ionas in ventre Cæti, sed vt Iacob fortior euadebat in nocte tribulationis, non quærula vt Martha, sed hilaris,& vniformis diuinæ voluntati, & hæc est, quæ leuamen præbet in aduersis,& reuocat nos ad patriam cœlestis gaudij.

Ramusculus Quinquagesimusquartus.

PRæmonstrat Mariam sua hac lacrymabili inquisitione nos docere locum; & modum inueniendi puerum Iesum perditum, ad quem inueniendum viam nobis aperiunt lacrymæ,& sedula inquisitio, vt & aperuit Mariæ, quæ cum non inuenisset in lectulo suo velut Philomena gemebunda quæsiuit, & inuenit, lacrymæ viam ostendunt, vt lacrymæ fratrum Ioseph,& patris eiusdem, quando Maria, vt Anna mater Tobiæ ascendit cacumina montium, & inuenit dilectum inter lacrymas, vt Magdalena eundem Iesum ad cuius præsentiam siccantur lacrymæ, vt in Martha sorore Lazari, idcircò pęnalitatis locum elegit Maria post Ioseph sciens, quia vis amoris per lacrymas emanat,& hæ sunt, quæ locum ostendunt, modum quærendi docent,& ad inueniendum viam aperiunt, quære cum Maria,& in Maria inuenies dilectum, vt inuenerunt Magi stella duce,& laboribus multis cum sedula inquisitione.

Ramusculus Quinquagesimusquintus.

PRæmonstrat cor Virginis fuisse penu, seu thecam verborum Christi filij sui, cunctaq; quæ à Verbo, vel ab alijs de Verbo, vel in scripturis legerat, sollicitè conseruabat in corde suo, ad suimet profectum,& consolationem,& ad nostram instructionem, & exemplum, & vt fidelis conseruatrix confidit in ea cor viri sui, & habens thesaurum sapientiæ,& scientiæ Dei in se, quid ignorare potuit, si hac luce illustrata facta est omnium illuminatrix. Prælucebat in Virgine summa puritas,& custodia Verbi Dei, hoc est quòd seruat nos à peccatis, vt in rubo Moysis,& Christus ostendit, quando eiecit à se tentatorem dicens, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quòd procedit ex ore Dei,& Dauid, lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius,& ab anima subtrahere Dei Verbum est pęna pęnarum, qua vt idolatras puniret Aaron iussit afferri inaures mulierum; clauem orationis habes, qua potes penu Virginis aperire, ad hoc conseruauit omnia verba filij sui, vt nos donaret, & sua pietate nos adiuuaret, vt thecuita illa Absalonem, thecam aperi orationis claue,& salua eris.

Ramusculus Quinquagesimussextus.

PRæmonstrat charitatem Christi erga nos, dum commendans matri Ioannem, & Ioanni matrem, nos adoptauit in Ioanne in Virginis filios, & substituens Mariam in matrem,& nos in illius filios, huius filiationis dignitatem, & excellentiam ostendere voluit,quòd prædictum erat à Psalmista, Ex vtero ante Luciferum genui te, & meritò adoptiua hæc nostra generatio comparatur generationi roris in aurora, tùm propter multitudinem infinitam, tùm propter vnionem,seu vinculum charitatis, tum quia multa perpessa est Maria in generatione hac adoptiua; quæ minimè experta fuit in parturitione primogeniti, veluti altera Rachel nostrorum venit ad partum, vt meritò quælibet anima Benoni vocari mereatur, pro cuius salute,& si non posuit animam,saltem exposuit: Memento quòd relicta es ad solatium desolatæ matris. Esto,& tu velut Seth, vt dicat Maria prout dixit Eua post mortem Abelis, Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel: Esto Virginis moribus conformis,& vita purissima absque labe peccati, vt sis Virgini desolatæ ad solatium, & tui ipsius in salutem, salua res est si pro te interuenit Maria, & agit pro te vt mater.

Ramusculus Quinquagesimusseptimus.

PRæmonstrat Virginem ira fuisse transformatam in Christi filij sui vulnera, vt non videretur nisi ipsamet vulnera, & effecta est speculum passionis Christi, quia non erat vulnus in carne filij,quod non resonaret in corde matris,hoc in Canticis ostendit,quando sic conqueritur,vulnerasti,vulnerasti cor meum, vt per vulnus exterius, quòd latebat interius ostenderetur, vt te excitaret ad sui amorem,& moueret ad matris compassionem, quæ nõ inuenitur nisi in vulneribus filij sui,ibi parauit nidum suum, ibi abscondita morabatur; Et quando filius inclinauit caput, thesaurum hunc virginalem absconditum propalare voluit, vt accidit Roberto Guiscardo,& dum erat in latere filij, meritò conquæritur, Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt Ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, eodem ferro, & lãcea,quo Longinus percussit filij latus,ita prædixerat Simeon,& prophetauit Psalmista,in hoc vulnere parauit nidum suum quoad vixit, ibi fouit oua cordis sui, & velut palma multiplicauit dies.

Ramusculus Quinquagesimusoctauus.

PRæmonstrat Mariam in illo triduo mortis filij sui fuisse præ nimia tristitia montem myrrhæ,& per feruentem orationem collem thuris,quorum odore allectus filius suæ resurrectionis accelerauit horam, & velut alter Tobia, longius retardare non valens, redijt ad matrem Virginem, quæ clausa cubiculo myrrha doloris affecta nimis, & de thurribulo cordis sui incensum emittens illius orationis: Exurge gloria mea,exurge psalterium,& cithara, meruit audire, Exurgam diluculo,& primò vidit,& prima ineffabili repleta est gaudio. Si mulieri ad monumentum ploranti non denegauit, num potuit denegare matri? quæ effecta mons contemplationis,meritò velut Sol,Christus suę resurrectionis gloria illustrauit cacumina montium Sanctarum mulierum,quæ erant circa sepulchrum,sed primò,& copiosius,quia altius eleuabatur,illustrauit matrem,ad cuius vocem velut catulus leonis reuocatus ad vitam resurrexit ad gloriam.

Ramusculus Quinquagesimusnonus.

PRæmonstrat Mariam præ amoris vi,quo amabat, & amabatur à filio, quando hic assumptus est in Cœlum pro amissione præsentiæ amati fuisse materno affectu vehementer,& intimè contristatam, & amoris alis eò ferebatur corde, quò tendebat filius cœlũ versus.amantis est intrinsecus dolere in amissione amati, qui affectus,fuit etiam in Christo,quando vt oraret auulsus est à discipulis, quæ pœna

quam

quàm sit dura, & amara expressit Virgo in illo triduo, quando puer remansit in Ierusalem, cui præ dolore dixit, fili quid fecisti nobis sic? ab hac pœna non potest sublevari cor dolentis, nisi à Spiritu sancto, vt prædixit Christus Apostolis, & Deus Moysi, & probatur in Maria, quando à filio tanta lætitia repleta est, quanta erat gloria ascendentis, quę non erat hominis, & Alexandri sedentis in throno, sed filij Dei in dextera Dei Patris, & ne nimis durus suus nobis videretur discessus ad solatium reliquit matrem suam, quę nos custodit, protegit, & nostra vulnera, vt vera Samaritana curat, & odore sui perdulcissimi nominis oblectat, & fugat Dęmonem, vt fel piscis Tobię.

Ramusculus Sexagesimus.

PRæmonstrat Mariam in die Pentecostes fuisse cumulatissimè repletam muneribus, & donis Spiritus sancti, tum ad effectum suæ conformationis, tum ad nostram vtilitatem, quia Maria donum est Dei ad extra, sicut Spiritus sanctus est ad intra, vndè à Propheta sancto meritò vocatur opus digitorum Dei, nam fructus huius palmæ virgineę dona sunt Spiritus sancti, ad cuius missionem habet Maria quădam iurisdictionem, vndè tempore Eliæ data est pluuia septima vice, & effecta est terra fertilis quum ipsa sit fons, quo irrigatur Ecclesiæ sanctæ Paradisus, ad hoc repleuit Spiritus sanctus suis donis sit superaffluenter, vt de plenitudine eius acciperent vniuersi, & facta est fons hortorum, & puteus aquarum viuentium. Huius fontis aquas primò degustauit Elisabeth, & infans in vtero eius, & senserunt dulcedinem, & efficaciam, & qui biberit ex aqua hac repletur omni bono, quia affluens est vt vidit Ezechiel, & qui extremo digiti huius Virginis tactus fuerit in lingua, sentiet aquarum illius dulcedinem, & abundantiam, & non sitim vt diues ille Euangelij.

Vmbra Palmæ Quarta.

PRæmonstrat puerum Iesum magno teneri desiderio sedendi, & viuendi sub vmbra suæ matris Virginis, ipsius enim sunt verba, sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo, sibi sedit, & nobis, sibi vixit, & nobis, quia cum esset æqualis patri amor fecit, vt sederet sub vmbra vteri virginalis, & vt citò sederet, non expectauit suę organizationis tempus quadraginta dierum, sed vno eodemque momento perfectum est totum, quia illi locus erat deliciarum Virginis vterus, & sedens vixit soli sub vmbra, quia de lacte mammarum Virginis nutritus, & lactatus dixit ad Patrem; Tu es, qui extraxisti me de vtero matris meę, spes mea ab vberibus matris meę, vt pupillo auxiliatus est Deus, & eius misertus est vt populi Israel, quando eduxit de Aegypto in terram fluentem mel & lac. Lac Virginis gutturi Iesu mel fuit, vt prędixerat Isaias, Butyrum, & mel comedet: Sedit & nobis, quia vbera suæ matris fecit, vt essent nobis velut turris fortissima ad defendendum, protegendum, saluandum, & obumbrandum, vt spes nobis esset ad salutem.



DE VIRGINIS DESIDERIO in partu filij Dei.

RAMVSCVLVS QVADRAGESIMVSSEXTVS.

Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Psal. 26.



Ribus ferè in domo Zachariæ elapsis mensibus, vbi in Nazareth Ciuitatem natiuitatis tuæ te regressam, & iã prole diuina fœtam, & in secreto cubilis tui te occlusam intuetur anima mea, ò Maria, ò Virgo prægnans, ad quòd opus te exercebas? studium actionum tuarum, cui maiori conatu incumbebas? qualè erat? & quò susceptæ artis virginale cor tuum onere magis premebatur? indica seruo tuo ò mater desideriorum, quò tendebant tui pectoris vota? & per singula temporis momenta quò tui cordis desideria te ferebant? te vrgebant? & distentam te habebant? *Si desiderium,*
D.Tho. vt docet D.Thom. in 3. dist. 16. q. 2. art. 3. *est primus motus appetitus in amabile, & inchoatio amoris,* & tui pectoris amabile, & amatum erat illud Dei Verbum, quòd Spiritus sancti cooperante virtute hominem factum conceperas in vtero, & quòd intus nulla vnquam interposita intercapedine oculis semper intuebaris mentalibus, idem & deforis obtutibus intueri ardenti non minus tenebaris desiderio.

Cuius visionis corporeæ, quò cordis Virginis desiderium erat vehemens, eò feruentius, & frequentius anima illius ferebatur in filium, cui intus sæpè alloquens repetitis tacita vocibus inclamabat, *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Dau.Pr.

Hoc optabat, hoc ardenti desiderio flagrans desiderabat, hoc inquirebat, nempè filium Dei carne uestitum deforis inuenire, intueri, amplecti, & deosculari, & illius amoris sagittis nouitèr in suo corde immissis, sic intrò conuulnerata medullitus tacitè uoce exteriori, suspiriis comitata, & lacrymis alloquẽs loquebatur, *Tibi dixit cor meum exquisiuit te facies mea.* Cordis dum intuitu profitetur Virgo se Deum exquirere, non quidem illi Maria instabat inquisitioni, qua ut Deum inueniret exquirebat, nam intra uiscera cordis sui perfectè, ac plenè mentalibus intuebatur oculis, ac spiritualibus illius fruebatur amplexibus, sed qua cor Virginis famescebat, desiderabatque Deum ipsum hominem factum deforis inuenire. Corporalibus quoque intueri obtutibus, manibus contrectare, amplecti brachiis, & perdulcissimè eum deosculari osculo oris sui, quapropter subdit *faciem tuam Domine requiram*, nec ab hac unquam deficiam inquisitione donec inueniam te foris, uideam te, & deosculer te ò fili uiscerum meorum, en oculi matris tuę quomodo languent præ desiderio te uidendi, en labia oris eius præ siti te deforis osculandi flacescunt, illucescat hora natiuitatis tuæ, nam parata sunt omnia, cor ad te diligendum, oculi ad te intuendum, brachia ad te amplexandum, sinus ad te confouendum, os ad te osculandum, lingua ad tuas aures dulci cantilena mulcendas, ubera ad te lactandũ, manus, & cuncta corporis membra ad tibi inseruiendum, quid moraris? quid expectas? quid tardat hora ortus tui? si inueni gratiam in conspectu tuo ò dilecte mi, ò Deus, & fili cordis mei ostende mihi faciem tuam.

Vetus illud Moysis elogium iam mutatum est: *Non videbit me homo, & viuet*, nam tu Deus ad hoc factus es homo, ut homines te uidendo uitam habeant, et abundantius habeant ut uiuã,

ostende mihi faciem tuam, hanc exquisiui, hanc requiram, hanc desideraui; et desiderio, hanc expectaui, et expecto uidere, ad quam uidendam ardenti desiderio se Virgo disponebat, se praeparabat, se exornabat, se instruebat, se accingebat, se apparatè parabat.

In quo genere apparatus, et desiderii aduentus filii Dei, qui meritò desiderii nomen sibi uendicat, collium aeternorũ, praestat Virgo omnes simul Sanctos, tũ ueteris testamenti, tum nouae legis Euangelicae.

Ascende et tu ò anima mea ad palmam, si faciem illam Dei tui omnibus desiderabilem uidere, et intueri desideras in suo natali, et in sinu tuo suscipere Deum natum, et confouere, sub umbra huius ramusculi certare addisce desiderio cum antiquis illis patribus, auidè illi desiderauerunt promissum filij Dei aduentum, tu exhibitum auidius concupisce, imò & Virginis desiderium cordi tuo addat stimulum, quo stimulata, & compuncta addiscas, & desiderare, cuius & longa suspiria tui pectoris inflamment torporem, disrumpant, dissoluant, & liquefaciant glaciem cordis tui, tibi enim in Virgine hac expectationis, dispositionis, & praeparationis ad desideratum expectandum, & recipiendum forma praescribitur, desideriis concalescat cor tuum, desideriis dilatetur, & tantae dignationis capax desideriis efficiatur, Deus ipse desideriis concipitur, fouetur, enutritur, & alitur, talibus tu aestuans desideriis dicito cum Virgine.

Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea. Haec sunt verba Virginis suspirantis animae, & desiderantis deforis inuenire sui cordis amatum, amabilem, & desideratum, simul & oculis intueri, & osculo oris sui deosculari, filii Dei in carne aduentum antiquorum Patrum praecesserunt desideria, vt in Iob cap. 9. annotauit D. Gregorius sic scribens: *Electi aestuante desiderio incarnationis Christi mysterium videre cupierunt*, quorum desideria vicit Virginis desideriũ, cum sit ipsa mater pulchrae dilectionis, & vbi maior est charitas, ibi est maius desiderium, charitas ipsa desiderium est Dei. Hoc Virginis desiderium, quo prę caeteris vehementius Christi faciem suspirabat, ardentius desiderabat, feruentius inquirebat efficacius inuenire, videre, tenere, amplecti, & deosculari cupiebat, praemonstrat Sancta mater Ecclesia in illis septem diebus ante ipsius Virginis partum. D. Gregi

Quo ardenti desiderio filio Dei non tantum cordis hospitium, et vteri locũ praeparat, sed et cuncta ad sui amati, et desiderati aptè susceptionem, vt inquit D. Thom. 1. p. q. 12. art. 6. *Desiderium quodammodo facit desiderantem aptum, & paratum ad susceptionem desiderati.* Desiderium non est aliud quam ad desiderati complexum debita, et plena pręparatio, vndè desiderii quantitati, semper respondere debet aptitudinis, et pręparationis dispositio, quae autem quanta fuerit in Virgine doceant te illi spiritus Coelorum, qui in Virgine hunc cordis sui contemplantes affectum, et videndi faciem filij Dei ardens desiderium, vocitant illam Lunam, *Quae est ista quae progreditur pulchra vt Luna*, Luna enim vt Solis discipula semper ob sequitur curribus supercoelestibus, quò accedit ad Solem, vel recedit à Sole, eò crescit, aut senescit, & quidquid habet luminis, mutuatur à Sole, vndè eius motus semper ordinatur, & tendit ad Solem, cuius aspectum ardet desiderio semper intueri, cuius lucis radiis semper concupiscit perfrui, & irradiari. D.Tho. Can.c.6.

Quando verò accidit ab aspectu Solis elongari, & distare, ita vt inter Solem, & corpus Lunae interserit vmbra terrae, tunc Luna videtur deliquium pati, & in se obscura, & quasi deficiens, vt tanto de fectui consuler, cursu celerrimo aspectui Solis quaerit occurrere, & est multum admirabile id, quòd Lunae accidit, quòd dum ipsa crescit minor est, sit verò maior, quando delitescens se subtrahit orbi, quòd nobis videtur astipulari Ecclesiast. cap. 43. *A Luna*, inquit ipse, *signum diei festi, luminare crescens mirabilitèr in consumatione*, quando Luna suae lucis patitur defectum, tunc crescit in augmentum luminis. Vt hoc intelligas anima mea, duo velim attendas in hoc Planeta, nempè Lunae conuexum, & ipsiusmet concauum, quae duo, sic inter se ordinantur, quando Luna iuxtà illius con cauum, quòd est pars illa aspectui nostro exposita contemplanda, defectum, & deliquium patitur, tunc ex parte con uexi coelum versus expositum, fit maior eo quòd Solis radijs illuminatur, perficitur, & vndequaque irradiata repletur, & crescens in conuexu minoratur, & Eccl.

fit

fit minor ex parte concaui, & hoc est, quod docet nos Ecclef. cap. 43. *Luna in consumatione crescit.*

His Lunæ proprietatibus assimilatur Maria: accipe hoc ab ipsomet Salomone in Canticis cap. 7. qui Virginis ventrum, in quo iam diuinitus operatum erat incarnationis mysterium, confert cum cratera Lunæ plenæ, si lectioni hebraicæ attendamus, nam vbi nostra vulgata legit, *Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis*, legit textus hebræus, *Vmbilicus tuus vas rotundum instar Lunæ plenæ, non deficiens mixto, & forma circulari.*

Cant. · Lect. heb.

Cur crateri Lunæ plenæ persimilis, venter Virginis, & vmbilicus? nisi quia, in eo Spiritus sanctus per mixtionem quandam diuinam, veluti in cratere permiscuit Diuinæ naturæ merum, cum aqua humanæ substantiæ in persona Verbi, vt qui erat Deus ex substantia Patris, ante sæcula genitus, conceptus est homo ex substantia matris in vtero virginali, nec talis permixtio fuit ex conuersione diuinitatis in carnem, sed tantum per assumptionem humanitatis in Deum, non in confusione naturæ, sed in vnitate personæ.

Et meritò crateri Lunæ plenæ assimilatur Maria, attende Virginem in secreto cubili, sui post regressum de domo Zachariæ veluti Lunam, Luna enim nūc plena apparet, nunc vacua, & inanis, nūc formae semicirculum, nunc circulum perficit, nunc argentea apparet, nunc sanguine intincta, nunc noctis tenebras suo lumine fugat, nunc priuata comis sublatet, & abdita delitescit.

En quàm verè Luna Maria, quæ vt Luna natiuum lumen non habet, sed à Sole filij Dei mutuatur, & accipit, qui clausus in vtero, vmbra quadam interponi videbatur inter Solem filij Dei, & oculum matris sensibilem, quam si attendas, instar Lunæ apparebit ex parte sui concaui, quòd est pars illa in Virgine, quam licet nobis deforis intueri ob sui humilitatem, & sui esse cognitionem valdè demissam, & depressam, quodammodo deliquium pati videbatur vt Luna, nunc obnubilata suarum vocum nubibus, nunc Solaris motus eclypsata tarditate, nunc obscurata suspiriorum imbribus, nunc obumbrata lacrymarū nubeculis, nunc cooperta desideriorum turbinis, nunne veluti Luna semicirculū confecit inanis, & vacua, quando Angelo respondit, *Ecce Ancilla Domini*, quæ in suo conuexu interioris animæ erat plena lumine, & irradiata Solaribus radijs dilecti sui.

Defectui, seù deliquio, quòd patiebatur luminis in suo concauo, vt celeri cursu occurrat, veluti Luna festinat, obniam faciem Solis præoccupare, & asta re ex aduerso flagitat facie ad faciem, quòd totum exprimit quando inclamat, tibi dixit, *Cor meum exquisiuit te facies mea.*

O te fœlicem, ò te beatam anima mea, si huic astare Virgini tibi daretur in tuguriolo illo Bethlehemitico, & ipsam veluti Lunam intueri in illa nocte sacratissima, quando exorto iam Sole, ex vtero Virginali, & strictè amplexato intra concauum sui pectoris, & facies huius Lunæ Solis filij faciei contra exposita, quomodo creuit in consumatione, & quantis affecta est gaudiis, quantis supercœlestium donorum irradiata radiis, & splendoribus, quanta circumfusa consolatione diuina, & repleta fruitione cęlesti, & nobis ineffabili, coniice ex facie, ex fronte, ex oculis, ex gestis, & amabilibus osculis coniecturam facito, si vales ex vultu, qui est index, & interioris animæ imago, & prænuncius cordis, dum splendor huius Lunæ noctem illam conuertit in lucem.

Beata es ò Maria, ò mater desideriorum, quæ non excidisti illo tuo desiderio, nec frustrata tua spes faciem intueri tui amabilis, & desiderati, ex iis quæ in illa hora acciderunt animæ tuæ, impleuisti desiderium pectoris tui, quando inter brachia strictè stringebas quem tanto desiderio exquisieras quem desideraueras, quem intimè amabas, & quę alia verba lingua poterat deforis proferre, nisi quæ eructabant cordis tui desideria? Domine & dilecte animæ meæ, *ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus*, quòd concupiui, quòd desideraui tibi cognitum est, iam teneo, quòd nunc præ lætitia gemo, non te latet, scis quid velim & quid desiderem, & quidquid Maria corde desiderauit, & ore rogauit, Deus cumulatè adimpleuit, quando deforis inuenire meruit quem exquisiuit, & amplecti, & deosculari, quem tam ardenti desiderio videre concupiuit.

At ex præoptata hac visione, & ardē-

ri rentione quum desiderium nec finē
habet, nec saturitatem sentit, vndè dice-
D. Greg. Nanz. bat D. Gregorius Nanzianz. *Desideriū
est fomes alterius desiderij*, dicam quæ
sentio, dicā quæ capio, exatiara famesce
bat, simul & famelicosa, desiderati satu-
ritate superplena, laborabat fame, quòd
est proprium deliciarum Dei exatiare
cor desiderantis per saturitatis comple
mentum, & augere desiderium in mente
per earum saporis cognitionem, & ex-
perientiam, dicente Diuo Gregorio ho-
D. Greg. mil. 36. in Euangelia: *Spirituales delicia
quum non habentur, in fastidio sunt, cùm
verò habentur in desiderio tantòque à co-
medente amplius esuriuntur, quantò ab
esuriente amplius comeduntur: tanta est
deliciarum Dei dulcedo & suauitas, quòd
illorum appetitus saturitatem, saturitas
appetitum parit.*

Cordis Mariæ ardens desiderium,
quia erat de videndo Deum in carne
visibili, & ipso frui, delectari, & consoue
te finu; & ex ea iam natus, & amplexa-
tus inter brachia, sua pręsentia matris
famem exatiauit plenè, & exatiando si-
mul ipsam famelicè sollicitabat, vrge-
bat, impellebat ad millia, quæ cuncta
cum essent de Deo, & ad Deum tenden-
tia fixa, & tantummodo ordinata, quid
miraris anima mea, si desiderantem ad
effectum conduxerunt desiderati? ò quā
iustè puniuntur à Deo, & desiderati pri
uationis pęna plectuntur, qui non inte-
gra, sed ad vana, & ad creaturas de Deo
multiplicant desideria, qua pęna puni-
tum legimus in Lucam Herodem Te-
trarcham, de quo sic scribit Euangelista
Luc. Eu. cap. 23. *Erat Herodes cupiens ex multo
tempore videre Iesum, eo quòd audierat
multa de eo.* Desiderio magno tenebatur
hic Rex incredulus videre Iesum, co-
gnoscere Saluatorem, alloqui mundi re-
demptorem, & desideria hæc videndi
Deum vtique vt bona, vt sancta, vt salu-
bria à Deo illi fuisse immissa cogimur
fateri, & quando Pilatus misit Iesum ad
Herodem inquit textus, quòd Herodes
viso Iesu gauisus est valde, & causa tan-
ti gaudij fuit, quia erat cupiens ex mul
to tempore videre eum, quis non gau-
deret viso Iesu? quis non iubilaret viso
Saluatore? at Herodis gaudium ad per-
fectum non venit, suæ consumationis
non vidit terminum, nam cum interro-
gasset eum multis sermonibus, Iesus ei
nihil respondit, ó admirabile diuini
Verbi silentium, silet in conspectu Hero
dis Verbum illud, quòd omnibus lo-
quendi præbet facultatem, in hac Regis
aula duntaxat silet Verbum Dei, quòd
desertis in locis turbas docebat, & de
Nauicula Petri prædicabat iuxta mare,
nunc Herodi interroganti, & loquentē
audire cupienti, non respondit, & tacet
Verbum Patris, cur hoc? pro hac vice
conticescat Caietani ratio, dicentis, Caiet.
*quòd elegit sibi Dominus silentium ad
complementum suæ passionis*, & dicam
quæ sentio, tacuit, & Herodi respondere
noluit Verbum Dei, ex eò quia deside-
ria, quæ immisit illi Deus ad Christi fa-
ciem inquirendam, intuendam, & co-
gnoscendam, & ex qua pendebat luę sa-
lutis exordium, ad vana contorsit, nec
vt decebat executioni mandauit, silen-
tium Christi fuit in pœnam suæ teme-
ritatis, ita docet D. Gregorius lib. mo- D. Greg.
ral. in Iob cap. 31. *Quia vidit Christus
Herodem non quærere profectum, sed si-
gna, vel scientiam velle mirari, requisitus
ab eo tacuit.*

Domum Herodis ingreditur Domi-
nus, qui vt Saluator, salutem afferre pa-
ratus erat, & impartiri incredulo, si ve-
ra, si salutis necessaria expostulasset, sed
quia non suæ salutis, non sui profectus
desiderio concupierat videre Iesum, sed
vana quadam curiositate, meritò tacuit
& damnat silentio, quòd ille curiosè, &
non piè exquisierat. *Desiderabat*, inquit Theoph.
Theophilatus, *Herodes signa videre, non
vt crederet sed vt oculos oblectaret. Ni-
hil Christus respondit Herodi*, docet Eu- Euthim.
thimius, *sciens eum velle signa videre,
non vtilitatis causa sed oblectationis*, &
D. Ambrosius. *Tacuit, quia non meruit* D. Ambr
videre diuina, sicque Christi silentium
factum est Herodi pęna suæ curiosita-
tis, & vanitatis, dum suæ saluationis de-
sideria de videndo Deum, à Deo illi im-
missa, non ad salutis suæ executionem
mandauit, sed ad vana, & ad suæ vanita-
tis argumenta deflexit, Virgo verò sui
cordis desideria à Deo accepisse præco-
gnouit, & ad Deum retulit, & ad Deum
semper illa ordinauit, & exquirendo
perfectè absoluit, & ad perfectum dedu-
xit, ideò Deus ipse perfectionis corona
coronauit, plenè remunerauit, & exatia
tè repleuit.

Ex hac deliciarum Dei repletione,
quæ famem generabat in corde Virgi-
nis, & quò plus famescebat, eò volupta-
tibus

tibus diuinis replebatur, noua sed ardentes erumpebantur desideriorum flammæ, quibus Dei ignis enutritus repetiras, & nouas dilectionis diuinę euomebat flammas, & cor eius flagrans adurebatur, adeò quòd vix vita viuere posset, & quò viueret, tot circundata, & exusta flammis amoris, erat quippè grande miraculum. O anima mea siste meutis tuæ gressus, contemplare Virginem ab hoc dilectionis, & amoris incendio circumuallatam, & non combustam, quæ enim mens capere, vel quæ lingua sufficit enarrare ardoris flammas, incendij impetus, quos euomebat de pectore, & veluti Salamandra Virgo Deo fęta, desiderati amoris flammis videbatur enutriri, & dilectionis igne comburi, exuri, non consumi, sed et viuere inter tot incendij flammas, ò prodigium, ò miraculum.

De quo vehementer admirabatur Iob, contemplabatur hic Sanctus, Virginem prole diuina grauidam, & confitens illam terræ panem afferenti, vel blandum, de quo efficitur panis, dùm dicebat in cap. 28. *Terra de qua oriebatur panis & loco suo igni subuersa est*: notandum, quòd sæpè sub terra habitabili sunt venæ sulphureæ, ex quibus aliquando accenditur ignis, per modum vaporis intra terram inclusi, & fit terremotus, subuertens terram, sterilem reddendo illam, & inhabitabilem, hoc accidit naturaliter, vt dicit Iob, terra de qua &c. ignis subuersa est, hoc est sterilis, infæcunda, & inhabitabilis. (Iob.)

At terra Virginea, de blandum ortum est, de quo effectus est panis ille cælestis, qui de seipso testatus est: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*: tot minerata flammis, tot grauida vaporibus, tot repleta incendijs, & tot circumamicta dilectionis diuinæ ignibus, quòd non fit subuersa, nec combusta factum est grande miraculum. Vt hoc clarius tibi innotescat, obserua anima mea, quæ scribit Venerabilis Beda in libro de temporum ratione, quòd ex omnibus mundi partibus, tres sunt inhabitabiles, diuersa tamen ratione, duæ illæ, quæ sub Septentrionis Zona subiacent, ex nimia frigiditate redduntur non habitabiles, ibi enim nix, glacies, grando, vmbræ, & lux sine luce, & calore prædominantur; Tertia verò inhabitabilis, est ex alia opposita causa, nempè ex nimio calore, ignis, & solis incendium perpetuò vigent, si à Beda requiratur causa tàm intensi caloris, respondit ipse, quia Sol in suo circulo non videtur moueri, licèt parum moueatur, & dùm terram illam, suis radijs sic indefessè, & continnò percutit, & verberat, quid mirum si ignescit, si aduritur, vt testatur Eccles. c. 43. *In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius, quis poterit sustinere? fornacem custodiens in operibus ardoris, tripliciter sol exurens montes radios igneos efflans, & refulgens radijs suis obcæcat oculos*; Vndè & rationabilibus, & brutis animalibus redditur inaccessibilis, & inhabitabilis & plantis, & arboribus infæcunda. Hoc opus est naturæ. (Io. Euan. cap. 18.) (Beda.) (Beda.) (Eccles.)

At quòd terra Virginea, quæ nouem mensibus Solem æterni luminis reclusum habuit, in quo ventris circulo præ angustia situs vix mouebatur, & mouens non erat elongationis motus, sed intra eadem viscera O Maria, ò incendium diligentis te, venter tuus Virgineus erat, hæc zona torrida, in qua pręsidebat sol ille igneus, qui suis radijs cò flagrabat, succendebat, vrebat, & ardere faciebat, & inter tot incendia, adustiones, calores, ardores, flammas, quomodo ò Maria, ò Virgo in tui corporis terra recludi, viuere, commorari, & cohabitare poterant cor, anima, mens, intellectus, voluntas, memoria, & cuncti sensus, & caro illa Virginea non comburi, corpus non consumi, non conceremari igne tanti caloris, calore tantę dilectionis, incendio tanti amoris non incinerescere? Non subuerti? Dicam, quæ sentio cum Diuo Bernardo, Mariæ vita, seu viuere miraculosa erat, in verbis Apocaly. sic inquit ipse, signum magnum: *miraculum magnum mulier amicta sole, in tam vehementi feruore, tam fragilis natura subsistit? miraculum magnum.* (D. Bern.)

Et quæ tanti miraculi ratio, seu causa? vt rectè respondeamus huic interrogationi, primò respondendum est quæstioni, qua quæritur, cur Deus, qui sua sapientia cuncta creauit, & non minori prouidentia cuncta gubernat, præcepit, vt vniuersus orbis vallatus aquarum copijs appareret, si terram attendis, fontibus, fluminibus, stagnis, paludibus, & maritimis vndis reperies inundantem, vt circumquaque euomat aquarum gur-

gorgita, & inundationes, si aetem conspicis, en firmamentum, & nubes, sub quibus Deus pluuias seruat, niues, & grandines, si cœlum penetras, super illud esse aquas multas, Dauidis testimonio comprobatur dicentis: *Et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini*: cur tot aquis aridam, aerem, & cęlum vallauit Deus?

Dauid Proph. psal. 148.

Non deficiunt rationes, vbi diuina sapientia splendet, & operatur, sed dicamus cum Diuo Thoma: *Deum cuncta circumuallasse aquis, non vt ventorum furori obuiaret, non vt planetarum radios terram versus inclinaret, non vt fructuũ præmonstraret aduentum, sed vt ardores temperaret stellarum, calores cohiberet planetarum, & signanter vt solis exustionem impetus retardaret, ne sui caloris flamma terram incinerësceret, inflammaret aerem, & cœlum adureret.*

D.Tho.

Quæ omnes partes, vt reperiuntur in mundo, sic considerantur in homine, qui paruus est mundus: testis est Diuus Paulus Epist. 1. ad Thessalon. cap. 5. *Vt integer Spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Corpus, en terra, anima en aer, spiritus en cœlum, quę licèt, quò ad essentiam sint vnum, ex varijs tamen operationibus à diuersis deriuatis potentijs diuersimodè nuncupantur, nam in quantum intelligit abstracta à sensibus organicis, mens, & spiritus nominatur, in quantum verò ad corporis informationem, forma, & anima dicitur, corpus autem in quantum ad vsus organorum nempè visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus, his præmissis en miracula, en prodigia, Virginis corpus, anima & spiritus, quasi terra, aer, & cęlum tot circumuallata deforis flammis, & intus tot exusta diuinis ardoribus, non aduri, non comburi, non cinefieri, & dissolui in cinerẽ, fœta Verbo Dei, quid erat nisi vallata igne, nisi calore calefacta stellarum, & solis ardore inflammata? Sic nobis filiũ Dei in vtero matris descripsit Ioan. c. 1. Apocaly. *Vidi similem filio hominis, (qui totus erat ignitus,) oculi eius, sicut flamma ignis, pedes eius similes auricalcho, sicut in camino ardenti*; habebat, & radios & calores stellarum, dùm habebat in dextera eius stellas septem, & solis impetus ardoris, dùm facies eius sicut sol lucet in virtute sua: Sæpè inter tot caloris incendia, inter tot exustionis flammas, inter tot solis ardores non aduritur, non incenditur, non consumitur corpus, anima, & spiritus Mariæ? Cur hoc? Dicerem, nisi primò dixisset Angelus, qui Virginem intus, & ad extra igne vidit circumamictam, quid est: *Dominus tecum?* nisi ignis diuinus est in te, nam; *Deus tuus ignis consumens est*; quid est: *Ecce concipies in vtero*: nisi incalescere solis calore, nam de hoc Virginis conceptu dictum fuit; *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ*: quid est, *Spiritus sanctus superueniet in te*, nisi extra igne circumuallari; nam, quando Spiritus sanctus apparuit Apostolis, inquit textus sub forma ignis: *apparuerunt illis dispertitę linguæ, tamquam ignis*: ò Deus cordis mei, cor Virgo fœta intus, & extra vallata flammis, valuit obsistere, & illis obstare? & non comburi? potuit sui corporis tabernaculum inter ignes, & linguarum ignitarum flammas, & solaribus radijs, & ardoribus seruare illesum? Non naturæ virtute, sed diuina potentia factum est, si ad conseruationem vniuersi, ne orbis terrarum flammis adureretur solis, seu planetarum, aquis mundum ipsum circumuallauit Deus, hoc idem, inquit spiritus ille cęlestis operatus est in Virgine; si igne conspicis flagrantem, intuere, & aquis gratiarum circumuallatam; *Aue gratia plena*; si maris vndis circundatam desideras, audi quòd dicit; *Inuenisti gratiam apud Deum*: si copijs aquarum, quæ sunt super firmamento, & sub cœlo, cupis ò anima mea videre interclusam, & conseptam, attende; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.*

D.Paul. Apost. — Apocal. — Luc. Eu. cap. 1. — Malach. proph. cap. 4. — Act. Ap. cap. 1. — Luc. c. 1. — Luc. c. 1.

Vmbra diuina protexit, vmbra diuina seruauit, & defendit, vmbra Dei, & virtus altissimi, quæ tanto igne incendit, ab incendio ne adureretur saluauit, factum est grande miraculum, vt ardens arderet, & non combureretur, & flagrans tot flammis diuinis ipsa intacta seruata, incendit eam Deus vt spem nostram viuificaret iam mortuam, & corda nostra glacie vexata, & tepiditatis frigore congelata accenderet, & frigida calefaceret, & suis flammis concoqueret.

Num tibi vnquam accidit ò anima mea videre solem illum suis radijs chrystalli phialam aqua plenam percutere,

& in

& in illam agere, & agendo, Solis lumine deauratus totus apparet cryſtallus, & vbi Sol ex vno phialæ latere luce coronat, & perfundit, ex altero obſeruaſti, quomodo cunctos congerit, & congregat in puncto ſuos radios, cuius lucis calore accenditur ignis in carta, & pannis, in ſtuppa, inſuper in arido ligno & etiam in ferro, ita tamen, & ſi illas conſumit, & ardet, iſta vel accendit, vel ſaltem reddidit ignita; Cryſtallus verò, & aqua, aut non lentit, aut parum patitur de calore, & quòd eſt in hoc mirabile, vt in rebus combuſtibus immitat flammas, & accendat ignem, vtitur aqua, iuxtà illud ſapientiæ cap. 16. *Et quòd mirabile eſt in aqua, quę omnia extinguit, plus ignis valet*: Et ſi cauſa occulti myſterij perquiratur, dicimus eſſe ipſius cryſtalli, & aquæ qualitatem, quæ cum ſit diaphna valet cōgerete in puncto Solis radios, at luminis greſſus, ſeu paſſus cohibere non poteſt, ſicut accidit in corporibus opacis: & dum radij ſolares in cryſtallo, & in aqua virtute qualitatis diaphonę ſubliſtunt, ſed tranſuolant, & vltra tranſgrediuntur per tranſeuntes; corpus enim ſolare tantum ſui caloris effectum ibi inducit, immittit, & introducit vbi ſui curſus, & radiorum terminat motum. Sapient.

Virginem matrem, quis audebit in dubium antenertere nō eſſe cryſtallum, cum de ea ſcriptum ſit. *Speculum ſine macula Dei maieſtatis*. Sapient. cap. 7. ſimul, & non eſſe phialam aqua plenam gratiarum ſi Angelus ſic eam ſalutando appellauit: *Aue gratia plena*, & quādo ſubdit. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*: & ipſa reſpondit; *Ecce Ancilla Domini*. Stans ſuper illam vmbra Spiritus ſancti, & virtus Altisſimi, tunc Sol ille æterni luminis eam irradians, & radijs ſuis, vbi deaurando diuinam illam reddebat, colliqueſaciendo præ dulcedine amoris cor illius, corporis, & animæ cryſtallum pertranſeuntes radij illi ſolares, & ipſa congerens in puncto, facit vt non pertranſeant, ſed ſiſtendo percutiant, & caloris, & ardoris flamma noſtra corda adurent, quæ & contritione fument, ſuſpirijs ſcintillent, humilitate incineteſcane. Sapient.

Heu anima mea, in tabernaculo Virginis, en Sol ille diuinus accede ad phialam virginalem, quoniam de ea ſcriptū eſt. Dauid Proph. pſalm. 18. *Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius*: & ab eſtu eius nullus peccator vbicunque habitet, expers erit caloris eius ſalutaris, ſi accedat ad Virginem agat, & detegat ſub axibus gelidisſimis peccatorum à ſolis curriculo remotisſimis, vim, & fomenta ſentiet ſui caloris, accede igitur anima mea, & aſcende ad palmam, & præſenties diuini amoris per Virginem calorem, & effectum, & tuæ ſaluationis profectum, accede cum pauore, quia ſpeculum puritatis eſt, et fixis oculis in hoc ſpeculo intuere, et videbis eò magis te deformiorem, quò ſpeculum eſt purius, et abſque macula: Si te tua conſternatur deformitas, nō te ſubtrahat ab hoc ſpeculo, ſed deplorā tuam deformitatem, ſede ſub hoc ramuſculo, cuius vmbra te proteget, te illuminabit: Tu verò cōfitere tua commiſſa, quę ſi cor tuum, et animum verterunt in carbonem, et facies tua denigrata eſt ſuper carbones, eſto ſecura, in vtero hæc Virgo ignem tenet, ignem fouet, et tota ignita, ignitos radios emittit, flammis te percutiet amoris, igne ſuæ lucis te irradiabit, cuius calore ex carbone mutabitur cor tuum in carbunculum, quia de ore huius Virginis inquit Iob 41. *Lampades procedunt, & ſicut teda ignis accenſæ flammam de odore eius egreditur, & halitus eius prunas ardere facit.* Dauid Proph. Iob.

Teſtis huius veritatis ſit tibi Ioannes, qui maternis incluſus adhuc viſceribus, niger carbo erat, culpæ originalis macula denigratus, at vbi Virgo mater ſalutauit Eliſabeth, halitus, quo voce ſonora effecta eſt illa ſalutatio, fuit ardens flamma gratiarū, et amoris ignis, & quò matrē fecit ardere, quando repleta Spiritu ſancto, exclamauit, et Ioannem ex carbone mutauit in carbunculum: *Ecce vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis*. Luc. Euang. cap. 1. En quomodo halitus Virginis prunas facit ardere, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Si denigratum eſt velut carbo cor tuum, vt ex intincto accendatur, et ſplendeat, et coruſcat, et ſcintillet, et ardeat, accede, aſcēde ad palmā, nam ſcriptum eſt, Dauid Proph. pſalm. 33. *Accedite ad eam, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur*: ſed accedendum eſt, vt inquit D. Bernard. in ſerm. 31. in Cant. *Ita ſanè ſed non locis accedendum, ſed claritatibus ipſiſque non corporeis, ſed ſpiritualibus tamquam à Domi-* Luc Eu. David Proph. D. Bern.

Domini spiritu; quia Virgo, vt inquit idem Sanctus nullum respuit, omnes amplectitur: *Sinum suum, omnibus apertuit.*

Collige te sub vmbra huius ramusculi, ad cuius radices, & ex cuius visceribus emanat aqua gratiarũ omnium, fons sapientiæ Verbum Dei, & hoc velut pluuia pluit, & stillauit in cisterna de Bethlehem, in qua nouem mensibus requiescens, facta est aqua dulcissima, & aqua salutaris. Hæc erat aqua illa quam bibere vehementi tenebatur Dauid desiderio, vndè suspirans exclamabat, lib. 2. Reg. cap. 23. *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam*: hæc vox erat Dauidis, hæc eadem erat vox patrum antiquorum Messiam expectantium, hæc eadem sit, ô anima mea, vox suspirantis cordis tui, & expectantis Christi Dei tui natalitia, & Virginis partum: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem*: & quòd de Christo venturo erat hæc vox, & aquæ desideriũ, est sententia Sancti Sophronij Hierosolymitani Episcopi hom. de Natiuitate Christi: *Quòd hic transfigebatur*, inquit ipse, *figura de Christo erat, qui est aqua viua omnibus vitam infundens, Cisternam verò sanctissimam Virginem designat, quæ Deum paritura erat. Cisterna de Cœlo aquam habet, & Virgo è cœlo habuit conceptum, aquam Bethlehemiticam desiderabat Dauid, quia Christum in Bethlehem nasciturum desiderabat.*

2. Reg.

S. Sophr.

Hæc est aqua, quæ salutem affert, & vitam, quæ statim rerum caducarum pellit, & extinguit; & recepta in corde fit fons aquæ salientis in vitam æternã, vndè benè exclamabat Propheta Sanctus: *O si quis mihi daret, &c.* Et quòd hanc aquam, & de hac cisterna bibere sitijsset Dauid, est Diui Ambrosij doctrina in Apologia Dauid. 1. cap. 7. *Sitiebat Dauid, non aquam de lacu, qui est in Bethlehem, sed oriundum ex Virgine Christũ spiritu præuidebat, volebat ergo bibere non aquam fluminis sed potum gratiæ spiritualis.*

D. Amb.

Qui non desiderat, non bibit, nec huius aquæ potationis capax est, qui ardẽter non desiderat. *Desiderium*, inquit D. Augustinus orat. 4. in epist. 1. in Ioannem: *extendit animum, & extendendo facit capaciorem.* & D. Thomas part. 1. q. 12. art. 2. *Desiderium quodamodo facit desiderantem aptum, & paratum ad susceptionem desiderati.* In desiderijs ergo certare anima mea cum patribus illis hanc aquam desiderantibus. *Electi*, inquit D. Gregorius, *æstuante desiderio Incarnationis Christi mysterium videre cupierunt ardentissimis desiderijs promissum fontem auidè desiderabant illi, tibi verò frui datum est exhibitum*: imitare Mariam, quæ tot ardebat flammis, vt omnium patrum legis antiquæ, desiderijs in vnum collectis, sola videretur agi, & quæ cunctis erat ardentior, & Deo vicinior, intra viscera enim sua continebat infantem facilè in desiderio videndi natum omnes de longe superauit, nullus ea feruentior sic puras vnquã obtulit præces, et lacrymas, nullus calentiora emisit suspiria, nullus vt ipsa meruit habere præsentem, deosculari, et amplecti desideratum.

D. Aug.

D. Tho.

S. Greg.

O anima mea, si tibi datum fuisset videre, quo pacto ebulliebant de Virginis pectore desideria, ô si audires suspirantem, et inclamantem: *Tibi dixit cor meum*, &c. Qui calamus desideria, quæ Virgo habebat videre natum filium, valeat tibi describere, vel quæ lingua enarrabit cordis Virginis anxietudines, seù pectoris feruentem amorem? O quoties in die tacitè loquens loquebatur filio: *Tibi dixit cor meum.* O quam veraciter dilecte mi appellaris desiderium collium æternorum: En ego ipsa experior in visceribus meis.

Hic erat Mariæ cruciatus, vt pareret, vt in figura ostendit illa mulier in Apocaly. cap. 12. *In vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret*: non doloris cruciatu, vt cæteræ mulieres excruciantur in partu, sed desiderij cruciatus erat videndi desideratum, excruciat amantem vehemens desiderium, desidera, & ama, & senties quæ dico, amor facit desiderantem, desiderium reddidit amantem, & quæ ad partus tanti desiderati erant necessaria fecit sollicitam, & anxiam, cui hora, seu partus tempus non fuit absconditum, nec inopinantem inopinatè depræhendit eam tempus parturitionis, sed dum erat in desiderijs, & desiderati contemplatione, manibus, panniculos, lintea, fasciam, operabatur cor, pectus, sinum, brachia, os, labia, oculos, manus vbi parauerat ad recipiendum, & vestes ad inuoluendum.

Apocal.

Imi-

Imitare Mariam,& si te terret personæ dignitas, Virginis maiestas, imitare Bernarde Diuum Bernardum, qui in meditatione desiderati positus in serm. 2. in Canticis de se dicebat: *Ardorem desiderij patrum suspirantium Christi in carne præsentiam frequentissimè cogitans, compungor, & confundor in me ipso, & nunc vix contineo lacrymas, ita pudet temporis, torporisque miserabilium temporum horum, cui namque nostrum tantum ingerat gaudium, gratiæ huius exhibitio? Quantum veteribus Sanctis accenderat desiderati promissio?* & idem Sanctus in Cant. serm. 31. *Oportet namque, vt sancti desiderij ardor præueniat faciem eius ad omnem animam, ad quam est ipse venturus, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, & sic præparet locum Domino.*

D. Bern.

Idem Sanctus

Danieli apparuit Angelus Domini, qui indicauit Messiæ aduentum, & tempus solum, quia erat vir desideriorum, hoc promeruit, quia vehementer desiderabat: *Veni vt indicarem tibi:* dixit illi Daniel. cap. 9. *quia vir desideriorum es;* desideranti indicatur Christi aduentus, desideranti datur, manifestatur, & exardescentibus in eius pectore desideriorũ flammis nascitur Christus, desiderijs nutritur, & alitur, desidera igitur, & desiderati habebis effectum.

Daniel.

Esto & tu, ô anima mea vas solidum desideriorum, quorum vt sis compos, sit cor tuum fascia nati, pectus, brachia, manus sint lintea, & pannieuli sinus sit cuna infantis pueri, suspiria calor, labia mammæ, quibus deosculando dulcitèr lactes, lactando sua dulcedine. Sub hoc Ramusculo carpes tui cordis desiderij fructum, quorum satiata, & inebriata melle canas cum Virgine matre, simul, & laudes, & laudando filium collaudes, & matris perdulcissimum nomen, quòd sit benedictum in æternum, ô humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei, te præcor ô Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meę. Amen.



DE CORDIS VIRGINIS GAVDIO in partu filii.

RAMVSCVLVS QVADRAGESIMVSSEPTIMVS.

Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, germinans germinabit, exultabit lætabunda, & laudans.

Iſai. cap. 35.



Luc. Eu. cap. 1.

Oſt Ioannis natiuitatem, abſolutis apud Eliſabeth, vt Sanctus commemorat Euang. tribus ferè menſibus, rediјt Virgo in domũ ſuam, cuius incluſa cubiculo, ſupernę contemplationis dulcedine abundantius ſolito ſuperfuſa interius, et cæleſtium deſideriorum, natũ videndi exterius dilectionis flamma ardentiori ſuccenſa, perdulcisſimus tumeſcentis ſui virginalis vteri fructus, quia à deciduo non longè aberat hic, vt iam matrus, vt partui vicina Virgo mater, cępit, & partus non doloris, ſed gaudio rũ dulcitèr, ſuauiterque pręſentire nuncios, attamen diſcriptionis gratia, ſiue pedibus, ſiue Iuméto, cũ ſpõſo Ioſeph in Bethlehē proficiſcitur, quo peruenta, cũ non haberet vbi diuerſaretur, nec qui eam amicè hoſpitio reciperet, antrum quoddam in Ciuitatis muro elaboratũ nacta eſt, in hac ſpelunca diuerſati ſunt Ioſeph, & Maria mater Domini, factum eſt autem, cum eſſent ibi ò anima mea, ſi noſti, ſi capis, ſi intelligis, ſi in te ſentis, quid eſt hoc, quòd ibi factum eſt?

Luc. Eu.

Dicat, qui nouit. Luc. Euang. cap. 2. *Impleti ſunt dies Mariæ, vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum, & gaudium vniuerſæ terræ*. Naſcente puero Ieſu nulla quidē eriã inſenſibilis fuit creatura, quę nõ rideret, quę nõ gauderet inſolita lætitia, ſcito anima mea, quã do enixa eſt puerpera vniuerſitatis, & totius orbis faciem riſiſſe, cęlũ abſterſis nubibus perpulchrum induxit decorem, quo decorata ſunt omnia: Sydera partui hic virginali luxerunt cum incundirate, ipſa nox atra lumen effudit in tenebris, & pro caligine miniſtrauit ſplendorem, vt cum Pſalmiſta posſis, & tu dicere pſalm. 138. *Nox illuminatio mea in delicijs meis*, vt exponit D. Amadæus hom. 4. *puta noctem*, inquit ipſe: *effudiſſe lumen in tenebris, & pro caligine miniſtraſſe ſplendorem nox illa dedit lumen antequam moriretur, & lucem quæ ob nimium ſplendorem iubar Solis obnubilat.* Pſalm.

Si cuncta naſcente Domino riſerunt perfuſa nouo gaudio, Maria mater eius, quæ peperit illum, qualitèr lætabatur? Si cuncta gaudebant, Virgo quãto gaudio fruebatur? aut quæ erat in genitrice lætitia, ſi ita gaudebant omnia: *Lingua balbutit*, inquit D. Amadæus hom. 4. de laud. Mariæ: *cor refugit, ſenſus expaueſcit ad pondus tanti gaudij. Quomodo enim vas adhuc fragilè, adhuc luteum, & mortale ad tantam vim gaudiorum poterat durare, & illorum grande pondus ſuſtinere?* Quando ſeruata Virginitate ſuæ virginitatis mundo edidit fructum, fructum inquam, quem Virgini nuncians prædixerat Angelus, quem Ioannes clauſus in ventre, clauſum in vtero matris gaudens ſenſerat, exultãs agnouerat, & fętus adorauerat, fructum vtique cui Spiritu ſancto repleta, & nouis tota delibuta gaudijs, vna cum noſtra virginea palma benedixit Eliſabet, quando voce magna præ gaudio exclamauit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* S. Amad. Luc. Eu. cap. 1.

Cur ſola benedicta inter mulieres Maria? reſpõdet D. Bernardus in ſerm. de verbis S. Bern.

verbis Apoc. signū magnum. *Quia sola inter mulieres Virgo fuit à communi maledicto, & dolore parturientium aliena.* *Sola benedicta*, inquit D.Gregorius Nissenus oratione de Natiuit. *quia in Eua dolores partum præcesserunt, hic verò lætitia obstreticatur. Sola benedicta*, inquit D.Thom.3.par. quæst.35.art.6. *quia in illo partu nullus fuit dolor, sicut nec aliqua corruptio*: Sed fuit ibi maxima iucūditas, quam maxima? & quæ iucunditas, quæ cordis voluptas? & delectatio? quale gaudium? quæ dulcedo? quæ suauitas? quæ consolatio? quale solatium? & quæ lætitia in nocte illa, in hora illa sui partus? fuit cordi Virginis benedictæ?

D. Greg. Nissen.

S.Thom.

Dicam cum Propheta, solitaria in spelunca lætabatur, desolata, et inuia omni ope humana in antri cauerna exultabat, et solabatur? in illa specu deserta, et sola derelicta gaudebat, et iucūdabatur quando Dei matrem se vidit, quando ad suos pedes humi iacentem Deum vidit humana carne vestitum, quando suu illum excępit, quando ligauit fascijs, quando pannis inuoluit, quando reclinauit in præsepio, quando vt Deum pedes osculabatur, et vt filium faciem, et suo admotum pectori, vbere lactabat de cœlo pleno, quòd sugens puer Iesus cum lacte de suis mammis mater sensibilitèr, et præ dulcedine diuina cor de pectore sugere, auocare, allicere, et attrahere sentiebat, ita vt præ gaudiorum magnitudine deficiens, dulcitèr vtique expirasset, et defecisset e vita, si Spiritus sanctus qui vmbra sua illi obumbrauit, quando concipiens effecta est mater non obumbrasset in partu, si Maria et concipiēs, et pariens fuit sub vmbra Spiritus sancti, esto et tu ò anima mea sub vmbra huius palmæ ramusculi vt capias, et degustare detur tibi desuper hnc Mariæ grande gaudium, quando germinans germinauit, et floruit vt lilium.

Nascente Domino de profundo, et de imperscrutabili gurgite bonitatis diuinæ fons egurgiuit, et erupit aquarū gaudiorum supercœlestium, quibus irroratum est Cęlum, sic et de vtero Virginali iam nato madefacta, et fæcundata est terra nostra, vt quæ erat atra vallis męstorum, et lugentium facta est cęlestis patria lætantium spirituum super notum, et cohabitatio ipsiusmet Dei, in cuius natalis nocte, quò miraculorum copiosius fluxerunt riuuli, eò præ cæteris omnibus in Virgine abundantius congeminata sunt flueuta gaudiorum, dum Virgo Dei matrem se vidit effecta, sed qui fæcunditatis ei præstitit munus singulare, non solum non ademit Virginitatis decus, sed decorauit, et auxit iuxtà Isaiam prophetam teste D. Thoma Archiepiscopo Valentiniensi, quì verba explicans prophetæ: *Germinans germinabit, & florebit quasi lilium*, sola germinabit, quia sine viro germinabit, et florebit quasi lilium optima solitudo, quàm pulchrè editus saluatoris ex Virgine, spiramini odoris ex flore com paratur, nam sicut flos per odorem suum non perdit decorem, cum odor emittitur, sic tu propter Saluatorem Virginitatis candorem non perdis, cùm nascitur, imò suauitas odoris auget floris dignitatem, ita Christus nascens ex Virgine virgineæ puritatis decorem nō abstulit, sed sacrauit, decorauit, & auxit. D.Tho.

O grande miraculum, creatura in nocte illa facta est mater Creatoris; Deus infans, terra cœlum, lacrymæ canrica perdulcissima, mæstitia, gaudium; & iubilum totius orbis, & Virgo puerpera, cor cuius virgineum cum ardens, & vehemens suum desiderium proximasse, & peruenisse præsentiret ad apicem natum videndi, quem tot tantisq; vocis, suspirijs, lacrymis, affectibus, singultibus, anxietatibus, affectionibus, inflammationibus, & internis impatientis amoris flammis expostulauit, exquisiuit, concupiuit, adamauit, præstolata est, & expectauit, at vbi sentiens intellexit hora iam iam instare sui desiderati partus: O Deus cordis mei, tu qui nosti, tu qui inspirasti, doce animam serui tui, & ipsa capiat quanam via in corde Virginis feruentius congeminabantur desideria hæc sic ignita? Quibus, & locum parauit desiderato, & exornauit, disposuit, adaptauit, & illustrauit, eò vehementius, quis audet negare? ad Deum sui cordis votorum, & desideriorum suauissimi odoris fumus ascendebat, & anhælans, & collacrymans tacitè loquebatur in silētio noctis: Dauid Proph. *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus mei à te non sunt absconditi.* O vis vehemens, ò ardentis desiderij affluentia, Dau. Ps. psal. 37.

& efficacia, quæ & si vim habuit, vt Verbum attraheret de pectore patris, & humana carne vestiret, vim habuit, vt de Virginis alui ergastulo educeret, & extraheret, non sericis tapetijs, nec auro, vel gemmis contextis erat puero Iesu præparandus locus, sicut nec modo est, sed ignitis votis, ineensisque suspirijs, & desiderijs. Desiderij hoc munus est, vt docet Diuus Thomas p. 1. q. 12. artic. 6 (D. Tho.) dicens; *Desiderium quodammodo facit desiderantem aptum, & paratum ad susceptionem desiderati*, & quò differtur, eò altius crescit, & capax efficitur desiderati, hoc annotauit D. Augustinus in psal. 83. (D. Aug.) *Desiderium differtur vt crescat, crescit vt capiat*, quòd docet idem in tract. in Ioann. epistol. 1. (Idem sanctus.) *Deus differendo extendit desiderium, & desiderando extendit animum extendendo facit capaciorem.*

Idcircò Christi Natiuitatem ex Virgine matre tot patrum præcesserunt desideria, sed Virginis efficaciora, ardentiora, & præstantiora nulla, ò quam ardēter, ò quàm efficaciter ad salutem generis humani hæc Virgo desiderauit filij Dei, & sui natiuitatem: *Vndè Christi incarnatio vsque ad Virginem*, inquit D. Bernardus (D. Bern.), *dilatata est, propterea tanto tempore humano generi fluenta gratię defuerunt, quòd nec dum intercederet is tam desiderabilis virginalis aqueductus*: huius Virginis cordis desiderium ardens, & attraxit de cœlo, & extraxit de vtero, quando in illa nocte in specu illa solitaria, super se erecta in contemplatione tanti mysterij fumabat suspirijs, & supercrescentibus desiderijs ardentioribus solito, de profundo cordis sui omnium votorum suorum erumpebat fumus, quem emittebat sursum, & dirigebat ad Deum.

Quomodo factum sit, licet hoc opus fuerit diuinæ gratiæ, tamen naturæ demonstrabimus exemplo; Si aliquando tibi casu accidit, candelam, quam habes accensam in manu, à leui aura extingui, & quamuis sui luminis lucem, & ardorem amiserit, si adhuc spirat fumū, si adhuc fumigat, vt iterum flammescat & accendatur, non opus est, vt alterius candelæ accensæ flammis adhæreat, & approximetur, sed vt tanto spatio vicinetur, vt cōmodè fumus eius attingat, & perueniat ad flammam accensę. Num non obseruasti, quò pacto ignis flamma, seù vapor ille accensus suæ oblitus naturæ ex se descendit deorsum per venas, seù fumi aqueductus, & accendit, & inflammat, & incendit extinctam; quis namque ardentis candelæ contra ictus, srū cursus suæ naturalis ascensionis facit descendere ad flammam, Nisi fumus extinctæ, qui ad illius occursum offendit, & vi sua attrahit vaporem ignis, ardorem flammæ, & lucis splendorem; Sed à natura ascendamus ad opus gratiæ, de quo sic loquitur Ioannes Euangelista cap. 8. suarum reuelationum. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*; (Apocal.) quid hic fumus? Nisi vota, & desideria orationum, & aspirationum, quæ de cordibus electorum de Thuribulis incensorum ascendit ad Deum de manu Angeli, quo fumo in Sanctorum animabus descendit lux gratiæ, & claritas benignitatis diuinæ. Audiamus D. Bernardum de Sancto Michaele Archangelo ser. 1. (D. Bern.) *Ministrant Angeli efferentes Deo poma desiderij, & opera nostra bona*: En fumus desideriorum, qui attrahit gratiæ, & donorum lumen, & splendorem, vndè subdit Sanctus; *ac nobis eius gratiam referentes*, Papè, quando cor nostrum veluti lignum igne succensum fumigat, & fumat desiderio vehementi videndi Deum, Deum amplexandi, inseruiendi, obtemperandi, amandi, sectandi, laudandi, benedicendi, & pro acceptis gratias agendi, vim habet hic fumus de summis cœlorum educere, & attrahere gratiæ lucem, & claritatem, qua cordis nostri candela extincta accenditur, inflammatur, viuificatur, et splendet coram Deo, et Angelis eius.

Pastores ad quos descendit Angelus testatur D. Euangelista fuisse Dei claritate circumfusos, et primos ante omnes homines meruisse Saluatoris ortum cognoscere, intimātibus Angelis, docet D. Ambrosius serm. 9. (D. Amb.) non propter simplicitatem, et innocentiæ vitam, seù mores, sed quia: *erant vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum*; (Luc. Eu. cap. 2.) vt notat textus, quid illis profuit vigilia noctis? respondet Theophilatus; (Theoph.) *Quia erant pernoctantes in agro*: & Doctissimus Euthimius ad nostra, clarius; (Euthim.) *idem est pernoctare, vigilare, & custodire vigilias noctis*; noctis inquam, in quam incidit fęlicissimus Virginis partus,

tus, vigilantes, & custodientes obseruabant, & fistula, seu tibia canentes, Domino psallebant, ne quid Grex detrimenti caperet, & tibias inflant, & pastorali Cantu modulata voce concinnunt, fumum suorum cordium desideriorum emittunt, qui ascendens de manu Angeli coram Domino claritate Dei circumcingi, illustrari, & vehementer incendi meruerunt, Angelos intueri, de nato puero nuncium accipere, melodias angelicas sentire, natum puerum videre, et matrem, quæ virginitate seruata peperit eum proprijs oculis contéplari, videre, & intueri, frui, et adorare; O fælices fælicis noctis vigilias, quibus Angelos, Dominum, et Angelorum Dominam contingit cernere; O anima mea, si natum puerum, et Virginem puerperam cupis cernere, concupiscis intueri, custodi super gregem tuum, super cogitationes tuas, verba oris, super opera manuum tuarum, vigilias noctis, fumet pectus desiderijs, fumet cor votis dilectionis diuinæ, fumet os, fumet lingua fumo orationis, et psalmodiæ, fumigent sensus, & cuncta membra corporis tui, en exemplar, & auxilium ex Virgine.

Ingredere speluncæ illius antrum, vnius candelæ lumine tantummodo illustratum, ibi contemplare Virginem solitariam, desertam, desolatam, & hore sui partus iam vicinam, quæ deposito sui capitis velamine, pallioque de humeris, super spatulas perfusa aurea capillorum coma, discintoque de sinn perisscelide, extractisque de pedibus calceis, alba, candidaque stola amicta, eduxit de sacculo limpidissimos lini panniculos, & duos alios de lana, nec non, & duo capitiola linea, & lanea, flexis genibus humeros habens ad præsepe, faciem verò ad Orientem cœlum versus, brachijs, protensisque manibus, fixis in Deum oculis, dulcedine diuina tota perfusa, & in contemplatione tanti mysterij, supra se absorpta, & eleuata, gaudijs ineffabilibus cumulata, & delibuta, & ardentius flammarum desideriorum stimulis vehementer agitata, nunc colloquebatur filio.

Egredere ò fons magne de cisterna paruula, figulus de vase fictili, artifex de opere labili, mons grandis, & immensus de lapillo fragili, pluuia de nubecula; Egredere de terra cœlum, de centro circulus, de stella Sol æterni luminis, de serua Dominus, de creatura Deus, nascere, nascere mi magne puer, nascere mi parue Deus, nascere salus totius mundi, & iubilum, & gaudium vniuersæ terræ: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora nimis*; Cantic. cap. 2.

Nunc audi loquentem patri, en Pater Sancte, & ęterne Deus hæc est hora, vt mittas desideratum cunctis gentibus tot lacrymis patrum exoptatum, totque suspirijs, atque ignitis affectibus, præcibusque flammigeris per tot sæcula præstolatum, en paupercula mater filij tui, serua, & ancilla, impares sunt tanto mysterio, & officio vires, si quid apud te valet mea humilitas, miserere mũdi miseriã, emitte Saluatorem, ego siquidem tui cordis thesauri simplex depositaria, quòd ancillæ tuę fidei commisisti, fideliterque vsq; in hanc horam, vt potui, vt valui, custoditum, etiam vt vteri mei fructum, & de meis visceribus natum, tibi offero ad totius mundi salutem, & redemptionem. Quid tunc? ò anima mea? Dicam quæ sentio, dicam quæ capio, tunc clarissima lux de cœlo circum fulsit totum Virginis corpus, ne videretur exterius, & cor illius abundantius solito fuit interius perfusum tanta dulcedine, quæ & mentem eiusdem extra sensibilia eductam, & ita raptam in extasim, quòd quid de se esset, vel ageretur prorsus ignoraret ipsa, atque omnino nesciret, tunc in hora illa sacratissima erat Virgo triadæ benedictæ, excepta vnione personali, singulari vnione vnita, quantum fas est animæ rationali vniri Deo.

Et si tota Deo existens absorpta, sub crescentibus desideriorum flammis, & fumo, natum videndi iam natum, & sibi inuicem succedentibus gaudijs, nulla ibi obstetrice, nullaque mulierculärum intercedente sedulitate, nulla quoque interposita temporis cunctatione, sic e vestigio Verbum infans, Deus homo de suæ matris vtero exiuit, quòd nec Virgo aduertit nec præsensiuit, nec intellexit, nec vidit, nec quidem odorata est, sed tantummodo ex illa noua luce cœlesti, quæ & candelæ lucem accensæ in specu lucentis obscurauit, & antrum irradiauit, ex sui ventris contractione ex odorum fragantia suauissima, simul &

voci-

psallentibus in vnum dulcissima melodia, fęlicissimis auspicijs, ac modulatis vocibus concrepantibus, & lætissimè concinentibus, Mariam cęlesti gaudio replebant, congratulabantur, & congaudebant, agnouit, ac intellexit, quæ deorsum inclinans oculos, vidit iam natum puerum, sui cordis desiderium, & vernantem suæ virginitatis florem, & perdulcissimum fructum.

Quid tunc? quid in illa hora cor Mariæ? quando humi super fęnum ante pedes eius vidit Deum carne vestitum, ex se natum, iacentem, vagientem, nudum, & trementem, & fixis in faciem infantis oculis, quas præ nimio gaudio lacrymas? quæ suspiria? quos excessus? quæ gesta? quæ facta? quos sui cordis cogitatus, & vota? quas operationes amor ille diuinus operabatur in animū Virginis, non est humani eloquij facultas explicandi menti Sancti Spiritus adiutæ, & illustratæ fulgore, ac lumine gratiæ relinquuntur, ò anima mea meditanda, & contemplanda.

Intuebatur natum puerum Virgo puerpera, & cogitabunda mirabatur, contemplabatur, & meditabunda nimio stupore afficiebatur, gaudebat, exultabunda, & collacrymabatur, impellebatur amore, sed à timore reuerentiali retrahebatur, victa tamen dilectione diuina, nec non & materna se inclinauit ad puerum, illum amplexans, deosculans, genibus excipiens, brachijs stringens, & admouens vultum vultui nati pueri, quem suo lacte primò lactauit, pannis inuoluit, & reclinatum in Præsepio genibus flexa adorauit, pedes modò deosculando vt Deum, modò faciem vt filium, cuius blanditiis, oblectationibus, osculis, amplexibus, sicut non valebat sui ardentis affectus exatiare famem, sic nec præ amoris magnitudine, & cordis iubilo ab illius facie, & intuitu faciem poterat auertere, nec oculos ab eo secedere, sed tota innixa supra dilectum filium, cui tacitè sic audio loquentem.

Proh belle puer, proh Deus cordis mei, & Verbum patris, homo fieri decreuisti, cur matrem sic pauperculam elegisti? mundi Reginæ, & prædiuites Dominæ, heu tibi soli non erant? quæ te cuna auro, gemmisque contexta, & deaurata delicatè reclinarent? quæ te sericis pannis inuoluerent, ego verò omniū pauperrima, nisi his pauperculis pannis vix valeo tua fasciare membra, si talem tibi eligere matrem tantò complacuit, cur voluisti locum tuæ natiuitatis sic eligere vilem? inopem, abiectum, derelictum, desertum, & incommodum, si Nazareth mea patria nascereris, vtique erga te aliquid aliud facerem, hic autem nihil valeo ò fili.

A parturientium lege communi me excepisti, nunc vulneras tua hac nuditate, frigore, lacrymis, & loci paupertate, penetrator cordium intuere cor tuæ dilectæ matris, grandia petit, grandia optat erga te, & tibi nihil deficere, sed quòd non potest mea inopia, & paupertas, suppleat tua bonitas, & amor, intuens, & fixa in faciem pueri intendens, exultans lætabunda gaudens gaudebat, & exultabat, & fruebatur, & lætabatur, benedicens, & laudans collaudabat, & adorabat quem genuit, in cuius ortu quidquid gestum est, scito anima mea copiam fuisse gaudiorum, & lætitiæ, siquidem, & ea quæ doloris, & causa poterant esse, & mæstitiæ, vt loci paupertas, panniculorum inopia, fænum, & stabulum & pueri nuda membra, & lacrymæ, qui natus est Saluator mundi conuertit in iubilum, & gaudia.

Quibus cumulatè repletum cor Virginis quanta fuit eorum magnitudo, immensitas, dulcedo, & suauitas dicat qui nouit, dicat cui sentire, & experiri datum est, ego quidem iuxtà ingenij mei paupertatem dico, tanto gaudio in illa hora fruebatur, & replebatur cor Virginis, quòd præ gaudij magnitudine, & dulcedine vtique defecisset, vtique in amplexu, & deosculatione filii sui, inter amplexus, & brachiola eiusdem expirasset, si Spiritus sanctus, qui Virgini obumbrauit in conceptione, non obumbrasset in ortu Christi, & tot simul congesta gaudia in corde eiusdem sua virtute non moderasset. Et quidem fuit singulare miraculum non absorberi à torrente tantorum gaudiorum cor Virginis, cui tot aderant causæ gaudii, quot in partu filii operabantur miracula; & opera, & ex magnitudine facti potest extimari in Maria magnitudo gaudiorum.

Prophetæ sancti, & cuncti patres antiquæ legis hoc diuinum mysterium, & hunc lætitiæ diem in ęnigmate sub fidei & spei, & spiritus velamine illis demonstratum, & promissum, tam ingenti gaudio

dio perfundebantur, vt exultarent, & maximè gauderent, hoc in Abrahamo ostendit Christus, quando dixit Iudæis,
Ioan.Eu. *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est*, Ioan. Euang. cap. 8. & alibi, vt habetur per
Luc. Eu. Luc. Eu. c. 10. *Multi prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.*

Quid est hoc ò Anima mea, quòd ij sancti homines tam ardenti desiderio concupierunt videre, & non viderunt, & Abraham vidit diem Christi, vidit, & gauisus est, quis enim hic Christi dies? Quē exultauit, vt videret ille omnium gentium Pater, & videns, gauisus est.

Si attendis ad ea, quæ tibi scripta reliquit D. Chrysostom. hom. 54. intelligit diem passionis, & in Cruce Chri-
Chrys. sti immolationis. *Diem meum*, inquit Sanctus Doctor, *hoc in loco, Crucem mihi significare videtur, quem diem in Arietis oblatione, & in Isaac Abraham præfigurauit in Genes. cap. 22.* ciusdem senten
Theoph. Euthim. tiæ sunt Theophilatus, Euthimius, & D.
D.Prosp. Prosper lib. 1. eiusdem cap. 17. *Diem passionis filij Dei vidit Abraham in suo filio figuratum*, cui subscribitur D. Am-
D.Ambr brosius lib. 1. de Abrahamo cap. 8. *Christum vidit Abraham in isto sacrificio scilicet Arietis, huius passionem aspexit.*

Torrian. Torrianus lib. 8. constitutionum Clementis cap. 12. n. 3. vult diem suum in hoc loco Dominum vocasse diem Resurrectionis suæ, quando ostendit Abrahæ in Isaac à morte ad vitam fine corruptione reuocato, in die liberationis Isaac ostendit Patri Dominus, & Abraham vidit diem resurrectionis Christi, quam exultauit vt videret, & in ęnigmate vidit, & gauisus est.

D.Greg. D.Gregorius hom. 18. & D. August.
D.Aug. sermon. 70. de tempore, per hunc diem Christi, intelligunt diem apparitionis Christi in figura Sanctissimæ Trinitatis quando tres vidit Angelos, & vnum adorauit, in qua reuelatione facta fuit Abrahamo promissio de filio ex se nascituro, & in filio præcedebat figura Christi venturi, qua de causa videns in spiritu Messiæ aduentum de suo semine, exultauit vt videret, & vidit, quòd videtur sentire Origenes homil. 10. in
Origen. Genesi, quando inquit: *Non gaudebat de præsentibus Abraham, neque de diuitijs mundi, & actibus sæculi, sed vis audire vnde gaudebat.* Audi ipsum Dominum ad Iudæos dicentem. *Abraham pater vester exultauit vt videret, vidit & gauisus est.*

Christi incarnationem vocat Origenes diem Domini, cui astipulatur Diu. Bernard. sermon. 6. vigiliæ Natiuitatis D. Bern.
Domini, & D. Ambrosius lib. de benedictionibus Patriarcharum, hunc idem D.Ambr
confirmat D. Augustinus in lib. 3. contra Maximum cap. 26. eur non diem D.Aug.
Christi intelligimus tempus Christi, quo erat venturus in carne, quòd & Abraham, & alij prophetæ in spiritu, & in figura videre potuerunt, simul & gaudere, & summis gaudijs affici, & repleri.

Si quæ Christi erant futura, vt aduentus, incarnatio, & natiuitas, sub ęnigmatibus, figurisque à longe promissa, & in spiritu præmonstrata prophetis, tanta eorum mentes lętitia valebant absorbere vt læti, & securi tempus expectarent, quo tanto promisso bearentur, exultabundi gaudebant, in spe hilares exultabant vt viderent, si à longe concupita, & expectata, & desiderata, tot gaudia, tot iubilationes potuerunt afferre expectantibus, & desiderantibus, & in ęnigmate sperantibus, papæ quam incomparabiliter magis gauisa est Maria, & ineffabili gaudio absorpta est mens eius, cum non in figura, non in ęnigmate, non in desiderio, & spe cordis à longe vidit, sed & concæpit, & genuit suis clausit, & portauit visceribus carne vestiuit, lacte lauit, & lacte nutriuit, contrectauit membra manibus, ligauit fascijs, reclinauit in præsepio, præsentem vidit, osculata est, amplexata est, sinu fouit, strinxit in pectore, corde, & genibus flexa adorauit, adamauit, & intuens exultabat, lætabatur, gaudebat, & tantis gaudijs repleta gauisa est, vt præ gaudiorum æstu mirum est, si non defecit, si præ dulcedine non expirauit, mirum quidem, sed non mirandum, dum ille obumbrauit in partu, qui obumbrauerat in conceptu.

Non dissimili gaudio, imo maiori fuit delibatum cor Virginis, in filij Dei conceptione, quo & in eiusdem natiuitate, dum eiusdem Spiritus sancti vmbra ne deficeret præ lætitiæ, & dulcedinis magnitudine indiguit obumbrari in partu, qua & in conceptu, cuius gaudiorum magnitudinem, altitudinem, & sublimitatem vt capias quantum creatu-

ræ

tæ fas est, velim scias quòd sunt quædā bona, quæ non solum cum adsint iuuāt & delectant, sed etiam promissa oraculo lætificant, vt est lætitia, & bonus affectus animi, hæc inquam, non præsens tantum vim suam exigit, & ostentat, sed etiam sperata hominis cor, & animum præoccupat, hinc Deus benedictus, qui bonitate sua dona largitur aliqua ante promittit, vt accipientis animum afficiat dupliciter, primò vt lætetur in promissione, & spe promittentis, secundò vt impleatur gaudio in acceptatione promissi, & desiderati.

Si duplici hoc gaudio valuit præoccupare corda parentum, & vicinorum Isaac, qui idcircò risus interpretatur, promissus, & exhibitus, *Habebit filium*, dixit Dominus Abrahamo, *Sara vxor tua*, en promissio, qua audita inquit sacer text. quòd *Sara risit*, quid risit Sara? audiens quòd esset risum paritura? & Abraham exultauit, vt videret promissum, vidit exhibitum, & gauisus est quando concæpit iuxtà Dei oraculum, & peperit, vndè dixit mulier, *Risum fecit mihi Dominus*. Risum fecit Isaac promissus, & risum exhibitus, & acceptus. *Accepta promissione*, inquit D. Basilius Seleuc. orat. 70. *habuit filium ante filii partū, & spes ipsa prius Isaacum peperit, quam anus*, & annunciatus, & promissus, & acceptus, & natus Isaac, qui & risus meritò dicitur. Si Patri, & matri, & vicinis duplici gaudio impleuit, & risu suo cunctorum corda ad se traxit, & præoccupauit. Et Philo hebræus non ad Saram refert risum quando risit, sed ad filium nasciturum, qui risus vocandus erat quem risum, quale gaudium fecit matri suæ versus Isaac Iesus? qui & gaudium natus est vniuersæ terræ, & annunciatus, & conceptus, & natus, si nascens corridere fecit cuncta creata, etiam insensibilia, vt annotauit D. Amadęus hom. 4. de verbis Virgineis. *Puta quando enixa est puerpera Maria faciem vniuersitatis risisse, & lætum orbem suo plausisse Domino*, quid Maria? si promissus Patribus, si præfiguratus in lege si præmonstratus oraculis, corda cuncta expectantium, sperantium, & desiderantium magno affecit gaudio, & lætitia præoccupata corridere fecit, nam quando risit Sara, risus non est referendus ad figuram, sic nec ad filium Isaac vt figura, sed ad figuratam, hoc est ad Mariam, & ad puerum Iesum, huius enim natiuitas, partus, & gaudium præmonstrabatur in illis. Audi D. Ephrem oratione de Abrahamo. *Non propter Isaac risit Sara, sed propter natum ex Maria Virgine, qua verè mundo fecit risum, & peperit gaudium*, quòd quo ipsa repleta, quo absorta, quo præoccupata, cum sit inexplicabile, et ineffabile, vt de eo possim contestari, quòd nec lingua valet dicere, nec littera exprimere, nec mens humana capere quanto gaudio fuit perfusa Maria quæ risum peperit, et quantum risit quando ante se humi iacentē super fœnum positum, locatum in præsepio pannis inuolutum vidit Deum carne vestitum, tanta fuit lætitia cordis sui, vt necessario Spiritus sanctus illi sua vmbra obumbraret, conseruaret, et protegeret.

Quid miraris ò anima mea, si Virginem tanto gaudio vides perfusam in partu filij sui, dum in pueri Iesu natiuitate, etiam quæ ex sui natura mæstitiam ingerunt, et dolorem, vt sunt loci angustia, pannorum miseria, temporis inclementia, frigoris acerbitas, lecti duritia, fœni asperitas, et lacrymæ, quæ omnia reste Angelo nobis sunt causa lætitiæ, et gaudij, Luc Euang. cap. 2. *Annuncio vobis gaudium magnum*, dixit ille, *quòd erit omni populo*, et vertuntur in gaudium, quæ mesta sunt, quia puer qui natus est ingreditur vt Saluator, et Redemptor, hinc fœnum, et paleam adducit in signum gaudij. *Inuenietis infantem positum in Præsepio pannis*, ne deficeret præ gaudio.

Debitum ab homine contractum erat magni ponderis, ratione obiecti infiniti valoris nec pro satisfactione aliud habebat homo nisi paleā, paleæ quidem sunt cūctæ nostræ operationes, & quantū palea pendet, tantū & illæ. O gaudiū, ò lætitia cordis mei, nascitur Iesus Saluator, & reclinari voluit super fœnum, super paleas, cur hoc? numquid quia nō erat ei locus in diuersorio? Non quidem, sed quia ingreditur, & nascitur Saluator, voluit infantilia sua membra in paleis collocare, vt ex contactu suo diuino paleæ mutarentur in gemmas, & margaritas infiniti valoris, si tangendo semel aquas Iordanis, quando à Ioanne baptizatus est, vim contulit lymphis purgatiuam, & luaium nostrarum sordes abluendi præstitit efficaciam, qui-

Genes.
S. Basil.
Phil. heb
D. Amad
D. Ephr.
Luc. Eu.
Luc. c.

quibus & animæ mundantur, & purificantur à peccatis, vt satis eruditè docet magister sententiarum lib. 4. dist. 3. cap. 1. D. Ambrosius in Luc. cap. 1. & Venerab. Beda, qui ait, *Tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis*, quid fœno? quid paleis illis? quę non semel, sed pluries tetigit, & primo tetigit, & super eas nuda membra primo locauit, & ex contactu carnis pueri Iesu, ò miraculum ò prodigia, vilis palea conuersa est in margaritam inæstimabilis valoris. vndè si magni ponderis erat hominis debitum, quod Deo erat obnoxius, habet nunc paleas hoc est lacrymas, suspiria pueri Iesu, & operationes, & gesta super fœnum, quæ operantis virtute, & merito sunt infiniti valoris, Deo gratissima, in acceptatione diuina satisfactoria, & dum habet vnde, & quò homo peccator debitum soluat, meritò dicit Angelus, *annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in Ciuitate Dauid*, en gaudij indicia, en lætitiæ causa. *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio*, & quæ erant mæstitiæ, doloris, & timoris, mutata sunt in iubilum, securitatem, & tripudium.

Lacrymæ enim licet luctus, mæstitiæ, afflictionis, & intimi doloris, vt plurimum omen præ se ferre soleant, quas nihilominus in suæ natiuitatis nocte fudit puer Iesus quia nobis nascens nascebatur mundi Saluator, vt pastoribus auctumauit Angelus, in gaudium puer ipse nobis conuertit, & lætitiam. Non te pigeat anima mea reuocare ad memoriam memorabile factum à Christo in nuptijs Canæ Galilææ quando miraculorum suorum initio dedit Iesus conuersionem aquæ in vinum, quòd miraculum vocat Sanctus Euangelista, *initium signorum Iesus*, & duo velim notes hic.

1 Primò quòd aqua in scripturis sacris pro miseria, pro afflictione, mæstitia, & dolore sumitur, vt videri potest in Genesi sexto capite vsque ad nonũ, & in Ezechiel. cap. 12. nu. 19. & cap. 47.
2 n. 4. vsque ad 6. et plurima loca. Sic, et vinum typus est lætitiæ, et hilaritatis, et gaudii, vt præcipuè testatur psalmista psal. 103. *& vinum lætificat cor hominis*. Lætitia tribuitur vino, et ex eo quia tristitiam, et socordiam pellit, et ad lætitiam excitat hominem, dum in eo reparat vitales spiritus, membrisque vigorem immittit, vnde et hominem lætiorem reddit, et gaudio replet.

Nascente Domino o Deus cordis mei, ò Deus summæ bonitatis, conuiuator mundus quid parat bibendum suis conuiuis, nisi aquam? quid illis propinat? nisi aquam miseriarum, luctus, dolorum, angustiæ, afflictionis, et mœstitię? hoc mundi conuiuium vini semper patitur defectum, quoniam delicijs, et mũdi voluptatibus vacantibus, et mundanæ lætitiæ vino madentibus, et potionis mundanę calicem vsque ad corieratem bibentibus, et scyphum vsque ad fœces siccantibus, non præbet mundus veræ vini lætitiæ, sed aquam, qua inundabat tunc orbis terræ, quando puer Iesus natus est, vndè et vagit inter arcta conditus præsepia, et lacrymarum aquam fudit, fundit, mittit, et spargit ex oculis, cur hoc? ò anima mea, nisi quia aquæ præualuerunt nimis super terrã, quem cum vidisset matrem plorantem, et ipsa collacrymans misericordia mundi miseriarum tacitè dicebat, *Fili vinum non habent*, vertere aquam in vinum non, est mundi, tua interest, hoc initium signorum fecit Iesus, quando vix natus flere cępit vt suarum lacrymarum aqua, mundi aquas verteret in vinum, miserias in consolationes, luctum in risum, dolorem in gaudium, afflictiones in spiritualem tripudium, et mæstitiam in lætitiam, imò amarissimas aquas Morath nostri pectoris, et peccatorum in vinum verteret indulgentiæ, et gratię in vinum mutaret aquas nostrarum culparum, satisfactionis, et remissionis, et vagiens mota sit, quandò primũ fleuit, tunc *initium signorum fecit puer Iesus*, et suæ charitatis affectu, et suæ matris nostræ salutis sedulæ præcatione. et merito rogatus, quando pro nobis præcata est, vinum nõ habent. *Tunc*, inquit Riccard. de Sancto Laurentio lib. 4. de laud. Virg. *Christus aquas peccatorum conuertit in vinum gratiarum, precibus, & meritis matris suæ, & etiam aquas miseriarum in vinum consolationum*, vndè benè dixit Angelus. *Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator mundi*. Luc. Euang. c. 2. qui quidquid erat triste, lugubre, et mœstum vertit nobis in gaudium, etiam et lacrymę in consolationem, et lętitiam.

Magister sententiarum. Luc. Eu. cap. 2. Ioan. Eu. cap. 2. Genes. Ezechiel. David Proph. Ioan. Eu. cap. 2. Riccard. à S. Laur. Luc. Eu. cap. 2.

Infantulum hunc in præſepio vagientem,& hunc lacrymarum fontem vidit
Ezec.Pr. Ezechiel Propheta, *cum à latere dextro templi aquam vidit egredientem*. Templum hoc corpus eſt pueri Ieſu, in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter,& aqua,quæ de huius templi latere egrediebatur, ſunt hæ lacrymæ vagiẽtis,ad hoc illas lacrymatus eſt puer ſaluator tuus ò anima mea,vt in illis te laues,& lauata his lacrymis tuorum peccatorum lacrymæ in vinum tibi conuertantur remiſsionis,& ſalutis, quia vt ait Abb. Cellenſis lib.de pani.cap
Ab.Cell. 12. *Aqua hæc aut facit,aut inuenit Paradiſum*. Cum enim pertuſione lacrymarum tota irrigatur conſcientia, ligna in ea producuntur,& naſcuntur ferentia fructus vitæ,& folia exultationis,& vmbra protectionis,& conſolationis.

Fixis in ſtabulo oculis mentis tuæ intuere,& aure cordis tui audi puerum vagientem, contemplare oculos illos lacrymis madefactos, guttulas lacrymarum diſtillantes, ſimul reſpice genas pueri Ieſu lacrymuncularum vnionibus,quaſi tot varijs, decoriſque reſperſas floribus, vt arentia cordis tui ligna illis irrigata vndis,madefacta imbribus fructus afferãt vitæ,& ſalutis,quia aqua oculorum eius aut facit,aut inuenit Paradiſum.

Cuius enim vel ſaxeum pectus hæ la-
Exod.c.7 crymæ non emolliant? non ſcindant? vel non excauent? num cor tuum erit ſaxis durius? percuſsit bis virga ſanctus Moyſes ſilicem,& de ſaxi,vel petræ ſinu exierunt aquæ largiſsime,& ſpatio quadraginta annorum,quòd fuit totius peregrinationis decurſus, & ex ea bibit populus ſitiens. Anima mea intuere cor pueruli Ieſu, & ab eis lacrymantibus oculis ne auertas oculos tuos, & ſenties quot lacrymatur lacrymas, tot pectoris tui ſilicem percuſsionibus diuerberat,allidit, & collidit, ſi non ſcinderis,ſi lacrymas compunctionis,& pietatis non excutit ſilex pectoris tui,nonne tu petra illa durior?

Durior quidem dum illa ad virgæ duplicem ictum non ad ſui ipſius incolumitatem, ſed ad populi Iſraelitici vitam, & ſalutem ſciſſa emiſit largitèr aquas,intende quæ dico,tua ſalus,& vita à lacrymis pueri Ieſu pendet ſi col-
Exod.c.2 lacrymaberis,et tu. *In flumine vt lauaret ſe,deſcẽdebat quadam die filia Pharaonis cum ancillis ſuis, & cum graderetur per crepidinem aluei,& vidiſſet fiſcellam in papyrione miſit vnam de puellis ſuis,& allatam aperiens,cernenſque in ea paruulum vagientem, miſerta eſt eius*: pueruli Moyſis parentes verentes Pharaonis edictum, natum puerum Nili littoribus,& vndis inter vepres, et riparum virgulta exponunt, in fiſcella abſconditum vt liber euaderet à Regio furore, qui ad mortem damnauerat, ò Deus cordis mei,ò Deus miſericordiæ, et immenſæ bonitatis,puerum a parentibus ſic derelictum,nili fluminis aquis creditum,illuc modo huc iactatum vndis,quis in tanto diſcrimine,et vitæ periculo tutari valuit,et ſaluare? vagitus et lacrymæ ipſiuſmet pueri,et quem incolumẽ reddere à morte non potuerũt eius parentes,et cognati,plantus, vagitus,et lacrymę cuſtodierunt,et ab aquis liberum,et à morte immunem, quando vidit vagientem filia Pharaonis, tunc miſerta eſt eius, et illum extraxit ab aquis,ſeruauit ab ira Regis, et curam exhibuit vt viueret, lactaretur, et ſibi nutriretur.

Cum Beata Paula Romana vſque Bethlehem à Roma tranſmigraſſet, introiens in ſpecu Saluatoris Domini, et ibi orans, et myſteria partus Virginis, et natiuitatis pueri Ieſu, mentalibus oculis contemplans, tanta fuit luce diuina perfuſa,quòd de ea ſcribit D.Hieronymus: *Me audiente, iurabat cernere* D. Hier.
oculis fidei infantem pannis inuolutum vagientem in præſepe, mixtiſque gaudio lacrymis exclamauit,miſera & peccatrix digna ſum iudicata deoſculari præſepe, in quo Dominus paruulus vagijt,orare in ſpelunca in qua Virgo puerpera Dominum fudit infantem, hæc requies mea, quia Domini mei patria eſt,hic habitabo, quoniam Saluator elegit eam, hic parani lucernam Chriſto meo anima mea illi viuat & ſemen meum ſeruiat ipſi.

Deſcende & tu anima mea cum ſancta hac muliere in præſepe, ingredere antrum,& in illa ſtabuli fiſcella,en videbis paruulum vagientem, cuius infantis lacrymæ vim habent,te à morte cuſtodire,ab ira Regis liberare,à fluctibus tentationum ſaluum facere,ſi miſericordia mora,ſi eius pio affectu collacrymaberis. *Ibi*,inquit D.Epiphan. *Maria præ* D.Epiph.
parauit portum ſalutis, lauare in flumine lacrymarum Ieſu ſepties, et millies,

ſi opus

si opus sit, aqua enim illa, aut facit, aut inuenit Paradisum.

Paruam illam Bethlehem, inquit D. Gregorius Nanzianzenus orat. 38. *honora, quæ te in Paradisum deduxit, & reduxit*. O nate Deus, ò ignis summæ actiuitatis, si mei famelicus est hic amor tuus ò Deus amor, si ad id ploras, ad id fles, vt errantem reducas ad ouile salutis, & inuenias perditum, vt inuenias, vt reducas, vt me de te saties, quis te prohibet? impedit? nonnè tu Deus meus ignis consumens es? nonne ignis diuinus amor tuus, nonne fortis, æternus, infinitæ potentiæ, huic omnipotentiæ, quis valet resistere? vt in me non consumas, quòd tibi displicet, contristat, et lacrymas tot & tam tempestiuè fundere cogit.

D.Greg. Nanz.

Si tui patris pectoris valent hæ tuæ lacrymæ sedare, et linire iustitiæ rigorem, valeant & mei pectoris lauare fœtorem, quòd mihi deest, et mei paupertas non præstat, et duritia cordis mei non meretur, sint tuarum lacrymarum effectus, vis et potentia meam emollire duritiam, mei cordis lauare delicta sint; et tuæ matris merita hoc à te mi puer Iesu obtinere donum.

Tu Virgo mater, et mater pueruli Iesu, quem collacrymasti lacrymantem, et lacrymis lacrymas copulasti: si lacrymæ illæ cordi tuo panes fuerunt dulciores super mel et fauum, et gaudij, et lætitiæ, harum lacrymarum meritis doce me, dona mihi, impetra, roga, ora vt vobiscum collacrymando valeam sentire gaudij et lætitiæ effectus.


Tu verò anima mea ostende ad palmam hanc virgineam; sub vmbra huius ramusculi sede solitaria, quiesce deserta et inuia pausa vt quasi lilium floreas, et vt germines deuotionis fructus, et exultes sic inebriata odore, sic repleta dulcedine tanti gaudij laudes, et benedicere non cesses Virginis perdulcissimum nomen quòd sit benedictum in ęternũ ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei; te precor ò Maria monstra te esse matrem et miserere mei; quoniam in te sola sperat et confidit anima mea: sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, et in hora mortis meę. Amen.



DE PRIMA EFFVSIONE SANGVINIS Pueri Iesu per manus ipsiusmet suæ matris Virginis.

RAMVSCVLVS QVADRAGESIMVS OCTAVVS.

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Cant. cap. 2.



Breuis hodie ô anima mea, pueri octiduani circumcisionis in hoc quadragesimo octauo nostræ palmæ virgineæ ramusculo in littera satis strictim circumcisa ab Euangelista tibi proponitur historia, quæ quò in verborum inscriptione est cæteris alijs breuior, eò in spiritu, & mysteriorum altitudine, & multitudine est ipsa cunctis fœcundior, & copiosior, si locum spectes in quo circumcisus est puer, & tempus circumcisionis quæris, quid breuius? & angustius? si puerum ipsum circumcisum, quid eò admirabilius? si vulneris ministrum, & instrumentum, quid monstruosius? si nouum pueto nomen impositum desideras, quid eo altius? quid dulcius? salubrius? & desiderabilius? si huius circumcisionis causam, et finem, nihil amabilius, nil delectabilius?

D. Epiph. Locum tibi præmonstrat D. Epiphanius her. 2. fuisse ipsam speluncam Bethlehemiticam. *Christus*, inquit ipse, *natus est in Bethlehem, & circumcisus in spelunca.* Tempus præscripsit lex ipsa, esse octauum à natiuitate diem, sic habes in Genes. cap. 17. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Genes.

D. Ambr. Si quæris puerum, illum esse tibi respondet D. Ambrosius in Luc. c. 2. de quo dictum est. *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.* Si ministrum, Diu. Hieronymus testatur fuisse Virginem matrem, sic habet in libro de vera circumcisione: *Christus octaua die circumciditur à matre*, quòd tenet D. Bernard. D. Bern. in tract. de lamentatione Virginis, sic scribens. *Ipsa enim portauit Regem gloriæ, illum omni petenti daturæ, ipsa genuit eum, lactauit eum, die octaua circumcidit, & quadragesima præsentauit in templo.*

Si instrumentum? quo puer iste circumcisus est, cultrum fuisse petrinum docent D. Hieronymus vbi supra, Diu. Augustinus de gratia Christi cap. 31. & D. Hier. D. Bernard. in serm. 1. de circumcisione. D. Aug. *Non repulit Christus cultrum lapideum, in quo solo, vetus illa, quæ raderetur, rubigo non fuit.* D. Bern.

Si nomen? quis ignorat esse Saluatoris? et salutis, non modò solum in tempore, sed ab æterno impositum, *quòd vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur:* si causam sciscitaris, et finem circumcisi pueri, quid tibi ô anima mea fructuosius, amabilius, et delectabilius. Audi D. Bernardum serm. 2. de circumcisione. *Neque enim causam quærere est Christianis, cur voluerit Dominus Christus circumcidi, propter hoc siquidem circumcisus est, propter quòd natus, propter quòd passus, nihil horum propter se, sed omnia propter electos, neque in peccatis genitus nec à peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo, magis autem propter delicta nostra.* si nobis natus, si nobis datus nobis et circumcisus, meritò sanè dum circumciditur puer qui natus est nobis, Saluator vocatur, quòd videlicet ex hoc iam cæperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. D. Bern.

O vis amoris, ô violentia dilectionis diuinæ erga te, ô anima mea, cunctæ, & singu-

singulæ circumcisionis Iesu causæ, & finis, ad tui tātum salutem referuntur, quando nihil propter se, inquit D. Bernardus. *Sed omnia propter electos* Nonne descendit Verbum patris de cœlo in vterum, & de vtero in præsepe, pro te, & propter te, ita inquit Sancta mater Ecclesia: *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.*

D. Bern.

S. Mater Ecclesia.

Si non intelligis, cur nasci voluit homo Deus, simul cum Isaia docet te D. Thomas: *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine*: ac si diceret pro te, & propter te. Si, cur sic nudus, & pauper, & in loco tam vili, pro te, & propter te, tibi respondet D. Paulus 2. Corinth. cap. 8. *Propter nos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia diuites essemus.* Si, cur Deus homo voluit mortem crucis sustinere, & pati, anxiè quæris intelligere, *pro te, & propter te*, inquit Apostolus ad Galat. c. 5. *In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Si non capis, cur tertia die resurrexit à mortuis, respondet idem Apostolus ad Roman. cap. 4. *pro te, & propter te. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.*

Isai. Pr. D. Tho.

D. Paul.

Paul. Ap.

Paul. Ap.

Si non capis, cur cœlum petijt gloriosè triumphans, audi Ioannem Euangelistam, *pro te, & propter te*: quando testatur cap. 14. *Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Non percipis, cur sedeat ad dexteram Dei patris, idem Apost. epist. 1. cap. 2. sic satisfacit tuo desiderio, vt pro te, & propter te, aduocati officio fungatur. *Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Dominum nostrum Iesum Christum.*

Ioan. Eu.

Idem Apost.

Si quæris, cur abiens simul, & remanere nobiscum voluit? vt pro te, & propter te, inquit Euang. Matthæus, esset in hac peregrinatione comes indiuiduus, & ibi esset cibus, & potus: *Ecce vobiscū sum vsque ad consumationem sæculi, accipite, manducate, & bibite ex hoc omnes.*

Mat. Eu.

Quorum doctrina sic edocta sponsa, & sic inebriata dilectionis vino, ne ad vnum videretur arctare sponsum, qui extendebatur ad omnia, & nihil operari pro se, sed tantum ad sponsæ salutem loquens sic loquebatur: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Cantic. cap. 2. pro me, & propter me dilectus meus mihi, ac si diceret mihi descendit de cœlo, mihi factus est homo, mihi natus, mihi circumcisus, mihi passus, mihi mortuus, mihi resurrexit, mihi ascendit, mihi sedet, mihi patrocinatur, nihil pro se, sed omnia propter electos, agnosce ergo anima mea tibi natum, tibi circumcisum, agnosce beneficium, mysterij profunditatem, confitere cum sponsa, vt nullo interposito verbo cum ipsa ad puerum Iesum inclama, dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.

Cant.

Amantis vtique hæc vox est, & diuini amoris inebriati cordis vino, hic loquendi typus est, quem vt tu capias, anima mea velim scias, quòd anima non excitatur, non eleuatur ad cœlestis sponsi amorem, nisi sponsi degustata primo amoris vi, & dulcedine, nisi sui sponsi dilectionis vulnere fuerit prius ipsa vulnerata, en modus ipse loquendi, dilectus meus mihi, quia prius sponsus currit ad sponsam, deinde sponsa ad sponsum currit alacritèr, & ego illi, lege D. Bernardum serm. 68. in Cantic. *Dilectus meus intendit mihi, & ego illi, Ille mihi, quia benignus est, & misericors & ego illi, quia non sum ingrata, ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia, ille meæ liberationi, & ego illius honori, ille saluti meæ, & ego illius voluntati, ille mihi, & non alteri, & ego illi, & non alteri.* Hæc Bernardus, quid est ille mihi, & ego illi? nisi ille mihi, & nihil pro se, se totum dedit, & ego illi, totam meipsam totam ipsi addico, & consecro.

D. Bern.

Profunda quidem sententia, sed delectabilis, quia animæ amantis est, ex sequentibus verbis: *qui pascitur inter lilia*, eius dulcedinem vt valeas dulcitèr sugere obserua, quòd non solum gloriatur sponsus pasci inter lilia, sed esse lilium inter spinas, sic habes in Canticis cap. 2. *Ego flos campi, & lilium conuallium*: & hoc lilium inter spinas, grāde mysterium, & diuini amoris erga nos, imperscrutabile sacramētum, Quid est hoc? quòd non pascitur lilijs, sed inter lilia, & si lilia pascit, non inter lilia pascere gloriatur, sed inter spinas. Amātis sponsa sic respondet amanti, quia dilectus meus non pascitur lilijs, sed inter lilia, idcirco dilectus est mihi, & ego illi, quia lilia pascit, non inter lilia, sed inter spinas, quibus actibus inuincibilē

Cant.

sui

sui cordis amorem, & erga me æstuantis sui pectoris ardentē dilectionem seis-so omnis timoris, & dubietatis velo deuelat, & detegit. Hæc vt capias, contemplare dilectum sponsum veluti lilium natum inter flores illius æterni veris, suauissimi odoris, flores dico, diuinas illas perfectiones, quibus veluti lilijs paterni candoris Verbum patris coronatur, decoratur, pulchificatur, delectatur, & pascitur, simul, & pascit, dum mentes electorum clarè clarificat, summè, & gloriosè glorificat, & plenissimè satiat; In illo diuinitatis pomario nec spinæ nascuntur, nec germinantur vrticæ, cuncta sunt rosæ, cuncta sunt lilia: Vndè & illi nunc hæ spinæ? ex eo quia factus est flos campi, & lilium conuallium, & nostris natus in vallibus factus est lilium inter spinas, cur hoc? nisi quia victus amore de spinis faceret lilia, quia nescit vt lilium esse sine lilijs, & non commorari inter lilia, ad hoc factus est lilium inter spinas.

Spinę enim quid aliud faciunt quàm pungere, & lacerare teneram rosam, quæ rosa hæc? Nisi infans Iesus, qui iuxta Caldeam litteram se nominat; *Rosam*; nam vbi in Canticis legit nostra vulgata; *sicut lilium inter spinas*; illa sic habet, comparatus sum rosæ, quæ germinat inter spinas, à quibus perforantur, & rumpuntur folia eius.

lit. Cald. Cant. cap 2.

O charitas, ò vis diuini amoris, Rosa, seù lilium hoc conuallium inter spinas nasci voluit, & commorari, vt spinas suo decoret candore, & illustret albore, quo rosas facit de spinis, & lilia, ita docet D. Bernardus ser. 58. in Cant. *Lilium vtique pungentes se spinas illustrare, & venustare non cessat candore proprio, & de spinis factis liliis, pascitur inter lilia, & non liliis, nam qui vescitur liliis, lilia consumit*; Puer Iesus idcircò non pascitur lilij, sed inter lilia, vt candidiora faciat, & suauiolentiora. *Non cibo, sed consortio*, inquit D. Bernardus in Virg. natiuit. *liliorum pascitur, nec liliis vescitur, sed inter lilia versatur*; vt seruet, vt pascat, vt nutriat, vt augeat, vt conseruet, imò de non lilijs lilia faciat, factus est ipse lilium inter spinas.

D. Bern.

D. Bern.

O infans Iesus, ò lilium æterni candoris, ò rosa vernans æternæ puritatis, tàm purum, tàm candidum, tàm pulchrum vt nulla vnquā te valuit peccati pungere spina, nec vnquàm peccati figura te potuit diffigurare, cur nunc inter spinas sic punctum, sic te video vulneratum? O amor æterne quid fecisti? Potius pueri Iesu voluisti periclitari honorem, quàm meæ redemptionis dimittere remedium? Quid est in me, quòd tantum te coegit amare, non amantem, ò amor infinitæ ita amasti amatum, vt in illius figura appareas figuratus, quæ & si te non decet, vt Deū, decet tamen, vt amantem. O Deus cordis mei; vt corrupti figuram in viuentis, & amantis transformares imaginē, & figuram figurari voluisti in figuram amati, factus lilium conuallium inter spinas.

Quid tibi, & spinis? & quæ hæ spinę? quæ pungere, & rumpere audent folia lili candoris æterni, ò fons amoris, ò nate Deus, ò Iesu amor meus, altissimū ad hoc posuisti tabernaculum tuum, vt non accederet ad te malum, cur nunc versantem, commorantem inter spinas, à quibus te video laceratum, punctum, vulneratum, & proprio sanguine cruentatum? Nonne hoc tuum habitaculum posuisti eleuatum, tutissimum, & ab omnibus semotum periculis, & spinarum stimulis, & aculeis? quā nunc via ascenderunt spinæ, vt sic te mi puer Iesu pungerent, & folia, velut lilia candidissima tuæ carnis proprio cruentarent sanguine.

Amoris Sacramentum est, & ab oculis meis confiteor absconditum, verum vt capias anima mea, ingredere speluncam illam, in qua, consummatis ferè diebus octo, contemplare puerum natum locatum à matre in sinu Ioseph, ipsa verò ante puerum genuflexa, vix manus fascijs, vt solueret, admouerat, quando viscerum cordis sui solutis, & relaxatis habenis lacrymas emittebat ex oculis, & suspiria de profundo sui pectoris, nam in corde suo vulnus iam ipsa acceperat, quòd in carne filij nondum inflictum erat, & cultro illo lapideo, quo Circumcisionis vulnere carnem filij sui erat Circumcisura se primo grani amoris, & pietatis vulnere vulnerauit.

O violentia amoris, & dilectionis diuinæ erga nos. Contemplare anima mea, & intuere puerum Iesum denudatum à fascijs, repositum super altare sinus Ioseph, & Virginem matrem intrepida manu, sed pauido corde, non infirmita-

mitaris timore, sed materni affectus teneritudine, antequam vulneret, & carni cultrum admoueat dilecti filij sui: ò mi Ioseph, ò Maria, quid taciti circumcidentes puerum? si circumcisio est peccati, & superfluitatis indicium, ò Virgo mater tu genuisti, tu concepisti, tu portasti, tu peperisti, tu nosti, quòd Deus erat de Deo Patre, & verus homo sine peccato de Virgine matre, quid superfluum in puero? quòd necesse sit circumcidi? & circumcisio si non est data, nisi peccatoribus ad suorum purgationem delictorum, cur puerum circumcidis? sic respondet Virgo, sic & Ioseph, sicut tibi natus, & tibi datus, sic tibi & circũcisus: Christus Iesus caput est totius Ecclesiæ; Et quid mirũ, inquit D. Bern. ser. 3. de Circumcisione. si caput pro membris accipit curationem, quàm tamen in seipso non habuit necessariam; dolet caput, & in brachio fit medela; ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in capite: Et si Iesus pro te vulneratus est in carne, Virgo mater in corde accæpit, & ipsa uulnus amoris, ò Maria, ò Virgo mater, quo dolore angebatur cor tuum, quo æstuabat amore? qua flagrabat dilectione? simul, & pungebatur materna compassione? ad conspectum petrini cultri pallere cœpit vultus, collacrymati oculi, tremere pectus, timere manus, tandem impauida, & constantissima, certa de decreto diuino, quod non fieret peccatorum remissio, nisi per sanguinem filij sui, vt testis est D. Paulus ad Hebræos cap. 9. Et sine sanguinis effusione non fit remissio; intrepida facta, per omnia diuinæ voluntati conformis, denudato à falcijs corpusculo sacratissimo sinistra manu carnis particulam circumcidendam tenens, dextera apprehendit gladium, paulispèr subsistens cogitabunda, & lacrymans, ò Maria nondum vulnerasti, & vulnerata palles? Nondum fecisti, & nouo vulnere affecta collacrymas? sauciata gemis? suspiras? sic percussa amoris, & pietatis spina? Tunc quæ tui cordis amantis desideria? quæ tui pectoris vota? tui oris verbula? stetit, carni cultrum adripuit, vulnus inflixit, circumcisionis puer pœnam accœpit; quæ omnium illi dulcissima fuit, collacrymabatur matri, cuius ori, & genis infans applicabat manusculas, blãdiloquus blandiendo matri, cui & si blandiloquis non verbis, non lingua loquebatur, loquebatur autem oculis, & blanditijs, & lacrymis, quibus dicebat, noli flere mater, & mater illi, noli flere & tu fili, si vis, vt cessent oculi mei à fletu, cessent & tui à ploratu, cuius lacrymunculas pia mater à pueri genis tergebat labijs, lambebat lingua, & siccabat oculis, fouebat sinu, stringebat brachijs, reprimebat singultus, præbebat vbera, blandiendo solabatur amplexando, deosculando consolabatur, & vulneris dolorem, vt potuit lactis dulcedine lauando liniuit, tersit linteo sanguinem, quem vt Corporis Christi reliquiam vnam cum præputij particulam seruauit, & apud se pia mater retinuit vsque ad obitus sui diem, quo instante, vt alias dictum est, Ioanni Euangelistæ reliquit, quæ carnis particula, vt aliquorum est sententia, & nobis tradidit Innocentius Tertius in lib. de mysterijs missæ, hanc Christi particulam traditam fuisse ab Angelo, Carolo Magno, dùm esset Ierosolymis, & ipse postea transtulit Aquisgranum, sed sub Carolo Caluo postea fuit translata Romam in Ecclesia Lateranensi, & custoditur in loco, qui dicitur Sancta Sanctorum, licèt alitèr sentiat Cardinalis Toletus in Luc. Et quòd hæc pars seruetur in terra pro deuotione fidelium, D. Bonauentura 4. dist. 12. dub. 2. non habet pro inconueniẽti, quia illa carnis particula non fuit de carne secundum speciem, sed diuina dispensatione parum de carne secundum materiam, non est illa particula, aliquid pertinens ad veritatem carnis humanæ, quoniam cuncta, quæ sunt de perfectione, & integritate Corporis, Christus in sua resurrectione sibi assumpsit, vt possit dici perfectè resurrexisse, & meo quidẽ iudicio satis fuit ad hoc resurrexisse cũ omnibus partibus, quæ pertinent ad perfectionem, integritatem, & decentiam corporis. Pars illa præputij, cum non sit notabilis quantitatis, nec de carne Christi secundum speciem, sed tantum secundum materiam, vt pars materialis non pertinens ad integritatem, & decorem illius humanitatis, quòd ad deuotionem fidelium sit relicta in terris, non est mirum, mirandum verò valdè de bonitate Domini erga nos.

Si verò vis illis assentire, qui dicunt Christũ resurrexisse etiam cũ illa præputij particula, illi ablata in circumcisione,

[Marginal notes: D. Bern. — D. Paul. — Innoc. Tertius. — Cardin. Toletus. — D. Bona.]

sione, ne Romanæ traditioni videamur sentire contrarium, posis cum Docto- Gabriel. Biel. te Gabriele Biel dicere, qui in 4. distin. 44. q. 1. docet, illam particulam singulari miraculo, nunc esse in Christi corpore animatam, & quæ seruatur in Sancta Sanctorum esse omninò inanimatam, & carere vita, & anima, quia in Christo totum resurrexit, quòd spectat ad esse, pulchritudinem, decorem, & constitutionem perfecti corporis.

Verum si attendamus ò anima mea, D. Aug. ad ea, quæ te docent D. Augustinus in lib. Enchirid. cap. 39. & in lib. 22. de Ci- D. Ansel. uitate Dei cap. 14. & Diuus Anselmus in Epist. ad Ephesios cap. 4. clarius tibi patebit, quòd scire videtur difficilè, hanc doctrinam docent hi Sacri Doctores, quòd ad veritatem resurrectionis eiusdem non est necessarium, vt omnes eius partes habeant eandem, quæ antea, materiam; Siquidem variatio huius, vel alterius particulæ corpus, & eius præcipuas partes, quò ad substantiam non variat, aut mutat, si non variat, nec mutat libere confitemur illã præputij particulam Christo abscissam in Circumcisione fuisse eidem integrè restitutam, non quidem eadem numero, quandoquidem hæc in Lateranensi Ecclesia custodia asseruatur, sed aliam, quę illius suppleat defectum. O bonitas infinita, quæ sic elucet, vt in Christo nihil deesset perfectionis, & nobis adesset ad consolationem, & deuotionem.

Si hoc egit ad tui consolationem, & deuotionem, quid ad tuam salutem? En quàm protinus accurrit sedulus, & festinus? quorsum hæc mi bone Iesu tua tàm celeris festinatio? Tempus fortitudinis non expectas, vt tanti vulneris valeas sustinere dolorem, & propere pro me festinas effundere sanguinem, nondum in sanguinem versum est lac, & ad meæ salutis prætium festinas, sic tempestiuè fundere? cur hoc? mi puer Iesu? o quàm apertè se prodit tui amoris erga me ardor, & dilectionis vehementia, dum amori tuo omnis mora longa videtur, non sustinet procrastinari, tàm paruæ morulæ impatiens, & promissionis, tàm ardens, & durissimus exactor, nondum dies octo habet vitæ Deus infans in terris, & vt tributarium cogis, et exquiris, et non nisi proprium sanguinem exigis? Et cum esset vt verè filius liber, sic tempestiuè sanguinem exhibuit, cur hoc?

Nisi vt intelligas, vt capias ex prætio soluto, quanti te faciat Deus, ò anima mea, hic sanguis recens fusus tuæ salutis prætium est, crede Diuo Augustino S. Aug. qui sic scribit in psalmo 102. *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est.* Dum audis puerum Iesum circumcisum, contemplare tu illum sanguinem fundere, qui est tuæ redemptionis prætium, dum circumcisioni subijcitur, qui circumcisioni non erat obnoxius, pro te circumciditur, pro te sanguinem fundit, ad tui debiti satisfactionem prætium soluit non aurum, nec argentum, sed proprium sanguinem.

Deus, qui non fallitur, animæ prætij ęstimator est, si tanti nõ valeres, filium Pater æternus non dedisset, nec filius suum sanguinem, scito, quod emptorum lex est inuiolabilis, singulis rebus prætium iustè imponere, quæ tanti valent, quantum pro ipsis ex iusta sapientum æstimatione prætium soluitur; Si quæris à me, ò anima mea quanti vales, & quantum æstimari debet tua salus? Ex prætio persoluto pro te valebis concludere, & argumentari. Si Deus pater, vt te saluaret filium dedit, & filius penè vix octo dierum sanguinem soluit in prætium, dicere non erubesco, te tantum ferè valere, quantum & ipse Deus, tua salus ęstimanda, & dimetienda est diuinitate tantum, noli timere, nam Deus Verbum, & caro factum, sanguinem ad hoc fudit, vt redimeret, sanguis ergo filij Dei erat æquiualens tui prætij prætium statutum à Deo, qui si tanti tu non valeres sanguinem non dedisset, audi de hac re Eusebium homil. 6. de Euseb. Paschate. *Magnum quidem mihi est de Deo, quòd esse me sentio opus suum, sed multò plus est, quòd transiisse ipsum video in prætium meum, quãdoquidem tam copioso munere, ipsa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur.* Si res habet sui prætij valorem, & prætium solutum pro te est Christi sanguis, anima mea benè pensa, verè Deum vales, quòd clarius demonstrat D. Ambrosius in D. Amb. Luc. lib. 7. cap. 12. *Idoneus sui operis æstimator Deus*, inquit ipse, *magno pretio nos redemit, quod nõ ęstimator ære, sed sanguine*; altius D. Bern. in epist. 109. D. Bern. *diligit nos Deus tamquam dignissimam recompensationem effusi sanguinis sui*: apud Iuristas illa dicitur compensatio, quę est, debiti;

biti;

biti, & crediti inter se insta cõttibutio, attende anima mea, quantum vales, quę Christi es empta, & redempta sanguine.

Et qnem non tenebat captiuum lex illa pœnalis, tenebat tamen erga te lex amoris, qui & legi circumcisionis subiecit illum, qui solus liber erat. Tantæ fuit ignominiæ Christo hæc sui præputij circumcisio, quòd erubuit Sanctus Euangelista illam apertè nobis edicere, tempus Circumcisionis descripsit impletum; *Postquã impleti sunt dies octo, ut circumcideretur puer*; sed numquid subtexuit, & circumcisus est? Non quidem, sed immediatè transuolauit ad nominis impositionem, &c. Cur hoc? Dicam, quæ sentio, vt tu te sentias redemptori tuo magis vinculo obligationis obstrictam agnoscas, & tuæ conditionis dignitatem capias, & Dei tui erga te vim suæ æternæ dilectionis, quæ sic humiliauit illum, qui venerat purgationem peccatorum facere, & non suscipere, sic exinauiuit illum, qui eos venetar soluere, qui sub legę erant, vt esset & ipse sub lege, & appareret, quòd non erat, & cum esset ipse essentialis sanctitas, quæ omnes sanctificat, ineffabilem suæ puritatis diuinæ perfectionem, & suæ assumptæ naturæ innocentiam candoris magis maluit circumcisionis velamine cooperire, quam te in tua difformitate derelinquere, & ad sui magnitudinem, pulchritudinem, & consortium non eleuare, & te deformem sui sanguinis candore non dealbare, & ad Dei similitudinem non reformare, & vt te à tua difformitate reformaret, deformem peccatoris imaginem in similitudinem carnis peccati, in circumcisione præsefetre voluit.

Luc. c. 2.

Eorum omnium, quæ Christus operatus est, & pati complacuit circumcisio) quæ tantæ erat ignominię) sola diuinitatis fuę offuscauit fulgorem, & obnubilauit splendorem. Diuina in Christo semper visa sunt sociata humanis, & humana diuinis, sola excepta circumcisione, nascitur, vagit, gemit, ligatur pannis, plorat, frigescit, vt cęteri filij Adę, sed vt Deum adorant Angeli, Pastores, & Reges illi orientales, offertur in templo, redimitur siclis, & oblationibus, vt peccator, sed Simeon, & Anna propalant eius diuinitatem, descendit vt peccator in Iordanem, vt baptizetur, sed quòd Deus esset, & Pater, & Spiritus Sanctus in columbę specie testati sunt. Tentatur à Satana in deserto vt homo, sed ministrant Angeli, vt Deum, fatigatur ex itinere, sitit, sedet, & bibere expostulat, et talia operatus est, vt Deũ confiteretur à muliere.

In horto capitur, ligatur vt homo, & non destitit ostendere se simul esse Deũ illa voce, Ego sum, non dubitauit; nec erubuit Sanctus Euang. Lucas Christi supplicia, & mortem sigillatim nobis recensere; descripsit illusum, palmis cæsum, Barabbę post habitũ à latronibus derisum, à prętereuntibus blasphematum, felle, & aceto potatum, & in cruce expirasse, sed fuisse circumcisum, nec manus ausa est conscribere, nec calamus eius, atramentum reddere, & qui tot Christi supplicia manifestè, & palam reliquie conscripta subterfugit, & non est ausus eius conscribere circũcisionem, quid est hoc ò anima mea? nisi quia ab exordio suæ natiuitatis semper humanis sociata sunt diuina, vt latro crucifigitur in medio latronum, sed & Sol, qui obscuratus est, & terra quæ tremuit, & petræ, quæ in eius morte scissæ sunt, & velum templi, quòd scissum est in duo, & vox illa magna, qua expirauit, & Centurio, qui astabat, suæ diuinitatis testes fuere satis noti, & fide digni. Quando qui crucifixerunt, *percutientes pectora sua reuertebantur* & confitebantur verè filium Dei esse, qui inter latrones pendebat, ita, & in alijs omnibus operibus Christus apparuit vt & Deus simul agnosceretur.

In circumcisione verò sui honoris, sui esse videretur oblitus, dum nec Angeli, nec homo vnus, nec Sol, nec signũ aliquod operatur, nec apparet, quo prę monstraretur aliud esse, quòd deforis videbatur.

Quid est hoc anima mea, quid est hoc? nisi vis amoris, & vehementia suæ charitatis, voluit per omnia nobis assimilari, vt nos maiori gratitudinis vinculo teneret abstrictos, & suæ dignitatis conditionem attenderemus, dum qui, vt agnus venerat tollere peccata mundi, nostræ ignominiæ, nostræ deformitatis, nuditatem operiret vellere suæ maiestatis, apparere voluit, non solum in similitudinem hominum, sed etiam in similitudinem carnis peccati, vt purpura sui sanguinis à tua deformitate te

dealbando, decoram, & reformatam redderet,& suæ consortem efficeret naturæ diuinæ, tuæ deformitatis in se suscepit mala, & suæ pulchritudinis tibi præstitit bona, vt deformem te sibi desponsaret deformis apparere voluit; audiendus est hic pijssimus Petrus Cellensis in lib. de panibus cap. 12. agens de sponsi thalamo sic habet. *Ibi fiunt sponsus,& sponsa, vna caro, vna anima vnus sponsus, sponsus refudit in sponsam, quidquid in se habet dulcedinis, quidquid honoris,& potestatis, denuò mutua vicissitudine resumit ab ea, quidquid paupertatis, quidquid amaritudinis, quidquid contumeliæ, & passionis.* En verè lilium inter spinas, en vehementia sui amoris erga nos, qui spinæ eramus, vt de spinis lilia faceret, & à luce peccatorum suorum te lueret,& reformaret sanguine suo lilium factus est inter spinas.

Pet. Cel.

Circumcisio, quia peccatoris stemma est, videtur abolere omnem sanctitatem & puritatem, & si voluit hic Deus homo circumcidi,& stemmate peccatoris obsignari in circumcisione voluit, & pro peccatoribus, peccatoris imaginem præferre & figuram, tunc factus est lilium inter spinas, quid à Deo magis alienum quam peccatum? & peccatoris imago? *Ad quid tibi Domine Iesu* exclamat D. Bernard. serm. 2. de circumcisione: *Circumcisio, qui nec peccatum fecisti, nec contraxisti? quod non feceris, ætas manifestat, quod nõ contraxisti, multò certius probat patris diuinitas,& matris integritas:* & dum te lege circumcisionis video summissum, cur hoc? mi bone Iesu, ô Deus puritatis,& innocentiæ, & omnis sanctitatis, nisi opus tui amoris, vt me reformares, vt me à sordibus peccatorum tuo sanguine lauares, mundares, & deiformares, & obedientiam tuę legi diuinę exhibendam doceres, & quanti me fecisti, lilium factus es inter spinas, vt ex spinarum iaculis, & acuminibus punctus transfunderes in me lilij candorem, decorem, venustatem,& pulchritudinem.

D. Bern.

Interois tuæ mentis oculis velim attendas anima mea hoc lilium tuum; tui pueri Iesu, spiritu exhibe te præsentem vltimæ cœnæ,& obserua illum mittentem aquam in peluim, & lauantem pedes discipulorum suorum, attende quid fecerit, *surgit à cœna;* inquit Ioannes Euangelista cap. 13. *& ponit vestimenta sua, mittit aquam in peluim, accepit linteum, & præcinxit se, & cœpit lauare pedes discipulorum suorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus:* ad quid hæc tam accurata pedum Apostolorum lotio? respondet Vrbanus Pontifex in psal. 50. *O nitidissima lotrix nostra, quæ ad hoc aquam gratiæ Deitatis misisti in peluim mundissimæ carnis tuæ, vt nos à peccatis nostris in sanguine tuo lauares.* Sed clarius Rup. Abbas lib. 5. offic. cap. 20. *Surrexit Dominus à cœna, id est à conuiuio paternæ gloriæ, & posuit vestimenta sua, quando exinaniuit semetipsum formam serui accipiens; & in hac forma, quid operatus est, carne nostra quasi linteo, cuius vtique materia nascitur è terra, præcinctus. sanguinem suum effudit, velut aquam in peluim: atque indè quodammodo quotidiè lauat pedes nostros, cum illum in remissionem peccatorum sumimus.*

Ioan. Eu.

Vrban. Pontif.

Rup. Ab.

Ad hoc factus est lilium inter spinas, vt exinanitus, & effusus sanguine suo veluti linteo maculas peccatorum nostrorum abstergeret, per quem effecti sumus diuinæ naturæ consortes,& de spinis effecit lilia candoris æterni,& ad æqualitatem Dei eleuati, ad hoc factus est homo, ad hoc circumcisus, inquit D. Chrysolog. ser. 148. *pos... hominem, ne iam cadere homo possit, quem terrenum fecerat, fecit esse cœlestem. animatum humano spiritu, spiritu viuificat su diuinum & sic totum tollit in Deum. vt in eo, quòd peccati, quòd mortis, quòd laboris, quòd doloris, quòd terræ est nihil relinquat, nihil recipiat de terra, quando lauit nos, & dealbauit nos in sanguine suo:* quo vt lauaret punctus est spinis, vt de spinis in lilia transformaret.

S. Chrys.

Quàm magna vis amoris, ô Deus cordis mei, quid est quòd magis abhorrent oculi tui, quàm peccata? peccata non sustines, & me peccatorem amas? & mei peccatoris figuram assumis, factus lilium inter spinas. spinis pungi, spinis vulnerari, & cruentari vis, vt inter lilia pasceres, amo te ô diuini amoris pelagus, adoro te ô bonitas infinita, cum sis à culpa immunis,& liber à pœna, hic tuus amor non sustinet te non esse in pœna cum amato, vt amatum transformares in lilium puritatis, lilium factus es inter spinas, tibi seruans pœnam, amato præbens candorem.

Vt

Vt te vincat amor tui amantis ò anima mea, piè & attentè, attende puerum Ieſum ſpinis punctum, & proprio ſanguine cruentatum, & ex hoc agnoſce, quàm erga ſe fuit ſeuerus, & durus, tàm erga te dulcis, & ſuauis, pius, benignus, & miſericors, vt excuteret à tua ceruice graue legis circumciſionis pondus, & onus, ſe ſubiugare voluit cenſuræ, & circumciſionis inciſioni, & ex apertione venarum ſanguinem fudit, quo tuorum peccatorum ſanguinem continere, et reprimere valeret.

Lapis quidam inuenitur nomine Iaſpis, qui venis ſanguineis plenus conſpicitur, quibus mirabilitèr extinguit, comprimit, & firmat ſanguinem effuſum ex alterius venis. Fuit quidàm ingenio tam egregio à natura instructus, qui acuens ingenij ſui aciem in medio Iaſpidis exculpſit, & miro artificio effigiauit Christi Domini noſtri Crucifixi effigiem, ſic membra diſpoſuit, vt lapidis venæ ſanguineæ mirabili cęlatura vulnera formabant imaginis Crucifixi, in circulo verò, quòd intra ſe figuram concludebat, erat cęlatum hoc dictum; *Deus aſper*; Iaſpis voce vulgari dicitur *Diaſpro*, & ex nomine lapidis excusſit hoc ſtemma, *Dio aſpro*, Deus ſeuerus, Deus fœrus, Deus rigidus, Deus auſterus, Deus durus.

Et vndè Deo illi, qui ſua natura, ſua eſſētia, totus eſt clemētia bonitas, benignitas, pietas, & miſericordia, hoc nouū attributū, & ſeueritatis titulus? Bonus, & pius, clemens, & miſericors erga nos, benignior, eò erga ſe ſeuerior, & durior, & aſperior, vt nos liberaret à dura peccati ſeruitute, & jugum duræ legis circumciſionis tolleret, & elongaret, ipſe circumciſionis ſectionis dolorem, & pœnam ſuſtinere voluit, vt ſuarum venarum ſanguine noſtrarum culparum ſanguinem firmaret, & extergeret.

Anima mea. Si ille in medio Iaſpidis cœlauit crucifixi Ieſu ſculpturam exculpe, & tu Puerum Ieſum, & ex lapidis venis reſultet vena Carnis inciſæ in Circumciſione, dum ad hoc ſolum ſpina legis punctus ſanguinem emanat, vt te de ſpina in lilium puritatis conuertat, & tuorum peccatorum ſanguinem reprimat, & extinguat.

Hoc te docet Propheta Iſaias, in quibus ſculptentis pueri Ieſu cœlaturam cœlat in medio lapidis ſui cordis; *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*, & hic paruulus, eſt ille puer, de quo loquitur Lucas Euangeliſta cap. 2. *Poſtquam impleti ſunt dies octo, vt circumcideretur puer*: & hic homo, & Deus, ſed in ſe, & erga ſe, & pro te. Deus ſeuerus, aſper, auſterus, fœrus, ſed erga te pius, & clemens, auſterus erga ſe Deus, & nouę pietatis effectus præmonſtrare voluit, quàm pius, & dulcis eſſet erga te, dùm legi circumciſionis ſubijcitur. Circumciſionis in propria carne ſuſtinet inciſuram, & ſanguinem vertit, vt tu eſſes à iugo tantæ legis libera, à peccatorum tuorum ſanguine immunis, & munda, mundata, & dealbata in ſanguine eius: Et huius tuæ mundiciei, & à fæcibus ſuarum tuarum ablutionis per ſanguinem Chriſti imago efficiatur in Iaſpide, cui meritò componit puerum Ieſum Beatus Ioannes, qui ſic habet in cap. 4. ſuarum reuelationum. *Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui Iaſpidis*: Hic lapis, vt ſcribit D. Hieronymus in Iſai. cap. 54. D. Epiphan. lib. 7. de lapidibus, & Iſidorus in lib. Ethnic. cap. 1. viridis eſt coloris, quòd clarè deducitur etiam ex ſuo nomine, nam Ias viride, & pinaſim gemma dicitur, & dùm natura ſua viridi per maximè iaſpis viget colore, & viridis coloris eſt ingentem bonæ ſpei cumulum aperire, & ſpem in pectore hominis excitare, imò, & firmare, & conſtabilire.

Iſaia. Pr.
Luc. Eu.
Apocal.
D. Hier.
S. Epiph.
D. Iſid.

O anima mea ſi floris eſt, vt docet D. Bernardus ſerm. 3. de annunciation. B. M. V. ſpem promittere fructus: *cōmēdat, inquit, flores pulchritudo, ſuauiolentia, & ſpes fructus*, ſi auroræ eſt, vt teſtatur D. Gregorius lib. 4. moral. cap. 14. *ſpem nunciare Solis*: quid puer Ieſus? flos ille diuinitatis, ſimul et virginitatis? quid puer Ieſus aurora æterni luminis, & roris cœleſtis gratiæ? quid puer Ieſus gemma illa pretioſiſſima, ſic vocat eum Diuus Clemens Alexandr. in exhoratione ad gentes, pulcherrima gemma, ipſe eſt pulcherrimus Ieſus, non in corona capitis ſummi Sacerdotis ſculpta, de qua dicitur in Eccleſiaſt. 45. *Deſideria oculorū ornata*: ſed gemma illa in pectore Dei patris, & in ſinu matris Virginis nunc repoſita. Intuere ſplendentem, intuere florentem, contemplare rorantem ſanguinis guttas, quæ vt flores vernantes, & primi flores ad tuæ ſalutis fructus vberrimos ſpem

D. Bern.
D. Greg.
D. Clem.
Eccleſ.

certissimam excitant, vt aurora Solis gratiam promittit, & spem, quam sui viridis coloris ingerit, tuæ saluationis, tuæ ablutionis sanguineis stillantibus, & rorantibus guttis firmat, & solidat, ad hoc erat aspectus illius similis lapidi iaspidis, quia vt iaspis duo in se copulans nempè candorem diuinæ naturæ: *Candor est enim ipse lucis aternæ, & speculum sine macula bonitatis illius*: & nubeculam humanæ naturæ, sed amictus erat viridis coloris, nimirum quia Dei, & hominum factus mediator in primo suo fœlici aduentu, nostræ salutis spem præfiguratam in viridi colore nobis, vt præberet certissimam, vt iaspis apparere voluit in circumcisione venis sanguineis, & sanguine turgentibus plenus, & venosus, & cultro incisa caro illo petrino effudit sanguinem tuæ salutis pretium, tui peccati remedium, tuæ immunditiæ lauacrum, tuæ sorditatis balneum, tuæ expiationis piaculum, tuorum vulnerum medicina, & spinarum tuarum funditus extirpatio, ipse punctus est spinis, ipse vulneratus circumcisionis ferro.

Sapient. cap. 7.

En Deus erga se durus, & austerus: *Vidimus eo percussum à Deo*: inquit Isa. Proph. cap. 35. lectio Hebræa, vidimus eum percussum Deum: Deus percussus, vulneratus, fatigatus, afflictus, quia erga se seuerus, & nimis durus, erga te verò ò anima mea, nimis dulcis, suauis, pius, misericors, & clemens: *quia vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*: cuius vulneris sanguis extinguit, reprimit sanguinem plagarum nostrarum; & liuore eius sanati sumus.

Isaias Proph.

Isaias Proph. cap. 53.

O Iaspis verè diuinus, ò Deus summæ pietatis, vt te de spina mutaret in lilium candoris æterni, spina circumcisionis pungi, & vulnerari voluit; si propter te descendit de cœlis, si tibi natus est, tibi & circumcisus, vt te à lege absolueret circumcisionis, circumcisioni se subiecit.

Pueri Iesu circumcisionis causam attigisse videtur Isaias Propheta, cum inquit cap. 9. *Iugum enim oneris eius, & Virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian*: O vis charitatis diuinæ, vt à nobis sanguine suo tolleret pondus peccati, & elideret onus graue durissimæ legis, octauo die voluit circumcidi, & primum sanguinem fundere, quo circumcisionis iugum confregit, Virgam legis peccati rupit, & scidit, sceptrum, & diaboli imperium superauit, non alijs armis bellicis quàm Gedeon aggressus est Madianitas, quos vt vinceret hic Dux exercitus Dei trecentos bellatores armauit non armis, sed fragilibus, & fictilibus vasculis lampadibus accensis inclusis, sic habet cap. 7. Iudicum: *Diuisitque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum.*

Isaias Proph.

Iudicum.

Et incipientibus vigilijs noctis mediæ, & custodibus expergefactis, ingressus est Gedeon, et trecenti viri in partem castrorum, cœperunt buccinis clangere, et complodere inter se lagenas, et fractis vasculis apparuerunt lampades accensæ, quibus pro armis, gladijs, lanceis, sagittis vtebantur, et resonante clangore tubarum in castris inimicorum, resonabat cœlum hac voce personante; *Gladius Domini, & Gedeonis*; quo sonitu consternatus inimicus, et perturbatus fugam arripuit, et cunctis victis inimicis, exultauerunt victores, capta præda, et inter se diuidentes spolia, iubilant, et lætantur gaudio magno.

O hóram terque, quaterque fœlicem, ò iubilum nostri pectoris, quando vix consumatis diebus octo, puer infans nostri generis humani aggreditur inimicum, qui dominabatur, et duro sceptro pœnalique lege regebat, et crudeliori iugo nos premebat, et quasi tot mancipia ducebat ad mortem, descendit ad prælium nostræ humanitatis velo indutus, sub cuius velamine decultratum deferebat lumen illud æterni splendoris, et ictu petrini cultri, quando ad circumcisionis vulnus disrupta est pellis, et incisa est caro illa benedicta, fluxit sanguis resplenduit lumen, et tuba linguæ humanæ ad vocem Virginis resonuit nomen illud, quòd ante auditum fuerat ex angelica antequam in vtero conciperetur: Gladius Domini, et Gedeonis; Imò clariori sonitu resonuit cœlum, terra, et orbis, vocatum est nomen eius Iesus, cuius nominis virtus, gloriosius de inimicis triumphauit, quàm luce vasculorum de Madianitis Gedeon, grauiora rumpens iuga, frangens crudelissimi exactoris virgas, dura eiusdem confringens sceptra, mutans hominem de spina in lilium æterni candoris, dum

dùm spina Circumcisionis ille pungitur.

O lilium sempiternæ puritatis, ò Deus cordis mei cognoscat te anima mea, quòd factus es lilium inter spinas, quando licèt, sis potens Deus, apparere voluisti in peccatoris forma, & figuram factus in similitudinem carnis peccati, vt peccatores mutares in lilia sanctitatis, & tu pascereris inter lilia, recordare quanta operatus, et quanta passus es, vt saluares me, quia multum me amasti, multa pro amato sustinere voluisti.

Luc. Eu. cap. 7. Tua doctrina est hæc, cui minus diligit, minus dimittitur. Peccatrici mulieri multum dimisisti, quia multum dilexit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; vt multum, quòd peccaui mihi dimittas, mi bone Iesu da vt te multum amem.

Vt multum peccatoribus dimitteres tibi datum est nomen Iesus, & ad hoc tu natus, ad hoc octo post dies circumcisus, multum pro me pati, tibi non deerat tempus, cur tàm tempestiuè sanguinem fundere, et Iesus vocari voluisti nisi vt peccatori multum dimitteres, ò vehemens patiendi amoris ignis, ò ardens me saluandi desiderium.

Si hoc dilectionis tuæ igne erga me ardet cor tuum, ò dulcis Iesu, incipe à me, num peccator ego ipse esse potero,

Cant. cap. 6. quin tu non sis Saluator? imò, ideò tu Saluator quia ego peccator, vt desinam esse, quòd sum: Esto tu mihi Iesus, vt tibi psallam: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia*: Sis Iesus in corde, sis Iesus in ore, sis Iesus in lingua sis Iesus in labijs, sis Iesus in oculis, sis Iesus in operationibus, vt omnia interiora mea sentiant salutem, et exteriora resonent, et redoleant Iesum.

Qui et pro te ex præcisa præputii sui carne sanguinem fudit, et ab oculis lacrymunculas præ dolore, eo plorante, plorauit, et mater ex compassione, quæ vt diuinæ legis obseruatrix, non exhorruit puerum à se natum suis circumcidere manibus, quem etiam, et cruci affigere non dubitasset, tantus erat in pectore virginali tuæ salutis zelus, si Deus vt olim Abrahæ ei id facere præcepisset: si hoc legimus in Exodo cap. 4. *fecisse Moysis vxorem circumcidendo filium*; Et in primo Machabæorum c. 1. num. 63. *Matres filios circumcidisse*: Cur non Virgo Maria? quæ in amore, dilectione, pietate, dulcedine, affectu, et obsequio erga filium erat diligentior, et ipsi puero Iesu hoc munus charius à matris accæpit manibus, quàm à quouis alio alieno. Si in te ò anima mea sunt viscera pietatis, plorante Iesu, et matris collacrymantibus oculis, plora et tu cum illis, vt qui matrem consolatus est, ne ploraret, sub hoc Virginis Ramusculo consolabitur et te.

Exod.

Machab.

Cuius corporalis circũcisio tui cordis spiritualē docere vult circumcisionem, circumcidatur in te intellectus, voluntas, & memoria à superfluo amando, intelligendo, & memorando, tantum vtilia, & necessaria, & quæ ad perfectionem te ducunt. *Verà circumcisio*, inquit Theodoretus; *non est exigua corporis particulæ ablatio, sed ab omni corruptione, & interitu liberatio*: statim, quòd hoc circumciditur in membris, sensibus, & potentijs inuenit, quòd quærit, si carni quòd licèt abscindimus, mox in spiritu, quòd delectat inuenimus.

En habes Ramusculum anima mea, ascende ad Palmam Virgineam, & quia fructibus onustus est, habes quo satieris, quo delecteris, quo munderis, quo muteris de spina in lilium, quo salueris, & habes, quo nomen Virginis laudes: Dic ergo, benedictum sit nomen tuum in æternum, ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei; te precor ò Maria monstra te esse matrem et miserere mei quoniam in te sola confidit, et sperat anima mea: sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, et in hora mortis meæ. Amen.

DE INVENTIONE PVERI IESV, & loci inquisitione eiusdem.

RAMVSCVLVS QVADRAGESIMVSNONVS.

Sub umbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Cant. c. 2.



Onus, supra quadragesimũ nostræ palmæ virgineæ, ô anima mea, en virginalis nunc deuotè tibi ascendenti occurrit Ramusculus, qui quò ceteris omnibus est oculis pulchrior, aspectu delectabilior, suauitate dulcior, fructibusque se undior, eò animæ illius fructus famelicè laboranti, & sub illius vmbra sedere concupienti, est amabilior, atque iucundior: eius enim fructus, si virgineæ fructus est vmbræ, quid miraris si alibi non inuenitur? nec alibi eius gustatur dulcedo, nec alibi eius sentitur suauitas, nisi sub huius ramusculi vmbra? qui quando, & floruit, & germinauit, sub viri vmbra germinauit, & floruit, hoc
Matt. Eu. tibi insinuat Euang. Matthæus cap. 1. *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph.*

Quando concæpit Virgo, & genuit, sub Spiritus sancti vmbra fuit Christi conceptio, ita prænunciauit Angelus.
Luc. Eu. Luc. Euang. cap. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quando Maria mundo protulit hunc ramusculum, & hunc peperit fructum, sub noctis vmbra edidit, & sub
S. Mater Ecclesia. carnis velamine: *Dum medium silentiũ tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine a regalibus sedibus venit.* Si fructus est vmbræ virgineæ, quid mirum si eius dulcedo non gustatur nisi virginali sub vmbra; Idcircò dicebat anima sponsa: *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

O indissolubilis vmbræ, & huius fructus perdulcissimus nexus, numquam Maria sine Iesu, nunquam Iesus sine Virgine matre; Cur non dulcis Mariæ vteri fructus? si superueniens in eam Spiritus sanctus, ad hoc obumbrauit Virgini, vt eam fæcundaret, & conceptionis, & generationis munus impleuit, quando sua virtute matrem effecit, non cuiusuis, sed Dei hominis, meritò perdulcissimus eius fructus, quia diuinus: ita sentire videtur D. Riccardus de S. Laurentio lib. 12. de laudibus Virginis: D. Ricc.
Virtus Altissimi obumbrauit ei, inquit ipse, *vt assumpta carnis velamine intellecto susceptrix, & conceptrix maiestatis effecta, ne opprimeretur à gloria*, dixit in Canticis. *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & propter fructiferam, & suauem superuentionem Spiritus sancti subiungit, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

Dulcis hic fructus animæ sedenti sub vmbra huius ramusculi, quia non modò famem sedat, sitimque extinguit, sed & interiores eius sensus omnes mira suauitate, & dulcedine perfundit: de hac re audi D. Theodoretum sic scribentem Theod.
in hoc loco: *Sponsum appellat pomum, quod quidem tactu molle est, gustu dulce, odoratu suaue, aspectu iucundum, & venustum, & auditu amabilissimum, talis est Dominus noster, & Saluator, & sponsus, qui suauitate sua nostros omnes explet sensus.*

Hunc perdulcissimum fructum vix à Virgine matre mundo editum, vt viderent, vt inuenirent, agnoscerent, adorarent, & oblatis illi muneribus degustarent, vel saltem labijs cordis, & oris delibarent, quam esset suauissimus, præeunte clarissimo sydere, e longinquis orientalis plagæ locis, duxit illos tres orientales viros desiderij fames, qua tradu-

Matt. Eu. traducti interrogabant. Matth. Euang. cap 2. *Vbi est, qui natus est Rex Iudaeorum?* Stella ipsa, Dux itineris, & fidelissimus comes descendit in praesepe, illustrioribus radijs speluncam illustrans, & quem sic anxiè quaerebant, & inueniendi desiderio sic intus & amore aestuabant, non alijs pręmonstrauit indicijs, nec eis alia locuta est lingua, nisi radijs sui luminis super specu illud scintillantibus, & vibrantibus.

Quęritis vbi est, qui natus est Rex Iudęorum, & ego, & Regem natum vobis pręmonstro, & locum: *Hic est, qui natus est Rex Iudaeorum.*

O anima mea si nati pueri, & amanti Dei tui locum inuenire desideras, & ipsum videre infantulum, intueri, agnoscere, & ad pedes eius te prouoluere, eosque amplecti, deosculari, adorare, & illi tui cordis munera offerre in odorē suauitatis, non stella te ducat de cœlo, vt illis orientalibus Magis, sed virginalis hic ramusculus, sub cuius vmbra ab aspectu cuius pulchritudinis, & à cœlesti cuius fulgore irradiaberis, qui desiderium inspirabit, vt quaeras, vt ames, vt capias, vt ardeas, vt famescas, vt inflammeris, vt aestues ardore inueniendi desideratum, sede sub hac vmbra, aspira, suspira, & spera, vt inuenias, & inuentum latieris, & exatiata respirabis, tanta fructus dulcedine inebriata, vt possis cum sponsa dicere, & tu.

Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. O te felicem anima mea, si collecta sedebis sub vmbra virginalis huius ramusculi Spiritus sancti vmbra circumquaque obumbrati, eius namque vmbra non opacat, sed lumen immittit, non obfuscat, sed alarescit, non obtenebrat, sed mentem, quam sua tangit vmbra, illustrat, & illuminat: eius enim vmbra non est sistere, seu spectare ad vmbram,

D. Amb. quae inanis species quędam est vacuę imaginis, sed iuxtà Diui Ambrosij sententiam in Luc. lib. 7. *alta petit, vera monstrat, reuelat occulta, & ducit ad fructum.* Diuini spiritus est obumbratio ista, inquit Sanctus, quę non caligat affectibus hominum, sed reuelat occulta.

Tanto lumine circumfusus, & circumuallatus fuit in illa Spiritus sancti obumbratione hic virginalis ramusculus, vt meritò Virgo appelletur, Illuminatrix, imo & Spiritus sancti, cuius est fidelium mentibus lumen veritatis immittere, nomen sibi vendicat Maria, hoc Spiritus sancti nomen videtur Virgini ascribere D. Athanasius in serm. de Annunciatione quando dixit. *Spiritus sanctus descendit in Mariam, cum omnibus essentialibus eius virtutibus, quae illi per rationem diuini Principatus adsunt: imbuens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset.* D. Atha.

Quia Spiritus sanctus est nexus patris, & filij, adest ei ratione diuini Principatus, quando verò descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, tunc fecit, vt Virgo esset nexus Dei, & hominum, si Patrem ratione diuini Principatus decet esse omniū Creatorem, & filium, vt sit Saluator, Spiritum sanctum vt sit amor, quòd filijs Adę denegat pater, & filius. Virgini vt sit amor, & ardenter nos amet, non denegauit Spiritus sanctus, qui obumbrans Virgini velauit eam, & charitate, & dilectionis coccino.

Apud Dionysium Areopag. lib. de diuinis nominibus cap. 4. pro comperto habetur, quòd *bonum est sui ipsius diffusiuum*: in illa Triade semper benedicta, Pater aeternus suae bonitatis plenitudinem euaporat in filium, quem generat sibi consubstantialem, coaeternum, & aequalem, qui verè, vt inquit D. Paulus *est speculum, & figura substantiae eius*, filius hic, qui & Verbum est patris, & cum patre eadem bonitatis plenitudine plenissimè potitur, & amore, quo mutuo se diligunt, & adamant pater, & filius alternatim, & vicissim reiterando eandem Diuinitatis plenitudinem communicant, Spiritum sanctum producēdo, qui Deus est eiusdem naturae, & essentiae, sed absque vlla processione ad intra, nam nec generat, vt Pater, nec spirat, vt pater, & filius, obstat enim ei numerus personarum, & ne ex toto existeret ipse infaecundus, effluit ad extra, suarum gratiarum plenitudinem, & torrentem inundantem euaporat in Virginem, quam & si non effecit diuinam, fecit tamen tantae lucis diuinitate clarescere, quando in eam descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quae ei adsunt ratione diuini Principatus, vt alter ipse, & nomen sortiretur, & officium, inspirando, illuminando, lucem veritatis mentibus D. Dion.

homi-

Chrysip. Præsb. hominum immittendo, quòd videtur sentire Chrysippus Præsbiter serm. de laud. Virg. *Aue fons lucis omnem hominem illuminantis.*

Huius veritatis testis est oculatus D. Areopag. qui sic scribit in Epistola ad Apostolum Paulum: *Cum ductus fui ad Deiformem præsentiam Altissimæ Virginis, tantus me diuinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiauit interius, tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundauit fragantia, vt nec corpus infœlix, nec spiritus totius tam æternæ fœlicitatis insignia sustinere valerent.* — D. Areop. Pag.

Et quid mirum anima mea, si ramusculus hic Spiritus sancti vmbra obumbratus, tanta luce, tanta pulchritudine fuit circumfulsus, vt potius videretur Maria pulchra pulchritudine diuina, quàm humana, non longè abest Ruper. Abbas lib. in Cant. quaodo sic eam appellat: *quando Spiritus sanctus in te superuenit, & filium Virgo concepisti, tunc tu, ex tunc pulchra pulchritudine diuina:* si diuinus est splendor, quem non illuminabit? quem non irradiabit? vbi caligo? tenebræ? & nubilum. — Rup. Ab.

Cœlo, & terra à principio à Deo absolutis, subdit sacer tex. *quod terra erat inanis, & vacua, & tenebræ super faciē abyssi:* vt ex sterili esset fœcunda, ex tristi hilaris, florens, iucunda, & vacua plena plantis, coronata floribus, superplena fructibus, quid ille mundi artifex in prima illa orbis molitione operatus est? Nisi hoc vnum, vt Spiritus Domini superferretur super aquas, & super quas aquas? si nihil tunc præter cœlum, & terram creatum erat. D. Augustinus in Genes. ad litter. cap. 4. sub nomine aqua rum terram ipsam accipit, seu materiam primam, ex qua omnes formę corporeæ à Deo eductæ sunt. *Aqua mobilior est*, inquit Sanctus, *quam terra, & ideò propter operandi facilitatem subiecta materies artifici, aqua magis vocanda erat, quàm terra:* Et terra hæc, quæ primo erat inanis, & vacua obscura, & inuisibilis, vt puta suffocata tenebris, vbi diuino sese supposuit spiritui, statim se induit ipsiusmet diuini spiritus virtutes, & perfectiones, inquit antiquus Tertullianus: *ab eo, qui superferebatur, & id quòd ferebat, sanctitatem mutabat:* quoniam subiecta quæque materia eius, quæ desuper imminet, qualitatem rapiat necessarium est. — D. Aug. — Tertull.

Et qui se Deo subdit, & Deus suis alis obumbrat, necessariò Dei se vestiet virtutibus, inter quas lux supereminet, nonne tibi notum est, quòd dicit Paul. Apostolus, quòd *Deus lucem inhabitat inaccessibilem*, & quòd *Deus lux est, & in eo tenebræ non sunt vllæ:* quando igitur Spiritus Dei ferebatur super aquas, sua perlucidissima vmbra obumbrans eas, & totius mundi molem, tunc terræ præstitit fœcunditatem, vt germinaret, & suo perlustrauit lumine, quo & tenebras abrogauit, & abdicauit, quæ meritò tandiù inanis, sterilis, inuisibilis, & vacua fuit, quamdiù sub tenebris extitit, at vbi obumbrata fuit à Domini spiritu, cui se subdit, quando ferebatur super eam Domini induit perfectiones, & virtutes. — Paul. Ap. ad Tim. Epist. 1. cap. 6.

O Deus cordis mei, ò verè lumen te diligentium, si tanta luce inanem perfudisti terram, quòd fecisti? quando veluti quondā super aquas descendisti super Mariā? quo fructu fœcūdasti eā, nisi illo, quo fœcundantur omnia, & cuncta sua satiātur dulcedine, tanto splendoris lumine eam perfudisti, vt luce sua valeat ipsa mundum totum tenebris obsitum perlustrare, & cuiuscūis menti sub vmbra illius sedenti lumen immittere, & inspirare.

Lucis est vmbra, vmbra huius Virginalis ramusculi, & lucem inspirat sedenti sub ea, vt quæras desideratum, quem vt inuenias, & inuentum respires, sub hac vmbra sede, spera, aspira, & suspira, respiratio enim non est nisi cordis desiderantis, sperantis, aspirantis, & suspirantis, suspirando quære cum sponsa: *Indica mihi vbi cubas, vbi pascas in meridie*, Cant. cap. 1. Aspirando interroga cum tribus illis viris orientalibus, *vbi est qui natus est Rex Iudæorum*, Mat. Eu. cap. 2. & inter lucis radios vocem audies dilecti tui locum siguantis, & seipsum indicantis, *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cant. c. 2. — Cant. c. 1. — Matt. Eu. — Cantic.

Quid vallis ad lilium? & quæ hæc vallis, lilij locus? ò profunditas diuini mysterij, ò altitudo diuini sacramenti, candor lilij diuinitatem adumbrat, vallis verò humanam præfigurat naturam à Verbo assumptam in conualle humilitatis Mariæ, hic nascitur, & commoratur hoc lilium in Virginis humilitate, quæ & si vt Virgo Deo placuit Vir-

gini-

ginitate, tamen ipsum Deum humilitate concæpit in valle humanæ naturæ, D. Alan. Alani doctissimi viri doctrina est, dum ait. *Lilium conuallium, quia perfecta humilitas fuit in Maria, & in humana Christi natura, ideò persona Virginis, & humana natura Verbi valles dicuntur propter eminentiam humilitatis, & non solum valles, sed & conualles ratione similitudinis, quia Virgo specialiter Christo fuit similis, & eo similior, quò propinquior, quia natus est in ea, & est idem quòd ipsa.*

O anima mea si desiderium cordis tui est inuenire dilectum, & locum vbi pascat, vbi cubet in meridie ne vagari cogaris, quære in conuallibus, & in valle huius virginalis ramusculi & quærendi, & illum inueniendi à Magis tibi forma perscribitur, ductu radientis sydetis inspirantis, egressi de regionibus, & plagis orientalibus, omnibusque relictis in campo Bethlehemitico, in conualle stabuli aspirando, suspirando, quærunt, & intertogant, *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum.* Matt. Eu. c. 2.

Quid putas accidisse? nisi quòd intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria, quid putas respondisse eis ramusculus Virginalis? nisi, *hic est, qui natus est Rex Iudæorum.*

Huius lilij quadam die sponsa allecta odore, & attracta desiderio, inueniendi simul, & pergustandi floris huius dulcedinem de se dicebat, *In lectulo meo quæsiui, quem diligit anima mea, & non inueni*, dum in lectulo deliciarum non inuenit quæsitum, & desideratum vagari cæpit per Ciuitatem, & circuire vicos, & plateas eiusdem, & non inuenit, cur hoc? nisi quia florem campi, & lilium conuallium, non in conuallibus, non in agro quærebat, sed in lectulo suo, ad quem se recæpit quærendo, quid mirum si deiecta à spe inueniendi, sui cordis frustratur desiderio, nimirum, quia diuino huic lilio non est lectulus locus, sed vallis & campus, *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cant. c. 2. Cant. c. 2.

Et flos est campi. Iacob adhuc adolescens à matre summè dilectus, & in delicijs enutritus, licet esset idem, quem elegerat Deus, & prædestinauerat multa illi dona conferre cœlestia, at dum apud suos degebat, semper illis diuinis muneribus fuit indignus, inhabilis, incapax, at vbi quadam die ex Dei mandato, relicta paterna domo, egressus foras, & serò peruenisset in campum, vt post Solis occasum aliquid somni caperet ad quietem, supposito suo capite lapide obdormiuit, & dormiens vidit aperiri cœlum, & scalam stantem super terram, cuius altera pars tangebat cœlum ipsum, & vidit Angelos ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, dicentem sibi, *Ego sum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Isaac.* Luc. c. 3. Hic Iacob, qui dormiebat in campo, num non est idem qui delicijs affluens viuebat in domo parentū? cur hic clauditur cœlum, & promissa illi denegantur à Deo? dormiens verò in agro cęlum aperitur, & videre, & frui & accipere meruit tot cęlestia arcana sibi reseruata, sed abscondita in domo patris, & matris suæ, quę nunc aperto sinu reuelantur, quid fecit? quid operatus est? nunc quòd non primò?

Dei amicus erat, à Deo dilectus, electus, & ad talia prædestinatus, non dubito, quòd ardens amore Deum non quęreret in domo, & inter matris oblectamenta, & delicias, sed quia cum sponsa quęrebat in lectulo suo, cum qua, & dicere potuit. *In lectulo meo quæsiui quē diligit anima mea, & non inueni*, Cant. c. 4. & Deū inueniendi, videndi, Deo fruendi desiderij vehementi agitatus stimulo, & amoris, circuibat per vicos, & plateas, per parentum tabernacula vagabat, & amicorum domos, & dicere potuit, & non inueni, nam Deus quem quærebat, aspirabat, suspirabat, & sperabat inuenire, & videre, frui, & amplecti erat illos campi, & lilium conuallium, conuallis & cāpus locus erat floris huius lilij, quòd intelligens ardenter Dei amator, egreditur de paterna domo, cumque venisset ad quemdam locum, qui locus? vtiq; ager ille, & vallis, testis est ipse Iacob qui vidit et scalam, & Angelos, et Deum ipsum scalæ innixum, et quia ibi Deum vidit, qui totius Regni sui gloriam aperuit Iacob, et hic euigilatus à somno dixit, *Verè hic est domus Dei, & porta cæli*, quæ porta hæc cælestis? quę hæc domus Dei? et quæ vallis Dei habitatio? nisi Maria? quam cum inuenisset inuenit, et quem diligebat, quem aspirabat inuenire, ad quem inueniendum suspirabat, et inuentum respirauit repletus Dei visione, Dei gloria, Dei benedictionibus, et cumulatus donis cęlestibus

letus canit cum sponsa : *Sub umbra illius quem desideraueram, etc.*

Dicam et amplius, huius campi floris,et huius lilij conuallium mater erat Maria,et quadam vice cum per triduũ puer euanuisset ab oculis eius,in lectulo quæsiuit domus suæ, et non inuenit, victa desiderio videndi, et habere præsentem,et frui eius odore, et suam dulcedinem pergustare, inquit Euangelista Luc.cap.2.quòd *quærebat inter cognatos & notos*.interrogans eos si vidissent: *nũ quem diligit anima mea vidistis*: filiæ Ierusalem si vidistis quem genui, dicito mihi vbi est,vbi cubat, vbi pascit? in quo diuersorio moratur, circuiuit per vicos,& plateas,& minimè inuenit,quid tunc ô anima mea? num non mater erat? num non ardebat desiderio? non flagrabat amore? non aspirabat ad eũ? non pro eo suspirabat, aut omni diligentia non quærebat eum? quid est? quòd dicit Sanctus Euangelista, quòd cùm non inuenissent, regressi sunt in Ierusalem,quid est hoc? — Luc. Eu.

O anima mea inter cognatos, & notos inter parentum retinacula Deum infantem non inuenit Maria, sed vt inueniat cogitur exire,& suspirare, & flere,& pergere in Ierusalem, & putas inuenire tu illum in lectulo deliciarum tuarum,& in domo parentum,qui licet sancti,& iusti vt Virginis erant, & Iacob,quia lilium est conuallium, & flos campi,impedimento sunt animæ quærenti illum, nisi cum Iacob egrediatur in campum,& cum sponsa & Maria in conualles Ierusalem.

Quando filiabus Sion promittitur videre Regem Salomonem in die ortus sui ab vtero Virginali, de quo processit vt sponsus de thalamo suo,prius iubentur egredi, & egressis datur frui visione dilecti,& desiderati. *Egredimini filiæ Sion & videte Regẽ Salomonẽ in diademate quo coronauit*.Cant.cap.3.Et qui egressus hic ad posse videre, tam necessarius? sanè necessarius,inquit D. Bernardus,sed vnde egrediendum?& à quo exeundum est loco? audi illum in serm. 6.in breuibus. *Egredimini filiæ Sion anima delicatæ de sensu carnis,ad intelligentiam mentis de seruitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua*, ac si diceret illi digni habentur hac leta — Cant. — D. Bern.

visione,qui se quadam lege pęnitentiæ concluserint,non meretur Christum videre,nec inuenire, qui non studet egredi de cognatione sua, de domo patris sui,de lectulo deliciarum, et voluptatũ huius mundi, confirmat idem Sanctus in serm.2.de Epiphania. *Egredimini de terrã vestra,de cognationẽ vestra, & de domo patris vestri, & videte Regem Salomonem,alioquin non erit tutum videre eum.* — Idem Sanct.

Si Deum quem tua culpa perdidisti, inuenire ardes desiderio, à Virgine addisce quærere,suspirando,lacrymando, in illo triduo quo priuata remansit dulci præsentia filij sui,intuere si vales quã to dolore fuit percussum cor eius Virgineum, inuento puero,sic dixit adhuc lacrymantibus oculis. *Fili quid fecisti nobis sic, ego & pater tuus dolentes quærebamus te*,huius filii iam degustauerat Maria dulcedinem,et odoris fragantiã, nec valebat ad horam eius carere præsentia sine dolore,et lacrymis, ad hoc spectant uerba Diui Effredi in præsenti hom. *O Domina mea quid dolebas? credo non famem,non sitim, non inediam timebas puero,quem Deum noueras, sed tantum subtractas tibi,vel ad modicum ineffabiles præsentiæ eius delitias quærebaris.* — Luc. Eu. c. 2. — D. Effre.

Anima cordis amantis absentiam dilecti sui sustinere non ualet siccis oculis siccantur lacrymæ inuento dilecto, ut inuenias,egredere anima mea, et sede sub umbra Virginalis ramusculi;hic aspira,hic spera,hic quære,hic interroga, *vbi est qui natus est Rex Iudæorum*, sub hac umbra lauda in nocte, in principio uigiliarum effunde sicut aqua cor tuum in conspectu Domini Dei tui, sub hac umbra sederunt illi tres Magi, quando egressi de plagis orientalibus,et ingressi specu,et præsepe,in quo et eum peperit Virgo,et à quo non recessit usque ad purificationem,inquit textus, *inuenerunt puerum cum Maria*.Regem quærunt, & infantem pauperculis pannis inuolutum, & positum in præsepio inueneruut,& vident,& animo,& corpore prostrati Deum adorãt,Deum agnoscunt,nec loci vilitas, nec fasciorum paupertas,nec brutorum stabulum,nec infantis ætas,potuit eorum mentium lumen veritatis obscurare, quin Deum agnoscerent,quin Deum confiterentur, quem hominem foris videbant, vnde hoc? — Matt. Eu. c. 2.

hoc, dicam quæ sentio.

Propè præsepium Magorum aduentus audiens Virgo concrepantem sonitum vt est sententia D.Chrysostomi, & Theophilat. Virgo puerum sustulit de stabulo, & locauit in suo Virginali gremio, vt quem venerant illi adorare, aptè possent, & ipsum intueri? intuentes autem in eum, eorum oculi contemptibilem puerum aspicere non potuerunt, quem spiritus in corde eorum terribilem demonstrabat. (D.Chrys. Theoph.)

Qui hic spiritus in corde eorum? audi D.Leonem in serm.4.in Epiphania. *O perfectæ scientiæ mirabilem fidem, quā non terrena sapientia erudiuit, sed spiritus instituit, viderunt, & adorauerunt pnerum quantitate paruulum, aliena opis indigentem, fandi impotentem, & in nullo ab humana infantia generalitate dissimilem, quia sicut fidelia erant testimonia, quæ in eo maiestatem indiuisibilis diuinitatis afferebant, ita probatissimum esse decebat Verbum carne factum, & sempiternam illam essentiam filij Dei hominis veram suscepisse naturam, & sic quando prœcidentes adorauerunt eum, adorauerunt in carne Christum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maiestatis.* (D.Leo.)

Nec mirum ò anima mea, quando Magi in primo illo ingressu eleuatis in faciem pueri oculis, & fixis in oculos dulcissimi infantis, et puer Iesus oculorum suorum vbi fixit intuitus in obtutibus Regum, & Magorum tanta luce eos intus circumfulsit, & sui diuini amoris igne inflammauit, & vino dilectionis suæ eos inebriauit, quòd deforis intuentes hominem, intus Deum agnouerunt, & vt Deo munera obtulerunt, & humili corde vt Deum adorauerunt, nec mirum quando nos docet D. Hieronymus in Matth.cap.9. quòd *Fulgor ipse, & maiestas Diuinitatis occulta, quæ etiā in humana illa pueri facie relucebat ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu, & adorantes, & munera offerentes tanta dulcedine, & suauitate tenebantur vt possint & ipsi dicere cum sponsa, sub vmbra illius quem desiderauimus sedimus, & fructus eius, &c.* (S.Hier.)

Quæ hæc vmbra? nisi Virginis? sub qua inspirati venerunt Ierosolymam aspirantes, & suspirantes respirauerunt quando inuenerunt, quid est? quòd inuenerunt, nisi locum, & puerum quem non inuenissent, nisi locus in quo inuenire possent, præmonstratus primò non fuisset.

Refert D.Chrysostomus cap.2. in Matth. operis imperfecti, Magis ortum stellæ promissæ obseruantibus apparuisse Virginem pulcherrimum filium inter brachia habentem, quæ illis se obtulit in ducem, ex his colligimus quòd in stella illa, quæ Magos anteibat, & ducebat ad puerum Virgo Maria erat, vel saltem præmonstrabat, sub cuius vmbra venerunt, quærierunt, *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum*, &c. ò Deus cordis mei, si sub vmbra hac sedentes aspirabant, & suspirabant inuenire quid mirum, dum lucis vmbra erat, dum radios diuinos emittebat, si sic inspiratos instruit, & edocuit, & tanto lumine corda eorum illuminauit vt Deum agnoscerent, quem hominem videbant. (S.Chrys.)

Eadem Virginalis maiestas, & diuinus eius splendor, qui Areopagitam cogebat Mariam Deum confiteri, & vt Deum adorare, si aliter ab Apostolo Paulo non fuisset edoctus, Virgo siquidem creatura erat, sed Deiformis, & Deiformata, hæc est pueri locus, hæc thronus Dei infantis eius splendor, & decorus aspectus, eius vultus serenitas, Verborum prudentia, totius corporis compositio, & singularis modestia, coegit hos tres Reges ad terram se prosternere, & Deum adorare in puero, hoc est quòd dicit Euangelista, *Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* (Mat. Eu.)

Si nunquam Iesus sine Maria, nec Maria sine Iesu, Iesum natum inuenire, & Deum agnoscere, Deum adorare, & illi munera offerre, locus accomodatus semper Virgo Maria fuit.

Prædestinatus Iesus ab æterno, sed non sine Maria concipitur homo in tēpore, sed in Maria nascitur in Bethlehē, adoratur ab Angelis, inuenitur à Pastoribus, circumciditur octaua die, inuisitur à Magis, præsentatur in templo, proficiscitur in Aegyptum, reperitur in téplo, adest nuptijs Galileæ, quid plura? pendet, deponitur de cruce, sepelitur in tumulo, exurgit à sepulchro tertia die, ascendit in cœlum, mittit Spiritum sanctum Apostolis, & si randem sedet ad dexteram Dei patris secum consedere facit & matrem, quam semper habuit indiuiduam comitem, quia nunquam

Iesus sine Maria, hinc non potest à quærentibus inueniri nisi in Maria, & per Mariam, hoc est quòd docet Sanctus Euangelista Matth. cap. 2. quando dicit quod domum ingressi illi tres Reges
Mat. c. 2. *inuenerunt puerum cum Maria matre eius.*

D. Petr. Dam. Et D. Petrus Damianus hoc idem insinuare voluit quando dicit. *Cum sit Deus generaliter in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, in Virgine est quarto modo, hoc est per identitatem, quia idem est quòd ipsa.*

Et quid est idem, quòd ipsa? nisi quia
Luc. c. 1. Christus fructus est huius Virginalis ramusculi, vndè dixit Elisabeth, *Benedictus fructus ventris tui*, quia plantulæ, & fructus eadem est substantia, cæteri fœtus identificantur cum matre, tantum ratione colligationis naturalis vinculi colligantis matris, & fœti substantiam, cæterorum puerorum corpora non formantur de substantia, materia, seù potentia, sed de eo, quòd in illis solum erat in potentia ad esse eorum pars, & insuper finit de alimento, at in Christi generatione non sic, quia Iesu conceptio super leges naturæ fuit, nec in ea locum habuit patris, quo omnino caruit concursus, sed ad corpolentam eius substantiam Spiritus sancti tantummodo operante virtute, efformandam fuit sanguis purissimus viscerum solius matris Virginis.

Et quia sanguis, qui pertinet ad veritatem nostri esse, anima nostra informatur, & Spiritu quo informamur, & viuimus, hinc inferre necesse est, quòd totũ illud, quòd fuit Christi Iesu in sua Conceptione corpolenta substantia, fuit primo anima Virginis informatum, & sic caro Christi erat caro Mariæ, & idem quòd ipsa. O vis amoris filij erga matrem, ò dilectio Dei amantis, ò dignitas tantæ Virginis, non obstante continua humidi radicalis iactura, qui reparatione continua medebatur, vt hanc identitatem Christus seruaret cum Virgine, ad matris honorem conseruare complacuit totum, quòd traxit de maternis visceribus, & possunt ambo dicere alter
Cant. ad alterum, *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Cant. cap. 7.

Hunc identitatis nexum Christi Iesu, & Mariæ operata est illa æterna dilectio, quæ vt diuina sola perficit in amãtibus, quòd non potest creatus amor, de quo loquens D. Thomas 1. 2. q. 28. art. D. Tho.
1. ad 2. ex mente Philos. 2. polit. inquit, *Amantes desiderant fieri vnum ex ambobus, sed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterutrum corrumpi, quærunt vnionem, quæ conuenit, & decet vt similitèr conuersentur, & similitèr colloquantur, & in alijs huiusmodi coniungantur.* Vnum, idem esse cupiunt amantes, & vnum solum, & non aliud, sed quia hoc fieri non potest, quin vnus ex duobus non deficiat, & corrumpatur, satis est illis vnio possibilis, & conueniens, humani amoris, seu creatæ dilectionis satis angustæ sunt vires, & intra limites eius potestas robur, & violentia, quòd non diuinus amor, qui sic transformat creaturam in Deum, vt sic Deificata, & Deiformata mergatur tota in Deitatis abyssum, & absorbeatur à diuinarum pelago perfectionum, iuxtà illud quòd dicit Apostolus Paul. Epist. 1. ad Corinth. cap. 6. *qui* Paul. AP
adhæret Deo, vnus spiritus est.

In qua vnione nec diuinitas cum sit summè incorruptibilis mutatur, seu corrumpitur, nec creatura deficit, nec definit à suo esse, imò deficiendi deposito timore velut stilla mari immersa cum eo confunditur, & in illud transformatur.

O Maria sine tua luce non capit te mens mea, nec intelligere, quo vnionis vinculo veluti soror vnita es filio? quo amoris nexu indissolubili iungeris ei, & vt vnum effecti ex duobus, sit eadem caro, ijdem motus, gestus, acta, eadem vita, idem spiritus, eadem voluntas, idẽ cor, & mens, & anima vna, hoc est idem quòd ipsa.

Hanc identitatem Virginis cum Christo fatetur D. Ioannes, quando in lib. Apocal. suarum reuelationũ cap. 12
vidit illud signum magnum in cælo, mulier amicta sole: verè signũ magnum, nõ Apocal.
tantum ratione illius quòd vidit, sed multò magis ratione illius, quòd valuit distinguere, nam Solis lumen si acutè in suo fonte contemplatur, hebetat, & obcæcat oculorum visum illius, qui audet aspicere, & intentè intueri, & ita hebetat, vt nec Solem ipsum, nec alia pro tempore valeat aspicere, vndè est quòd Ioannes Solem vidit, & mulierem amictam sole potuit discernere? & à sole distinguere? & secernere? Potuit & intueri solem ad aspectum solis, vestem esse vnius mulieris, verè signum

ma-

magnum,& cœleste miraculum,quibus namque medijs? si medijs corporalibus luminosis ob excellentiam luminis nihil videri potest, mulierem vidisti? O Ioannes ò vere cœlestis aquila, intra solis sinum, seu spheram cernis mulierem sole amictam? Quis tibi indicauit mulierem esse mulierem, & non solem? & corpus solare esse solem, & non mulierem? solaribus mediantibus radijs, in quibus vbi omnium excutit oculus, solius Ioannis acuitur acumen, purgatur intellectus, & illuminatur oculus, & tam acuto lumine, vt valeat distinguere mulierem à sole? Cur hoc? tempus visionis attendendum est: *Tunc*, inquit

Cel.Pan. Cælius Pannoniensis, *Virgo fuit amicta sole, quando virtus Altissimi eam obumbrauit, illumque intra vterum concepit, qui intra omnia, extra omnia, sub omnia, & infra omnia incompræhensibilis est.*

Ad illud tempus refertur Mariam fuisse sole amictam, quando filium Dei superueniente Spiritu sancto, & virtute Altissimi obumbrante in suo vtero carne vestiuit.

Quid tunc ò anima mea? vestiuit, & vestita fuit à filio, quem sua carne ipsa vestiuit, tūc filius Dei habitu inuentus est vt homo, qui & matrem tunc sua solari veste vestiuit, & sic Maria vestita à filio, & filius vestitus à matre veste tam exequata, & consimili vt filius, qui sol est iustitiæ videretur Virgo mater, & mater Virgo Dei filius, quæ tunc sic amicta sole, vt meritò dici possit, quòd filius sit idem, quòd ipsa & Maria eadem, quòd ipse qui eum sit sol æterni luminis, lumine quo ipse indutus est à patre, ipsemet vestiuit & matrem, de qua natus est homo; *Tunc ergo*, inquit

D. Bern. D.Bernard. ser. signum magnum, *Maria sole perhibetur amicta, qua profundissimam diuinæ sapientiæ, vltraque credi valeat, penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creatura conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa:* quòd discerni non potest à sole, nisi à Ioanne cum sit eadem, quòd ipsa.

Et de veste Iesu, qua fuit amicta Mariæ, & de vestimento Virginis, quo fuit

Idem Sanct. vestitus puer infans, idem Sanctus sic testatur Virgini alloquens: *Quàm familiaris ei facta es ò Domina mea, quam proxima, quàm intima fieri meruisti, quantam inuenisti gratiam apud Deum, in te manet, & tu in eo, & vestis eum, & vestiris ab eo, vestis enim eum substātia carnis, & vestit te ille, gloria suæ maiestatis, vestis solem nube, & sole ipsa vestiris*, & per hoc tanto similis, consimilis, & æqualis effecta est filio Dei Maria, vt sit idem quod ipsa, vt nunquam filius sine matre, nec mater sine filio, eum in matre filius, & in filio mater.

Qui vt inueniatur, quis locus magis accomodatus, vt hæc Virgo, & mater? de Calcedonio scribit Plinius lib. 37. Plin.
cap. 4. in montibus nasci, & quasi flos campi est eius ortus, quia pro matre terram habet, & agnoscit, vice patris cœlum est, & pluuia stillans de cœlo inter proprietates eius, hæc est vna, quòd numquam apparet, nec videtur, nisi quādo luna plena emittit suæ lucis radios. Puer Iesus gemma est infiniti valoris, matrem aliam non agnouit, nisi campum vernantem, germinantem, & floridum vteri virginalis, nec alium patrem præter eum, qui regnat in cœlis, si pluuiæ imbrem desideras, en virtus operatiua Spiritus sancti, hæc erat pluuia, quā ardenti desiderio expectabant, & præstolabantur antiqui illi Patres; Isaias

Isaia.Pr. Proph. cap. 45. *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

Qui desiderio flagrat, qui amore æstuat hanc inuenire gemmam, hunc habere calcedonium, necesse est, vt super eum splendeant lucis radij huius lunæ plenæ Virginis Mariæ, vt sedeat sub vmbra huius virginalis ramusculi, sub qua splendet, inspirat, radios emittit, vt anima ad inueniendum aspiret, ad quærendum suspiret, ad habendum, ad fruendum, ad amplexandum tuta spe munitus speret.

Vt non desperes, en ipsa te ad vmbram inuitat: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini*: Eccles. cap. 24. Heu anima mea si famescis mysticum inuenire calcedonium, scito non inueniri, nisi sub vmbra lunæ plenæ, recordare quòd flos est campi, & lilium conuallium, vt inuenias, egredere cum tribus his magis, duce Virginis stella, quære sede sub vmbra eius, sub qua non deerit tibi lux veritatis, & agnitionis, & inspirata, & irradiata luce, aspira desiderio, suspira amoris ardore, spera in Virginis adiutorio, te posse inuenire, & relicto delicia-

Eccles. c. 24.

ciarum lectulo, sub vmbra huius ramusculi quære, & interroga: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum*: & scito te esse audituram; *Hic est, qui natus est Rex Iudæorum*: Esto secura, quia fidelis est, & pia mater, & nunquam filius sine matre, nec mater sine filio, nunquam Maria sine Iesu, nec Iesus sine Maria, hæc est dux, hæc est mater, quæ materno ore te ad inueniendum, & ad quærendum, imò te ad floris dulcedine satiandum inuitat, transite ad me omnes, accedite ad me omnes cupidi mei: En quanta liberalitate sub hac vmbra cupidi, & famelici hi Reges quærunt, & vt inueniant, anxiè interrogant: *vbi est qui natus est Rex Iudæorum*: & intrantes domum inuenerūt puerum, quibus Virgo præbuit & videre, & tangere, & amplecti, & deosculari, munera offerre, & adorare, & cordium desideriorum eorum vota exatiare famem. O quanta dulcedine tenebantur, ò quanta suauitate perfundebantur, replebantur, ò quanto diuini amoris vino inebriabantur, nunc contemplando Virginis vultus, maiestatem, decorem, venustatem, grauitatem, pulchritudinem, modestiam, affabilitatem, gratiositatemque, eos dulcitèr alloquendo, instruendo de filij sui diuinitate, conceptione, de incarnationis mysterio, de rebus cunctisque cœlestibus, exhibe te præsentem, & vide, qua humilitate illi tres coronati, & sapientissimi viri humi prostrati, diuini vulnere amoris vulnerati, cum lacrymis rogant Virginem matrem, vt illis porrigat gratiosum puerulum, vt permittat eum amplecti, & deosculari sacros eius pedes, quot lacrymas fundunt, quo affectu amplectuntur, & adorant, & certatim contendunt amorosa æmulatione, apertisq; thesauris ad pueri Iesu pedes auri munera offerunt, & aromata incensi, & myrrhæ.

Matt. Eu. cap. 2.

Intuere puerum, qua maiestate non terribili, sed graui, dulci, & serena fronte super eos oculos fixit, eos gratiosè respiciendo, & vbi deerat vox linguæ, super eos extendit manusculas, & brachiola amplectendo, & complectendo, & perhumaniter eos excipiendo, & sua præsentia eos exatiando, nec mirum si flos est satietatis.

At vbi peruenit discessus ingratissima hora, benedici petunt à puero, qui extensa manu benedixit illis, & spirituali consolatione repleti, hilares, lætissimique effecti, suauiq; dulcedine compuncti, nolentes, inuiti, & lacrymantes discedunt, & abeunt quodammodo coactè, ne discedas tu anima mea, sede sub vmbra huius ramusculi, hic suspira, aspira, roga, contemplare ramusculi pulchritudinem, pueri maiestatem, offer illi aperto thesauro cordis tui, aurum animæ per puritatem corporis, myrrham per carnis mortificationem, incensum orationis per continuam meditationem, & contemplationem, & scito te plus accipere ab eo, quam tu illi donas. Nanzianz. orat. 16. Exiguum ei, à quò multum habes, da etiam omnia ei qui omnia donauit, nūquam Dei munificentiam vinces etiam ei omnia donando, & omnia ei largiendo, qui omnia donauit, numquam Dei munificentiam vinces, etiam si omnia tua proijcias, etiam si teipsum bonis tuis adiungas, nam hoc quoque ipsum accipere est, nempè Deo donari, Deus muneribus nostris vinci non potest, neque etiam quidquam, quòd extra illius bona sit donamus, neque quòd illius superet liberalitatemque, tibi satis esse debet videre Iesum, & Mariam, & eorum frui præsentia, Iesum adorare amplecti, deosculari, et Mariam laudare, benedicere, et glorificare. Dic ergo, benedictum sit nomen tuum perdulcissimum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria, monstra te esse matrem, et miserere mei, quoniam in te sola sperat, et confidit anima mea. Sub vmbra huius Ramusculi protege me, nunc et in hora mortis meæ. Amen.

DE HVMILI, ET EXEMPLARI Virginis subiectione Purificationis legi, ab ipsamet lege, vt purissima iam emancipatæ.

RAMVSCVLVS QVINQVAGESIMVS.

Statura tua assimilata est Palmæ.
Cant. cap. 7.



O Infans Deus, ò Iesu, ò mi dulcissime puer, tu Patris sempiterous es filius, tu tuæ matris, non vuluæ violator, nascens ex ea, sed & illius illibatæ Virginitatis custos, & sacrator integritatis, quid igitur tibi legislatori, & tuæ in templo oblationis legalis man dato? quid tibi omnium Redemptori, & noua nunc hac à matre Virgine redemptione quinque siclorum redempto? ad quid hæc turturum, & pullorũ columbarum oblatio? & mactatio in sacrificium pro peccato? si in te peccatũ vnqnam fuit nullum & Virginem, quæ te sola Spiritus sancti operante virtute, concæpit, clausoque suæ virginitatis sigillo edidit mundo, nullà vnquam culpæ macula terigit? polluit? nec commaculauit? nec vlla vnquam puerperii sordes fędauit in partu, pro qua expianda illorum vnus incenderetur in holocaustum, & alter mactaretur in sacrificium.

Quid tuæ matris puritati, & purificationis legi? quid illius virginitati, & legis præcepto obseruationi, et consuetudini? quid Virginis Mariæ munditiei, et cæterarum mulierum sordibus? hæ enim vt expiarentur, et à contractis mundarentur sordibus in partu, meritò indigebant purificatione, at Maria, quæ concipiens non concæpit suscepto semi ne, nec te parturiens, parturientium infecta est fęcibus, cor purificationis legi à qua ipsamet lex exemerat, et priuilegio singulari, nullo pacto erat obnoxia; se subijecit, et tu ipse purificari mandasti?

Hæc tua purissima mater, nonne cõcepta fuit in splendoribus sanctorum? tanta puritatis circumfusa claritate vt vincat puritatem spirituum illorum supercœlestium, quo puritatis lumine circumamicta nascens, nascitur expers omnis maculæ, tum spiritualis, tum corporalis, mente purissima, corde mundissima, corpore immaculata. Tibi, ò Deus cordis mei materna dignitate adeò copulata (vt vnione hypostaticam duntaxat excepta) nulla alia creatura vicinior, nec intimior. quid est hoc? quòd ritum quadraginta dierum, quem parturientibus lex præscripserat, Virgo cor de sic strictè amplexata tenuit, & facto seruare voluit, & parere legi purificationis expectare dies purgationis, & abstinere se à rebus sacris, & ab ingressu templi, & quæ erat mundissima, & quæ nulla tenebatur necessitate, quasi vna de immundis in specu in quo pepetit, se conclusit, nec indè egredi, nisi transactis quadraginta suæ purgationis diebus instar cęterarum mulierum, nec ausa est ingredi templum Domini, Virgo illa, quæ sola erat Spiritus sancti templum, & dignissimum habitaculum.

Cur hoc? ò anima mea, dicam quæ sentio, hæc enim Virginis à purificationis lege iam emancipatæ ex ipsamet lege, legis subiectio, & perfecta adimpletio vtique non fnit abfque diuino consilio, quo se in omnibus dirigebat Virgo,

go,& regebatur,imò cum speciali Spi-
ritus sancti dulcitèr impellentis impul-
su fuit in suæ sanctitatis,perfectionis,pu
ritatis, & humilitatis argumentum,
dum non contenta obseruatione eorú ,
ad quæ de præcepto tenebatur astricta ,
sed ob perfectionis gratiam,etiam illa à
quibus erat emancipata , & immunis,
voluit obseruare vt ipsa per omnia asi-
milaretur filio, & tu caperes tanta Vir-
ginem in sua purificatione puritate ni-
tere,qua maior sub Deo nequit intelli-
gi,simul & intelligas ò anima mea Ma-
riam tibi purificari, vt testis est D. Ber-
nardua serm. 6. de paruis,& ad cui in-
structionem,& doctrinam , & vt perfe-
D. Bern. ctæ humilitatis ipsa tibi præberet exem
plum. *Quid est quòd dicimus B. Mariam purificari? quid verò quòd ipsum Iesum dicimus circumcidi? enimuero tam non indiguit illa purificatione quam hac ille circumcisione,nobis ergo & hic circumcidi- ditur,& illa purificatur præbente se exē- plum pænitentibus vt à vitijs continentes primum per ipsam continentiam circum- cidamur,deindè à commissis per pæniten- tiam purificemur,* & vt hos perdulcissi-
mos fructus carpas,sede sub vmbra hu-
ius ramusculi, & inebriata illius dulce-
dine,meditando dulcitèr cane, *Statura tua ò Virgo assimilata est palmæ.*

Palma hæc nostra virginea, palma si-
quidem sempiternæ viriditatis est puri-
ficationis lege, sicut nunquam indiguit
sic nullatenus ex necessitate tenebatur,
at vt saltem proportionabiliter,& si nō
ex æquo assimilaretur palmæ vt in lau-
dem eius possis edicere & tu, statura
tua ò Maria verè assimilata est palmæ
filio , qui lege quoque Moysis minimè
astringebatur,legi tamen paruit, & su-
scepit super se legem vt seruaret eam ,
æquum enim non erat nec decens diui-
næ suæ perfectioni , non seruare leges ,
quas ipse nobis seruandas imposuit , &
super humerum suum legum onus non
ferre,quòd nobis impetrauit portandū,
& non pati sibi licere,quòd nobis pro-
nunciauit prohibitum .

Legerat forsitan Virgo de filio suo
Isai. Pro. in Isai.proph.cap.9. *Factus est principatus super humerum eius.* Cui vt esset per
similis facto,purificationis legi se spon-
tè subijecit non ad indigentiam, sed ad
perfectionem , & in argumentum suæ
puritatis,qua & quanta floresceret,vire
sceret,vigeret,& præniteret argumentū
non habuit efficacius quam legis , cui
non erat obnoxia obedire mandato,]&
parere præcepto,dum non contenta ob
seruatione eorum ad quæ sub præcepto
astringebatur,sed vt tibi aperiret quan-
ta puritate corde fruebatur & corpore
ad veritatis indicium suæ puritatis etiā
illa à quibus erat emancipata,et immu
nis,cumulatissimè voluit obseruare, vt
& tu anima mea intelligeres in die suæ
purificationis Virginem tanta puritate
nitere,qua maior sub Deo nequit intel-
ligi .

Quæ et quanta fuerit,vt intelligas,at
tende quid in laudem eius dicat Spiri-
tus sanctus in Cant. cap.4. *Duo vbera* Cant.
tua sicut duo hinnuli Capreæ gemelli.
Mammæ Virginis erant similes hinnu-
lis ex vno partu genitis,lac materni pe-
ctoris sugentibus,notandum quòd non
cadit similitudo super hinnulos vbera
sugentes, nec matri lac præbentes , sed
tantum super numerum gemellorum ,
et vberum, dum gemellos alunt infan-
tes. Qui enim sunt ij gemelli vbera la-
ctantes,simul & lactentes, nisi Iesus , &
Maria,hæc dum filio præbet vbera , &
lactat,eo ipso lactebatur . & ipsa à filio
vicissim . Erat tunc Maria nutrix suæ
nutricis,& lactis filia filij sui quem la-
ctabat,& lac illi præbens,præbæbat non
tantum quò ad illius humanitatem , ad
cuius nutritionem Christus trahebat
alimentum,sed etiam quò ad Diuinita-
tem,quam ex lacte filij Dei quem ipsa
lacte suo nutriebat in carne recipiebat,
erat Maria Verbi nutrix,& vicissim nu-
trita à Verbo,nutrix Dei Maria, & nu-
trix Virginis Dei gratia,hoc insigni ti-
tulo decorat Virginem D. Methodius D. Meth.
martyr orat. in Ippapantem Domini.
O nutrix cuncta nutrientis.

Quid est hoc? anima mea,Maria ma-
ter lactens simul, & infantula lactata,
Iesus lactatus simul,et lactens, Verbum
enim patris factus homo, nunquam ex
pectore Mariæ lac sugebat,quin ex suis
diuinis mammis Virgini suæ matri , et
nutrici,suæ diuinitatis lac non præbe-
ret,& suo pectore non aleret,non pasce-
ret,et non nutriret spiritus lacte, à qua
ipse nutriebatur , et pascebatur in car-
ne .

Quo enutrita Virgo, quæ incremen-
ta non recæpit? Sanctitatis,innocentię,
puritatis,dulcedinis,dilectionis,amoris
pietatis,misericordiæ, donorum super-
cœ-

cœlestium,et gratiarum omnium, quibus ipsa affluens in nobis etiam effinet. O quàm concinnè hæc omnia complectens D.Riccard. Victorinus in Canticis cap.4. cecinit in laudem Virginis. *Carnalia in te Christus vbera suxit, vt per te nobis spiritualia fluerent,cum enim misericordem lactasti*. En Maria nutrix omnia nutrientis ab eodem misericordiam accæpisti, en Maria infantula lactens ab vberibus Christi filij sui, ex vtraque lactatione super omnem existimationem Maria purissima fuit,nam lac quo Christum lactauit non emanauit ex libidinis fęditate,sed virginitatis fæcunditate, *Vbere de cælo pleno* canit Ecclesia, & Alanus in Canticis cap. 1. *Talia optabat Christus vbera, & à tali vbere lac sugere,quòd non saperet carnis lubricum, sed virginitatis antydotum*, quòd idem Spiritus sanctus ostendit, quando subdidit, *qui pascuntur in lilijs*, non hinnulis quibuscunque vbera matris,& filij conferre voluit, sed illis qui pascūtur in lilijs,symbolū sēper fuerūt lilia virginitatis,puritatis,castitatis, integritatis,munditiei,& innocentiæ,ac si diceret Christus vt hinnulus non suxisset vbera,si mater & sua nutrix non esset purissima,lactari non permisisset,nisi à matre Virgine,cur hoc? nisi quia vt scribit Saluianus lib.5. de prouidentia. Nutrices mores suos vel bonos,vel malos in pueros quos alunt, cum lacte transmittunt, consonum est vt mater, quæ Christi nutrix erat futura, purissima esset,sanctissimisque moribus prędita.

D. Ricc. Victor.

Eccl.san Alan.

Saluian.

D.Clem.

Attende quid ad hoc annotauit D. Clemens Alexandrin.in lib.1. pedago. *Lac,inquit ipse,est sanguis consentiente pietate florescens*, ac si diceret lac sanguis est colore mutatus,& quasi florescens,dum ex rubro mutatur in album per tacitum consensum cum pietate materna, lac enim non potest habere nisi illa quæ mater est, effecta Maria mater filij Dei, vis illa materni amoris erga filium viam aperuit transformandi proprium sanguinem in lactis alimētum, quo ipsa pasceret Deum & nutriens,et lactens,pasceretur,nutriretur, ac vicissim lactaretur ab eo.

Duo gemelli hinnuli sunt Christus et Maria, concorditèr sibi vbera inuicem præbentes vt quilibet eorum excrescat in virum perfectum,lacte purissimo se lactent,velim attendas non modo mirum vberum amborum paritatem, et æqualitatem,sed et omnimodam amborum lactis similitudinem,dum lac quòd ab vno demanat eiusdem est coloris,saporis,et qualitatis,cum eo quòd ab altero prouenit, imò idemmet vtriusque mammillæ lac,et eius qui sugit, et eius qui præbet,et eius qui lactat,et eius qui lactet eiusdem dico coloris, et saporis est vtriusque lac,ex eò quia ex eodem fonte amoris,ex eodem dilectionis corde emanat, vndè et gemelli hinnuli dicuntur,quia quasi ex vno partu videntur editi,quo simillimi,compares, consimiles,et concorditèr se lactent, et lactis dulcedine sese oblectant vt verè tu possis dicere.*Statura tua verè ò Maria assimilata est Palmæ filio*.

Cur omninò palmæ filio similis Mariæ? nisi ex eo quòd lactans Virgo Verbum Patris per lactis venam suas influebat, transmittebat qualitates vt esset animo mitis misericors,clemens, et pius; et si vicissim se lactebant ipsum Patris Verbum vbera sui pectoris matri præbendo per venam lactis suæ diuinitatis qualitates influebat et conditiones,et suæ puritatis mores transmittebat,quæ puritas tanta enituit in Maria,qua maior sub Deo nequit intelligi; vndè illi dicitur. *Statura tua assimilata est palmæ*; non ex æquo ò anima mea, quantum ad hoc, si attenditur in Virgine potentia illa intrinseca humanæ naturæ,& suæ compositionis, erat in ea potentia peccandi, exemplo declaratur.

Can.cn.

Adamas,& vitrum gesticulantur, & altercari videntur in claritate, splendore,& puritate, & si oculorum stare volumus testimonio,cryssallus elegans vix que non cedit nobili, & pretioso adamanti, sed habita ratione ad intrinsecam fragilitatem vnius, & ad duritiam alterius, in veritate vnum multo videtur distare ab altero. Adamas vt ad artificis scopum elaboretur instrumenta petit durissima, quæ sepè aciem,& acumina amittunt,at cryssallus,seù vitrum vix tangitur,& frangitur subitò in partes,itaque si æquiualet adamanti in puritate,illi inferioris est conditionis,imò & dissimilis,quia natura mollis, & fragilis est.Puer Iesus adamas est, qui nec ferro vnquam cedit,nec igni.hæc est illa petra de qua Paulus. *Petra autem erat* Paul.c.9.

 Chri-

Christus, sed petra perlucida, & purissima, quæ non sustinuit tentationū ictus, quibus frangi posset, nec culpæ macula, qua maculari, seù offuscari potuit eius puritas, Virgo mater est crystallus, seù vitrum ex nostra massa coagulatum, adamantis puritatis æmulatrix, at illi inferioris conditionis ex communi potentia ad peccandum, licet manus diuina ne frangeretur, ne macularetur, vt vitrum seruauit illesum, & illibatum, vsq; dum beatitudinis temperatura moderata est, & facta est Maria crystallus, seù vitrum crystallinum non amplius indigens auxilio externæ protectionis, quo seruata fuit illibata, purissima, & mūdissima in totius mortalis vitæ curriculo, & de ea quò ad eius puritatē verè affirmare. *statura tua assimilata est palmę filio*

Liceat anima mea Virginis puritatē filij sui puritati assimilatam argumentari ex puritatis contrario, quòd est ipsamet impuritas, hæc autem vt testatur D.Thom.2.2.q.7.art.2.consistit in hoc, quòd vilioribus immiscetur, nec enim dicitur argentū impurū ex permixtione auri, per quē melius redditur, sed ex permixtione plumbi, vel stamni, purissimū est argentum ex auri permixtione, sicut impurum ex permixtione alterius metalli inferioris, & ignobilioris gradus.

Ex qua doctrina colligitur id esse Deum in comparatione omnium creaturarum, quòd aurum in æstimatione metallorum, Virginem verò Dei matrē inter Deum ipsum, & creaturas, esse velut argentum, cunctæ autem creaturæ sicut stamnum, plumbum, æs, & alia metalla inferioris conditionis, & qualitatis. Quòd aurum sit diuinitatis symbolum, est tex. in Cantic.c.5.*Caput eius aurum optimum*, & D. Paul.1. Corinth. cap.12.*Caput Christi Deus*, in auro igitur Diuinitas exprimitur, quæ cunctas supereminet substantias sicut aurum cætera metalla, & Virgo comparatur argento. *Argentum*, inquit D. Thomas, *non est impurum ex permixtione auri, per quòd melioratur, sed ex permixtione stamni vel plumbi impurum efficitur*, ò prodigia, o miracula.

Cant. Paul. Ap. D. Thom

Contemplare anima mea, & attende in Virgine ita esse permixtam humanæ naturæ substantiam cum qualitatibus, & conditionibus diuinis, quòd in sua puritate, & si non ex toto est ipsa aurum meretur saltem nōmen electri, quòd est species quædam perfectissima auri cum permixtione argenti. *Omni auro*, inquit Plinius lib.33.cap.4.*inest argentum vario pondere*. Deus benedictus solus est aurum optimum, purissimum, ac mundissimum absque vlla permixtione, imò sua puritate, & simplicitate excludit cuiuscunque alterius metalli, seù mixti compositionem sunt in Deo cuncta creata non per permixtionem, sed per eminentiam.

Plin.

Diuinitas illa, quæ dicitur participata vt est in iustis, & sanctis secundum gratiam, quam participant semper est cum aliorum mixtione, hæc participata diuinitas, eminentior, & excellentior est in Maria, quam in cæteris sanctis, imò Virgo in comparatione iustorum vbi ij sunt velut stamnum, æs, vel plumbum, ipsa sola est argentum auro permixtum, & meritò ab Ezechiele vocatur electrum, sub specie electri illi demonstrata fuit. *Et de medio eius quasi species electri*. Electrum iuxtà sententiā naturalium vocatur aurum illud, quòd ex quinque eius partibus, quibus conflatur, & constat, quatuor partes habet auri, & quintam argenti, vbicunque argenti portio est, electrum vocatur.

Ezec.

In curru illo igneo Ezechielis, vidit Propheta Sanctus Dei filium carne vestitum, et hominem factum; ità docet D.Gregorius in cap.1.Ezechiel. *Quia igitur in vnigenito Dei filio vnita est natura nostra diuinitatis naturæ, in qua vnione humanitas ad maiestatis gloriam excreuit, diuinitas verò à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperauit quasi electrum factum est*. Si in curru igneo ostensum fuit Prophetæ incarnationis mysterium, tunc vidit filium, & matrē, filium sub specie ignis, nam *Deus ignis consumens est*. Mariam verò vt filij Dei matrem, conspexit sub specie electri: cur electrum Maria? nisi quia puritas humana ità est immersa in qualitatibus diuinis, quòd si contemplaris in Virgine suæ naturæ humanæ substantiam argētum inuenies in ea, & non aurum, adçò quòd meretur appellari potius aurum argento permixtum, & non argentum auro immersum, quia vt perfectissimū electrum quatuor partes auri, & quintā argenti, ex qua permixtione argentum suæ naturæ ad tantam puritatis creuit, & profecit claritatem, vt videretur potius aurea tota quam argentea.

D.Greg.

Vt caplas quæ dico, velim attendas cor Virginis, vt argentum non admisit in se aliam permixtionem, nisi tantum auri, declarat hoc clarius D.Thom. 2.2. quæst.7.art.2. *Manifestum est*, inquit ipse, *quòd rationalis creatura dignior est omnibus temporalibus creaturis, & ideò impura redditur ex hoc, quòd temporalibus subycitur per amorem*: diuersimodè in operationibus suis se gerunt intellectus, & voluntas: intellectus enim vt intelligat extra se non fertur, sed vt attractorius defectis attrahendo ad se, & intra se attrahit obiectum, quòd ad suj mensuram proportionaliter adæquatam cognitio fit per hoc, quod cognitum recipitur in cognoscente, & vnum quodque recipitur ad modum recipientis: voluntas verò in sua operatione extasim patitur, quia extra se, & foris trahitur ab obiecti bonitate, & dilectione, in qua sola veluti in termino sui motus terminatur, sistitur, deliciatur, delectatur, quiescit, & pascitur.

S.Thom.

Potentia intellectiua intelligens res sibi proportionatas, seu æquales, sicut non proficit, ita in se non deficit, inferiores verò intelligendo eas nobilitat, & subleuat. Voluntas autem, quia amatrix est sui ipsius, quando amat sublimiora, & se eminentiora, ex amore eorum magis nobilitatur, & subleuatur, sed si ad inferiora conuertitur, deficit, vilescit, & redditur impura: *Facti sunt*, dicebat Osea Sanctus c. 9. *abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*: & D.Augustinus *si terram amas, terra es, quid vilius, si cœlum amas, cœlum es, quid nobilius? vno verbo dicam, si Deum amas, Deus es*: Ex qualitate namque obiecti nobilitatur voluntas nostra vel vilescit, & efficitur impura: *qua quidem impuritate*, inquit D.Thom. vbi supra, *purificatur per contrarium motum, dum scilicet tendit in id, quod est super se, scilicet in Deum*

Osea Pr.

O Deus cordis mei, cordis Virginis quanta nobilitas, quanta puritas, quanta puritatis eminentia? si nunquam alteri adhæsit, nisi Deo, non adamauit nisi Deum, alium obiectum in se nō admisit virginea illa voluntas, nisi Deum, creatura quantumuis nobilis, & licitè amabilis locum non habuit in corde Virginis, non amauit nisi Deum, vel quòd ordinatè dirigebat ad Deum, si Deum amas, Deus es; En quam verè Maria electri nomen sibi vendicat, quatuor partes auri, hoc est diuinitatis, & quintam solam habebat argenti, hoc est naturæ humanæ, tota erat deaurata auro diuinitatis: Cur hoc? quia tota erat puritas, tota purissima, ob quam in Eccle-siast. cap. 24. matrem se nominat pulchræ dilectionis; etenim pulchro amore Deum, pulchro amore Angelos, pulchro amore viros, pulchro amore fœminas, pulchro amore seipsam, pulchro amore virtutes, pulchro amore res creatas sem per dilexit, atque ita pulchro, vt ex dilectione, nihil traxerit immunditiei, plu timum vero meriti, pulchritudinis, & puritatis semper collegerit.

Eccles.

Fuit amor Virginis ad omnia, sicut balsamum, inquit ipsa in Ecclesiast. cap. 24. *Quasi balsamum non mixtum amor meus*: amor Virginis balsamum fuit, nō mixtum suauissimi odoris, quia nulla illam macula affecit, sed summa puritate potius ornauit, & decorauit, vt merito assimilaretur palmæ filio, qui auro suæ diuinitatis sic matrem deaurauit, & tanta puritate collustrauit, vt iure nomē electri sibi vendicare possit, dum quintam argenti maternæ substantiæ portionem quatuor auri partibus diuina quadam permixtione cōmiscuit, vt potius diuinitas participata appareret, quam pura, & simplex creatura, & facto, tanta puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi, vt cum tot, tantisque puritatis Virgo Maria deaurata præniteret radijs. Si illam attendis in die suæ purgationis, quasdam, vt ita dicam, lineas nigri caloris tinctas (quòd est proprium argenti) in se specificè reliquit tibi contemplandas, natura argēti licet tendat ad albedinem manus tan gentes illud nigredine quadam tingit, & lineis signat nigri caloris. O Maria, ò electrum, ò argentum auro puritatis permixtum, quoniam tuæ gratiæ excessus fuit immensi, quid te purius? quid te innocentius? cum sis ipsamet innocentia? & puritas? Et in die Purificationis tuæ, ò veræ puritatis imago, ò speculum sine macula te video nihilominus obsignatam lineis quibusdam humilitatis colore prælucentibus, vt & hoc tu ad mei doctrinam, & instructionem præluceres exemplo, & in te prælucet omnimoda filij tui similitudo.

Eccles.

Vt igitur palma nostra virginea palmę filio assimilaretur, ita inferius humilitatis radice profundè descendit, vt cau-

caudex illius altius comam erigeret sui capitis, & purius sparperet in orbem,& ipsa onustis brachiata ramis gladij ad sui defensionem figuram præferentibus, fructus puritatis uberiores, & perdulcissimos afferret; Purificationis legi,à qua erat immunis, ultrò se subijciens Virgo,non necessitatis actus fuit, sed humilitatis, cuius radix, quò inferius fixit,eò sui cordis puritas, suæ uitæ innocentia, magis ac magis emicuit,& eluxit, quò purificationis lege uidebatur obscurari,hinc in laudē eius Canticorum Epithalamium cecinit diuinus sponsus. Cant. cap.5. *Oculi tui sicut columbæ, super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxtà fluenta plenissima.*

Cant.

Ocelli Virginei Columbę oculis cōparantur, sunt enim columbarum oculi,simplices,purissimi,defæcati ab omni labe,&semper fluminum loca incolunt, & resident super riuos aquarum, non solum propter potum vel lauamen, vel loci amenitatem, & munditiem, sed etiam, vt inquit Venerab.Beda: *Vt venientis Vmbram ancipitris in aquarum perspicuitate præuidere, & sui imminens ab hoste periculum præcauere,& euadere possit*: at latet mysterium in hoc, quòd non columbis omnibus comparantur, sed tantum illis,quæ lacte sunt lotæ.

Ven. Be.

In lactis lotione maximè commendatur columbarum sinceritas, & puritas,lac enim inter liquida, & humida computatur, sed lacti singularis inest proprietas,& est illi soli peculiare,quòd nulla obiectæ sibi rei simulacra repręsentat,nullius rei vmbra,aut figura, seù imago conspicitur in lacte,licèt sit molle,& in albedine niui consimile, nullius tamen se introspicientis in lacte, lac simulacrū reddit. *Verè in lacte*, docet D. Nyssenus hom. 13. in Canticis: *hoc obseruandū est,solū inter humida,proprietatē hanc habere, quòd in eo,nullius rei simulacrum,vel similitudò conspicitur*: Vt tibi ò anima mea innotesceret Spiritus sanctus, quanta Virgo Purificationis legi se humilians puritate niteret, oculis columbæ,quæ lacte sunt lotæ,oculos illius comparat mentales,vt capias quę dico ad memoriā reuoca Esther Reginę humilitatis actum, vt pro populo suo vitæ decretum impetraret; iam morti addicto, tremens, & pauens, & humilis ingressa est Regis cubiculum, ad cuius pedes quasi exanimata procidens, hic actus humilitatis cor Regis euicit, vt non solum postulata concederet, sed & compellit de regalis soliò surgere,& vsque ad terram se inclinare,vt propria manu eleuaret humilem sponsam, & cum Rege cuncti eius aulici se inclinauerunt.

D.Niss.

Ob memoriam tanti beneficij,solemni ritu hunc diem festum agentes Hebræi celebrabant illum tantum in die lunæ plenæ. Huius planetæ natura est, quòd quando summa gaudet plenitudine,tunc incipit deficere, & minui, ita fateri videtur Ecclesiast.cap.24. *A luna, signum diei festi,luminare quòd minuitur in consumatione*: & dùm est in maiori sua altitudine videtur luna deficiens humilari.

Ecclef.

In die lunæ plenæ, diem festum agebant Hebræi Reginę Esther,nam quando veluti luna plena erat ipsa, ad plenitudinem Regiæ dignitatis eleuata, Regis oculis gratissima, quando erat in sphera suarum deliciarum, diuitiarum, maiestatis,dignitatis, sublimitatis, magnitudinis,tunc in conspectu Regis, vt luna cępit minui,& deficere, humilians se vsque ad terram:Et cū esset formosissima,& pulchra valdè nimis,& scuto huius pulchritudinis absque timore ad Regem ingredi poterat:nihilominus in lacte huius suæ pulchritudinis, & formositatis, & Regiæ dignitatis non introspexit, sed ad radicem humilitatis confugit,vndè se deiecit,& humiliauit, & vi tantæ humilitatis Regem ipsum inclinauit vsque ad terram, & aulicis, & cunctis astantibus virtutis reliquit exemplum.

En nostra mystica Esther,en humilis mater Maria, de qua dicitur in Cantic. *Pulchra vt Luna*: quæ cum esset in plenilunio maternitatis Dei, adeò plena, eleuata,& sublimis, vltraque nulla alia creatura valuit ascendere,quid tunc?nisi vt luna plena in plenilunio, & lacte suæ puritatis minimè introspexit, ex lacte suæ integritatis, suæ virginitatis, suæ pulchritudinis, suæ dignitatis, suæ magnitudinis,suæ maiestatis, suæ sublimitatis, & altitudinis simulachrum nullum inuenit, vt in cōparatione Dei sui,& puritatis diuinæ non intelligeret se purificatione non indigere; & licèt ab illa esset lege emancipata, vt in oculis maiestatis diuinæ purior appareret,

Cant. cap.6.

hoc

hoc munus humilitatis meritò existimauit fore adipiscendum, quòd ei singulari desuper donatum erat priuilegio. O humilitatis exemplar, ô purissima Virgo Maria, tu cœlo admota, tu super latera Aquilonis euecta, Dei tamen pedibus, vt humilis ancillula aduolui elegisti, dùm purificationis mandato te subiecisti.

Non gloriatur Maria in meritis, nec inter laudes obliuiscitur humilitatis, & quantum plus se euacuauit, eò amplius vt palma sursum exercuit, vnde benè concludit D. Chrysolog. sermon. 142. *Quæ vocabatur ab Angelo Domina, ipsa se cognoscit, & confitetur ancillam, quia deuotus animus insulis beneficiorum crescit ad obsequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam prosilit, non ad superbiam pertumescit:* sed vsque ad nihilum se humiliauit, & suæ humilitatis exemplo, & creaturas omnes Dei aulicos, imò Deum ipsum vsque ad terram descendere fecit, dùm oblationis in templo legi se subiecit, & quinque siclis redimi voluit, qui est Redemptor omnium, huic palmæ filio, vt nostra Virginea palma esser omninò persimilis, Purificationis mandato spontè obtemperauit, & parere voluit.

D.Chrys.

O Virginis profunda humilitas, ex cuius radice altitudo Dei sibi maternitatis aduenit. O mira, & rara humilitas, quando matrem Dei se vidit adoratam ab Angelis, honoratam à Regibus, desideratam à Prophetis, prædicatam ab Elisabeth, cognitam à Ioanne ex vtero matris, laudatam à Simeone, benedictam ab Anna, tunc Magis se humiliat, ac si purgatione, quæ erat purior Angelis, indigeret. Purificationis legi tota se summittit, subijcit, & humiliat, cuius humilitatis actu confiteri præmonstrat matrem esse Dei, & hanc dignitatem sic sublimem non meruisse ex virginitate, & puritate, sed tantum ex humilitate, huius radicibus fulcitur, & nititur illa vt sursum se eleuet, & sic sublime se extollat.

Humilitatem, & exinanitionem filij Dei nobis innotescere contèdens Ioannes Euangelista cap 1. descripta primò æterna illius natiuitate, qua nascitur à Patre in forma Dei, inquit: *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre:* ac si diceret, Verbum, quòd erat in forma Dei, adeò exinaniuit se, & humiliauit, vt formam serui acciperet.

Ioan.Eu.

Sed quæ hæc mira connexio exinanitionis, & sublimitatis filij Dei? Erat enim in forma Dei, simul & in forma serui, quando carne se vestiuit humana, & habitu inuentus est vt homo, ille, qui Deus est, & in forma Dei, hæc est illius gloria vnigena cum patre, cuius est vnigenitus, nam Verbum erat apud patrem, & Deus erat Verbum, homo erat, qui videbatur in carne, verum illud, quòd per illum cognoscebatur D. Ioan. appellat gloriam vnigeniti à patre, ac si clarius diceret, ex illa exinanitione, & humiliatione intellexit mundus totus gloriam suæ Diuinitatis, qua apud patrem erat Verbum; & in forma Dei, hominis vilis habitus miro quodam modo mundo patefecit Verbi Dei diuinitatem, & gloriam, sic exponit verba Euangelistæ D. Cyrillus Alexandr. lib. 1. de recta fide ad Reginas: *Illud Verbum*, inquit Sanctus, *quòd inexplicabili modo supra omnem humana mentis captum eluxit ex Deo Patre, in humanam naturam descendens, & in id, quòd non erat se demittens, ex muliere quoque nasci dignatum est, non quod in ea exinanitione vsque perseueraret, sed vt Deum se ostenderet* Ac si diceret, finis, scopus, terminus exinanitionis filij Dei, quando euacuauit se formam serui accipiens, non fuit ipsamet exinanitio, sed vt Deum se manifestaret, fuit ergo illa exinanitionis humilitas medium, quo perueniret ille ad finem; qui fuit suæ gloriæ, suæ diuinitatis manifestatio, ostensio, & cognitio, vt Verbum caro factum agnosceret mundus, Deum exaltatum, & elenatum vsque ad solium paternæ diuinitatis, & maiestatis: humilitas exinanitio fuit medium, ex profunda illius exinanitionis radice orta est Christo Domino, & vt Verbum Patris, suæ diuinitatis manifestatio, & vt homo suæ gloriæ, suę sublimitatis exaltatio. Pulchrè quidem hæc omnia amplexatus est Eucherius Lugdunensis hom. 2. in symbolum. *Humiliauit itaque semetipsum factus obediens vsque ad mortem, vt sublimior appareret Angelis, & hominibus inclinata sublimitas.*

D.Cyril. Alexan.

Eucher. Lugdun.

O inclinata sublimitas, ô subleuata humilitas, vt palmæ filio nostra palma virginea assimilaretur in exaltatione, prius

prius voluit illi assimilari in radice suæ exinanitionis. quando sublimitas dignitatis maternæ purificationis legi se inclinauit obediens, & humilians, vt Angelis, & hominibus purior appareret, & sublimior, & aurum diuinitatis, quo tota erat Virgo deaurata clarius rutilaret, ex argenti lineis nigro humilitatis colore tinctis inficere voluit, dùm quasi immunda purificationis legi se subiecit, & ex vili primi hominis massa, se esse natam profitetur ex lege, cui non erat obnoxia, & tibi simul ò anima mea, humilitatis præberet exemplum, & te excitaret ad spem sperandi in eam, cui non obliuisci in tam sublimi suę dignitatis gloria, & maiestate.

Christi Domini nostri Geneologia descripta ab Euang. Matthæo in calce illius sententię, inuenies Mariā matrē esse Dei illis verbis. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*, si hic fuit Scopus illius & finis, ad quid illa tot Patriarcharum, Prophetarum, Regum, Ducum, & Sacerdotum series tam prolixa? & tam accurata textura.


Matt. Eu. cap. 1.

Nisi quanta Virgo illa benedicta, quæ Dei mater describitur, rutilabat, fulgebat, collucebat, & callebat humilitate, quoniam non Dei tantum genitricem præmonstrat esse Mariam, sed & tantorum patrum filiam ostendit. O mira Dei matris, & rara humilitas, qua illorum patrum, & quorum massa corrupta nascebatur; ipsa videtur non obliuisci, imò recenseri non erubescit in eorum propagines, & familias, quæ in Dei matrem erat assumpta, & eleuata; & habere in filios, quos honorabat, vt patres, ò pietatis mater, ò humilitatis exemplar.

Cur hoc? nisi vt illos protegeret, vt sui vteri partus opitularetur, defenderet, & adiuuaret, vt sui virginei alui fœtus, vt intelligas ex hoc, nulllam esse spem tuæ salutis tutiorem, tuæ protectionis firmiorem, quam quæ reposita reperitur in Maria, quæ de se sic testatur lib. Ecclesiast. cap. 24. *In me omnis spes vitæ, & virtutis.* Eccles.

Sub hoc ramusculo igitur collige te anima mea, ibi sede, ibi quiesce, ibique meditare, sub vmbra illius spera te mūdari, te posse ex tuis sordibus ritè lauari, sub vmbra huius ramusculi intelliges quanti te fecit Deus, qui vt expurgaret te ex fœcibus tuorum criminum, suauissimum amoris ignem incensum balneum ex suo sanguine tibi præparauit, lib. Apocaly. cap. 1. *Dilexit nos Deus, & lauit nos in sanguine suo*; Dilexit, en amoris balneum, & lauit nos, en sanguis ad purificationem paratissimus, lauare igitur anima mea primò, vt mūda possis ascendere ad palmam, & per eam ingredi templum cœlestis Ierusalem, vt sic purgata, & mundata in illa sancta Angelorum societate valeas laudare, & benedicere nomen Virginis, dic ergo. Apocal.

Benedictum sit nomen tuum perdulcissimum in æternum ò humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc & in hora mortis meæ. Amen.



DE PVERI IESV OBLATIONE in Templo.

RAMVSCVLVS QVINQVAGESIMVSPRIMVS.

Tulerunt puerum Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino. Luc. cap. 2.



Diuus Pater Ambrosius diem hunc, in quo puer Iesus à fęlicissimo ortu post quadragesimum diem, in Ierusalem est asportatus à matre, præsentatus in templo, & æterno patri quasi placabilis, & placens hostia oblatus, in vlnis suis exceptus à sene, laudatus, & benedictus à vidua, & à parentibus quinque siclis redimitus, & auibus, ob ineffabilem gaudij magnitudinem, & lætitiæ abyssum, non imparem adiudicauit seu inferiorem diei Natiuitatis eiusdem, audiamus quid dicat ipse in serm. de Purificatione. *Si subtiliter à fidelibus, quæ sit huius diei festiuitas perpendatur, eo deuotionis affectu hanc celebrandam suscipient, qui Dominicæ Natiuitatis, circumcisionis, atque apparitionis solemnia sunt prosequuti, illius est ista solemnitas, cuius est illa, sed nec minor ista, quàm illa.* D. Amb.

Dies lætitiæ vtique, & iubilationis fuit Angelis, & hominibus dies illa natalis Domini, dicente Diuo Leone Papa serm. 1. de Natiuit. Domini. *Neque enim fas est locum esse tristitiæ, vbi natalis est vita, quæ consumpto mortalitatis timore, ingerit nobis de promissa æternitate lætitiam. Nemo ab huius alacritatis participatione secernitur, vna cunctis lætitiæ communis est ratio.* Vndè & vocem illam gratiarum actionis, & laudis exultationis, & gaudij intonuit cœlum, resonuitque terra, & orbis: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, illius est ista solemnitas, cuius & illa, nec minor ista, quàm illa, festiuus ille, festiuus & hic, dies lætitiæ ille, dies lætitiæ, & hic oblationis pueri Iesu in templo. Quando Maria, & Ioseph. Luc. Euang. cap. 2. *Tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eũ Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omnem masculinum adaperiens vuluam, Sanctum Domino vocabitur, & vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* D. Leo Papa. Luc. Eu.

O anima mea, en quam verè hodiernus dies tibi est dies lætitiæ, dum ille qui est antiquus dierum hodie sub forma infantis paruuli fertur in templum, & qui portat omnia verbo virtutis suę, hodie portatur in Ierusalem parentum brachijs, & manibus virgineis, & qui est Deus ante sæcula in sinu patris, hodie ad tui salutem Deo patri offertur à Virgine matre. O verè dies lætitiæ, dum ille qui redemptor est omnium redimitur auibus, & qui prætio inextimabilis est quinq; duntaxat siclorum emitur pondere, & subijcitur legi, qui solus est legislator.

Verè solemnitatis & lætitiæ dies, dũ nouo gaudio primò auditur, & canitur, Dauid Proph. psal. 47. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui:* quæ hæc noua misericordia nobis exhibita? Nisi qui vnigenitus est patris homo pro nobis factus victima, Sacerdos, sacrificium, incensum, & hostia; hostia siquidem illa, qua Virgo purissima incendium diuini furoris sedauit; extinxit, placauit, mitigauit, & placatum reddidit, quãdo vt faceret secundum quod scriptum est in lege Domini, hostiam obtulit placabilem se, vt fructum vteri sui Deo patri consecrans, tunc virtute tantæ oblationis diuinæ misericordiæ nobis fontem aperuit in ablutionem peccatorum nostrorum, natus est tibi Dau. Ps.

Iesus,vt te saluaret, & oblatus est patri, vt te redimeret.

Cur hodie non dies lætitiæ, si amantis, si præoptantis, si suspirantis animæ vota,& desideria,quæ erant videre Deũ carne vestitum, ipsumque in pectore matris contemplari, intueri, frui, deosculari,amplecti,& alloqui,exatlatè videntur adimpleta, quapropter suspirans, & anhelans dicebat: *quis mihi det te fratrem meum;sugentem vbera matris meæ,vt inueniam te foris,& deosculer te.* Cant. Cantic. capit. 8. *Tunc foris inuentus est* Phi.Car. *sponsus*, inquit Philo Carp. *& osculatus est à sponsa, quùm humanitate vestitus,& Ierosolymam deportatus, eam à sempiterna morte redemit*: & per ineffabilem charitatem soluto omni debito sibimet amantissimè reconciliauit, & recõciliata Deo absterguntur lacrymæ ab oculis tuis, molliuntur suspiria, de penetralibus pectoris tui, & plenissimè exatiantur tui cordis vota, dùm legis ò anima mea,dùm audis:*Tulerunt puerum Iesum in Ierusalem.vt sisterent eum* Luc.Eu. cap.2. *Domino*:& dùm ipsum vides Deo Patri oblatum, & pro te consecratum, exulta,& lauda. Sub vmbra huius Ramusculi audiatur vox exultationis, & gratiarum actionis,sede & cum sene Simeone expecta, vt & tu merearis accipere in vlnas tuas,ipsum amplecti,& deosculari, benedicere, & collaudare, imò & cum Virgine veluti hostiam placabilem Deo offerre, & tibi paruis muneribus emere,& redimere, & dum puer Iesus sistitur Domino, siste, & tu sub vmbra huius ramusculi, contemplare cuncta,quæ fiunt,exulta,& lætare, & attende.

Tulerunt puerum Iesum in Ierusalem &c. Hæc pueri tui Iesu, ò anima mea, in templo, æterno Patri à Virgine matre præsentatio, consecratio, oblatio, & redemptio, & quidquid in ea gestum est, omnia lætitiam tibi resonant, iubilum tibi redolent, exultationem gestiunt, hilaritatem sapiunt, & gaudia vndequaque spirant.Cur non dies veræ lætitiæ,si qui pro te offertur,& oblationis legi subijcitur,& cui offertur,Deus est immensæ maiestatis, & illa, quæ offert Dei est mater,& Virgo.

Gaude igitur, & exulta anima mea, quæ Deum habes pro victima & Mariam pro Sacerdote,in hac filij sui oblatione Maria Sacerdotis officio functa mihi videtur,non est Virgini intemeratę deneganda sacerdotalis dignitas,absque tamen charactere,quæ Ecclesiasticas dignitates,& priuilegia cuncta obtinuit,dicente de ea D.Idiota.*In Maria* D.Idiota *omnia priuilegia Sanctorum sunt congesta*:& D.Epiphan. in lib. de laud. Virg. hoc dignitatis priuilegio cohonestauit, D.Epiph. Sacerdotem illam appellans. *Sacerdotem pariter, & altare*, inquit ipse, *quæ quidem mensam ferens dedit nobis cælestem panem Christum in remissionem peccatorum*:& Verbum Patris, quòd vt Sacerdos Maria consecrauit, quando carne vestiuit verbis illis: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc.Eu. cap.1. Nunc in oblatione hac, quando ingressa templum, eleuatis Virgineis manibus constituta ante altare Domini,exhibe te præsentem si vis sentire mysterij dulcedinem,vi dulcedinis,& amoris, vi & ineffabilis deuotionis, & pietatis, mentalibus,& externis oculis toto corde rapta in Deum filium tenens inter brachia,audi dicentem,ausculta, & obserua offerentem.

En Pater omnipotens, & æternæ mi Deus,en qui pro reconciliatione hominum,agnum postulabas:*ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; tibi offero filium à te ante sæcula genitum, & à me,tua sic operante virtute, & gratia, hac mortalitatis alba vestitus tuus erat in æternitate,meus factus est in temporis plenitudine,& volubilitate, vt a te genitus,tibi in maiestate,gloria, & omnipotentia consimilis, & coęqualis, vt est à me,debilis,mortalis, & passibilis, illum tibi offero, qui tibi semper est pręsens,non in figura vt olim, sed verè, & realitèr. Suscipe igitur Sanctæ Pater de manibus meis sacrificium laudis, & misericordiæ, & esto placabilis super populum tuum. Non potuit Deus Pater hostiam hanc non habere gratissimam,& acceptabilem, tùm ex parte rei oblatæ, tùm etiam offerentis, & odore, & virtute huius sacrificij, & reuerentia offerentis, tuas non lauare sordes, & tua non dimittere peccata,& tua non sanare vulnera.

Ab effectu præmonstrauit Virgo, quàm Deo gratissima fuit hęc salutaris oblatio, dùm se balsamum complacuit nominare: Balsami spirauit odorem, quando expansis vlnis Deum gestabat Ecclef. templum ingrediens: *Sicut Cinnamo-* cap.24. *mum,*

num,& Balsamum aromatizans odorem dedi: Cur Balsamo comparatur Virgo?

Balsami virtus est vulnera curare, partes ferro diuisas connectere, stigmata nulla relinquere, salutem perfectam
Rabban. conferre, & vt restatur Rabbanus, &
Iansen. Iansenius, ex originali vertit D.Hiero-
D.Hier. nymus: *Aspaltum*: quæ herba Aromatica, quasi miraculosè vulnera sanat, &
Plinius. vt testis est Plinius lib.12.cap.24. herba hęc Aspaltus nunquam, nec alibi nascitur, nisi sub cœlo appareat Iris, seù cęlestis arcus coloribus varijs tinctus.
Glosa Et in Glosa habetur: *tradunt in quocunque frutice curuetur arcus cœlestis, qui positus est in signum fœderis,& pacis*.

Quæ anima post Adami lapsum non est vlceribus plena? vndè dicebat Eccle-
Eccles. siastes cap.21. *Quasi Romphæa bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non est sanitas*. Duos enim vulnerat quodlibet peccatum, Deum nempè & animam peccantis, & quòd vulnus peius quam gratiæ amissio,& separatio à Deo, quòd vtique non sanatur nisi balsamo Marię, cuius odore conciliantur partes, vniuntur diuisæ, pacificantur discordes.

In quolibet frutice huius Virginalis balsami curuatur arcus cœlestis. Aquis diluuij inter se, Deus, & terram posuit
Genes. Iridem, sic habes in Genes.cap.9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me,& inter terram, cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit Arcus meus in nubibus,& recordabor fœderis mei vobiscum*. Qui arcus iste,& Iris? nisi Virgo Maria, quæ sola initi fęderis, pacisque inter Deum,& homines signũ est, Iris ista signum fœderis est, & non amplius futuri diluuij indicium: ò quã sæpè Deus sæuiret in homines, & iustitiæ suæ aquis eos absorberet, & æternis aquis sepeliret.

At vbi in templo sancto suo hodie apparet Virgo, cuius brachia veluti rectus arcus,& extensus, dum expansis manibus Deum gestabat,& obtulit Deo patri, qui spectans Virginem hostiam illam tam suauissimi odoris offerentem iram temperauit, et humano generi pepercit, sibique reconciliauit, et sociali fœdere copulauit. O quoties Deus iustè sæuiret in homines, et iustitiæ suæ aquis absorberet, nisi inter Deum, et homines Virginis arcus appareret.

En dum Virginem puerum Iesum in templo offerentem, et Deo Patri contemplaris consecrantem, recordatur Deus fœderis sempiterni, et flectitur ad misericordiam, vndè canit Ecclesia *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, dum aspectu Virginis recordatur Deus misericordiæ suæ quã nobis promiserat, vbi ò anima mea malorum diluuium ingruerit, et ira Dei exardescit contra nos, hunc diuinis oculis virgineum arcum objciamus, quæramus vt arcum respiciat non in nubibus, sed in templo hodie apparentem, et ab imminentibus diluuij aquis mattis merito, et huius oblationis virtute exuat, defendat, et protegat. Venerabilis Bernardinus de busto Virginis pius Bernard. cultor sic complectitur omnia, et nos docet. *Ipsa profecto Beata Virgo est Arcus fœderis sempiterni positus in nubibus Cœli, ne interficiatur omnis caro, nam ipsa illum nobis genuit, qui fecit vtraque vnum, quando Verbum in altare sui vteri carne vestitum, vt Sacerdos consecrauit,& nunc in templo Deo Patri obtulit*, vt sacerdos tunc placabili hostia Deum placauit,& placabilem nobis reddidit.

Non absque mysterio hæc duo ascripsit D.Bernardus huic hostiæ pueri Ie- D. Bern.
su, quòd sit hostia placabilis,& Deo placens. Hostiæ enim veteris testamenti hostiæ erant,& Deo oblatæ placuerunt, sed non erant hostiæ placabiles, hæc sola, quæ offertur à Maria nomen meretur placabilis, cur hoc? nisi quia Christus solus fuit Deus, & homo, vt homo secundum humanitatem,& propter eximiam eius sanctitatem erat hostia placens,& placans secundum verò diuinitatem erat placabilis, in vnitate personę erat Christus Deus,& homo, ideò hostia dicitur placabilis vt Deus placatur, vt homo hostia erat, qua placatur, non dixit Sanctus, quòd erat hostia sancta munda, immaculata, Deo gratißima,& pacifica, sed tantum placabilis, & Deo placens. Vt intelligas quantum excellentior, quantum efficacior,& quantum cæteris omnibus veteris testamenti hæc vna sola pręstat hostijs sacrificijs,& quã plura tibi ò anima mea præstitit, vt tibi huius hostiæ præstantia clarius innotescat attende. Ab Oriente venerunt Ierosolymam illi tres orientales viri, vt adorarent eum,& munera offerrent, aduentum Magorum,& ingressum eorum in specu, in qua peperit Virgo describens

bens Euangel. Matth. cap. 2. aliud nomẽ non tribuit illi, qui natus est Rex Iudæorum nisi tantum pueri, de stella duce sic legimus. *Ecce stella quam viderant in oriente antecedebat eos vsque dum veniens staret supra vbi erat puer*, idem obseruauit quando intrantes domum inuenerunt puerũ cũ Maria matre eius.

Luc. 2. Lucas verò Euangelista cap. 2. describens oblationem eius in templum, silentio tacet nomen pueri, & appellat illum Iesum, *Tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino*, ly illum refertur ad nomen Iesu, & vocatum est nomen eius Iesus, & infra. *Cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo*: Puerum vocat non absolutè, sed addidit, & Iesum. Nomen Iesu, nomen Saluatoris est, maiestatis, & omnipotentiæ. Audi

Origen. Origenem hom. 14. in Lucam. *Vocabulum Iesu gloriosum omni adoratu, cultuque dignum, non debuit à parentibus, aut alio nomine appellari, neque ab eis afferri in mundum, sed ab excellentiori quadam, maiorique natura, pueri vero nomen, vocabulum est innocentiæ; puritatis, debilitatis, & infirmitatis.*

Cur igitur, quando adoratur à Magis, & procidentes ad illius pedes, sceptra, & coronas summittunt, Euangelistæ nomen pueri, & infirmitatis Christo ascribunt, & nomen maiestatis, potentiæ, & diuinitatis, quando à matre offertur in templo si alitèr requirebat ratio? Nam vt esset hostia placabilis, & Deo placens illum puritatis, puerilis innocentiæ decebat nomenclatura, vt verò Regibus timorem, & reuerentiæ cultum incuteret, nomen deitatis, & maiestatis satis erat, quid est hoc? quòd ad appositum impulit mentem Euangelistarum? Vtique non ignorantiæ factum, nec neligentiæ casus, sed mysterij altitudo compellit, & coegit.

Vt capias, quæ dico, velim scias, quòd quando Verbum Patris se in vtero matris carne vestiuit, ita magnus erat in forma Dei, ita breuis in forma serui, vt nec ista breuitate, magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine breuitas ista præmeretur, vndè huius pueri dignitas, & maiestatis magnitudo, tanta erat, quòd eius pueritia, seù dierum paruitas, & paucitas superat, & excedit maiestatem cuiuscunque, et hæc sola satis est, vt mundus totus ad eius pedes procidat, procumbat, succumbat, inclinet, humiliet, et adoret, et sua sceptra, et coronas ipsi Reges ad eius conspectum mittant ante scabellum pedum eius.

Quando verò Deo sistitur, et offertur, meritò omnipotentiæ, et diuinitatis nomen tribuitur, quia æqualis erat Deo, cui offerebatur, quòd autem erat minimum in Christo, erat tantum nostræ humanitatis substantia, minimum quidem erat in se, vt verò Deo oblata, et Deo vnita, erat ita maximum, quòd excedebat omne, quòd creatum est, vndè dicebat Diuus Gregorius D. Naz. Nanzianz. orat. 6. *Nihil adeò paruum si Deo fuerit oblatum, licèt sit minimum, licèt paruo prætio dignum, cui penitus aditus denegatur; aut quòd non suscipiat misericors ille, qui cuncta iustam nouit expendere stateram.*

Num? quid minimum Christi caro? Humanitas? Pueritia? qua Deus placatur, Deo oblata, pro omnibus satisfecit cunctorum debita soluuntur, et effecta est hostia placabilis, et Deo placens, quid miraris, si mysterium capis, quòd Iesus nominetur in oblatione, et puer in aduentu, et adoratione Magorum, si id quòd videtur in Christo minimum cũcta vincit, cuncta superat, et excellit.

Et quòd est mirabile, cum sit ipse maximus, et omnium supremus à minimus nostris oblationibus vincitur, Hoc tibi mysteriũ aperit Sanctus Euangelista, dùm ait, quòd præsentatus puerulus Iesus aris diuinis; à debito legali primogenitorum redimitur turturum pari, aut duobus pullis columbarum, *Oblatio ista*; inquit D. Bernard. ser. 3. de D. Bern. Purificatione: *fratres satis delicata videtur, vbi Iesus tantum Domino sistitur, redimitur auibus & illicò reportatur*: vt nõ remaneret in templo, sed redderetur matri, auium prętio redimitur. O quàm fęlix es mater Maria, quæ pretio tàm paruo tibi, et nobis redimis filium Iesum, diuinitatis thesaurum.

Quid est auibus redimi? et tàm vili pretio redimi filius Dei? Nisi vt intelligas, quòd quodlibet obsequium Deo oblatum, Deus præ oculis habet, et te ingentem Dei misericordiam comparare, et Dei benignitatem expugnare, et te ab innumeris eximi malis: capillum capitis da Deo, et vicisti; non me, sed ipsum audientem: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor* Can. c. 4.

meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. En crinis vnus pro validissimo telo æstimatur, cum sese deuictum fatetur Deus crinibus sponsæ.

Quo vulnere gloriatur percussus Deus, quasi à forti, & inespugabili gladio, hinc vtiq; ortum habuit illud Matthæi: *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt*: Iustorum crines in numero tenet Deus, & numeratos habet, & apud se seruat, cur hoc? D. Augustinus aperit Sacramentum serm. 6. de Verbis Domini: *Videte quia minima non contemnit Deus; nam si contemneret, non crearet, nam & capillos nostros ipse vtique creauit, & numeratos habet.*

Matt. Eu. cap. 10.

D. Aug.

Per capillos minima quæque seruitia nostra intelligit Sanctus Doctor, & Deo exhibita, & Deo oblata non contemnit, non vilescit, sed ab eis vinci se permittit, & percuti, & minimis his donis potes habere totum diuinitatis thesaurum, munusculum offer, & Deum debitorem habebis, & vili munere Dei valebis demulgire iram, & tibi reddere placatum, & à multis calamitatibus immunem, & liberum.

Num vocem illam diuitis non obseruasti? lacrymabilem cum esset ipse in tormentis, & consolationem expostulans, rogabat: *Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam*: O miser quid dicis? quod petis, non attendis? Digiti pars extrema aquæ intincta, valebit ne tale incendium extinguere? & te refrigerare? Gehennæ incendium, & ignis, cuius flammis cruciaris, talis est naturæ, & virtutis, vt possit aquæ guttula extingui.

Luc. Eu. cap. 16.

O anima mea scito damnatorum mala, talia esse, vt paruis rebus, paruis munusculis, paruula aquæ gutta, paruula mica panis in tempore pro Dei amore, vel obsequio exhibita, quòd depelli possunt, & vinci, ita docet Diuus Chrysostomus serm. 5. *Ista gutta est, Diues, quæ te fecit crudelem, ista gutta, quæ os Lazari, à te negata siccauit, quia ad refrigerium pauperis, & gutta sufficit, & mica.* Dùm diues viuebat, & epulebatur quotidiè splendidè, de micis poterat placare Deum, placare Deo, clementiam diuinam flectere, demulgire, & vincere, misericordiam obtinere, gehennam euadere, ignem extinguere, tormenta superare, & rifrigerium sentire, Deum sibi obligatum, debitorem, & placatum habere, qui minima quæque nostra non contemnit, sed in corde seruat, gratissima habet, & remunerat.

S. Chrys.

En exemplar, dùm in templo Ierosolymitano offertur, & Deo Patri sistitur puer Iesus, auibus redimitur, quinque siclis emitur à matre, quid est auibus redimi? & puer iste, qui tàm vili pretio venditur, emitur, & redimitur, quis est, nisi ille, qui Deus est, & de quo loquitur Proph. Isaias cap. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Heù Propheta Sanctæ, cur dicis datus, quando nec matris, quæ peperit eum datus est, sed venditus, & emptus turturum, vel columbarum, & siclorum pretio? Par turturũ, aut duos pullulos columbarum exhibuit Maria in pretium, vt filium acciperet, siclos soluit, vt redimeret infantem, quid est hoc, quòd dicis dari, & non vendi, si venditur, & non datur? nisi ex hoc, quia natus est nobis, ex quo hic Deus natus est paruulus in pueriles inclinatur affectus.

Is. proph.

Puer sic captis aulculis delectatur, vt pro habendo passere, vno turture facilè se suaque vendat, sicque dato vno passere possumus illum emere, & nobis comparare. O Deus cordis mei, ò bonitas infinita, qui Deus eras factus es puer, vt te facilè possim habere. Vis anima mea tibi Iesum emere, exhibe passerem, da quid paruum, & habebis illum, ad hoc tibi natus est paruulus, vt illum paruis, & tàm minimis possis capere, & habere, & tàm parum est, quòd exhibes, quòd potius tibi videtur gratis datus, quàm pretio emptus, quòd hic sit sensus Prophetæ, audi D. Bernardum serm. 1. de Epiphania: *Denique paruulus est, leniter placari potest, quis enim nesciat, quàm puer facilè donat, ecce possumus reconciliari pro minimo, pauperes sumus parum dare possumus attamen reconciliari possumus pro paruo illo, si volumus: Paruulus enim natus est nobis & filius datus est nobis. Ecce si non fuerit pro minimo, possumus recõciliari pro minimo; pro minimo inquã. nõ tamẽ sine pęnitẽtia, sed minimũ quiddam sit nostra ipsa pœnitentia, totum quòd dare possumus, miserum corpus istud est, illud si desidero satis est, si quominus, addo, & corpus ipsius, nã illud de meo est, et meũ est paruus enim natus est nobis. & filius datus est mihi, de te Domine suppleo, quòd minus habeo in me, ò dulcissima reconciliatio, ò satisfactio suauissima, ò verè reconciliatio facilis,*

D. Bern.

lis, sed perutilis satisfactio parua, sed non parui pendenda. Quid miraris, quid expectas anima mea, Deus infans, & paruulus factus est, vt paruis capiatur, & tam paruis, vt meritò dicatur gratis dari, habes Deum infantem, ô te fælicē, o te beatam, si potes illum habere pro paruis, da ficlos, da obulum, da pascere, da par turturum, vel duos pullos columbarum, & paruulum Deum, Iesum infantem diuinæ sapientiæ thesaurum habebis, imitare Mariam, cui nō datur, nec illū accipit, nisi ficlos quinq; soluat, & par turturū offerat, fælix dies hæc, & verè dies lętitię, qua Deus infās in tēplū dicitur, patri sistitur, redimitur auibus, & reportatur à parentibus, hæc est hostia sola placabilis, & Deo placens, quæ pro te virgineis manibus offertur, & redimitur. Cur tibi non dies lætitiæ, dies hęc oblationis pueri Iesu? Si vt hostia placabilis non offertur nisi super altare placationis, salutis, & vitæ; & quòd hoc altare sit Maria? Contemplare primò puerum Iesum inter brachia matris, & super eiusdem pectus delatum in templum, & oblatum patri, & audi D. Riccardum à S. Laurentio lib. 2. de laudib. Virginis sic dicentem: *Maria dicitur altare placationis Domini, qui placatur erga peccatores, quum super hoc altare offerunt dona, & sacrificia sua*: de quo altari ipse dicit per Isaiam cap. 60. *offerentur super placabili altari meo, placabile altare Maria, in quo hodie offertur Deo holocaustum, & sacrificium non cruentum, sed salutis, & vitæ*. D. Ricc. Isaia. Pr.

D. Bernard. serm. 2. de adul. *O verè lignum vitæ, quòd solum fuit dignum portare fructum salutis*, & Idiota in lib. de contemplat. Virginis cap. 5. *Est Maria spiraculum hominis, peccator per Mariā respirat in spe veniæ, & gratiæ*: hinc dixit D. Epiphanius; *Beata mater Dei Maria, per Euā significabatur, quæ per ænigma accepit vt mater viuentium vocaretur*. D. Bern. Idiota.

Iucundare, & lætare anima mea, dum hodie puerum Iesum vides adductum in templum, & oblatum Deo patri in hostiam suauitatis super altare placabili Virginis; & dum in membris illis infantilibus nihil cernis cruoris, & sanguinis, sed auibus redemptum, & matri redditum incolumen, saluandi, viuendi, & gaudendi ex hoc concipe spem, hæc Simeonis lætitia, exultatio, qui cum in vlnas suas de manu Virginis accepisset puerum Iesum lætus exclamauit, *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace*: Luc. Euang. c. 2. Et qui nullis tenebatur vinculis solui petit, si laqueus senem tam bonum, & iustum nullus vinciebat: Cur? & à quo vinculo solui expostulat? D. Cyrillus Alexandrinus orat. de Purificatione contemplatur vocem hanc, non tam fuisse Simeonis senis, quam primi nostri Plasmatis iam defuncti, qui vt sensit puerulum Iesum in templo offerri hostiam non sanguinis, sed salutis, & vitæ, cæpit cogitare de mortis vinculis, quibus erat irretitus rumpendis, soluendis, & de vita recuperanda, sic inquit ipse: *Exultet Adamus Christum per Simeonē huiusmodi oratione alloquens: Nunc dimittis seruum tuum, nunc me ab æternis vinculis absoluis, nunc à corruptione, & interitu me eripis, nunc à morte me liberas, nunc ab omni mærore me expedis, ecce Simeon vlnis complectitur Deum, & Dominum meum in templo*. Luc. Eu. D. Cyril.

Celebritas hæc, & huius hostiæ oblatio, & oblationis festiuitas, in qua puer Iesus patri sistitur hostia non mactanda, sed redimenda vitæ, & salutis celebritas est: Si mortui de vita cogitant, & ad vitam respirare incipiunt, quis mortem timebit? & ad interitum quis pauebit? si hostia est incruenta, hostia est placabilis, & super altare placabile oblata ad vitam & ad salutem, & non ad mortem offertur à matre hostia, non sanguinis, sed salutis, si hostia non mactanda offertur, sed viua, & redempta; quis non intelligit hostiam hanc habere salutem, & influere vitam, si hostia viuens est, & oblata super altare vitæ, & salutis.

Hæc hostia, antequam fætentem, & defunctum Lazarum vocaret ad vitam, obseruasti, quod cum illi occurrisset Martha, cum qua de morte fratris diu sermonem traxisset, & de vita fratris si ipsa crederet, quid factum sit. Sanctus Euang. Ioannes c. 11. exposuit, quòd Lazarum non reuocauit ad vitam, licet Martha testata fuisset se hoc credere, nisi vocaretur Maria. *Cum hæc dixisset abijt, & vocauit Mariam sororem suam silentio dicens, Magister adest, & vocat te*. Ad quid vocatur Maria? si Dei volunctas erat amicum ad vitam reuocare, si fides Marthæ præstò erat, vt amico iam Ioan. 11.

iam defuncto vitam tribueret Deus, & salutem præstaret, voluit vt adesset Maria, vt scias anima mea, quod Virgo sola est altare salutis, placationis, & vitæ. Si vmbra id potuit, quid præsentia Virginis? quidquid est in Maria vitam spirat, & salutem halat, meritò bonus senex quando vidit puerum Iesum super hoc altare placationis exultans, & lætus respirando ad vitam exclamauit. *Nunc dimittis seruum tuum in pace*, & tu anima mea cum Diuo Chrysippo Presbytero in serm. de laud. Virg. exclama: *Aue solis ortus, qui nullum ferre potest occasum, Aue armarium vitæ, vt per te respirem ad vitam, ò spes vitæ, & veritatis, ò spes salutis, & lætitiæ.*

S.Chrys. Presb.

Nostræ singulari lætitiæ meritò consecratur dies ista, in qua puerulus Iesus veluti placabilis hostia sistitur patri, & illi offertur virgineis manibus; Eia anima mea lætare in Domino, iucundare in Virgine, dum Mariæ manibus committitur tua salus, manus Virginis diuites sunt, fertiles sunt, fœcundæ sunt, tornatiles sunt, & ad benefaciendum promptisimæ, & in subueniendo festinæ, & celeres sunt, vt de illis dici potest, quòd in Exodo legitur cap. 33. *Protegam te dextera mea*, & Pagninus legit: *Operiam te nube mea*; Meritò nobi assimilatur manus Mariæ, nubes enim æstum refrigerat, & temperat, & aridã terræ faciem inebriat, & fœcundat, quid virgineis manibus ad nostram salutem, fœcundius, & vberius? Cœlestis panis erat Dei patris verbum, quo in mensa illa spiritus illi cœlestes tantum vescebantur, & exatiebantur, ita testatur D. Augustinus in Conc. 1. psal. 33. *In principio erat Verbum: Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant superna virtutes, manducant, & saginantur, quis autem homo posset ad illum peruenire? & de mensa illa suprema, nec vna quidem speranda erat mica panis huius, quam posset homo manducare; & degustare.* O Dei amor, ò vehementia charitatis Dei, factus est homo Deus, quando ætheri granum frumenti cecidit in vterum Virginis, & ibi creuit in manipulum, imo in segetem multiplicatum est.

Exod. Pagnin.

D.Aug.

Ager fuit Mariæ aluus, in quo Spiritus Sanctus granum frumenti seminauit, audi D. Epiphanium: *Maria est ager minimè cultus, qui Verbum velut granum frumenti suscipiens in manipulum germinauit.* Simplex granum erat in pectore patris, & cadens in terram illam virgineam, creuit in manipulum, imò & in segetem, ità vt quòd erat Angelorum cibus factũ est in pabulũ vniuerso generi humano; vt panem Angelorum manducaret homo, hodie Dominus Angelorum factus est homo, qui quando aduenit in vterum Virginis grani mensuram non excedit, sed in vtero creuit, vt intelligas quam multiplicatus sit panis Angelorum in manibus virgineis, & qui solis spiritibus cœlestibus pascendo satis erat, nunc per manus Mariæ creuit in segetem, vt satis sit etiam omnium mortalium famæ, & indigentiæ.

S.Epiph.

Quinque tantum panibus satiauit in solitudine Dominus Iesus multitudinẽ illam, penè innumerabilem, vt habemus in Ioanne cap. 6. Panes enim illi quinque vndè augeri potuerunt, & tot incrementa accipere, vt satiari potuissent tot millia hominum, alia ratio ab Euangelista non datur, nisi quia Dominus accæpit illos in manibus suis. Manus Domini Iesu præbere potuerunt panibus tot incrementa, & ita multiplicati sunt, vt quinque millia hominum præter puerorum, & fœminarum multitudinem satiarent, & ad satietatem cibum ministrarent, fœcundæ erant manus Domini, & panibus fœcunditatem præstiterunt. Ita probat hoc D. Athanasius orat. de Incarnatione: *Cum tamen paucis numero panibus, tanta vis populi alitur, & ex inopia copia germinat, quis aliud credet, quam auctorem earum rerũ Dominũ esse procuratorem mũdi, ideo Christi cura erat sustentare, & cunctis subuenire necessitatibus.* Hoc munus matri Christus nõ denegauit, dum mundi totius Deus eam elegerit in protectricẽ, sua fœcunditate Virgo fecit, vt quòd erat granum Angelis, hominibus esset in segetem, vt omnes sustentarent, omnes satiaret, aleret, & pasceret, vt mundus per Virginem viuat, qui per Virginem productus est in lucem, vt perpulchtè docet doctissimus Galatinus lib. 7. cap. 2. *Quoniam mundus non solum Virginis amore conditus est, sed etiam sustentatur*; mundus enim ipse ob prauas nostras actiones nullo pacto consistere posset, nisi ipsa gloriosa Virgo cum sua misericordia, & clementia pro nobis oran-

Ioan.Eu.

D. Athā.

Galatin.

orando sustineret;ergo quidquid habet mundus à Virgine accipit. Ne famæ igitur pereas anima mea, ad Virginem curre,cibo indiges,confuge ad Mariam ipsa est mundi procuratrix, ipsi cura est

D.Idiot. de te, accipe à Diuo Idiota hoc in suo prologo de laud. Virg. sic habet: *O homo quicunque es, probationem vitæ ingressus sine qua saluari non potes, accede igitur per deuotam mentis contemplationem ad gloriosissimam Virginem Mariam matrē eius, quia per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa, & ab ipsa habet mundus, & habiturus est omne bonum.*

Quid est omne bonum nisi Christum qui panis erat Angelorum per Virginem iactus panis hominum, quòd ante sæcula erat granum Angelorum rauū, esca factus est cibus totius mundi. Nū non obseruasti quòd expressit senex Simeon quando erat Verbum, & simplex granum, soli Israeli existimabat seruatum, ideò dicit de eo Euangelista Luc.

Luc. 2. cap. 2. quòd expectabat consolationem Israel, at quando vidit gestatum manibus Virginis, & in templo oblatum exclamauit quasi augmentum accepisset de manibus Mariæ, & toti mundo sufficeret. *Quòd parasti ante faciem omnium populorum.* Verè manus tornatiles & fæcundæ, antequam in manibus Virginis vidisset cibum Israeli soli seruatum existimauit, dum in manibus Virginis gestatum, & de Mariæ manibus accepisset in vlnas suas, toti mundo donatum, & diffusum cognouit. In catena sic fa-

Auct. gr. tur Auctor Græcus. *Antequam dignus videretur Beata visionis præstolabatur solatium Israel*, vt autem quòd spectabat obtinuit, exclamat se vidisse salutem omnium populorum. Quid est hoc anima mea, nisi causa lætandi, & gaudendi, exulta & lætare, dum Virginis manibus puerum vides patri sisti, & offerri in templo.

O humilis Virgo mater laudet te anima mea, benedicat te cor meum, magnificent cordis tui magnificentiam, & erga me liberalitatem omnia interiora mea, quid est hæc pueri tui in templo oblatio? & quadraginta vix elapsis diebus eiusdem patri suo exhibitio? patri exhibendum portasti, & hominibus donandum obtulistis nonne tui vteri partus est puer iste? nonne ex tua substantia genitus, cur non vt tuum, sed vt mūdi pretium, quo & redimi posset, mundus ipse patri consecrasti? ô Maria, ô spes vnica animæ meæ vt mihi donaretur, vt meum faceres, vt ad mei salutem sisteres, tuo materno iuri sponte cedisti.

Puerum gestantem in vlnis Virginē hanc contemplans D. Epiphanius in laudem eius exultans exclamauit. *Dicam illam esse cœlum thronum simul, & crucem, extendens enim sanctas vlnas Dominum portauit, quando Maria tulit puerum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, tunc æmulata est crucem*, & vocat eā Crucis æmulatricem, cur Crucis titulo decorat Virginem hic sanctus, dicam, quæ sentio. D.Epiph.

Euam quæ facta fuit mater cunctorū viuentium, sub ligno scientiæ boni, & mali fuisse corruptam non est qui ignorat, dicente Spiritu sancto Cant. cap. 8. *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Inter lignum hoc, & Crucem non minimam agnoscunt anthitesim Sancti Doctores, at sub Cruce Virgo, quæ effecta erat mater gratiæ, apparuit Crucis æmulatrix sub ligno illo in Eua corrupta remansit humana natura, & quid mirum si sub arbore illa Eua alienos, & vetitos fructus furtiuè decerpsit, & dum sibi, & viro soli sapientiam, & diuinitatem subripere contendit, totum infecit, & fame enecauit genus humanum, quòd statim computruit, aruit, & defecit. Cant.

Maria non Euæ lignum, sed Christi Crucem æmulata est. Crux illa benedicta vbi expansis brachijs Dominum recepit, non sibi vt auara retinuit, sed statim illum patri reddidit hostiam salutarem, & acceptabilem, & vniuerso mundo pretium Deo obtulit, quo redimi posset, reseruauit, & exoluit, vt Virgo se Cruci, vt palma palmæ assimilaret, & Cruci esset Cruciformis, post quadraginta dies à partu iuri materno cedens fructum illum diuinum patri obtulit, non sibi reseruauit, sed nobis liberaliter donauit. Configurata Cruci expansis manibus intulit in templum, & Deo obtulit, & turturum pretio emit, nobis ad salutem coemit, & tanto pretio mercata est, sicis nobis redemit, nobis donauit. D. Chrysostomus super verba, *Ecce concipies, & paries*, sic fatur. *Non dixit tibi, non dixit tuum quare? quia sanctum vocabitur filius Dei, Virgo te gratia* D.Chrys.

grę-

præstitit matrem, non natura genitricem te dici pietas voluit. Maria non est æmulata naturam vt Eua, quæ sibi soli, & viro suo surripere voluit fructum diuinū sed gratiam, gratia effecta est mater, non natura, non ligni scientiæ æmulatrix, sed Crucis, quæ fructum diuinum non sibi reseruauit, sed ad humanam naturam Deo obtulit, & sacrauit.

O Virgo, ò mater quid tibi retribuā pro oblatione hac? pullos columbarum anima mea non habet, columbæ simplicitatem non habet, nec vt columba operum fœcunditatem, non par turturum desunt illi compunctionis lacrymæ, gemitus, & pœnitentiæ cantus, non agnū quia pauper, & miserabilis est, si oblata affectu placent, animo commendantur dona, num vacua apparebit ante faciem tuam? rogo te pia mater, vt non attendas cor offerentis, quia fermentatum est, sed donum, sed oblationis munus, quòd tibi reddens offero. Tu humilitatis speculum, ea humilitate filium tuum Deo patri obtulisti, quam à Deo accepisti, Dei filius erat & tuus, quia genuisti, quem in oblatione cedens tu iuri tuo materno mihi dedisti, mihi donasti, & meum fecisti, eadem humilitate cordis affectu tibi ò Maria redono reddo, & ad cui nominis gloriam offero.

Omnia mea tua sunt, quia à te accepi, & à te ea cognosco vt tua ò pietatis, & dilectionis mater tibi reddo. Si tuum est ò Maria, quòd tibi offero, et non meum, non manus offerentis velim attendas, sed soluentis animum, cui si deest columbæ simplicitas, et turturis flebiles cantus, tu tua benignitate perfice munus, ò Maria omnia mea tibi sacro, me totum tibi offero, sit tuæ dilectionis humilitatis, et puritatis opus quòd mihi deest sub vmbra huius ramusculi nube tua, et dextera tua salua me, protege me, da, et ascendere ad palmam vt vmbra protegar, et fructus dulcedine pascar huius ramusculi, vt et cor meum, mens mea, et anima mea, os meum, lingua mea, et omnia interiora mea laudent te, et benedicant nomen sanctum tuum, quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te præcor ò Maria monstra te esse matrem, et miserere mei, quoniam in te sola sperat et confidit anima mea: sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.




DE

DE FVGA PVERI IESV in Aegyptum.

RAMVSCVLVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS.

Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi, futurum est enim, vt Herodes.

Matt. cap. 2.



N iam incipit amor triumpharc de Deo, à die enim natiuitatis suæ duobus adhuc mẽsibus nondum plenè completis, quæri facit ad necem, certaminibus exponit, in lõginqua cogitur fugere, & infans inuolutus fascijs, & à patria, & à paterna domo astringitur peregrinari, sic locutus est Iosepho cœlestis nuncius. [Mat. Eu.] *Surge, & aeeipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Hic tu anima mea siste gradum, quia cum puero Iesu tibi grandis restat via.

Sub hoc ramusculo deuotè contemplare, quæ enim cunabula excipiunt puerum penè iam natum? en quibus ligatur fascijs? inuoluitur pannis? reclinatur cuna? blanditur inescationibus & allectamentis? nutritur lacte? alitur pabulo? amplectitur brachijs? fouetur delicijs? nisi loci angustia, stabuli molestia, fœni duritia, nuda paupertas; durus itineris labor, peregrinatio longinqua, temporis asperitas, Regis persecutio, crudelis Aegyptus. Quorsum fuga hæc tua, ò mi fugitiue Iesu? quò fugis? & à quo? & ad quem confugis? & ad quid durum hoc exilium? & à natiua patria depulsio? ò Deus cordis mei, ò pars mea in æternum, nisi vt Herodis te quęrentis ad necem declinares iram, præcaueres rabiem, & euaderes manus Aegyptum tibi elegisti in refugium, & vitæ tuæ effugium, qui cęleste, & inuiolabile fugitiuorum ad te confugientium es asylum, quę mens non stupeat, & quę non miretur anima? *Quando*, vt inquit D. Pettus Chrysolog. serm. 150. [D. Petr. Chrys.] *persequente homine Deus fugit, sæuiente terra, cælum trepidat, & volitante puluere, pauore turbantur Angeli, & pauor Patris, filio fugiente monstratur*, sic enim ipse mandauit. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Saul persequente Dauidem hic ad Iudæam confugit, vicina petijt, ibique se reclusit. Domus vnius viduæ Eliæ sufficit ad latebras, Christo fugiente locus deest, prouincia deficit, non subuenit patria, dum migrat, non vicinæ gentes, non finitimæ sufficiunt regiones, sed Aegypti tristem locum, extorrem habitu, lingua, moribus, barbarum procurat exilium, sic enim erat patris edictum. [Mat. Eu.] *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.*

Fuga hæc non timoris, sed & sapientiæ, & potentiæ, & Diuini amoris fuga fuit hominem num timeret, qui Deus erat? poterat puer Iesus absque fuga, Hærodis manus effugere, vel vt Deus inuisibilem Regis lictoribus se reddendo, vel vt Dominus generalem concursum superando, vel persecutoris sui crudelitatem suauitèr leniendo, vel nimis terrendo, vel flagellis percutiendo, & qui nefando furore excęcatus, Deum contemnebat, iustitiam abiecerat, misericordiam spernebat, pietatem reliquerat, puerum iniustè persequebatur, cum posset Deus iuxta facinorum suorum merita per Angelos suos, antequam ille innocenti mortem inferret, necem infer

re

re tyranno tam crudeli,& improbo,nō percussit,sed arripuit fugam, cur hoc? audi D.Fulgentium serm.de Epiphania. *Manifestum est amore nostri,non Herodis timore,quem solo nutu cohibere potuisse fugam arripuisse,sed potius instar hominis, & strenui ducis singulari stratagemmate inimicum, fugiendo deluisse*. Hoc idem asserit D. Chrysolog.sermon.151. *Quòd fugit Christus,fuit mysterij,non timoris,fuit liberatio, non periculum Creatoris,diuinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ*, & in serm. 180. *Fugit Christus vt cedat tempori, non Herodi, neque enim mortem fugit, qui venerat de hoste reportare victoriam.*

D. Fulg.

Quam vtique reportauit suæ potentiæ virtute, dum infans fascijs inuolutus Regem superauit Herodem, quem & sua sapientia miro artificio delusit, & effugit,& effugiendo sui erga te pignus dedit amoris,dum quę te præceptis suis docuit in hac fuga,firmat exemplis, & facto facit,quæ tibi facienda mandauit, & vsu probat possibilia,quæ impossibilia videntur auditu.

Fugam arripit,Aegyptum petit, tot certaminibus,& vitæ necessitatibus, & periculis se exponit vt Iesu comite,Maria,& Ioseph consocijs,huius vitæ amaritudines tibi perdulcescant, dulcis est eius præsentia,suauissimum eius nomē, dulcissima conuersatio,& eius familiaritas,& vndè labores,& ærumnæ,pericula,& calamitates? si te adiunges in Itinere Iesu Mariæ & Iosepho.Surge & tu anima mea,& accipe puerum, & matrē eius,& fuge in Aegyptum,Domini pręceptum est.

Accipe puerum,& matrem eius,& fuge in Aegyptum futurum est enim.vt &c. purificationis ritu in templo à Virgine iam absoluto,& Elisabeth, & infante Ioanne amiciter visis, iuxta D. Bonauenturæ contemplationem cum Deipara,& Sanctus Ioseph cum puero Iesu descenderunt in Galilæam,in Ciuitatem Nazareth vt asserit D.Lucas Euang. illis verbis cap. 2. *& vt perfecerunt omnia secundum legem Domini,reuersi sunt in Galileam,Ciuitatem suam Nazareth*, quo in itinere Angelico Ioseph admonitus oraculo, vt infantis saluti, & vitæ consulat,fugam consulit in Aegyptum.

D.Bona.

Luc. Eu.

Iuxtà Dei mandatum consurgens, accæpit puerum,& matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum, & longum à Nazareth in Aegyptum peregit iter, centum leucarum,& amplius, & quòd mirandum est,& mentalibus, pijssimisque oculis intuendum, quòd huius itineris tam laboriosi,& ardui,labores, & defatigationes,huius exilij ærumnas,& calamitates,huius peregrinationis angustias, & incommoda Iesus grandeuæ minimè suæ seruauit ætati, nec infantili suo pepercit corpusculo,cuius puerilem ætatem tam paruam,tam tenellam,tam delicatam,& mollem, non expectauit onerare itinere sic arduo, & longinquo, paupertate sic nuda, tempore sic horrido,& quòd etiā grauius, comitibus parentibus omni humano auxilio destitutis,cur tibi non dura? non acerba? non molesta? non crudelis? non lacrymabilis? hæc tua fuga,& peregrinatio ò fugitiue mi bone Iesu?

Anima mea comitare Mariam,& Ioseph comitare,& Iesum,vt capias quanta,& quam amara in hoc itinere fint illi pro te,& ad tuam salutem perpessi; per viam siluestrem, opacam, nemorosam,obscuram,asperam, inhabitabilem, saxosam, vallibus,præcipitijs, rupibusq; implicatam, valdè longinquam, nullo tritam vestigio nisi ferarum. Inter brachia natum portabat iuuenis Virgo, & tenera mater,& ipsa defexa ex itinere portabat Sanctus Ioseph, dicam quæ sentio, si quando in portu Bethlehemitico natus est puer iste, non fuit ei locus in diuersorio ò anima mea, quid pūtas in solitudine? heu vtique non fuit illi nec domus, nec domicilium, in quo fugitiuus hospitaretur,nec ibi locus, in quo & matris, & Ioseph quietè membra laxata quiescerent, & ipse infans somnum quietis caperet, nec tugurio-lum,quo à noctis frigore se defenderet, præ inopia illi defuerunt vestes,& operimenta,quibus se protegeret à temporis iniuria,& asperitate,& quibus tenera membra confoueret,in die vmbraculum non fuit illi,vt à solis radijs,& à calore ardenti se saluaret, & abscondere.

Proh pietatis dolor,quoties Mariæ, & Iosepho per Palestinæ deserta iter facientibus,hospitij domus erant antra, specus,caueæ,lustra,& cubilia ferarum, & lectulus nuda humus, Deus erat quē lactabat Virgo,& omnium creator, fateor,& confiteor, quòd prodibant è latebris animalia, vt Leones,Leopardi,

Vrsi, Dracoues, & similia, & prostrati ad pueri pedes lambebant, osculabantur, & nutibus quibus poterant humiliter venerabantur, seruire, & seruituris aliquod certarim gestiebant illi præstare obsequium, volatilia verò qua poterant dulci melodia, vocibusque sonoris atque articulatis verbis, quæ in eorum pectoribus latebant laudum, & gratiarum præconia modulatis concentibus prodibant, confiteentes Iesum infantulū Deum esse, & eorum creatorem, dum laudando, & concinendo salutabant, Aue Rex noster, & omnium creator.

O mi bone Deus, si animalium antra non contemnis, & ferrarum obsequia non despicis, & tibi fuga necessaria est, en latibulum cordis serui tui penetrare remotam, & latebrosam hanc specum, & abscondere iu ea, nam quærentes re occidere, cum me viderint tam auriquatum in peccatis, pro comperto, te esse in loco tam fœtido, & cænoso absconditum habere nullatenus possunt, iuterim tu sanctissime puer peccata iuuenies, quæ deleas, senem, & in malis antiquatum, quem renoues, & quem tua dulci præsentia spiritualibus repleas bonis omnibus. O animæ meæ detestabilis statns, dum hic puer potius elegit pro asylo terram Aegypti, quam specum hanc cænosam cordis mei.

Verum cur tot labores, & incommoda? ad quid fuga hæc tua ò mi bone Iesu? nisi vt animæ serui tui misericordiam præstares, exul à patria, fugitiuus à paterna domo peregrinari spontè elegisti in Aegyptum, & tot laboribus, tot necessitatibus, tot certaminibus opprimi, cur hoc? ò bonitas infinita? nisi vt serui tui necessitatibus hoc optimo remedio subuenires, fugam arripis, & mihi fugitiuo te adiungis? vt fugitiui mei damna restaurares. O sapientia increata fugæ opponis fugam, & fugitiui dedecus, & ignominiam, quam mihi intulit ille primus fugitiuus, cuius ego filius sum, & hæres, quaudo à te fugit, & abscondit se à facie tua, vt fuga tua reparares, eliminares, & restaurares, fugiens tu adiunxisti te fugitiuo, & fuga tua de deserti incola fecisti cœli hæredem, & habitatorem.

Meritò ergo Angelus monet Ioseph. *Surge accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Fuga hæc Iesu, non timoris fuga fuit, non imbecillicatis, sed dilectionis, & amoris, dum inter barbaras gentes vt tibi esset saluti potius elegit affligi, quam te derelictam in miserijs, deliciari opibus, & delicijs regum, idcircò D. Euangelista Matthæus diuino lumine afflatus, non absque singulari mysterio fugam hanc, & demigrationē Iesu in Aegyptum coniunxit cum discessu Magorum, sic enim habet cap. 2. *Qui cum discessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens, Surge & accipe puerum, & matrem eius & fuge in Aegyptum.* In Bethlehem nato Domino ab Oriente venerunt Ierosolymam illi tres viri orientales, qui peracta adoratione, & puero oblatis muneribus, responsum acceperunt à Domino per Angelum, ne redireut ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt.

Ante quorum discessum ficut vox illa de cœlo certiores fecit eos de eorum regressu in patriam, & de via commonefecisset, sic dulci exhortatione suasisset, vt acceptum puerum secum asportarent in Persiam, & in Arabiam. Nonnè puero Iesu præstò erant illi tres oriētis Reges, quique si quærentes vt inuenirent ad nouum stellæ conruitum, ducis eorum gauisi sunt gaudio magno valdè, si nondum inuento, nec viso in regiæ ciuitatis medio, quando interrogantes dixerunt. *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum*, pro amore pueri non trepidauerunt propriam vitam in discrimen adducere, quid? si iam adorato & cognito, illis mandatum fuisset, vt de manu Herodis ad necem puerum quærentis eriperent, saluarent, secumque deportarent?

O Deus cordis mei, quanta lætitia replerentur, quanto iubilo afficerentur, quantoue gaudio exultarent, & non tristis, & lacrymarum imbribus plenus, sed hilaris, & lætissimus vtique fuisset eorum à Iudæa discessus, & regressus in regionem natiuitatis eorum, & quis locus tutior? & quæ securitas confidentior, & puero certior? quę fiducia fidentior? si tot, & talia munera de Saba attulerunt, & illi obtulerunt? qui bonorū omnium apparatus vt secum adducerent? qua cuna exciperent, quibus fascijs, panniculisque inuoluerent, quibus blanditijs, obsequijsque blandirentur? & aulam, & lectulum, & mensam, in qui bus reclinarent, quibus tapetibus, seu peristromaribus varijs intextis coloribus

bus exhornarent? quo honore venerarentur, qua cordis humilitate deseruirent, qua pectoris deuotione, quo mentis cultu latrio adorarent, & qua renerentia, ac sollicitudine honorarent? quo celerrimo cursu festinarent, vt de manibus persecutoris eriperent, & ponerent in tuto? dicat cui, & capere, & sentire desuper datum est. Si ad saluandum puerum ij Reges potentes erant, & locus ad tutandum securus, cur non ijs mandauit Deus, Surgite & accipite puerum & matrem eius, & asportate in Arabiã, sed pauperi Iosepho dicitur. *Surge accipe, &c. & fuge in Aegyptum*, si Regibus illis securè tradi possunt puer, & mater, & in regijs eorum seruari, hos permittis quam tristes abire, & denegas illis infantem, verè Deus meus incomprehensibilia sunt tuæ sapientiæ iudicia, & inuestigabiles viæ diuinæ tuæ prouidentiæ, mauis puerum cum paupercalis parentibus potius in barbara regione Aegypti, & inter barbaros peregrinari, & exulare, quàm eum regiis deliciis committere, cur hoc ô Deus cordis mei?

D. Paul. *D. Paulus Apostolus ad Hebræos scribens c. 11. de Sancto Moyse inquit. *Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem*: Moyses captiui hominis, & pauperculi natura filius erat, & à filia Pharaonis in filium coaptatus, & in totius Aegypti imperium euocatus contempsit imperia, respuit oblatas delicias, abiecit de capite diadema ne à suo genitore discederet.

Phil. Iud. Philo Iudæus in lib. 1. de Moyse sic fatur. *Hic euectus in summum rerum fastigium, nepos tanti Regis habitus, nec aliud quam Rex iuuenis appellatus, secutus est maiorum suorum instituta gentilia adoptiuorum parentum bona, & si splendida adulterina iudicans, e diuerso naturalium parentum, & si ad tempus, verè tamen & propria.*

Vt Princeps Moyses Aegypti, & filius tantæ Reginæ à regni proceribus cogebatur maiora onera imponere Hebræis (suæ nationis genus) quibus datus erat in salutem, dum sua regia dignitate, & principatu non posset prodesse, sed impellebatur molestus fieri, & infestus, principatum abiecit, regiam aulam contempsit, quando negauit se esse filium filiæ Pharaonis, vt gentis suæ populum adiuuaret elegit potius cum illis simul affligi, quam esse in delicijs Regum, imò pauperem vitam cum pauperculis cognatis, & fratribus suis prætulit Aegyptiorum regnis, deliciis, & oblectamentis.

Hic amor seu erga suos affectus, est etiam hominibus insitus à lumine naturæ, quo ductus Moyses magis voluit cũ fratribus afflictis affligi, quàm in aula regia lætari, & honorari.

Puer enim Iesus vt homo, hunc erga nos innatum habebat affectum, vt Deus & Dei patris sapientia prænouit, et intellexit immanem Herodis persecutionem in genus Dauidicum, cuius filii in proximo trucidandi erant ab iniquo Regẽ, et pereuntibus fratribus, negauit, et elongauit se à deliciis regiis, et afflicta omni cognatione sua, maluit cum paupercula matre, et ipse affligi in ægypto, quam lætari in Arabum regiis, et si pauperum parentum affectum prætulit orientalibus deliciis, et diuitiis Regnm, amor fecit, et dilectio charitatis coegit cor eius, vt dum fratres eius, cognati, et parentes erant in ore gladii crudelis Herodis, et in afflictione magna ipse noluit in Arabiam transuolare, sed migrauit in Aegyptum Hebræis semper exosam. quod annotauit D. Chrysostomus hom. 8. in Matth. *Dignum est scrutari, cur non Magi præsentes saluentur, et puer, sed illi quidem in Persidem reuertantur, hic autem cum matre in Aegyptum transfugit.* Vt et tu anima mea intelligas pueri Iesu fugam non fuisse timoris, sed dilectionis et amoris, respuit ipse lætari in aula Regum, et te in afflictione, et in necessitatibus derelinquere, sed tecum potius pati, & affligi, laudent te spiritus cœlorum, benedicant te supercœlestes illi conciues, glorificet te, & anima mea pro cuius amore, & salute delicias contemnens, tot, & tanta mala pertulisti in terra alienigena, & afflictionis. D. Chrys.

D. Petrus Chrysolog. qui in hac Saluatoris fuga multus erat, in cuius meditatione exardescens cor eius, non hominis timentis intellexit fugam fuisse, sed Dei, & diuini pectoris amoris, quando sic fatur in serm. 151. *Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se paruulum permisisset occidi*, & generalia enumerans quædam beneficia, quæ vita comite, D. Petrus Chrys.

mite.nobis Christus contulit suo aduētu, suo exemplo, sua doctrina, suis prædicationibus, sermonibus, factis, operibus, & miraculis, & viuens præbuit, & moriens præstitit in ætate grandæua, quæ omnia perijssent nobis si Christus cum esset in cunabulis non fugisset in Aegyptum.

Fuga hæc diuini erga te ô anima mea pignus amoris præmonstrat, & docet in cunctis de tua tantum salute sollicitus laborans, vtilitatis suæ nullam rationem habebat, non fugit ne occideretur ab Herode, sed vt Deus in aperto pro te triumphat de tyramno. Hominis est intra suarum munitionum castra expectare inimicum, triumphare, & vincere, Dei autem extra mœnia, & munitionum presidia in apertò debellare superbos. Athalia sexu fœmina siquidem sed crudelitate super fœras ipsas sexum vicit fœmineum, hæc furens in omne genus regium, & vt ne paruulus quidē, qui esset de stirpe, vel de domo Dauid remaneret superstes, ebibit sanguinem filiorum Ochoziæ, & cunctos occidit præter Ioam adhuc nutricis vbera sugentem, de quo dicit facer tex. *Tollens* 4. Reg. *autem Iosaba filia Regis Ioram, soror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio, & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur, eratque cum ea sex annis, clā in domo Domini*, lib. 4. Reg. cap. 11. Sollicitudine, & prudentia amitæ suæ, puer Ioas eripitur morti, sed præsidio templi, custoditur à facie furentis, & quærentis ad necem, in abscondito domus Domini.

Quòd Ioas mortem effugiat, triumphet hostes, quid mirum? si effugium, & eius asylum fuit domus Domini? & castra tot munitionum, & amitæ, & Regiæ potentię, & Dei delubri penetralia? solus euadit tot munitus munitionibus, cur hoc? quia infans hic homo purus erat, debilis, & timens, & timentis militis est hostium conflictus intra munitiones expectare.

Puer verò noster, & infans Iesus homo erat, & Deus fortis, fugiens in aperto pergit, hostem suum in manifesto agit, & vrget vt triumphus sit gloriosior, quò durior est conflictus, ô mirâ Dei erga nos vis amoris, recens natus ad mortem quæritur, & vt morti tam immaturæ eripiatur, monet Angelus Ioseph fugam arripere, & in Aegyptum secedere: *Surge accipe puerum, & matrem eius &c.* De fuga est sollicitus, & non de loco tutelari, non de munitionum præsidio, si imminet persecutio, si præstò est persecutoris gladius, si quæritur ad necem, si Herodis manus timetur crudelis, cur saluari non præcipitur in templo? cur orientalium Regum nō committitur tutelæ, & munitionibus? deseritur templum, negatur Arabia, & pro asylo, & vita tuenda pueri eligitur ægyptus? cur hoc elegantèr respondit ad hoc D. Chrysolog. serm. 180. *Bellicosus quòd fugit in bello, virtutis est non timoris, Deus quando fugit hominem sacramenti est, non pauoris, potens quando se subducit infirmo, insequentem non pauet, sed foris producit, vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam, occultum se non patitur inire conflictum, qui mandare suum sæculis vult triumphum, secreta victoria, virtusque latens exemplum posteris non relinquunt.* D. Chrys. Hinc est, quòd Christus fugit vt cedat tempori, non Herodi, neque enim mortem fugit, qui venerat de hoste reportare victoriam, neque humanas insidias expauescit, qui totas venerat diabolicæ fraudis aperire insidias, nec tunc timuit quando infans, & secundum hominem timere nesciuit, & secundum Deum potuit non timere.

En quàm claré elucet fugam non fuisse timoris, sed amoris, quia vt infans & adhuc ligatus fascijs timere nesciebat, & vt Deus, quis illi potuit timorem incutere? amoris fuga fuit, quo cuncta præsidia abiecit humana, & vt fortis omnes calcauit munitiones, Aegyptum petit, in quo non erat templum, nec sacrificium, nec vlla munitionum virtus, sed omnis nequitiæ officina, vult in aperto vincere, triumphare de hoste, & quidem ereptus, & erutus de manu Herodis gloriosior fuit triumphus, clarior sua victoria, quia hostem triumphauit in suis, & nobis salubrior, vtiliorque victoris palma, quando nostræ saluti necessaria, tot ex illa fuga emanarunt beneficia, quæ vtique censerentur amissa, si non fugisset, & in illa ætate sic infantili permisisset occidi, & interfeci pateretur ab hoste, vt & tenudam, penalitatum, operum, passionum, laborum, meritorumque suorum

va-

varijs contexta coloribus salutis æternæ vestiret veste illa nuptiali, præsidiis se voluit denudare humanis, & cunctis munitionibus spoliare terrenis in Aegyptum fugiens, mortem euasit, vt tibi vinceret triumphauit de hoste, vt te fęlicitatis palma coronaret in cęlis, quid plura?

D.Chrysolog. Audiamus Diuum Chrysologum hanc Saluatoris fugam contemplantem, quomodo intellexit ipse, non pauoris fuisse fugam, sed amoris erga nos fugitiuos ab eo. *Vt fugaces reuocaret*, inquit Sanctus in serm. 150. *aufugit, & sic reuocet errantem ouem, in montibus ipse errat*: vis ergo sui amoris coegit eum in Aegyptum fugam arripere in solitudine, & in montibus errare, & in cauernis terræ latere, vt errantem te reuocaret, & apprehenderet fugientem: dilectionis vinculis tenebatur, amoris stimulis agebatur, quid miraris, si tot laboribus, calamitatibus, angustijs, necessitatibus onustum vides, & oppressum, passiones enim, & pœnalitates pro amato perpessæ, amoris feri sunt argumenta, ò mi Deus amoris, ò amor Deus, ò fons dilectionis æternę, vix natus, si ita pauper nascitur, vt de eo dicat Euangelista Sanctus c. 2. *quòd non erat ei locus in diuersorio*: quis hoc fecit amor tui, respondet D. Paulus: *cum esset diues, pro nobis egenus factus est*: Octauum suæ ætatis vix compleuerat diem, legi circumcisionis se subiecit, si circumciditur, si sanguinem fundit, si ad necem quæritur post quadragesimum suæ natiuitatis diem, si in Aegyptum exul fugit, quis eum coegit, amor tui, vt reuocaret errantem, vt præoccuparet, vt comprehenderet, vt assequeretur fugitiuum, errat ipse in montibus, & speluncis; ò infans mi Deus, si tua infantia, si tua adhuc puerilis ætas, cui debentur ludi pueriles, nugę, gerræ, blanditiæ, illecebræ, oblectationes, voluptates, & deliciæ, sic afficitur, sic premitur sollicitudinibus, molestijs, angoribus, cruciatibus, mæroribus, necessitatibus, persecutionibus, doloribus, & tot laboribus; quid hic tuus amor præstabit in ætate iuuenili? Nunc pro salute hominum patiendi impetum in corde Iesu incendit ignis diuini amoris, qui à die conceptionis suæ erat adeò irreparabilis, vehemens, ferus, & inexplicabilis, necesse enim fuit, vt Deus Pater sua quadam

Luc. Eu.

dispensatione moderaret, temperaret, & illius habenas frenaret. Ita docet nos D.Thomas p. 3. q. 45. art. 2. *Ex quadam dispensatione factum est*, inquit ipse: *vt in Corpore Christi passibili nostræ redemptionis expleret mysteria*. D.Tho.

Amoris est ærumnarum coaceruare cumulos, hinc factum est, quòd amaritudinis, & fellis calicem semper Christo propinauit amor, nec dulcedinis, nec lauaminis, nec solatij, nec consolationis, nec suauitatis aliud vnquam puer Iesus ebibit poculum, nisi lactis, quòd sugebat de mammis matris suæ, quo et lactatus, nutritus fuit, & educatus, & hoc ò vis feri amoris, adimere, amaricare, deturbare non timuit, nec erubuit hic ferus amor.

Audi anima mea, quid dicat; & intenta, ac deuota meditatione contemplare, quid de hac re scripsit D. Cyprianus in orat. de Natiuit. Domini: *Eratque puer sugens vbera, & sustinens conuitia*: quid lactis dulcedini, cum conuitiorum amaritudine? quid dicis ò martyr Cypriane? Num Mariæ pectus, & Virginis matris sinus factus est puero Iesu Golgotæ locus, in quo derisus, illusus, conuitiatus, imò & inter conuitia, & mortis, & crucis opprobria, & Deo Patri tradidit spiritum, & expirauit, quid est hoc? Conuicia sustinere, dum lactatur in pectore matris, num de mammis Iudæorum crudelium, qui potauerunt eum aceto cum felle mixto? Et non de Virgineis perdulcissimis Marię vberibus erat sugens lac, & melle dulcius hic puer, cui quid vnquam illo pectore dulcius, & lacte illo illi, quæ vnquam suauior esca? Lactari lacte, & vbere de cęlo pleno puero Iesu nihil iucundius exprobrari, & conuitiari, quid illi durius, & amarius? quid est, erat puer sugens vbera, & sustinens conuitia. D. Cypr.

Dicam, quæ sentio, inter cruciatus huius vitæ non est dolor, non est afflictio durior, & penetrabilior omni gladio ancipiti, quam cruciari in eo, in quo natura ordinauit delectari, & deliciari, & de fonte dulcedinis sugere fellis amaritudinem, & de voluptatis, & vitæ torrente ebibere mortem, & inebriari felle, & aceto, & absynthio.

Crudelitatis genus est, in pectore matris immutare lac, quòd natura ordinauit ad vitam pueri, in passionis, & mortis instrumentum. Hoc damnabat Deus

quan-

Exodo. quando præcepit Israelitis in Exodo cap. 24. *Non coques hædum in lacte matris suæ,quid aliud,quam pietatem prædicat lex ista*, inquit in hoc loco Oleaster, *non solum in homines, sed in pecudes, & volucres te pium esse voluit Deus tuus.*

D.Tho. Verum D.Thom.1.2.q.102.art.2.ad 4.intelligit de Christo, figuralis autem ratio huius prohibitionis est, quia præfigurabatur,quòd Christus, qui est hædus propter similitudinem carnis peccati, non erat à Iudæis coquendus, hoc est occidendus in lacte matris, idest in infantia,lac enim matris datum est pro nutrimento,& ad vitam fœtus, & non ad mortem. Crudelitatis in animo decoquentis, si adhibeatur ad consumationem carnis infantis, & ad necem eiusdem.

Crudelis Hærodes hædum in lacte matris coquere conabatur, cum ad necem puerum Iesum vbera matris adhuc sugentem insectabatur,& insequebatur, cuius persecutio licet puerum non interemit gladio,nouo tamen mortis genere occidit in lacte matris suæ, inquit D.Cyprianus.

D.Cypr. Nam quando Ioseph sponsæ Virgini aperuit Angeli monitum de fuga pueri, & quòd Hærodes quærebat eum ad mortem, huius necis pauore perterrita Maria, commota sunt omnia viscera eius super filio suo, & in pectore virginali turbatum est lac, cui quantum natura præstat dulcedinis, nutritionis, & alimenti,totum adimit mæstitia,mæror, dolor,& afflictio,quæ in amaritudinem vertit lactis saporem,& suauitatem.

Hinc cautum est,Principum nutricibus,vt omne,quòd gaudij est,& lætitiæ, & nihil vnquam,quòd triste est,vel mæroris, vel afflictionis illis obijciatur, ne animi perturbatione perturbetur,& lac, & ne cordis amaritudine amarescat, & lactis dulcedo, & indè puer sugat mortem, quòd illi datum erat ad vitam.

Accepto nuncio ab Angelo Ioseph, illicò ingressus est cubiculum, in quo erat Virgo dormiens cum puero, quæ expergefacta à somno, videns, quia insueta hora venisset ad eam sponsus, ait; Quid noui Ioseph? at ille, puer ò Maria insectatur ad necem, monuit Angelus, vt fugiamus in Aegyptum. Quid tunc ò anima mea,Virgo illa,& mater purissima consternata dolore, ante cunam pueri genibus flexa,& fixis in dormientis vultum oculis voce flebili exclamauit, ò dilecte viscerum meorum dormis? qui vigilans cuncta gubernans? quid faciemus? vt te ponam in tuto? euigilans puer, & hilari facie, serenisque oculis contemplabatur matrem lacrymantem, & timore nimio perterritam, quæ de cuna eleuauit puerum, quem sinu confouebat, amplexabatur brachijs,adorabat corde, venerabatur mente,osculabatur labijs, & inter oscula, & lacrymas colloquebatur illi, exules ne, peregrinabimur à patria? ò fili, ò anima animæ meæ, vt fugiamus à facie furentis Hærodis,in longinqua necesse est demigrare, & inter alienigenas commorari? Pauens filij periculum, sic timore perterrita, & tot ærumnarum, & afflictionum conturbata amaritudinibus,& in eius pectore conturbatū est,& lac; vndè et lactis dulcedo immutata est in fellis,& mortis amaritudinem, quòd si vita Christi non ageretur dispositione diuina, mortem suxisset ex vberibus matris,nón vitam, hoc est,quòd D.Cyprianus intendit quando dicit eratque puer sugens vbera,& sustinens conuitia, in eo quòd sugebat ex suæ matris vberibus sustinebat, & experiri incipiebat,& sentire amaritudines conuitia, & opprobria suæ passionis, quæ in ætate iuuenili passurus erat in Golgota, & in Caluariæ monte. Lac de pectoribus matrum,quòd cæteris est alimentum,& vita,est suauitas,& dulcedo,soli puero Iesu ex fuga hac in Aegyptum amor ademit dulcedinem, & immutauit in amaritudinem, dolorem, & laborem, cur hoc? Nisi vt te fugitiuam reduceret,aufugit ipse, & te errantem reuocaret, errauit, & ipse in montibus, & speluncis, & cauernis terræ.

Aerumnarum, passionum, laborum, & necessitatum nostrarum particeps, qui totius mali expers erat,voluit esse puer Iesus,& tecum associari in fuga, & te fugitiuam sequi,& insectari errãtem, vt te faceret suæ fælicitatis, & beatitudinis consortem. O violentia, ò impetus diuini amoris,in Aegyptum fugitiua te abscondisti à facie Dei tui, & ægyptiorum fædata simulacris, vt te de ægypto reduceret,fugit ipse in ægyptum,vt te fugitiuam reuocaret ad lucem veritatis tot cruciatibus se exponit,tot amaritudinibus se replet, vt tibi suæ gratiæ, suæ pietatis seruaret dulcedinem.

Quan-

Quando, *exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, quando ascenderunt Ioseph, & Maria de Galilæa in Iudæam Ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem*: ascendit tunc infans Iesus, erat iam in vtero matris, & nonum agebat mensem, recordare, quia & ibi natus est, si Ioseph ascendit: *vt profiteretur eum Maria desponsata, sibi vxore prægnante*: ascendit & Iesus, vt et ipse profiteretur cum Maria matre sua; & quando vniuersus orbis cogitur miseram profiteri seruitutem, & vt seruus describi, videtur filius Dei festinare, & eandem seruitutem profiteri, & suum nomen inter seruientium nomina describere: & qui vniuersorum Dominus est profitetur nunc cum orbe seruitutem, cur hoc? Nisi quia amore languebat, tuæ salutis amore extuabat, describitur cum orbe, non vt hominem seruum reddat Cæsaris, sed vt faciat Dei filium, non mundi seruum, sed vt reddat cæli incolam. Audi Origenem hom. 11. in Luc. *Diligentius intuenti, Sacramentum quoddam videtur significare, quòd in totius orbis professione describi opotuerit, & Christum, vt cum omnibus scriptus, sanctificaret omnes, & cum orbe relatus in censum, communionem sui præberet orbi, vt post hanc descriptionem describeret quoque ex orbe secū in libro viuentium, vt quicunque crederet in eum, postea cum sanctis illius scriberentur in cælis*: hęc ille.

Origen.

Et nunc fugiens in Aegyprum nostrarum necessitatum, & passionum certaminibus se immiscuit, vt quos habet in laboribus collegas, in gloria habeat consocios. Moyses, & Elias cur super omnes Prophetas in monte Thabor visi sunt in maiestate cum Iesu? Respondet Tertullianus in lib. aduersus Psychicos: *Meritò igitur etiam in carne se Dominus Moysi ostendit college ieiuniorum suorum, non minus, & Eliæ: cur mirarini Moysem, & Eliam in gloria apparuisse eum Iesu in sua transfiguratione, si hos in ieiunij habet collegas*. Moyses enim & Elias ieiunia quadraginta dierum strictissimè obseruauerunt, & quadraginta diebus ieiunauit & Christus, & quos in ieiunijs habuit socios, meritò, & in gloria consimiles, quando & ipsi visi sunt in maiestate.

Tertull.

Fuga hæc quia amoris fuga fuit, tibi fugitiuæ adiungere voluit, & tecum associari in laboribus, vt te haberet sociam, et in cælis, fugit in Aegyptum, vt ex Aegypto faceret cœlum, & deliciarum Paradisum. Cùm intrarunt in Aegyptum Christus, Virgo, et Ioseph omnia Idola ipsius Prouinciæ corruerunt sicut per Isaiam fuit prophetatum: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur simulacra eius*: quòd factum est, quia Domino intrante Aegyptum Idola templorum corruerunt, & destructis superstitionibus, Idolorum simulacris in amenissimum Paradisum conuersam, docet D. Chrysostomus hom. 8. in Matth. *Si quis nunc veniat ad Aegypti solitudinem, Paradiso prorsus omnem illam videbit Eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum catus, in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, & choros Virginum, & omnem quidem tyramnidem diaboli dissolutam, Christi autem Regnum corruscans, non. itá varijs astrorum choris cælum, fulget. vt Aegyptus, innumeris monachorum, ac Virginum distinguitur, & illustratur habitaculis*.

Is. Proh. cap. 19.

D. Chry.

Tabescit ò fugitiue Iesu cor ægypti ad tui ingressus aduentum, et commota sunt omnia simulacra eius à facie tua, cum in vlnis matris tuæ delatus deferebaris in ægyptum. Num nonne ægyptus abominabilis est anima mea, si ingrediens in ægyptum sanctificasti in ea paupertatem spiritus, abnegationem bonorum omnium, contemptum mundi, silentium perpetuum, orationem continuam, obedientiam hilarem, puritatem animæ, ardeus desiderium rerum cælestiarum, sanctam simplicitatem conflictus, et tentationum victorias, angelicam castitatem in corpore mortali, & quæ erat officina iniquitatis, & discipula erroris facta est magistra sanctitatis, & schola virtutum.

Inter tot prodigia amoris ò Deus animę meę, ò amor cordis mei, quo cuncta sanctificas, inflāmas, & renouas, num solus ego in prauitate mea durus perseuerabo? Nonne doctrina tua lagena est immissa in mari, & ex omni genere piscium in se congregans: Cur ego emissus foras errabo in solitudine? Num bonos elegisti in vasa salutis, me verò tamquam abortium foras emittes? quid paues? quid times, & expauescis anima mea? tui pueri Iesu fugam scito, non timoris fuisse fugam, sed amoris fugam arripere; Amor quo te diligit coegit, vt te fugitiuam apprehenderet, vt te erran-

rantem reuocaret, vt te perditam inueniret, vt te desolatam quæreret, vt te immundam sanctificaret, vt te vulneratam ad mortem viuificaret, vt te inueteratam reformaret, antiquatam innouaret, & innouatam, sibi habitaculum præpararet, at non ingreditur, non ascendit, non sedet, non inhabitat nisi sublatis Idolorum simulacris, & excussa superstitionum vetustate de medio tui, & renouato mentis habitaculo, & tui cordis hospitio.

Portentosos pueri Iesu duos fore præcipuè futuros ingressus vaticinati sunt Prophetæ, primum in Aegyptum, & alterum in Ierusalem, de aduentu in Aegyptum, & prodigijs eiusdem, prophetauit Isaias Proph. cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingreditur Aegyptum, & commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabescet in medio eius*. De ingressu verò in Ierusalem vaticinauit Zacharias cap. 9. *Exulta satis filia Sion, & iubila filia Ierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.*

Isaia Pr. Zachar.

Cur cùm Dominus ingreditur Aegyptum, ascēdit super nubem leuem, & in Ierusalem super pullum asinæ? portentosus siquidem vterque ingressus, quia æquitans super nubem leuem, super pullum asinæ æquitare videtur, sicut sedens super pullum asinæ probatur super nubem leuem ascendere. Hoc mysterium aperit nobis lectio Septuaginta Interpretum, nam vbi nostra vulgata legit, *ascendēs super asinam, & pullum filium asinæ*, legit ipsa, *ascendens super subiugalem, & super pullum nouum*: qui hic pullus nouus? & quæ nouitas hæc tam noua? & tam necessaria? illa quidem, & eadem, quæ præfigurabat nubes leuis super quam ascendit in Aegyptum. Nubes enim illa iuxtà intelligentiam Procopij carnem Christi, & eiusdem humanitatem præfigurabat; *ascendet super corpus leue*, inquit ipse, *nullo terrena perturbationis, aut peccati onere graui*: hanc & eadem signabat pullus nouus, per quem Clem. Alexand. lib. 1. Pedago. cap. 5. non solum intelligit pueri Iesu humanitatem à Verbo hypostaticè sibi vnitam, sed etiam omnes homines, cum quibus hic Deus homo copulatur per gratiam & inhabitat, & hospitatur. *Non satis habuit Propheta*, inquit Sanctus, *solum dixisse pullum, sed etiam nouum & adiecit, humanitas, quæ in Christo vnita est nouitatem, & senij expertem eum simplicitate æternitatem ostendens*: Tales autem nos nouos pullos, qui infantes sumus, diuinus noster alit pullorum domitor. O Deus amor, ò puritatis, & innocentiæ abyssus, puer Iesus non solum humanitatem suam voluit esse nouam vetustatis expertem mundissimam, & leuissimam, sed etiam animas nostras, vt in illas ingrediatur, desiderat ab omni labe vetustatis renouatas. Hæc est illa nouitas, de qua loquitur Apostolus ad Ephesios cap. 4. *Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & societate veritatis*: O anima mea si Christum Iesum hospitari desideras in hospitio cordis tui, attende & sollicitè stude renouationi mentis tuæ resecando vitia, quotidie innouando virtutibus, assume nouam mentis formam, abdicare veteris, & carnalis vitæ signum, exue veteris Adami habitum, & viuendi consuetudinem, et indue te nouum hominem, hoc est innocentiam, iustitiam, et gratiam, in qua creatus est primus homo, assimilare tuo exemplari, cuius iam es imago, vt in omni tua operatione, sermone, et actibus Christum referas, et exprimas, quia puer Iesus nō ingreditur, non sedit, non hospitatur, non ascendit nisi super pullum nouum, et vestibus Apostolorum primò exhortatum, quia vt nouus homo nisi animæ suæ mentis hospitium renouauerit in veteri mensis aula non commoratur, nō ingreditur. Si ipse non ingreditur non commouentur Idola, vt conterantur dulcissimè mi puer Iesu, fuge, ingredere Aegyptum, vt patris oraculum perficias, et mandatum hoc nouum, et vt Aegyptum animæ meæ superstitionum magistram conuertas in amenissimam habitationem tui, et Mariæ in imaginē Cæli, et Paradisi cœlestis, et Angelicæ vitæ, et ex delubro Idolorum efficias Dei templum, tui singulare ouile, et hospitium, ascende super nubem leuem.

Septuag. Procop. Clem. Alex. Paul. Ap.

Deserta, et veluti atra spelunca brutorum animalium erat Aegyptus, antequam puer Iesus ingrederetur, ad cuius ingressum, quia ascendebat super nubem leuem diuino quodam rore, cælestique pluuia sic eam abundè irriga-

uit, vt in hortum amenissimum commutauerit omnium florum pomorum genere redundantem, et virtutibus omnibus supercælestibus redolentem, vt dicat D. Chrysostomus, quòd *clarior rutilabat Aegyptus sanctorum, ac sanctarum splendoribus, & omnis sanctitatis radijs, quòd non fulget, cælum syderibus.* Et vndè illi desertæ, & steril tanta fæcunditas virtutum? & mutatio sic admiranda nisi ex hoc, quia fugiens Christus in Aegyptũ ascendit super nubem leuem.

S. Chrys.

Procop. D. Amb. Per nubem leuem Procopius in verba hæc Isaiæ, & D. Ambrosius lib. de institu. Virginum cap. 13. intelligunt Beatam Mariam Virginem, à qua quando in Aegyptum proprijs vlnis delatus fuit puer Iesus, tunc hic visus est ascendere in nubem leuem. *Verè nubem leuem*, inquit Ambrosius, *quæ coniugij onera nesciuit, verè leuem hunc mundum leuauit de grani fænore peccatorum.* O Iesu, ò puer dulcissime si meritò huius nubis matris tuæ, cuius brachijs veluti curru plusquam Cherubico ferebaris, quando ingressus es Aegyptum, rore tuę gratiæ, plouiaque tuæ doctrinæ fæcundasti, & commutasti in Paradisum, & amenissimum cælum, sit huius nubis meritum, sit tuæ matris patrocinium, vt descendat tuæ gratiæ ros in Agyptum cordis mei, descendat, & tui amoris plouia, vt innouetur, vt mutetur, & conuertatur, vt ab eo corruant Idola, & manufacta, vt reamem te ò amor meus, Iesus meus, & omnia.

Carnifex amante amore nullus crudelior, nec amoris vulnere plaga sæuior nulla, nam amanti, amore amati, non est amarum, duriora pati, sed amare, & non amari, ne te crudelius vulneret fæ- dum cor meum, ascende in nubem leuem, ingredere Aegyptum, & tui amoris plouia, tuæ dilectionis rore irriga, fæcunda, innoua, & immuta, descendat in cor meum amor tuus, vt te amarem, amem, & te hospitem hospitari merear, hospitare mecum fugitiuè mi Iesu, peregrinemur simul, qui sãctificasti Aegyptum, sanctifica cor serui tui, vt te solum amet, te perfruatur, te imitetur, tecum hospitetur, vt amore tuo totum in te transformetur.

Sub hoc ramusculo rogo te ò pia mater fructus laborum tuorum, & angustiarum, & fugæ Iesu filij tui, sunt vt sibi acquiret multos filios, sunt vt multos vocaret, vt reduceret errantes à via, vt inueniret multas ouiculas perditas, ad hoc erraui ipse in montibus, & aufugit in ægyptũ: En ouis vna ego sum, quæ fugi à facie Dei mei, ego sum, quæ fugi in ægyptum, & errauì in solitudine, insidiata à canibus inimicorum meorum, & lacerata morsibus, vt me lux diuinæ gratiæ reuocet, & reducat ad ouilem pastoris huius adiuua me, tu mater gratiæ, tu pietatis fons, vt audiam vocem vocantis me, & sequar pastorem meum, & pascua inueniam, & exul à patria reducatur, & reuertatur ad habitaculum æternæ vitæ, & viuat, tibi sit cura meæ salutis; ego interim sub hoc ramusculo laudans laudabo nomen tuum in æternum, quòd sit benedictum in sæcula ò humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE REDITV PVERI IESV, & Mariæ ex Aegypto in Iudæam.

RAMVSCVLVS QVINQVAGESIMVSTERTIVS.

Defuncto autem Herode ecce Angelus Domini apparuit, &c. Defuncti sunt enim qui, &c. Matt. cap. 2.



Nno trigesimo septimo Regni sui, immanis ille Hærodes, pueri Iesu crudelissimus insectator, Innocentium persecutor, suorum interemptor, & sui ipsius nefarius homicida, meritas impietatis suæ pœnas, & facinorum suorum, acerbissima morte intercedente, impunè nō abiens cuncta iustissimè iam exoluerat supplicia, cunctisque simul interfectis, & extinctis consiliarijs, & peruersæ suæ voluntatis asseclis, qui ad necem cum eo quæsierunt animam pueri. Superatisque etiam à Diuo Iosepho multis difficultatibus, varijsque casibus, & penè innumeris rerum in aduersis discriminibus, regressionis tandem in Iudæam ex ægypto, iam instante tempore prædefinito à Patre luminum, quòd promiserat per Angelum, quando Ioseph consuluit fugam. Matth. Euang. cap. 2. *Surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi.*

Mat. Eu.

Et nunc diuinæ promissionis fidelitas, & Dei promissi exhibitio, verè *fidelis*, inquit S. Dauid psalm. 144. *Deus in omnibus verbis suis*; qui sicut neminem fallit, sic nec sperantium in se spem e promissis conceptam frustratur. Defuncto autem Hærode, inquit S. Euang. Matth. cap. 2. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto. dicēs, surge accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Hoc lætitiæ nuncium est, & cōsolationis. verba sunt hæc grauida sacramentis, & plena mysterijs, quibus Sanctus Euang. & exilij tempus, quo puer Iesus, Maria mater, & Ioseph in ægypto commorati sunt, et vitam tamquam exules in terra alienigena transigerunt in penuria, et ægestate, tibi aperire vult ô anima mea, simul, et innotescere Dei curam, et de suis electis in angustijs prouidentiam, Ioseph, Mariæ, et infantis Iesu longanimitatem, patientiam, constantiam, hilaritatem in aduersis, tolerātiam, et mansuetudinem in vitæ necessarijs, tandem, et voluntati diuinæ subiectionem, obedientiam, et omnimodam conformitatem, et vniformitatem.

Dau. Pr.

Mat. Eu.

Exilij autem tempus, si attendes ad illud, quando Christus natus est, et ad id quando obijt Herodes, octauum quasi inuenies annum attigisse; vt clarius tibi fiat, velim scias, quòd Christus natus est anno trigesimo primo Regni Herodis, ita docet Eusebius in sua Chronica, & alij, qui magnis, & priuatis, & publicis calamitatibus oppressus, intimis doloribus, cruciatibus, vermibus, & fœtore intolerabili, trigesimo septimo Regni sui anno tabidè mordicus decessit e vita. Puer autem Iesus tot annos vitam duxit in ægypto cum matre Maria, & Iosepho, quot interfluxerunt inter annum trigesimum primum Hærodis, & eiusdem obitum: hic verò obijt anno trigesimo septimo, ille natus est trigesimo primo, in quo anno accidit, & fuga in Aegyptum, nam paucis post Christi natalem diebus, venerunt Ierosolymam illi tres viri orientales, stella duce, & adorato Domino, & muneribus illi oblatis, *responsoque accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suā*, Euseb.

& sub-

& ſubdit Sanctus Euangeliſta cap. 2. Mat. Eu. *Qui cum receſsiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi, futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.*

Si Aegyptum petijt puer cum matre anno trigeſimo primo Regni Herodis, in quo & natus eſt, & ex Aegypto regreſſus eſt anno trigeſimo ſeptimo Herode iam defuncto, & hic obijt, vt teſtatur Ioſeph (Ioſeph) de bello iudaico lib. 2. cap. 1. & lib. 17. antiquitatum cap. 11. menſe Martij ante tempus Paſchale regreſſus verò Ieſu, ſeu reditus in Iudæam, accidit in die ſeptima menſis Ianuarij, ſic nos docet S. Mater Eccleſia (S. Mater Eccleſia.) in ſuo martyrologio.

Angeli igitur apparitio in ægypto in ſomnis Ioſepho, quando illum monuit de regreſſu in terram Iſrael, non fuit illicò, & immediatè poſt obitum Herodis, nam à menſe Martij vſque ad menſem Ianuarij, nouem interceſſerunt menſes, & vnum integrum conſumpſerunt in itinere, his ſicque computatis; inuenies octo ferè annis exulauit puer Ieſus cum Maria matre, & Ioſeph in terra ægypti in oppido Matharæa nomine, & eſt inter Heliopolim, & Cayrũ, ſeu Babylonem, lege Borchardum (Borchar.) p. 2. in deſcriptione terræ ſanctæ cap. 4. *Inter Heliopolim, & Babyloniam Aegypti medio ferè eſt hortus Balſami, qui irrigatur à fonte paruo, in quo fama eſt Beatam Virginem puerum Ieſum ſæpè lauiſſe, panniculoſque eius mundaſſe, & eſt ibidem lapis ſuper quem dicitur eoſdem exiccaſſe, & hæc omnia venerantur à Chriſtianis, & Saracenis.*

Hic Maria cum prole diuina, & Ioſeph inter alienigenas in frigore, & fame, in nuditate, & paupertate, in laboribus, & vigilijs, in neceſsitatibus, & ærumnis multis, vitam tranſegit, exulauit, & ferè octo conſumpſit annos. Quid feciſti ò amantisſime puer? quæ noxa tua, vt ſic exulares in longinqua? & quærereris ad necem? quid commiſiſti ò innocentisſime mi Deus, vt talia & tot ſuſtineres, & patereris? cur tibi hoc? ò amor meus, & ſalus animæ meæ, niſi vt reuocares fugientem, ſaluares errantem, inſtrueres ignorantem, & exemplo tuo doceres me patientiam in aduerſis, ſpem, & confidentiam in Deum, & conformationem voluntati diuinæ, vndè & dixiſti (Ioan. Eu. cap. 6.), non veni facere voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me patris, dixiſti, docuiſti, obſeruaſti, & oſtendiſti, patientèr toleraſti, & longanimitèr expectaſti, hæc tibi innoteſcit D. Matthæus, quando dicit.

Mat. Eu. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto.* Tertius ſupra quinquageſimũ, en noſtræ virgineæ palmæ tibi ò anima mea, nunc occurrit ramuſculus, cuius cortex aſpera quidem eſt & dura, ſicuti eius caudacis, folia vero duplicia, & longisſima gladij figuram præſeferentia, ſed vmbra lenis, & ſuauis, veluti & fructus ſunt perdulcisſimi, fortis eſt robore, qui licèt terram verſus inclinari cogatur, continuò aſſurgit, nulli pergraui cedere oneri neſcit, nec vlla vi poteſt labefactari, imò ventorum impetum quorumcumque ſemper eluſit, & eludit, & allidit, onuſtus elatibus, elatæ palmæ eſt tenerum palmæ germen, ſeu inuolutum, & proſilientis fructus operimentum quoddam, dehiſcente hoc inuolucro, atque in longam ſeſe pendente flores produnt numeroſi, tenuibus villis appenſi, inſtar racemi magni coacernati, qui fructus ſuauisſimos generant. & fameſcentibus donant.

Huius ramuſculi fructus ſi carpere optas, ſimul, & carpere, quæ dico, perge in ægyptum, ingredere Matharæ Oppidum, ad quòd vbi peruenit Maria, ſponſo comite Ioſeph, paupercula illa, pauperrimus iſte, vt pauper erat, & infans Ieſus aduenæ, & exules, in terra aliena degentes, coacti ſunt victum quærere operibus manuum ſuarum, Ioſeph arte abietaria operabatur, Virgo verò mater quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum: tunc miſit manum ſuam ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum, quæ vt cibaria præberet filio, & domui ſuæ pararet neceſſaria, plurimum laboris colo & acu elaborãdo ferebat, & euigilabat. Nonne tũc Virgo mater manum ſuam aperuit inopi Ieſu, & palmas ſuas extendit ad pauperem Deum; qui cum eſſet diues, pro nobis factus eſt egenus, & acu, vel colo Maria occupata manibus: oculis, & corde tota erat in contemplatione filij, ad latus eius ſedentis, modò ſuper ceruical, modò ſuper cycladis, &

longæ pallæ tegmine matris. Heu quoties huic fila e colo deducta, & fuso in alabro innoluenti puer præstò erat, & auxilio nunc manusculis, nunc cubitis glomum, seu massam tenens, aglomerantem matrem adiuuabat,nunc in matris gremio modestè,sed lætus ludebat, & illi sedulus inseruiebat obediēs, dum opus,quod elaboranerat mater acu, vel colo, gratiosus puer oppidanis illis nūc deferebat elaboratum, nūc ab illis accipiebat elaborādū,simul, & operis ptiū, quo viuebant,& lętus de manusculi deportabat matri,quæ die, notuque ad filij sui necessaria præstanda semper intenta, & occupata, nec minimum vnquam temporis passa est, vacuum fluere, vel operando manibus, vel internis affectibus, vel in filij sui diuinitatem perdulcissimis eleuata contemplationibus. Verius de Maria dici potest, quòd D.Bern.ser.1.dixerat in laude Apostol. Petri,& Pauli: *Leuauit se super se, quia non respiciebat ad se, sed ad illum, qui est supra se*; Ex hoc oriebatur in Maria, & Ioseph, quòd eorum manuum labores, non erant labores, & cum laborarent, videbantur non laborare: eorum labor non erat membrorum defatigatio, & eorum operum occupatio non erat lassitudo, sed quies, & requies, cur hoc? Nimirum, quia pro puero Iesu laborabant,& operabantur,cuius præsentia, familiaritate, consocietate, gratia, pulchritudine,& amore,licet essēt laboribus addicti,Iesu refrigerium exibente,laboribus non afficiebantur, laboris grauamina non sentiebant,illis amore filij,leuis omnis labor,imò nullus.

D. Bern.

Multa incommoda, & necessitates sustinuerunt ij exules de mundo, in itinere, maiora passi sunt quam tu intelligere, cum essent omnibus destituti,siuè petentes ægyptum,siuè ingredientes,siuè commorantes,siuè inde reuertentes.

Heù anima mea,& quæ non sustinuerunt? si egestatem bonorum omnium in possessionem habebant, nunquam tamen quæruli,nec à Deo leuamen,nec de persecutore vindictam, legimus petijsse, cur hoc? Nisi quia itineris habebant Iesum comitem, & omnium laborum consocium:hic solus erat eorum leuamen,solatium refrigerium,solamen & gaudium, nunquam mæsti, & tristes, nunquam laboribus defexi, seu afflicti, sed hilares,& forti animo patientèr omnia sustinuerunt,longanimitèr expectauerunt eum qui promiserat eos per Angelum saluos facere à pusillanimitate spiritus, & tempestate, à tumultuante persecutoris spiritu, & ad necem puerum quærentis,ab animi angustia, mærore,& deiectione:ideò elogauerunt fugientes in ægyptum in exilium, & in solitudinem;procul recesserunt à patria; vt manerent in desertis locis, & expectarent eum, qui illis præceperat: *Esto ibi vsq; dū dicā tibi*:cuius diuinæ voluntati totalitèr, & ex toto se tradiderant, et ad exemplar pueri contendebāt pari æmulatione mater,et Ioseph illi se conformari,et vniformari.

Hæc eorum voluntatis voluntati diuinæ conformitas erat,quæ labores, afflictiones, et aduersa, dulcia reddebat amara, erat qua pari animi æquanimitate virumque iter, et fugę, et regressionis aggrediuntur. De primo omnium credentium patrecul de immolatione filij sui dictum fuit: *Tolle filium tuum,quem diligis Isaac,& offer illum in holocaustum super vnum montium,quem mōstrauero tibi*:sic legimus in lib.Genes. cap. 15. Quàm huic diuino præscripto suam vniformatam haberet voluntatem patet ex hoc, quòd eadem animi fortitudine, eadem pectoris constantia, eadem mentis æqualitate,eadem faciei, et vultus serenitate,absq; vlla sui mutatione,imò eadem promptitudine,et alacritate ad filij immulationem accessit,qua ab eiusdem occisione,seu sacrificio manus suspendit. O pectus non dico Adamantinum,sed diuino beneplacito semper conformatum, ita paratum in obsequiū Dei,qui vtrunq; præcæpit,et filij immolationē, et ab imolatione cessare. O pectus immutabile qn nec timor,nec tristitia, nec mœror,illi.n.fuit preceptū, vt tolleret,et sacrificaret,nec lætitia,nec gaudium quando iussum est illi ab immolatione cessare, immutauit, semper ad vtrumque imperturbatum,commutatur victima,sed sacrificantis non mutatur vultus sicut tristitia, et timor vultui non intulit pallorem, sic nec gaudium lætitiæ perseminanit, seu effudit ruborem,cur hoc,ò anima mea? & vndè in humano corde constantia tanta, nimirum,quia tum ad mortem filio inferendam, tum ab eiusdem immolatione manum suspendere, illius nouerat voluntatem,beneplacitum, et præscrip-

Genes.

tum

tum, qui auctor est omnium, cuius diuinæ voluntati, suam humanam, quàm haberet vniformatam, et conformatam obtestatur in habitu vultus, ex diuersis affectibus nunquam varius, sed semper idem et vnus, et nunquam mutatus. Pende anima mea verba Diui Zenonis in serm. de Abraham, et inuenies quæ dico, inquit Sanctus. *Eo ferro mactauit*
D.Zen. *Arietem, quo filium percutere iam parauerat: à filio ad agnum transtulit dexteram semper lætus, & gaudens, nec mutatus est vultus eius cum esset victima commutata, cum tanta lætitia arietem obtulit cum quanta obtulerat filium*, et reddit rationem. *Vbi enim fides fuit, non erat dolor*: fides, quæ per dilectionem operatur dolorem, timorem, angorem, mæstitiam arcebat intrepidè de pectore Abraham, et fides frænebat lætitiam in secũdis rebus vt æquo animo, voluntati cõcordi, vtraque tum læta, tum aduersa de manu Domini cognosceret, et tolerarec; meritò quia suum velle Sanctus Patriarcha Deo totum subiecerat, et Dei præscripto, seù voluntati Diuinæ conformatum seruabat; quid mirum si immobilis semper idem, et semper lætus, nec vllum vnquam accidens externum, suam valuit animi quietem, vniformitatem, et tranquillitatem.

Si pater credentium indissolubili conformitatis vinculo voluntati diuinę ita elt effectus vniformis, vt nulla vnquam contristaretur aduersitate, nulla turbaretur tribulatione, nulla angeretur angustia, nulla angustiaretur necessitate, nullo moueretur affectu, nullo conflictaretur mętore, seù tristitia, nullaque altercaretur lætitia, nec à Dei præscripto alienaretur gaudio, quin eadem, & omnia, eadem animi tranquillitate, & alacritate non toleraret.

Quid? non altius, & perfectius forsitan mater viuentium Maria? cuius fide Deus factus est homo, cuius fide pax summa inter Deum, & homines stabilita est, cuius fide formata est Ecclesia, reparatum regnum Cælorum, repletæ sedes Angelicæ, & salus omnibus largita est, itá credidit Deo Maria, & illius voluntati, itá se conformauit, vt nulla aduersa licèt aspera essent, & dura, nulla lætitia licèt maxima esset, & excedens immutare vnquam potuerunt, pectus illud Virgineum, quin non esset Maria semper eadem, & in lætis, & in męstis casibus, & accidentibus.

Durissima fuit illi fuga in Aegyptũ, via difficilis, iter arduum, Regio longinqua, exilium intolerabile, lacrymabilis timor persecutionis filii sui, ad necem quæsiti, necessitates multæ, incommoda grandia, paupertas extrema, inopia, & ægestas, bonorum omnium nuda, & misera, vires imbeccillæ: ò anima mea, quas lassitudines non est passa? quoties vrgebat fames, pungebat sitis, stimulabat quietis desiderium, & somni necessitas, & vigilare cogebatur, & fugere. Cordis eius stimulus erat timor Hęrodis, & persecutoris furor, puerum ad mortem quærentis, hæc omnia, & multa alia angoribus, & doloribus plena, sicut non immutauerunt cor Virginis, sic nec lætitiæ, & gaudii nuncia, quando audiuit vt redirent in terram Israel, & quòd essent defuncti, qui quærebant animam pueri, non est exaltatum cor eius, sed æquo animo, eadem animi trãquillitate, & promptitudine cuncta suscæpit de manu Domini, & sicut nec rubore præ iubilo, ita nec pallore præ tristitia vnquam immutatus est vultus eius, & quidem quia ex Dei præscripto & voluntate sicut agnoscebat, sic æstimabat, suscipiebat, & tolerabat, cuncta sustinens animo consimili. Mater erat Maria, & homo, & naturali affectu erga filium ferebatur, quem vt audiuit ab impio Hęrode quæri ad necem, timuit, doluit, expauit, turbata est, & exanimata quasi ad nuncium de fuga in Aegyptũ, & in cunctis aliis necessitatibus, afflictione maxima aggrauata est, & lætata in prosperis, & rebus secundis, effectus sunt ij naturalis affectus, quos in Virgine dirigebat ad idem, & vnum fides, quæ per charitatem operatur, vndè suæ voluntatis conformitas voluntati diuinæ efficiebat vt tanta lætitia toleraret aduersa, quanta & iucunda, & quæ respuebat, & propellebat naturali affectu, eadem præoptaret, vt amplectaretur affectu conformitatis, quæ erat Dei beneplacito conformis.

Vt capias, quæ dico velim scias. In monte olíueti ascendit Iesus, & hortum ingressus patrem oraturus, hæc orabat, hæc sua erat oratio. *Pater si possibile est transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. cap. 26. Quid oras? quid rogas mi bone Iesu?

idem

idem non vis quòd vis, idem velle negas quòd rogas, & quòd recusas accipere, approbas, & accipis? refugis & amplecteris quod petis vt à te auferatur, idem oras vt concedatur?

D. Leo. Respondet D. Leo serm. 5. de passione Domini, vt suscipientis, susceptæque naturæ esset manifesta distinctio, quod erat hominis, diuinam desiderabat potentiam, quòd erat Dei ad causam respexit humanam. *Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior, & cito mõstratum est, quid possit à trepidante orari, & quid non debeat à medenti concedi*; quòd diuina volebat voluntate, hoc idẽ reiiciebat humana, quando cœpit pauere, & tædere, agonizari, dolere, angi, & mæstus esse, infirmæ voluntatis effectus erat humanæ, quę in Christo ita erat diuinæ voluntati vniformata, & conformis, quòd affectu, seù voluntate naturali refugiebat, hoc idem voluntate acceptabat diuina, & etiam humana, non in quantum ad naturale affectum, sed in quantum charitate informata erat diuino præscripto, & decreto conformata & vniformata, *prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis, illud optauit ex nostro, hoc elegit ex proprio, nec enim æqualis Patri filius, omnia esse possibilia Deo nesciebat, vt ad suscipiendam crucem sine sua in hunc mundum descenderat voluntate, vt hanc diuersarum affectionum compugnantiam perturbata quodammodo ratione pateretur voluit Dominus Iesus in hoc manifestare distinctionem, & suscipientis, & susceptæ naturæ*, hinc factum est quòd orans exclamauit, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, ac si diceret. Nolo idem quòd volo, idem amplector, & volo ex charitate, quòd nollem affectu naturali, voluntate naturali paueo, timeo, pallesco, contremisco, & mortem pertimesco, sed voluntate igne charitatis accensa, & tuæ diuinæ conformata, volo, & amplector.

Hoc charitatis munus est, *amor si abundat vbi venerit, cæteros in se traducit, & captiuat affectus*, inquit D. Bernardus in Cant. serm. 83. vt non modo timori mortem refugienti cedat, sed illũ in se captiuet, & transformet, à filio ad matrem facilis est transitus. Si ad Angeli monitum de fuga in ægyptum, & de Herodis furore natum ad necem quærentis, intueris anima mea, Virginẽ perturbatam, timore percussam, proh pietatem mater erat, & mater vnici filii, & filii Dei, et veri sui partus, naturali affectu timebat, dolebat, et multa sensit incommoda, multas experta est necessitates, multa sustinuit aduersa, multa gustauit, & ebibit amara, sicut et summa affecta est lætitia, ineffabili fuit perfusa gaudio, quando ei nunciatum est vt reuertatur in terram Israel, mortui sunt enim, qui quærebant animam pueri.

D. Bern.

In his omnibus non est mutatus vultus Virginis, licet lætatur de reditu, sicut doluit de fuga, cur hoc? nisi quia conformis erat effecta diuino beneplacito, et amor quo Deum ardentèr amabat, charitas qua erga Deum flagrabat, æstuabat, assumpsit, et in se absorbuit illum naturalem affectum, ex quo Virgo etiam illud, quòd nolebat læto corde, pari animi tranquillitate acceptabat, volebat, et amplectabatur, idcircò nunquàm quærula, nunquam dolens, nunquam ex eius ore benedicto questus, lamentatio, seù querimonia, sed gratiarũ actio, et diuinæ voluntati conformatio.

Ferrum immissum in igne, totum profectò ignis efficitur. Intuere si vales cor Virginis, animam, mentem, et quidquid erat, totum erat diuinæ charitatis, et dilectionis igne succensum, totum effectum charitas, totum Dei amor, et dilectio, ita docet D. Idelphonsus. *Quæso vos filij imitamini signaculum fidei vestræ, Mariam beatam, quam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & igniuit*, hic ignis vehemens, hic charitas ardens, hæc dilectio incandescens afflictionum aquam, tribulationum rorem, persecutionum necessitatũ imbrem, & quidquid afflictionis accidit in itinere, vel fugiens, vel rediens ex Aegypto, absorbuit, desiccauit, immutauit, consumpsit, & expressa amoris, & charitatis stemmata in animam Virginis conseruauit impressa. Contemplare animam illam ignitam, vide mentem illam alatam, vide rationem incensam Dei amore, vide voluntatem Virginis Dei voluntati ex toto vniformatam, & conformatam tum in aduersis, tum in prosperis, semper lætam, semper vnam, nunquam quærulam, nunquam dolentem, sed ad Dei leges, nutum, præscriptum, decretum, obsequium, & beneplacitum, semper compositam.

D. Idel.

Hæc est hominis fœlicitas, vitam suã Iesu filij vitæ componere, & diuinæ volun-

Iuntati ſe conformare, in hac conformatione non ſolum ſtat dulcedo, & ſuauitas, lenitas, & agilitas omnium eorum, quæ ex aduerſo contra nos, vel inſurgunt, vel immittuntur. Si in lib. 4. Reg. cap. 4. attendis, inuenies, quòd quando Eliſeus defunctum puerum reuocauit ad vitam, ad quam vt reduceret, ita ſe extincto infantulo coaptauit, & membra ſua illius membris, ita ſe compoſuit vt oculos, ora, manus, & pedes pueri, ſuis conformaret Eliſeus. Si mortuum volebat Propheta reuocare ad vitam, cur non confugit ad Deum? ad orationem? ſed extendit ſe ſuper eum, & licèt ſtatura magnus eſſet, paruulæ infantis ſe compoſuit, adaptauit, & conformauit.

D. Baſil. D. Baſilius Seleue. Epiſcopus oratione decima docet, quòd Eliſeus in hoc gerebat Chriſti figuram, inquiens, *Eliſeus Chriſti figuram gerit, populus autem gentium, erat ille mortuus vi peccatorum.* Puer ille, tu es anima mea, ſi vitam optas, ſi reſurgere deſideras, ſi vitam ſperas, oportet te puero Ieſu exuli, & fugitiuo te conformes, illius vitæ tuam vitam componas; Audi non me, ſed eundem Sanctum, pueri ori os impoſuit Eliſeus, naſum naſo aptauit, faciem faciei fulgiit, cum pedibus pedes contendit, pectus impoſuit pectori, oculos oculis admouit, paucis denique membris ſingillatim applicata Prophetæ membra vitam conferebant. Puer non habuit vitam, niſi membra membris, ſic componerentur, anima mea viro culpæ vulnerata ad mortem, & morti addicta, frui vita non valebis, niſi puero Ieſu te componas, & conformes, vt non habeas oculos, nec pedes, nec manus, nec os, niſi ori, manibus, pedibus, oculiſque Chriſti conformatos, & compoſitos, hoc erat leuamen itineris, laboris, oneris, neceſſitatum, & rerum arduarum ſolatium Virginis filio, & Dei voluntati ſe conformare, coaptare, conferre, & componere.

Leue vtique eſt omne onus laborum ſeù afflictionum afflictis, & laborantibus, quando illis Chriſtus adiungitur comes, quando Maria, & Ioſeph eum puero Ieſu abierunt Ieroſolymam, remanſit puer Ieſus, inquit D. Euangeliſt. Luc. Eu. Luc. cap. 2. *& non cognouerunt parentes eius, exiſtimantes illum eſſe in comitatu.* vndè anxij, & ſolliciti quæſierunt inter cognatos, & notos, & non inuenientes regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum, tandem in templo ipſum inueniunt, cui mater. *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, quibus puer, vt hic refert Thimotheus Ieroſolymitanus orat. de Sancto Simeone. *Vt quid me quærebatis? ſed vbi me quærebatis? in cælum non aſcendiſtis? ad infernum non deſcendiſtis? in ceto Ionæ non habitaſtis?* Thimot. tres ſibi ſedes deſignat Dominus, in quibus quando in aliis non inuenitur, ſine dubio poſsit inueniri. Prima in cœlis vbi glorificans beatos adeſt. In inferno vbi mulctat, & punit peccatores, & tertia eſt in ceto Ionæ, quid eſt Ionæ cætus? ipſe de ſe dixit, ſicut fuit Ionas in ventre cæti. A cæte grandi deuoratus Ionas, cum eſſet in ventre piſcis inquit textus, *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum.* Ionas Proph. cap. 2. Ion. pro. venter cæti, vel deſignatur paſsio, vel tribulatio magna, quæcunque anima afflicta, vel in tribulatione poſita, eſt quaſi Ionas in ventre cæti, à calamitatibus, à laboribus, à preſſuris, à neceſsitatibus, ab anguſtijs, & ab afflictionibus facta eſt ſedes Domini, ibi moratur Deus, ibi aſsidentem inuenies, & vndè huic animæ laboris pondus, & afflictionum onus? ſi Deum habet in ſe aſsidentem, vbi anima laborat, affligitur, vbi eſt ærumnis, calamitatibus oppreſſa, ibi adeſt, & inſidet Deus, qui laborantibus eſt quies, refrigerium, & ſolamen. Audi D. Fulgentium lib. 2. D. Fulg. ad Transimundum Regem cap. 17. *ſolus non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt. ſolus non eſt, qui templum Dei ſeruans, vbicunque fuerit, ſine Domino non eſt.*

Dura, & aſpera fuit fuga Mariæ in Aegyptum, duriſsimum exilium, iter difficile, & graue, errans in ſolitudinibus, in deſertis locis, in ſpeluncis, & cauernis terræ, ſed non durus labor, nec onus graue, quia Chriſtum itineris habebat comitem, & laboris ſodalem, & oneris leuamen, et ſolatium, cui per omnia conformata ſemper hilaris, læta, et iocunda, nunquam mæſtis, nunquam triſtis, et querula, dum in his omnibus Dei voluntatem agnoſcebat, et ipſa conformis erat, et viuebat, et ex illis, vt liberaretur Deum expectabat, et eius diuinum adiutorium.

Quando fugam arripuit, annotauit Euangeliſta, quòd de nocte ſurrexit Ioſeph, vt fugeret, quando reuertitur no-

ctis

ctis nulla fit mentio. Et valdè accuratè obseruauit hoc D. Hieronymus. *Quando reuertitur in Iudaam nec nox, nec tenebra ponuntur in Euangelio, quando verò tollit puerum, & matrem eius vt in Aegypto transeat, nocte tollit, & in tenebris.* Cur de nocte petiit Aegyptum? et non de nocte surrexit quando ab eo reuocatur? nox ponitur pro tribulatione, recordare anima mea noctis illius, in qua Iacob luctauit cum Angelo, vt sacra narrat historia in Genes. cap. 32. quem cum cęlestis ille luctator non posset ad terram demittere, videns quòd eum superare non posset, dixit. *Dimitte me, aurora est.* Angelus erat ille, homo purus iste, debilis, & imbecillis, ille fortis robore, & viribus potens: si fortis, cur non demittit? non proijcit in terram? non superat? non obruit? non opprimit? & Iacob cur non succumbit? & non cedit Angelicis viribus? imò se victum confitetur Angelus, & suo riuali se humiliat, & rogat vt dimittat.

D. Hier.

Quid est hoc anima mea? in luctæ nocte sic fortis est homo? vt non cedat Angelo? & vinci se non patitur à Deo? dicam quæ sentio, Deus Deum non superat, siquidem cùm Deus hominem in palestris exercet tribulationum, & fatigat laboribus, & ærumnis, videtur luctare cum eo, & ad terram illum velle deijcere, & nec valet labefactare, quia homo munitus Dei gratia, tottis euadit, & eò fortior, quò à Dei præscripto, & voluntate, nec animo, nec mente vnquam discedit, imò ex vi conformationis qua totus diuinæ voluntati se committit, & conformat, componit, & adaptat, quòd videtur in Deum transformatus, ac si esset ipsemet Deus.

Quoniam verum est, *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* D. Paul. Apost. 1. ad Corinth. cap. 6. vel vt legit Lectio Syriaca, *vnus spiritus fit*, ò prodigia, ò miracula bonitatis diuinæ, quando humana voluntas diuinæ vniformatur, & conformatur, habet Deum oppugnatorem, & qui afflictionibus, necessitatibus, laboribus, angustiis oppugnat ipsemet est, & qui propugnat, protegit, saluat, liberat, adiuuat, & eripit, & palestra torem suum fortem quasi Deum reddit, & inuincibilem, ita vt nec ab ipsomet Deo possit vinci, imò victor existit.

D. Paul.

Contemplare anima mea palmam virgineam, quæ verè veluti palma corticem habet duram, & asperam, folia acuminata instar gladii afflictionum ventis agitata, sed non deiecta, vt homo videbatur graui aliquando oneri cedere, sed vt palma, quæ oneri cedere nescit statim consurgebat strenior, semper virens, semper onusta floribus, semper coronata dactylis, si Spiritus sanctus sui amoris igne totam incanduerat, si tota in Dei amorem erat transformata, & vniformata voluntati diuinæ, quid miraris anima mea si afflictionibus non vincitur, si laboribus, & ærumnis, si necessitatibus non superatur. Dei præscriptum erat, vt nocte fugeret in Aegyptum, cui & vniformis erat Virginis voluntas, Deus euocauit eam nocte ad luctam, & luctari voluit, & præcepit, sed non vinci, non superari, sed æquo animo tolerare, & sustinere laboris palestram, & qui vocauit ad luctam, ipsum hæc palestratrix expectabat vt dimitteret, & saluaret, & eriperet, & reuocaret ad pacem, ad quietem, & ad fruitionem brauii, quòd nunc præstitit quando monuit per Angelum, vt reuerteretur in terram Israel, cunctis victis inimicis, cunctisque superatis difficultatibus.

O Maria, o cor virgineum in omnibus, & semper Deo conformatum, sic hæc lætissima, sicut & illa mæstissima hilari vultu, pari, & consimili animi tranquillitate tolerauit, & sustinuit semper læta, et nunquam querula.

Væ tibi anima mea non Deiformis, nec diuinæ voluntati conformis, seù conformata, sed dissentiens, et alienata tibi loquitur Diuus Hilarius in psalm. 118. *Si quid aduersi accidit, prona in Deum querula est, Dominum enim inter damna sua auarus accusat, Deo cum inuidia fletuum suorum orbatus irascitur, Deo iniustitiam, qui ad confessionis gloriam, persecutionibus probatur, exprobat vniuersorum stultitia hac querula est, cū iniustitia Dominum per impatientiam impij doloris accusant.* D. Hilar

Et quò anima retinens est voluntati diuinæ, quia non habet secum propugnatorem, sub laborum, et angustiarum sarcina facilè cadit, et succumbit. Heu Martha, quot tu sola habes asseclas, hæc enim defuncto fratre suo, quasi tacitè Christum Dominum repræhēdit, quòd

serius

ferius folito, feu quam oportebat in fratris fui auxilium adueniret, quando dixit, *Domine fi fuiffes hic frater meus non fuiffet mortuus.* Ioan. cap. 12. Si fuiffes hic, ac fi diceret, fi aduenifles quando nuncium tibi deftinauimus, vtique non fuiffet mortuus, fratris fui mortem Chrifti aduentus tarditati, & moræ afcribit. Io. Eu.

Et quis ab hac Marthæ querela folutus, & liber? quando fic intemperantèr de aduerfis dolemus, in necefsitatibus noftris in anguftijs de Deo obloquimur, & vt dicit D. Hilarius. *Iniuftitia Deum per impatientiam impii doloris accufare videmur*, & de permifsis, & immifsis cafibus audemus Deum repræhendere, & non de noftris excefsibus, feu de conformando nos Dei beneplacito, fed potius de illo emendando cogitamus, vndè dicebat D. Ambrofius orat. de fide refurrectionis. *Quis enim tu es, qui de tuo merito ante pronuncies? cur peruenire defideras cognitorem, cur eripis fententiam iudicaturo? nec Sanctis iftud permiffum eft, nec à Sanctis vnquam impunè vfurpatum eft.* D. Hilar. D. Amb.

En veritatis exemplar, tibi fub hoc ramufculo præmonftratur. Tribulationes huius vitæ, aduerfitates, præffuræ, calamitates funt dona Dei electis fuis elargita, quid peccauit puer in Regem? vt vix natum, quæreret ad necem? quid Maria, & Iofeph nonnè innocentifsimi? nonne fanctifsimi? nonne Deo fuper omnes electi? cur tot obruuntur laboribus, calamitatibus, & ærumnis? quia dona funt Dei, Deus fuis donat electis, & qui donauit, de eis ipfe eripuit, & auxilium præftitit, dulce reddidit amarum, & leue omne, quòd graue erat, patientèr fuftinuerunt, tolerauerunt vfque dum eis mitteretur auxilium de Sancto. *Efto ibi vfque dum dicam tibi.*

Quorum exemplo velim addifcas tu anima mea, tamdiù tibi complaceat affligi, & tribulari, quandiù diuinæ placuerit voluntati. Si tribulatio te præmit, & quæris quoufque durabit? quoufque molefta mihi erit hæc dura tentatio? quoufque durabit? quoufque tot patiar dolores? afflictiones, perfecutiones? quoufque tot fuftinebo certamina, & perfeuerabunt pugnæ? *Vfque dum dicam tibi*, hæc eft vox illa cœleftis, patientèr expecta, exerce te in conformatione diuinæ voluntatis, non eft noftrum noffe tempora vel momenta, quæ Pater pofuit in fua poteftate, non eft noftræ voluntatis tempus, vel terminum præfigere noftris tribulationibus laboribus, ærumnis, & aduerfitatibus, fed munus eft diuinæ voluntatis, illi te conformare anima mea, fi Deum vis habere comitem, & confocium, fi Deum cupis tuum habere in auxilium, & Saluatorem, imitare Mariam.

Cui nullus labor nullus cruciatus erat durus, nulla perfecutio molefta, nulla terra, nullaque habitatio extranea, cur hoc? quia fecum habebat Iefum, & illi effecta conformis, quælibet terra erat illi patria, quilibet labor fuauis, quælibet obedientia dulcis, quodlibet onus lène.

Rogo te pia mater doce me fub hoc ramufculo, cuius fructus funt, vt tibi acquireres multos filios funt, vt errantes à via diuinæ voluntatis, & Dei beneplaciti reuocares, & reduceres, vt faluares oues perditas, en vna mifera, & infœlix errans in deferto folitudinis, infidiata à canibus, lupinis fauciata morfibus, vt me ad ouile veri ducat, & perducat Paftoris, lux cœleftis gratiæ, & lumen diuini fplendoris, tu roga pro me, tu implora, vt audiam vocem vocantis, & fequar Paftorem meum, & pafcua inueniam. Tuum fit munus ò Maria, tua fit follicitudo ò mater pietatis, reduc me exulem, & à Patria peregrinantem, me tui itineris comitem ne abijcias, & duc tecum in Nazareth, ad quam fedula fecedifti, & commorafti, ò dies lætitiæ, & iubilationis, quando ad aduentum tuum occurrerunt forores tuæ, parentes, & amici, vt te viderent, & puerum te vifitarent, & tecum de fœlici reditu congratularentur.

Nazareth fit tuæ vitæ fedès, & habitatio ò anima mea, fub hoc ramufculo contemplare puerum Iefum inter Nazareos pueros, nunc obfequentem matri, nunc operanti nutricio intenere. *Non eft poffibile*, inquit D. Anfelm. *explicare quomodo fouerit Maria puerū, et in robur prouexit ætatis.* Ipfa quidē deuotæ perfonæ reuelauit, fæpè cum filium gremio, feù finu confoueret, præ nimia deuotionis dulcedine caput fuum capiti filij rèclinans tantas lacrymas effudit, vt D. Anfel.

vt caput,& totam eius faciem lacrymis amoris rigaret,& dicebat, & dulcitèr canebat,ò Iesu,ò Iesu,fili,ò salus,& gaudium animæ meæ.


Ab hoc ramusculo hos dilectionis fructus carpe,hos dulcedinis flores lege,& te coronare illis, vt & tu repleta dulcedine,& dum mater dulcitèr cantat filio,tu filium,& matrem lauda,benedic nomen eius, quòd sit benedictum in æternum,ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei,te præcor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei,quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea:sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc,& in hora mortis meæ. Amen.



DE LACRYMOSA VIRGINIS inquisitione Filij perditi in triduo.

RAMVSCVLVS QVINQVAGESIMVS QVARTVS.

Num quem diligit anima mea vidistis. Cant. cap. 3.



O Ardens suspirium, ò grande martyrium, ò ingens amoris incendium, quis de imperturbato corde tuo ò Maria, tot valuit lacrymas extorquere? & de profundo pectoris tui tot flammigera erumpere fecit suspiria. Pectus inquam, quòd filio Dei locus est deliciarum, & vernans paradisus, quis cuspide nunc tam dura, & doloris vulnere ausus est vulnerari? quæ ventorum rabies? quæ tempestatis importuna procella? quæ noctis vmbra, quæ nimbi nubecula valuit obscurare, & suberistem facere? pectus inquā illud Virgineum, quòd perpetua pace fruebatur, & veris semper positum trāquillitate, nunc factum est amaritudinis pelagus, & doloris abyssus, fletus imber hic, & lacrymarum torrens, vndè in te ò Maria? nonne oculi tui columbarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident super fluenta plenissima? cur turturis semper gementis factæ sunt præ lacrymis genæ tuæ? ò silentis custos, ò solitudinis amatrix. Cant.

Flere Mariam, & per animi angorem lacrymas oculis effluere, quæ doloris acerbitas? & quis rerum casus, tam tristis? vt fletum corporis tristitiæ mæror eliciat. Anima quæ tristis est, flet ò anima mea, quis huius nouæ Virgineæ pluuiæ pater, & quæ roris illius purissimi mater? lacrymarum illarum stillas quis genuit, & sic dulcitèr stillare, & pluere facit de vultu illo Virginali? ni fallor, pater non alius, quam Virginis amor, erga Dei filium, mater vero erga eundem maternus affectus.

Vis amoris, quo cor Mariæ tenebatur erga puerum ex se natum, adeò erat vehemens, quòd ad se traxit cor, & animam, sensus omnes, & potentias Virginis, vt nihil amaret, nihil optaret nihil cogitaret, nihil aliud cuperet amare, videre, intueri, contemplari, frui, & amplecti nisi vnicum à se genitum, & dilectum, hoc amplectuntur verba illa. *Num quem diligit anima mea vidistis?* Cant. cap. 3. Cant.

O vehementia amoris, dilectū cordis sui quęrebat Maria, cur tam parum curiosa existit? multa de filio quærere expostulabat amoris ratio, qualis visus sit, num decorus? num formosus, & speciosus præ filijs hominum? num candidus, & rubicundus? num verbis mellifluus, & conuersatione affabilis? nihil horum meminit, nihil curat, dilectum solum nunciari desiderat, ò mater pulchræ dilectionis, cur tam incuriosa amatrix? purè amabat, tot corde amabat, omnibus alijs omissis, illud quærit, de illo interrogat, quòd fixum in corde solum habebat. *Non quærit qualem videris*, inquit Guilbertus sermon. 6. in Cant. *sed si videris, sufficit nunciare qualem ipsa nouerit*. Amor enim diuinus de amato tantum gaudet, ipse solus sufficit amanti, hunc quærit, & hunc iam perditum ad inueniendum stimulat, amor cogit, & vrget per vicos & plateas quęrere, Ciuitatē circuire, per trāsire per cognatos, & notos, nec valet in alia oculos diuertere, nisi in dilectū. Guilb.

Numquid quem diligit anima mea vidistis. O amor praeceps, vehemens, flagrans impetuosè, inquit D. Bernard. serm. 79. in Cant. *qui praeter te aliud cogitare non sinis, fastidis caetera, contemnis omnia praeter teipsum contentus, confundis ordines, dissimulas vsum, modum ignoras, totum quòd opportunitatis, quòd rationis, quòd pudoris, quòd consilii, iudiciiue videtur, triumphas in temetipso, & redigis in captiuitatem, & omne quòd cogitat ista, & quòd loquitur te resonat, te redolet, & aliud nihil, ita tibi ipsius, & cor vendicasti, & linguam.* D. Bern.

Quid miraris anima mea, Mariam flentem, dolentem, & cum lacrymis sic anxiè quaerentem amissum thesaurum cordis sui? quid ni? erat diuini amoris captiua, erat charitatis igne succensa, dilectionis sagitta erat percussa, & vulnerata, vno verbo dicam, erat in dilectum transformata. Huius amoris vis, & violentia erat, quae de pectore uirginali, ignita erumpere faciebat suspiria, & de oculis imbrem lacrymarum, ut amissum inueniret ipsa, & tibi praeberet exemplar, & modum inueniendi Deum, quem tua amisisti culpa, ut inuenias, & iter non erres, quaere cum Maria.

O Virgo, ò pietatis mater, quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quò declinauit, & quaeramus eum tecum, sine te ò Maria, nec inueniendi mihi patet aditus, nec inquisitionis modus. *Abijt, & declinauit Deus ad tempus*, inquit in hoc loco Alanus, *vt maius ad se quaerendum desiderium in te excitet*: bene autem dicitur, quaeramus eum tecum, quia sine gloriosae Virginis fide, qui Christum quaerit, errare potest, proficere non potest, vt proficiam, vt inueniam ò Deipara, quaeram eum tecum. Alan.

En anima mea quàm dulces tibi fructus affert hic quinquagesimusquartus ramusculus, in puero Iesu micat tuae salutis zelus, dum sic respondit matri Luc. Euang. cap. 2. *Quid est quòd me quaerebatis, &c. quae patris mei sunt.* Vt tuae saluti inuigilaret puer Iesus parum declinauit à matre, quem dum quaerit perditum hac sua lacrymosa inquisitione locum tibi praemonstrat, & Deum tua culpa perditum inueniendi viam ostendit, & modum, quae quidem sunt lacrymae, & sedula inquisitio, sub vmbra huius ramusculi sede meditabunda, attende exemplar praemonstratum, & vocem exclamantis. Luc. Eu.

Num quem diligit anima mea vidistis, Cant. cap. 3. Amatorijs sic amoris vulnere vulnerata verbis interrogat Maria, lacrymantibus oculis, lacrymosa est haec per vicos, & plateas diligens inquisitio, & hic cordis Mariae dolor, vndè in Virgine? ò anima mea? velim scias. *Ex Aegypto iam reuersa Deipara secessit in Nazareth, & ibi habitans; Puer crescebat aetate*, inquit Euang. Sanctus, *& confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo*: & cum factus esset annorum duodecim, cum matre, & Ioseph ascendit, & ipse puer Ierosolymam ad diem festum, consumatisque festi diebus, inscijs parentibus remansit Ierosolymis, volens sui in mundum aduentus aliquam mũdo ipsi suggerere notitiam, & quidquid sapientiae puerili latebat in pectore Synagogae Principibus, & legis doctoribus, qui stupebant super prudentia, & responsionis eius complacuit innotescere. Deflent interim amantissimi coniuges absentiam dilectissimi pueri, cuius amore, & desiderio capti, non tepidè, non negligenter, seù perfunctoriè quaerunt, sed per tres dies continuos, qua possunt diligentia, corde ardenti, & animo infatigabili quaerunt, & planè, vt decet, & pertransitis cognatis, & notis post triduum inuenerunt eum in templo. Cant. Luc. Eu.

Triduo absentiam pueri passi sunt Maria, & Ioseph, quem non inuenerunt, nisi quarta die, mane, & hora, qua doctores docere solebant in templo, post triduum inquit Euang. & valet ratio, nam si Nazareth distat ab Ierusalem, teste Borchardo, viginti septem leucarum spatio, quando venerunt iter diei, & requirebant inter cognatos, & notos, inquit Lyranus, *Deiparam, & Iosephum iter diei vnius versus Nazareth fecisse, secunda verò die quaesiuisse in comitatu, tertio redijsse Ierosolymam, & quarta die inuenisse*: sic interpetratur illud, post triduum, & sic numerant D. Dionysius Charthusianus Lodulphus, & Siluester in sua rosa aurea, & quò filij absentia longius protogabatur in dies, eò doloris sagitta, & amoris vulnus medullitus Virginis infligebatur in corde. Borcha. Lyran. Dionis. Carthus. Lodul. Siluest.

Maria erat & filij mater immensè digna amore, quia ea inscia, & nihil tale

le

In opinante discesserat, tanti boni amissionem, & tanti filij absentiam, & si in aliud non suppetunt vires, lacrymarum imbre, oculis, & intimi doloris vulneribus, corde soluit, & sedula inquisitione.

Quanta, & quàm magna, & quàm vehemens in illo triduo occupauerit cor Virginis dolor, mæstitia, anxietas, angor, cruciatus, mœror, & sollicitudo, præsertim nocte adueniente, in qua erat solita dulcissimi pueri frui consortio, amplexibus, & osculis: Heu anima mea si tibi datum est, intellige, ex suspirijs, ex lacrymarum copia, & ex verbis, quibus lamentabantur dicens: *In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Cant. Ruper. Abbas in cap. 3. Canticorum hæc verba contemplans in persona Virginis scribit ipse, quod Maria tã ingenti erga puerũ natũ amore flagrabat, æstuabat, & ardebat, & ex illius præsentia, faciei aspectu, morum elegantia, tanta perfundebatur spirituali voluptate, & lætitia, vt cum puer in lectulo dormiens recumberet, ipsa non dormiebat, & noctes perplures ducebat insomnis, posita in illius contemplatione vultus, quem desiderant Angeli semper prospicere, hæc enim sunt verba illius. Rup. Ab. Rupert. Abbas in Cant. cap. 3. *Cum more solito vultum filij mei in lectulo decumbentis contemplari concupiscerem, quæsiui illum in lectulo meo, toto illo triduo, & non inueni. quid mirum si locum dat lacrymis, gemitibus, & suspiriis.* Et huius pueri amissionis, & à maternis subtractionis conspectibus causa potest duplex dari, vel vt nos doceret, quòd in terris nulla fruitur consumata fęlicitas, vel vt maternum affectum ad consimilem instrueret iacturę consuetudinem; Hem, & quæ lingua, vel calamus valebit lacrymas, suspiria, querelas, angores, & angustias cordis innotescere Virginis? Velim anima mea in illo triduo te contẽplari Mariam, veluti Philomenam, quæ relicto filiorum nidulo, vitæ eorum necessaria, quibus eos pascat, alat, nutriat, & ad perfectum ducat, sedula quæsitura, & illis iam sufficienter adinuentis, cibandi quos peperit, reuertitur famelica; nidum vbi adhuc feruescentem reperit calore filiorum, tamen absque filijs, tristis & gemebunda huc, illuc peruolans, ocî, ocî, aerem verberans flebili voce, con-

ſſſq

caua vallium replet, & antra deserti, ò infælix auicula, perdidit inculpabilis, quos fouit amore, quærit flebilis, quos tristis peperit, & non inuenit, lacrymatur filiorum iacturam, & præ tristitia moritur viuens, & sic intus amoris, sicuti deforis doloris vulnerata sagitta gemit, languescit, & præ amore deficit.

Quid erat Maria in illo triduo? nisi velut dulcis Philomena solitaria, & tristis nimis, quando præ nimio dolore anima eius inter labia, & oculos videbatur diuisa, & sic quemlibet, cui occurrebat, pede in aere suspenso interrogabat de suo, proprio sub lingua suppresso nomine Iesu, cur hoc? quia sui cordis affectus erat mollis, & dulcis nimis, qui vocem mutilabat in ore, & alitum intra pectus, vel quia zelotypia victa propriũ timebat damnum, metuebat enim perdere filij nomen, si dilaberetur ex ore, quemadmodum è manibus elapsi amiserat personam.

Platearum, viarumque non erat locus, quem pijssimis suis non perlustraret oculis, quia sine Iesu, etiam in medio populorum, solitaria per deserta sibi videbatur errare, & quilibet pedis motus consocias habebat lacrymas, iter carpens magis oculis, quàm plãtis, quibus itineris simul, & sui doloris mutuò imprimebat, & obliterabat vestigia. Nunc subrepta transcurrebat, nunc ambigua sistebat gressum, at non lacrymas nunc facti pœnitens regrediebatur, et laberintos inuolueri sui consilij pede videbatur exprimere, tandem incassum prospiciens sua studia cedere, complicatis manibus, oculisue Cœlum versus eleuatis, dulces quasdam contra illud emittebat querelas, quòd alienigenis Regibus, imò & barbaris, vt inuenirent Iesum noui luminis stellam misisset sic promptè, & liberè, nunc erga matrem vnius radij, & veteris radij, vt ei aperiret iter, sic auarè se gerat, & quoties à prætereuntibus interrogabatur, cur sic sola? & vaga? toties amoris simul, & doloris sagitta intus vulnerabatur in corde, quia videbatur cuncta creata huius amissionis sibi culpam irrigare, & minutim exposcere omnium Redemptoris rationem, & depositum. Sic cruciata pudore, licet inculpabilis, proprias nihilominus incurias æqua lance pensitando, intelligebat se tantæ iacturæ esse innoxiam, quia à suis aspecti-

bus

bus voluntariè se subtraxerat amabilis puer.

Vrgebat amor sui pectoris, sui cordis, suæ mentis, cuncta percurrere, sollicitèque rimari cubicula, si contra eum noxam, licet paruulam, perpetrasset aliquando, qua motus infans ita durè, ita dirè materna viscera transuerberabat doloris gladio; nullã prorsus, sed eũ non veluti animã suã, sed quasi animã suam sẽper amauisse, & tãquã Deũ, quẽ sicut puro conceperat ventre, sic puro semper adorauisse affectu, dum cuncta sui cordis vota, & corporis facinora, quum oculi filij sui erant Mariæ lux, regula, & duces ad suæ voluntatis diuinæ semper instruxisse motum, & quid mirum? O anima mea si matris deliciæ, & voluptates erant natum contemplari, amplecti, deosculari, alloqui, & conuersari cum filio, eique sollicitè inuigilare.

O si audiuisses voce flebili inclamantem sæpè repetitis vicibus, ô fili ego contra te non peccaui, cur sic me amare punis innocentem? Si nullius criminis me agnoscis obnoxiam, et me cupis multare pœna, punire quacunque attamen simul da te mihi ô fili.

Verum si fortè dolore hoc, et tuę absentiæ gladio ex purgare, vel absoluere peroptas in me tuæ cognitionis notitiam, sat est, te peperisse absque dolore, sed ita te nutriuisse (Heù me misetam balbutit lingua, et fari non licèt, imò, et contremiscunt viscera matris tuæ) et si me vis facere periculum tuę amissionis, tempus adhuc est importunum: venient enim dies illi, venient heù me dolentem; si hoc triduum tàm graue est cordi meo, quid erit illud tuæ passionis? et cogar sustinere in pace, cum necesse sit hominum saluti, at nunc quis te abstulit, subripuit, et elongauit à me? Si tuæ passioni, & meæ opus est præludia præcedere, hoc satis habes in me explotatum, quando tu puer octo dierum, me vidente, & feriente, ac si esses peccator, ex plaga tenera, noua, & deuora effudisti sanguinem, qui erat pars lactis mei, & mei cordis substantia.

Heù filiæ Ierusalem, ita vos ille amet, dicito mihi, vbi nunc moratur dilectus meus? vbi pascit? vbi cubat? quiescit? & dormit? Nolite celare matri, quando aduenerit tempus prædefinitum à Patre. Vester erit, nolite timere, ego quidem vobis illũ peperi, nutrio, alo, finite crescere in domo mea, in qua melius poterit arma, quibus statuit vos redimere, & liberare à malis.

O Archangele mi Gabriel ad me nuncium suum ipse te misit, nunc esto mei nuncius ad ipsum, & nuncia ei, quæ ergo mater derelicta pro suo amore patitur, & absentia, & illum roga per ea quæ passurus est pro salute hominum, vt consoletur me: commemorare, quòd conitendo me suam esse ancillam, vt esset mecum descendit de cœlo, fortassis audiet præces tuas, cum in se introspexerit, quòd sua sim mater: vtinam inuenias illum ita propitium, sicut me tunc inuenisti obedientem.

Sed quid moror? si stimulata filij sui iactura huic Virgini intolerabilis visa est, quid vera? quando & vtranque legimus tuisse expertam, nam vidua quædam vnicum habens filium, sed in vinculis, quia erat vnicus, vnicè amabat, cuius mat[er] nus affectus sustinere non valens, imo & impossibile, quin vitæ suæ vincula non dissolnerentur, si à vinculis non dissolnisset, quem ardentèr amabat, & eduxisset è carcere, quia mater erat, omnem sui studij experiri tentauit conatum, fleuit, tabellas supplices adduxit, precata est, obsecrauit, prodijt se Iudicibus, nec timuit sui pignoris esse Vicariam, at cuncta in cassum, quando ipsis manicis ferreis duriores erant Iudices, tandem vbi cuncta mortalium argumenta intellexit sibi vana succedere, confugit ad diuina, deliberata aut mori, & terræ vltimum dicere vale, aut ad sua vota deflectere cœlum.

Hinc quodam ingressa delubrum, fiens, præces, quas cordis afflictio nimis dura educere solet ab imò pectoris feruidè direxit ad Deum, & eleuatis oculis, Virginis simulacrum sibi primò occurrit, sciens, quòd dona Dei vi sancta extorquentur, & acquiruntur, puerum Iesum, manu non sacrilega quam sancta à maternis bracchijs abripuit, & abstraxit: audax effecta, & extatica sic allocuta est Virginem. O benedicta in æternum: ô pia mater, & Virgo, aut mihi donate vestrum, aut reddite meum, vel in hac filij emissione, & cordis afflictione, esto tu mihi vel benigna auxiliatrix, aut indiuidua comes, num pietatis mater ac impetrandum, quòd opto, plus valebunt manus rapaces, quam supplices, piæ & humiles? Si ego, quæ

pro-

puerum concæpi in peccato, & in dolore peperi, sic amo fortiter, quòd tanti furti non dubito esse ream, vestrum, quem tu purissima Virgo concæpisti sola spiritu sancti operante virtute, & cum gaudio peperisti, sic parum amatis, quòd tanti beneficij gloriam non attendis? Non curas? Si tradidisti sic promptè inimicis, vt fieret hominum salus, & redemptio, vnius hominis nona nunc trepidas esse redemptrix. Spero te mihi potius esse subsidio, quam deesse, cum sis mater veræ spei, non pertimesco tui pectoris itam, sed confido in tui cordis clementia, amoris excessus erga filium vnicum, cui minus quam tibi videre possunt difficiles et duri?

Factum est grande miraculum, quando cor matris Virginis pati non valuit esse sine filio insensibilem illam eiusdem imaginem, sed confractis compedibus, solutisque vinculis, lætus, & gaudens à Virgine, hac secunda vice redemptus, filius viduæ educitur è custodia, liberatur à carcere, & redditur matri. Si carere filio non pertulit Virginis simulacrum, quid viua, & vera eius imago? dilecti filij sui in illo triduo tam perdulci orbata præsentia?

Quàdo sic Serafico inflammata amore, intus vulnerata dilectionis iaculo collacrymabatur filij absentiam. Heù quoties repetitis verbis inclamabat: *Puer non comparet, & ego quò ibo?* Num viuet Maria sine Iesu? O mi puer Deus, esse sine matre, quomodo fert animus? Cor meum tecum est, sine te viuere non sustinet, veni igitur, veni amor meus, Deus meus, fili viscerum meorum, quid moraris? cur me lates? indica mihi vbi cubas, vbi pascis? O amor meus, Iesus meus, & omnia? Et apud quem hospitaris vt pauperculus, num ob domus, vel domicilij penuriam, in foro pernoctas? tui corpusculi hospitium, ò fili nonne cor matris tuæ, & sinus?

Quid peccauit in te Maria? quam in matrem elegisti? Fili tu mihi ipsa vita multò charior, cur deseruisti matrem tibi dilectam? Heù ego, & pater tuus dolentes quærimus te exultent, & lætentur omnes, qui quærunt te, lætetur cor quærentium te.

Sicut nullum erat momentum, quo Maria non vteretur; vel frueretur Dei bonitate, & misericordia, sic nullum erat momentum, quo eum præsentem habere non præoptaret, & priuata præsentia filij, quid mirum si dolori, ac lacrymis relaxat habenas.

Verumtamen ò fælix lacrymarum nimbus, ò dulcissimus fletus, qui funditur pro Christo, & ad se trahunt ipsum, & amissum ad eundem inueniendum viam aperit. Post inuentum schyphum in sacculo Beniamin, qui furti pœna captiuus factus est, quæ lingua valeat aperire dolorem, gemitus, & lacrymas fratrum suorum? dicat sacer textus Genes. 45. Illi scissis vestibus, oneratisque rursus asinis reuersi sunt in oppidum: Iosepho se sistunt, clamant, vlulant, gemunt, dolent, lacrymantur, corruunt in conspectu eius. Quid tunc bonus Ioseph? Cognouit ipse fratres suos à quibus non fuit agnitus, videns afflictionem, & sciens fratrum suorum innocentiam, nec potuit diutius erga eos seueritatis ostẽtare rigorem, nec amplius ab ris se abscondere, sic annotauit Scriptura Sacra: *Non poterat vltra se cohibere Ioseph*: Visis lacrymis, & fratrum afflictionibus, non valens se vltra continere, sed eleuauit vocem suam cum fletu, collacrymantibus oculis, voce flebili, dixit: *Ego sum Ioseph, adhuc pater meus viuit?* Et quem pater existimabat amissum, & ipsi fratres iam mortuum, viuum intuentur, & regnantem in tota terra ægypti. Quis illis, & eorũ patri, vt ij fratrem, & ille filium inuenirent perditum, viam aperuit? Nimirum lacrymæ? De patre legitur in Genes. cap. 37. *Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore*; De fratribus, omnesque ante eum pariter corruerunt; quibus lacrymis commotus Ioseph, nec valuit vltra se continere, festinauitque, quia commota sunt viscera eius, & erumpebant lacrymæ, & introiens cubiculum fleuit, nec potuit amplius se abscondere, quin eius manifestaretur. Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in ægyptum: quò spectant verba Diui Ambrosij in Epist. 43. *Ioseph vt fratrem, iuniorem teneret, simularetque iracundiam fratribus, & compositam à se furti fraudem indignatus est, tamen cum aduolueretur ad genua eius vnus ex fratribus Iudas, flerentque alij, fraterno victus, & compassus affectu, diutius tenere non potuit simulationem seueritatis.*

Genes. cap. 45.

Genes.

D. Ambr.

O Deus cordis mei, quid est hoc? continere se non potuit Ioseph victus fratrum

trum suorum lacrymis, & se continebit puer Iesus? quin non commouerentur viscera sua super matre sua? quæ præ dolore, lacrymis, et ignitis suspirijs, iam triduo relaxauerat habenas, & velut solitaria, & flebilis Philomena abrupta montium, & concaua vallium nemora, replebat, & antra, illa lugubri lamentationis voce: *Num quem diligit anima mea vidistis?*

Cant. cap. 3.

Qui victus matris lamentationibus, & lacrymis post triduum rediit ad ea, modicum, illum non vidit, & iterum modicum illum vidit, & videns gauisa est. De modico hoc, inquit D. Bernard. serm. 23. in Cant. *Heu rara hora, & parua mora*; & post pauca: *ò modicum longum: longum fuit Deiparæ illud modicum, nam modica Iesus amanti absentia, longa est amanti, longa Iesu absentia modica est non diligenti.*

D. Bern.

Triduo sustinuit Maria pueri Iesu ab sentiam, cui post triduum statim adfuit triduo disparuit Iesus, & absuit à matris consortio, sed hoc modicum longum fuit Virgini, quæ vt meditatur Euthymius in Luc. cap. 2. Prima appropinquante hora noctis, quo tempore, vt est verisimile putabat mater puerum adventurum ad se cœnandi, & hospitandi causa, at cùm non aduentasset, ex tunc cœpit de eius absentia certior fieri, & pergraui affecta dolore prorupisse in hæc verba, vt scribit D. Bonauentura, ò fili dilectissimè vbi nunc es? quid est de te? apud quem nunc hospitaris? Indica mihi vbi pascas? vbi cubas in meridie? vbi requiescis in nocte? Doce me, quomodo veniam ad te? vel tu redi ad me, ostende mihi faciem tuam, à qua omne bonum, & omne cordis mei gaudium: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies illa tua decora nimis*: & sic tota immersa lacrymis dicebat intra se, quis det te filium meum, vt inueniam te foris, & deosculer te amor meus, Iesus meus, & omnia.

Euthym.

D. Bona.

Cantic. cap. 2.

Veluti altera Anna Tobię mater non sustinens vltra filij sui absentiam, cæpit montium cacumina conscendere, vt sic eminus venientem cerneret, at elusa spe, frustrataq; desiderio cum se videret querula, & lacrymans inclamabat: *Heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ*: sic affligebatur Anna illa, Tob. c. 10. & tamen erat certa, quòd filius commorabatur in Ciuitate Medorum, et apud suos hospitabatur, sufficienti itineris munitus viatico. Cur non longè maior afflictio, cruciatus, & angustia Virginis matris, quæ ignorabat locum, vbi tunc esset suus puer Iesus, certissima ad victum viatici nihil habere, sed de eleemosynis viuere, & ostiatim mendicare, vt meditatur D. Bernardus in hom. infra octauam Epiphan. *Quid dicam, Deus meus*, ait Sanctus, *an vt te per omnia nostræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates susciperes, quasi vnus ex turba pauperum stipem per ostia mèdicabas: quis dabit me buccellarum illarum, sic mendicatarum participem fieri?* Hoc Virginis cordi non fuit minus molestum, sed summæ mæstitiæ, & pietatis, & compassionis.

Tobiæ cap. 10.

D. Bern.

Quę sic tot dolorum percussa lanceis percurrebat inter cognatos, & notos & cum non inuenisset, longum iter aggreditur Ierusalem versus, & quemlibet sibi occurrentem interrogabat, num quem diligit anima mea vidisti?

Amanti tantum sufficit amatum, cuncta despicit, omnia calcat, ad illud quòd amat, solum aspirat, vt inueniat, vt habeat, vt amplexetur, vt fruatur, vt teneat, & à se nunquam dimittat, vsque dum introduxerit illum in secretum cubile cordis sui.

Amasia illa Christi discipula, dùm staret ad monumentum foris plorans, occurrerunt ei Angeli, qui sic eam interpellarunt: *Mulier quid ploras? Dicit eis; tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum; hæc cum dixisset conuersa est retrorsum.* Mirum quidem, & admirabile factum huius sanctæ mulieris, ab Angelis faciem auertit, consortia Angelorum aufugit. O anima mea, quid in hac vita dulcius? quid delectabilius? Nisi Angelos videre, alloqui, confabulari, & intueri, & quòd omnes auido corde auent, Maria sola refugit, de eius fletu, & lacrymis eam interrogant, quid ploras mulier? & pulcherrimis eorum aspectibus intendebant cor eius linire, mulcere, & ab eius oculis lacrymas illas abstergere, & consolari, quòd munus non contemnere, sed gratum debebat habere, & æstimare.

Ioan. 20. cap. 10.

Nimio amore flagrabat, amoris vulnus sauciauerat cor eius, amās erat, amatū ablatū quærebat, amtū inuenire desiderabat, qui non inuenitur, nisi à lacrymis,

mis, idcircò nolebat à lacrymis cessare, vt magis ploret, vt copiosius lacrymetur, nihil duxit consortia Angelorũ, nec eorũ aspectus: sui cordis amoris vulnera, & dilectionis plagę nõ poterãt sanari à creatura, sed dũtaxat ab illo, à quo ipsa vulnus amoris acceperat, hinc cuncta despicit, cuncta calcat, à cunctis faciem auertit, vt tendat ad amatum, vt amatum inueniat, & sola sua præsentia fruatur, non vult, vt Angelorum famulatu, vel eorum aspectus consolatione ab ea abstergantur lacrymæ, ne ab ea lacryma cesset, hæc cum dixisset conuerta est retrorsum. Non enim Angelorum munus est, à me lacrymas abstergere, sed tantum amantis amati. Ad hoc spectant Origenis verba in præsenti tractatu. *Maria doloribus confecta, tota in recessu mentis posita, nullam recipit consolationem, & ad nullum tendit consolatorem, sed intra se cogitat, dicens, Proh dolor, qualis est ista consolatio? Onerosi sunt mihi omnes consolatores, grauant me, & me non consolantur. Ego autem quæro Creatorem, & ideò mihi grauis est ad videndum omnis creatura, nolo Angelos videre, nolo cum Angelis manere, quia possunt dolorem augere: & non possunt penitus delere:* hæc ille. Origen.

Veniat ergo ille, qui verè deleat, & sua præsentia me consoletur. O vis amoris, ò vehementia dilectionis diuinæ, si totum hoc operata es in corde Magdalenæ, in corde Virginis, quid fecisti? quantum præualuisti? aperit tibi Euangelista, quando Virgo relictis patria, domo, notis, familiaribus, cognatis, & consolationibus cuiuscumque alterius creaturæ, vt ad dilectum perueniat, ad amatum properat, reuertitur in Ierusalem, & inuento cordis sui dilecto, ad cuius præsentiam quanta fuerit eius consolatio, testatur Dauid Propheta in psalm. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*: quanta fuerit consolatio? ad quem gradum ascendit dolor, excedens hoc, & excedens, & illa, dicat qui capit, qui intelligit, absorpta remansit in contemplatione filij à dulcedine suæ præsentiæ, suæ pulchritudinis, suæ diuinitatis. Dauid proph.

Defuncto Lazaro amico, flebant, & lacrymabantur sorores eius; ad quas vt consolarentur de fratre suo, multi venerant ex Iudæis, at vbi venit Iesus, occurrens illi Martha, licèt multa esset in lacrymis, præsente Domino, obliniscitur lacrymarum, & tota se conuertit ad sermonem de resurrectione corporum, & de Christi diuinitate dicens: *Vtique Domine ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti*. Ioann. cap. 11. Et lacrymarum sororis, & suæ amplius non recordatur. In cunctis hic naturæ experiuntur effectus, quòd ad conspectum charorum, & amicorum præsentiam, maiores solent excitari lacrymarum riuuli, & ipse Dominus hoc expertus est, quando de eo dicit Sanctus Euangelista: *Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, turbauit semetipsum, & lacrymatus est Iesus.* Cur ad conspectum Iesu non flet, sed lacrymas cohibet Martha, & tota absorbetur in filij Dei diuinitatis contemplatione. Ioan. Eu.

Vbi Iesu fruitur præsentia, sletit cor Marthæ à fletu, & raptum sursum fertur, absterguntur lacrymæ, & sola lætatur in contemplatione Dei, qua et pascitur, consolatur, & læta fruitur.

Tantæ virtutis erat, & est, amantibus præsentia Iesu, quòd hæc sola lacrymas frænat, cohibet, absteegit, & siccat, sicut eius absentia imbrem lacrymarum ex oculis erumpere facit, vt iterum fluant, sufficit, vt paululum Iesus secedat, se abscondat. Audi in hoc D. Thom. in sua Catena ex Diuo Chrysostomo: *Ex virtute Sermonum Christi interim Martha lucrata est luctus dissolutionem, ea enim, quæ ad magisterium erat deuotio, non permittebat eam sentire præsentia, quæ luctum inducere poterant*. D. Tho.

Dum mater Maria, ammisso puero, eius priuata erat præsentia, quid mirum si erat doloris vulnere grauitèe percussa, & lacrymę cadebant de maxillis eius, sed quid miraris si eo iam inuento ad eius præsentiam posita in contemplatione suæ diuinitatis, si consolatur, si gaudet, si exultat, si iubilat, si lætatur, si desunt lacrymæ, si abundat cõsolatione, si repletur gaudio ineffabili, quodque & quale fuerit dic tu Deus consolationis animæ serui tui, dic tu, qui merces es, & lacrymarum destructor, & remunerator, tu qui solus lamenta, & luctus abigis, abijcis, abipsis, abdeles, abolescis, absterres, & abstergis.

Inuento dilecto, quanta fuerit Virgi-

 nis

nis consolatio, & lætitia intuere eam, qua animi deuotione est templum ingressa, qua cordis humilitate genuflectitur ante altare, quo mentis ardore, spiritus feruore, suspirans, & lacrymans orauit ad patrem, & sic orasse meditatur D. Bonauentura lib. suarum meditationum cap. 14. de vita Christi. *O Deus, & pater æterne, clementissime, & benignissime tibi placuit mihi dare filium tuum, sed ecce perdidi eum, & nescio vbi sit, redde eum mihi ò pater, ò Deus cordis mei, tolle à me amaritudinem istam & ostende mihi filium meum: & exaudita est pro sua reuerentia*; erat tunc in templo magnus populi concursus, & accedens Maria ad vnum ex illis interrogauit, quid noui est? & quid sibi vult hæc tam magna, & frequens populorum commotio, & fræquentia? sic ille, ò Domina mea, est puer vnus hic duodenis, qui in quæstionibus Sacræ Scripturæ, & intelligentia, & responsis adeò ad mirabilis, quòd meritò stupent omnes, & traxit Rabinorum, & Doctorum multitudinem in stuporem, & admirationem: inter eos videtur Angelus, & plusquam homo. Anima mea, quid tunc cor Mariæ? accessit vt videret, vt audiret, agnouit vocem dilecti sui, sensit odorem vestimentorum, vicinatur, attollit oculos, vbi vocis filii sui resonabat echo, attollit, & dulcissimus puer matrem versus, faciem illam gratiosissimam, at vbi alterutrum oculi è conspectu inuicem se obuiauerunt, nempè matris, & filij, eorum corda tanto dilectionis igne flagrarunt, exarserunt, & incanduerunt, vt non sic velocitèr, candelæ flamma accensæ inflammat, ignescit, & accendit extinctam, quæ adhuc fumigat, vt cor Mariæ, & pueri sui Iesu, amantis, & amati, & corpora copulata, amplexibus & dulcissimis osculis, præ gaudio, & amoris magnitudine ligata erat lingua Mariæ, sed loquebatur oculis, *fili cur fecisti nobis sic*? quomodo pertulit cor tuum in tam longa temporis mora dereliquisse matrem? te solum amat anima mea, tu Deus cordis mei, tu pars mea, tu Deus meus in æternum, Iesus meus, amor meus, & omnia, in te viuit, & sine te pro mortua reputatur vita mea, anima mea pendet à presentia tua, spiritus meus à tuo, fletus meus à tuo: *Cur fecisti nobis sic, en pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*

D. Bona. — Luc. Eu. cap. 2.

Cur Iosephum sibi proponit Virgo, cum esset ille ista multò inferior? cur non dixit, *Ego pater tuus dolentes*, &c. Si Iesus ò Maria, tuus est totus, si tu vera mater, quę genuisti, & ille simplex adiutor, & in opinione vulgi pater, cur locū, qui ad te pertinet iure maternitatis nō tu occupas? & Iosepho cedis? quòd tui iuris est, ratio expostulabat, vt verius diceres: *Ego & pater*, &c. & non è conuerso: vide Virgo prudentissima, quia de re tua agitur, & in hoc tu magis lucri auida, dicet aliquis, quia Ioseph Iesu pater erat existimatione hominum, idcircò humilitèr, & honorificè priori in loco collocat, id in hoc ordinem seruauit Virgo, quòd suadent sponsalitij iura, vt viri præponantur fæminis, & eos magno honore efficiant, cum vir caput sit mulieris & domus. Ita D. August. ser. de diuers. 63. cap. 11. *Non est prætermittenda, fratres, maximè propter disciplinā sororum nostrarum tam sancta modestia Virginis Mariæ, Christum pepererat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus, & filius Altissimi, meruerat parere filium Altissimi, erat humillima, nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, vt diceret, ego, & pater tuus, sed pater tuus, & ego*: non attendit sui vteri dignitatem, sed attendit ordinem coniugalem, non enim humilis Christus matrem suam superbire docuisset, pater tuus inquit, & ego, &c. quia caput mulieris vir.

D. Aug. — Luc. Eu. cap. 2.

Verum quòd fecit Virgo non vacat mysterio, ad cuius intelligentiam notandum est verbum illud, dolentes, locatum, & positum post vtriusque denominationem. O prudentia, ò amor Virginis id remouet, & elongat à sponso, quòd iuxtà se collocat, vt tu capias anima mea simul, & compatiaris quàm fuit maximus omnium Virginis dolor, cruciatus, mœror, & afflictio, participij verbi primum locum occupat, illum locum eligit, & tenet, qui doloris est; quia in amissione filij nemo neque pater Ioseph tantum de dolore participauit vt Maria.

Puero frui, Iesum gremio confouere, super pectus accubare, inter brachia ferre, æqualiter partitur gaudium, & æquali pondere cōmensuratur lætitia. Inter hos coniuges non vixit inuidiæ zelus, sed amor, & amantes se dulcitèr

donis,

donis, & muneribus diuinis æqualiter fruebantur, at quando agitur de angustijs, & dolotibus, inter dolentes, & Ipsorum media se collocat Maria, vt à sponso longè abesset, & dilungaretur dolor, & magis proxima totum participaret, & doloris primum locum occuparet.

Hæc Mariæ sunt charitatis facinora, & vi amoris vicit acerbitatem doloris, anima mea illi approximare, illi adhærere, quæ & si plus omnium dolet, plus omnium consolatur, & gaudet inuento Iesu, quem diligebat, quem & si tua culpa perdidisti, vt inuenias, Maria præstitit inueniendi modum, & locum præmonstrauit, dum in medio Doctorum illum inuenit, sine doctore facilè potes errare, dicente Diuo Bernardo ser. 77. in Cantic. *Seductori dat manum, qui dissimulat dare praeceptori, & ne tibi sis magister, vt Christum inuenias, & vitæ spiritualis inter doctores, consule Mariam, & esto de via securus, de modo certus, & de eo, quod inuenire desiderat anima tua, Esto tutus, confidens, non dubitans, sed munitus, & firmus.*

D. Bern.

Sponsa illa cœlestis cupiebat puerum Iesum inuenire, illius enim erant voces illæ: *Indica mihi vbi pascas, vbi cubas in meridie:* cui sponsus. *si ignoras te ò pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum;* Ac si diceret, si ignorancia tu laboras, & vbi ego in meridie cubem, et vbi pascam scire cupis, duc greges tuos in pascua, et palce illos iuxtà tabernacula pastorum, vbi ego pascam illi te docebunt, etenim cum illis ego quoque pasco.

Cant. c.1.

Grex est illa congeries, et multitudo cogitationum, verborum, desideriorũ, operum, et factorum, ne grex iste in pascua venenata incidat, et in luporum morsus, duc ad tuta Mariæ, pasce eum sub Mariæ duce, et magistra, respice stel lam, inuoca Mariam, et inter tot noctiũ tenebras perge securus.

Illi tres orientales viri nec gradum vnum quidem faciunt, nisi stella duce: Matth. Euang. cap. 2. *Vidimus stellam eius in oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum:* Et sub stellæ ducatu iter eorum damnat Iudæorum pertidiam, qui ambulantes in tenebris, stellæ lumen, et ducatum neglexerunt, ve inquit D. Hesychius hom. 1. de Assumptione Mariæ: *Iudæi inflexibiles, vel potius obdurata ceruice, eos, qui ministerio stellæ, è longinquis regionibus erant adducti, neglexerunt imitari, & cognoscere post sunt solem iustitiæ.*

Mat. Eu.

S. Hesyc.

En infœlicitas Iudæorum, en et Magorum fælicitas, isti sub stellæ claritate, et clarissimis radijs concèdunt ad Christum, illi quidquid de stella præcedente audiunt, contemnunt, nec stellæ ducatũ æstimant, quid mirum si iter errãt, dum sine duce in tenebris ambulant, et sole priuati absorbentur à tenebris.

Si in te anima mea viget amor, et Christum inueniendi in te ardet desiderium, vt decet à Maria sume viæ, & processus ducatum, sub eius auspicijs fœlicibus Christum inuenies, hac stella duce inuenies, quem diligit anima tua, vt de te dicatur, quod de Magis legitur. Matth. Euang. cap. 2. *Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno, & intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria;* nunquam Iesus sine Maria, si amisisti, in dolore, & lacrymis quære, sed duce Maria, vt non erres, sed inuenies, sed & timebis quem quæris, & desideras inuenire.

Matt. Eu.

Si Christum repetisti, tene illum, nec vnquam dimittas, reperit illum Maria, domum duxit, cum illo perpetuò vixit, illi adhæsit, illi aglutinata est: Cant. c. 3. *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam:* taliter adhæsit, vt nũquam ab illo se abdicauit, nec valuit ad horam ab eo separari.

Cant.

Tenui eum, inquit Gilibert. Abbas in Cant. serm. 13. *nec dimittam illum, tenuit quia non timuit, dum turbaretur omnis terra, & maiores huius mundi potestates transferentur aduersus eam in cor amaritudinis, aglutinata est sponso funiculo, qui rumpi non potest.*

Gil. Abb.

Quando Magdalena vidit Iesum redivivum prostrata ad pedes eius volebat pedes osculari, & tangere, ad hoc ante mortem assueta, cui Dominus, *Noli me tangere, nondum enim ascendi, &c.* Ioann. cap. 20. Num Maria tunc abstinuit à tactu? sunt qui audent dicere, illius esse verba: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*, quæ fuit huius mulieris spiritualis prudentia, vt non desisteret à tactu, sed magis dilectum tenebat affectibus, ne abiret, ante mortem experta erat, quòd dum Iesu pedes teneret, omnes suos affectus sursum haberet, nunc nequit di-

Ioan. Eu.

mittere Iesum, ne illo absente redeat in noxia facinora priora maiori impetu, hoc diuino artificio te docere voluit D. Ambrosius lib. 5. Isaac. D. Amb.

Tene ergo, & tu anima mea sicut & tenebat, & Maria, & dic: *Tenui eum, nec dimittam, vade ad patrem, sed non relinquas Euam, ne iterum labatur, tecum eam ducito, iam non errantem, sed arborem vitæ tenentem, tecū rape, tuis pedibus inhærentem, tecum ascendam: noli me dimittere, ne iterum serpens venena sua fudat, ne iterum quærat famineum mordere vestigium, vt supplantaret Adam.*

Sub hoc ramusculo tene pedes pueri Iesu, nec dimittas, & noli timere, si in te furor totus irruat tartareus, noli dimittere, si caro bellum inferat, noli dimittere, si mundus omnibus te machinis oppugnet: noli dimittere, si cuncta aduersa contra te insurgant, esto fortissima, & si de lapsu times, tene pedes Iesu, illis adhære anima mea, & esto secura.

En tuæ saluti incūbit, tuæ redēptioni inuigilat, & vt inuigilaret, matrem reliquit, & discessit ab ea, si propter te Dominus suæ recusauit matri; *Cur tu Domino tuo cupias anteferri*, inquit D. Ambrosius: *sed neque ignorare naturā, neque seruire naturæ Dominus iubet;* sed ità seruire naturæ, vt veneteris auctoré, nec à Domino parentum amore descifcas, honorauit matrem, quando descēdens erat subditus illis, & patris negotio vacauit, quando sic respondit: *Quid est quòd me quærebatis, &c. nesciebatis quòd in eis, quæ patris:* D. Amb.

Quæ tuæ salutis sunt non recto dimittas, Deum time, Mariam ama, sub hoc Ramusculo commorare, vt addiscas Deum, quem tua culpa amisisti, lacrymis inuenire, & me deuies consule Mariam, ipsa duce non erres, salutis stella est, non erroris, respice stellam, cum ea Iesum quære, & cum sua gratia inueneris, illi gratias age, & benedic nomen sanctum suum, quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE CORDE VIRGINIS, Christi filij sui penu.

RAMVSCVLVS QVINQVAGESIMVSQVINTVS.

Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Luc. cap. 2.



Nter hortuli huius Sanctorum militantis Ecclesiæ platanos, & inter Cedros supercælestium spirituum montis Libani, & illius cælestis Ierusalem, ò anima mea, en quàm sublimè in sanctitatis plenitudine, in claritatis, & intelligentiæ acumine, in dignitatis altitudine, & in contemplationis diuinorum arcanorum eleuatione, & dulcedine excreuit, & adoleuit nostra palma virginea, quæ super omnes, cum virtutum omnium, tum meritorum cumulata fructibus, in rectitudine caudacis, in latitudine ramusculorum, in pulchritudine frondium, in odore, suauitate, & copia florum, extollitur, eleuatur, & pulchrius emicat. Ad hæc spectant verba doctissimi Idiotæ contemplat. B. V. cap. 2. *Non defuit* inquit, *tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non zelus Apostolorum, nō patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia, aut humilitas Virginum, insuper nullo vacasti genere virtutum*. O Virgo plusquam beata, quandoquidem quodcunque donum alicui Sanctorum vnquam datum fuit, tibi non fuit negatum, sed omnium Sanctorum priuilegia, omnia habes in te congesta. — D. Idiota

Et quid mirùm si natura illius assimilata est palmæ, palmæ enim natura ab alijs plantulis est genio valdè dissimilis, dum non e terra suum trahit alimentum, nec à radicibus humo defixis habet succum, sed e Cœlo, ita nos docet Philo in lib. de vita Moysis. *Palma arbor præstantissima, aspectu pulcherrima, fructum quoque affert optimum, & vitalem vim non in radicibus defoxam, vt cæteræ sed in summo quasi cor situm.* — Philo.

O palma tu mea virginea, & sempiternæ viriditatis, virtus, & vis tua vitalis, qua & viuebas, proficiebas, & adolebas, & vnde? Nimirum de cœlo, quando tot irrigata donis cælestibus, muneribus, priuilegijs, doctrinis, sermonibus, colloquijs, allocutionibus, reuelationibus, illustrationibus, & verbis perdulcissimis, quæ de filio tuo vel audiebas ab alijs, vel ipsa ab ipsomet auscultabas dulcius, & attentius.

O anima mea, ita Maria in excipiendis filij sui verbis suas consecrauerat aures, vt noctes integras ipsa duceret insomnis. Sic nobis alloquentem introducit Rupert. Abbas: *Quid putatis, quot noctes duxi peruigiles, videndo, & audiendo eum, non enim sufficiebat dies ad tantum desiderium, sed totis noctibus audiebat eum, & quæ auribus percipiebat, verborum dulcedine allecta, & aspectus illius capta venustate, mente versabat, & corde fouebat, & quæ auidis ebibebat auribus, vigili, & ardenti corde conseruabat, & versabat, & conferebat*: hoc est, quod dicit Euang. Luc. cap. 2. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* — Rup. Ab. — Luc. Lu.

Et qua diligentia? qua sollicitudine? qua attentione? quo amore? qua cordis sui audiendo ebibebat? Ebibendo audiebat, & continuò audire auebat? qua cura fouebat? qua custodia conseruabat? vno tantum dicam verbo, verbi verba, verba audita verbo ita fouebat, ita custodiebat, ita conseruabat in corde suo, eo modo, quo & ipsum Verbum. Geometra non longè est in Catena Greca, qui sic ait: *Mater conseruabat omnia verba in corde suo, nihil illi-* — Geometr.

illi dictorum eius, aut actionem excidebat, sed sicut ipsum Verbum prius in visceribus, ità nunc eiusdem sermones, ac mores omnesque instructiones concipiebat, & in corde suo custodiebat.

Et custodiens Virgo omnia verba Verbi, tunc de materni cordis visceribus, & abditis sibi Verbum fabricauit penu, sicut et pater, quando illud genuit: pectoris sui fabricauit penu, in quo thesaurizauit omnes thesauros Sapientiæ, & Scientiæ suæ Diuinitatis, Christus cordis sui arcana, secreta, mysteria, sacramenta, actus, verba, gesta cunctasque cogitationes, & opera thesaurizauit in corde Virginis, quæ vt diligens, nec dum, quę à filio, sed & quæ de filio audierat ab Angelo, à Pastoribus, à Regibus, à Simeone, & Anna, omnia etiam, quæ ante operata erant, nempè salutationem Angelicam, Verbi conceptionem sine viro partum sine dolore, Pastorum aduentum, Regum adorationem, fugam in Aegypto, disputationem in templo, & cuncta, quæ legerat in lege Prophetis, & psalmis de filio suo, conferebat cum corde suo: conferebat enim ea, quæ cernebat summæ humilitatis, cum ijs quæ nouerat summæ maiestatis, stabulum cum cęlo, pannos cum luminis amictu sine vestimento, præsepe cum throno Dei, fęnum cum pectore Patris, animalia cum Seraphinis, *& ea*, inquit Haymo in hoc loco, *quæ in se sciebat im* [Haymo.] *pleta, cum oraculis Prophetarum comparabat, simul & conseruabat, fortitèr retinens, ne vnquam effluerent*, & hæc cuncta penu sui cordis credita, vt sedula meditatrix, & prouida mater, & sibi cõseruauit ad meditationem, consolationem, & profectum, & tibi seruauit ad salutem, vtilitatem, & exemplum. Ita annotauit in verba hæc in suo Montessaron Zacharias Chrysopol. *Omnia quę* [Zachar.] *de Domino*, inquit ipse, *vel à Domino dicta, vel facta cognouit, siue intellecta, siue non intellecta in memoriam recondebat, vt tempore suo prout gesta erant intelligeret, & quærentibus explicaret.*

Sub hoc ramusculo collige te anima mea, & ipsa Virgo explicabit tibi, & instruet te, quanta pro te fecit Deus, & quid tibi restat faciendum, vt saluetis, ipsa facto monstrauit, & reliquit exemplum, claue igitur orationis penu cordis Virginis aperi, & inuenies factorum Christi thesaurum, & tuæ salutis diuitias multas quando inquit Euangelist. *Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Inter dona Spiritus sancti esse scientiam, & sapientiam non est qui ignoret, & si vt inquit D. Atanas. in serm. de Annunciatione Virg. [D. Atha.] *descendit Spiritus sanctus in Mariam cũ omnibus suis essentialibus virtutibus, quid scientiæ, quid sapientiæ deesse potuit Virgini illi, quæ fuit viuum Spiritus sancti habitaculum, & eiusdem diuinæ sapientiæ domus, in qua habitauit corporalitèr.* Vndè & dicebat D. Anselmus hom. [D. Ansel.] intrauit Iesus in quodam castellum, *Quid de eo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat, & in cuius vtero corpus sibi aptabat. Christus*, vt ait Apostolus Paul. ad Coloss. cap. 2. *Dei virtus, &* [Paul. Ap.] *Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, Christus ergo in Maria Dei virtus est, & Dei sapientia imo, & omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei in ea sunt absconditi:* & si Deus pater Verbum suum Virgini dedit, quid potuit ab ea abscondere, quin clarè non aperiret? si cum illo omnia donauit, & aperuit? quando loquebatur, quando prædicabat, & quidquid Verbum operabatur conseruanda cuncta in corde Virginis veluti in penu commendabat, & suo tempore depromenda, & communicanda retinebat deposita.

Vt clarius annotauit Eusebius Emissenus hom. huius mysterij. *Nisi enim*, [Eus. Em.] inquit, *ipsa conseruasset, non ea haberemus, de eius namque thesauris nos ista accepimus, quæ enim de Christi pueritia leguntur, quæ non modò verba ista, sed & Pastorum, Magorum, Simeonis, & Annæ in corde condidisse dicitur*, nimirum, quę aliquando reuelaret, prout reuelauit Apostolis, quæ ipsi nec viderant, nec audierant à Christo, propter quòd meritò à D. Bernard. vocatur, *magistra Apo-* [D. Bern.] *stolorum, & illuminatrix Euangelistarũ*, & D. Ignatius ad eam scribens vocat, [D. Ignat.] *doctricem Apostolorum, & nostræ Religionis magistram*, & D. Ambrosius de Io- [D. Amb.] anne Euang. loquens in lib. de institut. Virginum, inquit. *Mirum non est, præ cæteris locutum fuisse mysteria, cum ei præstò esset aula cœlestium sacramentorum.*

Si in corde fixum, & intra sua viscera

ra

ra Virginea repositum habebat Maria Verbum Patris, quòd & lux dicitur, & lumen de lumine, & lucerna ardens & lucens, intellectus ille Virgineus tot illustratus æterni luminis radijs, tot irradiatus splendoribus, & tali perfusus lumine, quid mirum, si ab eo omnis dubitationis motum abdicauit, & metum etiam primo primum, & omnis ignorantiæ, vel difficultatis abegit caliginē, eleuans illum super cuncta creata, & dirigens semper ad Deum in agendis, in creandis, in sperandis, & in amandis, imò & in cognoscendis, quam altè eleuasset lumen illud, & quidquid recipiebat ab eo conseruandum annotauit D. Bernardin. Senens. cap. 2. sermon. 52. & cap. 4. serm. 36. *Vidit in contemplando Deum, & cuncta creata plusquam Paulus raptus in cœlum, quia si essent tot Pauli, quot creaturæ non attingerent suum contemplari, nam Paulus fuit vas electionis, Maria verò vas Diuinitatis.* (D. Bern. Senens.)

O Maria, ô Maria, si Diuinitas erat tui cordis lampas, & lucerna ardens, & lucens, quanto lumine perfundebaris? dicam quæ sentio, inter mortales viuēs viatrix, simul inter Angelos, imò super Angelos versans, vt perfecta contemplatrix fruebaris Deo, & delicijs eius. Vndè & ad tui laudem dicebat D. Petrus Damian. orat. 1. de Natiuit. Virginis. *Vita actiua, & contemplatiua Virginem ambierunt, adeò vt nec actio contemplationem minueret, & contemplatio non desereret actionem.* Et promeruit Virgo sic eleuari vt plus omnibus, & cognosceret, & contemplaretur de filio, non solum secundum humanitatem, sed etiā secundum Diuinitatem, quòd nō alius, quia nulla alia creatura habuit Verbum Patris in corde vt Maria, quòd & erudiuit, & docuit, & in ea arcana sui cordis depositauit. Erudite hoc scriptum reliquit D. Bernard. serm. de B. Virgine. *Licèt enim in parabolis loqueretur ad turbas, licèt omnia Apostolis nota faceret vt amicis, quædam tamen credendum est præ cæteris matrem suam, quemadmodum dilexisse, ita propensius erudijsse, quædam etiam secretius intimasse,* quæ verò, & quanta, & quàm alta fuerunt, quæ filius matrem edocuit, communicauit, & reposuit conseruanda in corde suo, licèt paruitas nostri intellectus non capiat, nec potest capere, verum vt capias quātum fas est, num non obseruasti, quæ de ea scripsit Salomō in Prou. cap. 31. ait enim. *Confidit in ea cor viri sui.* (D. Petr. Damian.) (D. Bern.) (Prou.)

Et quæ est ista tam fidelis sponsa, vt cor suum fidet ei vir suus, & qui vir tā confidens, vt vni mulieri aperiat arcana cordis sui, & vnius mulieris fidei mandet, et committat pectoris sui omnium diuitiarum suarum thesauros? ô fiducia, ô apertio, et commendatio planè ineffabilis, & admirabilis, in arcano cordis multa sunt abscondita, et recondita secreta, vnus alteri cor aperire, ijdemque habere, credere, et sidere fidelium proprium est amicorum, Rupertus Abbas in hunc locum ab omni nos liberat dubitatione, et labore absoluit, quando hæc tam fidelis sponsa, dicit quòd *Sola Maria est, cui Deus Pater hic vir eius, fidenter, fideliterque cor suum confidit.* In anima Sanctæ Virginis inquit ipse, ibi fides expetta est, quòd de semetipsa hic audiuit, *confidit in ea cor viri sui.* (Rup Ab.)

Grande depositum vt nec lingua metiri, nec calamus valeat describere, quòd soli Virgini sub fide traditum est ille, qui ab æterno in corde patris quiescit, et in æternum quiescet, in corde Virginis exceptus, vt cordis amator nullibi quietius post sinum patris requieuit, vt in corde Mariæ, quæ ita testata est. *Es qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.* Eccles. 24. (Eccles.)

O Deus Pater omnipotens laudent te spiritus cęlorum, laudet te, et benedicat tibi ipsum cor Virginis, cui cor tuum ita fidenter aperuisti, vt ipsam substantiam Verbi æterni in corde tuo concepti, et de corde tuo ante sæcula geniti, mitteres, et fidenter crederes menti, et ventri sponsæ valdè fidelis.

Cuius cor omnibus creaturis dignius tanti depositi duntaxat inuentū est, ad quòd respiciens pijssimus Ricardus de S. Laurentio lib. 2. par. 2. *Exeuntem de corde paterno primò meruit cor Mariæ suscipere vnigenitum Dei, quando scilicet sor patris erctauit Verbum bonum, quòd de sinu patris egrediens in sinum matris Virginis se recepit Verbum æternum æterni patris mentis conceptum, thesaurum sua diuinæ sapientiæ, secretum secretorum sui pectoris, & sui paterni cordis depositum Virginis cordi, menti, & vtero confidit Deus.* O mysterium verè ineffabile dictu, qui est omnipotens, im- (Ricar.)

men-

mensus, æternus, infinitus, & summè sapiens, pater luminum, & à quo omne lumen, in mente sua diuina non inuenit sapientiam maiorem illa, quæ in vtero Mariæ, nec sui pectoris arcanum excellentius illo, quòd Virgo claudit in arca sui alui; nec sui intellectus lumen clarius, splendidiusque, quàm quòd in theca, seù penu sui cordis concludit Deipara, mater hæc & Virgo fidelis.

Si Maria, illa luce, qua Deus, & pater luminum cuncta creata, siuè quæ in cęlis, siuè quæ in terris sunt, illustrat, irradiat, & illuminat fuit plenissimè perfusa; quid miraris anima mea, si veluti palma sempiternæ viriditatis palmæ filio, qui est penu, seù theca plenitudinis paternæ Sapientiæ, & Scientiæ, vt esset omninò similis intelligentiæ, scientiæ, sapientiæ, cognitionis, & contemplationis lumine super omnes se eleuat, & extollit, vt omnes valeat erudire, docere, & instruere.

Hinc habemus in reuelationibus B. B.Birgit. Birgittæ lib. 6. cap. 58. quòd *Christus adhuc puerulus in priuato, ac domestico cum matre contubernio multa arcana illi abscondita aperiebat, quòd non solum fecisse putandum est, vt eam magis illuminaret, sed vt & aliorum esset iuxtà sui nominis Ethymologiam illuminatrix.* Cuncta igitur, quæ de ore filij sui effluebant, & ab alijs in eius laudem dicebantur, ve sedula mater omnia colligebat, cum corde suo conferebat, & veluti in penu opulentissimo conseruabat, ad hoc, vt opportuno tempore, sperans nō parum profutura reseraret, & aperiret: quòd D.Bern. testatur his verbis D. Bernard. homil. 4. *Ne mater videretur à consilijs amota, si eorum, quæ in terris, tàm probè geruntur remansisset ignara rerum: tempus & ordinem tenens ipsa, melius postmodum, scriptoribus, atque Prædicatoribus Euangelij referaret veritatem.*

Cum audis ab Euangelist. *Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo*: non tantum ad profectum sui, sed et ad tui salutem, vtilitatem, & exemplum, velim illam intelligas omnia illa conseruasse.

Ve. Bed. *Imitemur, & nos*, inquit Ven. Beda to. 3. hom. hyemalis de tempore; *fratres mei, piam Domini matrem. ipsi quoque omnia verba, & facta Domini, ac Saluatoris nostri, sivè in corde conseruando; horum meditatione diurna, & nocturna, importunos inanium, nocentiumque cogitationũ repellamus incursus: horum crebra collatione, & nos & proximos nostros a fabulis superuacuis, & à detractionum colloquijs castigare, atque ad diuina frequentiam laudis accendere curemus.*

Habes enim contemplationis speculum, en si Virgo, quæ purissima erat, & in summo perfectissima, vt proficeret, vel staret in perfectione, conferebat, quę à filio, vel de filio, ab alijs audierat, & legerat in Scripturis sacris, in quibus Virgo multa erat, conferebat, inquam cum corde suo, hoc est, si vita, mores, opera, gesta, motus, actiones, & internæ cogitationes cohærebant, consona erant cum his, quæ Deus mandat in lege sua.

Nam speculario legis, & veritatis cognitio nil prodest, si ad eam non additur praxis, quæ pro munere habet coæquare opera Dei pſcriptis, & pceptis Dei legē fixā habe in corde, & illā conferre, stude cū operibus, cūcta corrigēs, quæ legi diuinę nō respōdēt, vel nō adęquātur.

Conseruando Maria Dei verba in corde suo, & illa cum eodem conferendo, quid tibi faciendum, ò anima mea facto, & exemplo monstrauit. Non est, quòd sic conseruat animam à peccatorum putredine, & corruptione, vt Verbum Dei custoditum, & cum corde collatum: num non obseruasti, quid dicat Spiritus Sanctus in cap. 4. Cantic. inquit enim; *Collū tuū sicut Turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortiū.* Cant.

Iuxtà Diui Gregorij expositionem in Ezechiel. Prophetam, ostendit, quàm efficax sit Dei Verbum custoditum D.Greg. in corde. *Anima, quæ seruat, & custodit, & confert Dei verba cum corde suo, immunis est, & ab omnibus inimicis suis libera, imò & mortis expers: in collo guttur, in gutture vox est, quid ergo per collum Sanctæ Ecclesiæ, nisi sacra eius eloquia designantur, in qua dum mille clypei pendere memorantur, numerus vniuersus ostenditur, quia vniuersa nostra munitio continetur, tota nostra protectio, & defensio à vitijs, à Dei Verbis pendet: nam anima, quæ Dei verba custodit, seruat, & confert cum corde suo in omnibus custoditur à Verbo.*

Vidit Moyses rubum ardere, sed non comburebatur: grande miraculum, in rubum descendit de cœlo ignis, & qui potuit concremare quinque Ciuitates

in momento, & cuncta in cinerem conuertere, non valuit adurere rubū ? quid rubo fragilius? quid rubo leuius? quid rubo combustibilius ? Et tamen cum ardere ignis in eo, non comburebatur quæ manus tam potens, vt ab eo omnipotentis manu illum eriperet, quæ potentia tam mirabilis, vt illum protegeret ab igne ardenti, ne combureretur ? Si Deus misit igem de cęlo in rubum, cur ardens viuebat in sua viriditate, & pulchritudine ?

De mortis potentia in suis oraculis cap. 3. loquens Abacuch proph. inquit *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors;* mortis effectus, qui sunt anima mea ? si nosti? dicam vno verbo, vbi mors nihil viuum, non est quidquam quòd perfruatur vita, vbi mors est, falce sua cuncta metit, & quæ virtus contra mortis fortitudinem, contra mortis vires? quæ potentia? Respondēt Septuaginta interpretes, Dei Verbum, nam vbi nostra vulgata legit: *ante faciem eius ibit mors,* legunt ipsi, *ante faciem eius ibit Verbum:* & si mors omnia soluit, Dei Verbum aure perceptum, corde custoditum, & collatum omnia seruat, omnia viuificat, eo præsente omnia viuunt.

Abacuc.

Septuag.

Quid ergo miraris, si ignis de cœlo immissus in rubum ardens in eo, non comburebat, quis seruabat illum in vita? intèr ardētes flammas illius cœlestis ignis, cur seruatur tam fragile lignum ? vt non solueretur in fauillam, & cinerem ? cuius erat hæc tam ineffabilis, & inuincibilis potentia? Verbum Dei, qui in rubo loquebatur Moysi, inquit Diuus Hieronymus scribens ad Fabiolam de mansionibus, *vidimus ardere rubum, & non comburi, & Ecclesiam persecutionibus inflammari, & eam, loquente in illa Domino, non perire.*

D. Hier.

Eia anima mea, accendatur ignis in corde cuiuscumque, inflammet diabolus prunas suarum suggestionum, & tentationum: Vides animam in medio ignis ardere, flammis circundari, sed non comburi, cur hoc? Loquente Domino in ea, non permittit perire. O vis diuini Verbi aure percepti, & in corde custoditi, & cum corde collati, illi soli seruata est hæc diuina victoria ? vt vincat tentationes, flammis resistet, & illibatam vim habeat animam seruandi à morte, corruptione, & putredine.

Si verò auditur, & tantum auribus percipitur, & custodia, qua decet, non custoditur, non seruatur, nihil proficit, imò deficit, non prodest, sed obest, mortem non arcet, nec vitam affert : Verbi Dei in corde seruati inest quædam diuinitatis portio, qua anima viuit Deo: quis dubitabit hanc ebibisse D. Petrus Apostolus quando dicebat: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ habes*: viuam reddit animam, & Deo adeò formatam, vt nullo modo potest ab eo separari, seu diuelli.

Io. Eu. cap. 9.

Dominum Iesum in deserto aggreditur diabolus, qui et victus fuit in primo congressu illis verbis : *Non in solo pane viuit homo, sed in omni Verbo, quòd procedit de ore Dei:* quo vt viuat anima, necesse est, vt continua meditatione, & custodia suppetitias illi ferat, & occurrat ad præsidium animæ, vt ex eo sumat viuendi alimentum : Cibus enim si primo non conuertitur in substantiam aliti, non nutrit, non alimentat, non sustentat: nam receptus à stomacho, dùm in sua perseuerat specie, absque alia mutatione facta in eo, seu conuersione in substantiam aliti, non iuuat stomacum, sed aggrauat, diuexat, affligit, cruciat, & molestè torquet, at quando per calorem naturalem mutat speciem, & actuatur stomaco, totus conuertitur in carnem, & sanguinem, hoc est, in substantiam aliti.

Matt. Eu. cap. 4.

Ita docet Macobrius in lib. 1. in somno Scipionis: *Alimenta quæ accipimus, quandiu in sua qualitate perseuerant, malè stomaco oneris sunt, at cum ex eo, quòd erant, mutata sunt, tunc verò in vires, & sanguinem transeunt hominis.* Corporalis est hæc vita : sed vitam spiritualem animæ præstant tantum Verbum Dei, de quo inquit D. Paulus Apostolus ad Hebræos scribens cap. 4. *Viuus, & efficax est sermo Dei:* Argumentatur ab effectu Sanctus Apostolus, quia eo viuit anima, vt Christus dixit: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni Verbo, quòd procedit de ore Dei.*

Macobr.

Paul. Ap.

At quando aure percipitur, & corde custoditur in sua specie, absq; vlla actuatione, seu collatione cum spiritu, non illi adiūgitur praxis, cœ quando opera verbis Dei, nihil prodest, oneris est, non sa utis, vt testatur D. Euang. Marcus de Hærode, qui multus erat in Ioannis Baptistæ sermonibus, de quo dicit textus:

Mar. Eu. cap. 6.

 & au-

& audito eo multa faciebat: sed non omnia, prout audiebat, verba seruabat in eadem specie non corrigens se, nec operans, quòd factum accidit ex hoc? Decollauit Ioannem, licitam fecit sibi, habere vxorem fratris sui, Regnum totum scandalizauit, & tandem æternæ morti damnauit seipsum, cur hoc? Si verba Dei viua sunt, & efficacia ad vitam prę standam; *Si non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo*, &c. quia audita seruabat in eadem specie, qua audierat. Non adæquabat verba operibus, non adæquabat vitam legi diuinæ, non corrigebat cor suum, prout à Ioanne prædicabatur illi, si corrigisset, si actuasset, si adæquasset opera, actiones, cordis desideria, appetitus, sensus, mores, gesta præscriptis diuinis, vtique cibus ille fuisset illi mutatus in substantiam aliti. Audi Lactantium Firmianum in lib. 1. diuinarum institutionum cap. 1. *Nullus suauior animæ cibus, quam cognitio veritatis, quæ verius non habetur, nisi à lege Dei*; audi Psalmistam, quid dicat de viro iusto; *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium, lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabūtur gressus eius*, quid est non supplantabuntur gressus eius.

Lactan. Firm.

Dau. Pr. psal. 36.

Perge ad Virginem, ò anima mea, contemplare illam, vndè illi tanta puritas? tanta innocentia? perfectio? sanctitas? Tanta cum Deo familiaritas? vicinitas? & firmitas? vt nunquam à filio, nec vel ad modicum potuit auelli? nec elongari, nec separari? ex hoc vtique, quia conseruabat omnia verba filij in corde suo, cum quo & conferebat.

Et huius collocationis verborum cū corde suo, qui fructus? qui prouentus? qui profectus, firmitatis, & inamissiblis eum Deo familiaritatis, qua & Deo vnita, & victrix fuit omnium insidiarum inimici; *Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius*, & quid illi prodest, inquit D. Augustinus, & nō supplantabuntur gressus eius. *Liberat à laqueo verbum Dei in corde, liberat à via praua verbum Dei in corde, liberat à lapsu verbum Dei in corde, & contulit verbum Dei in corde cum Deo firmitatem*; Et si in alijs familiaria Dei colloquia hoc operabantur, vt præualerent aduersus omnes incursus malos, & in Deo fixè firmarentur, vt nullo modo diuelli ab eo possint; Quid in Virgi-

S.Aug.

ne matre? omne tempus quo cum hominibus Iesus Christus habitauit, & cōuersatus est; *adeò familiaris extitit*, inquit D. Laurentius Iustinianus; *vt qui ab initio fuere cum illo, ab eodem vel modicum diuelli non possent*. In hoc genere colloquijs Iesu filij quantum rapta fuit Maria, & in eo quam firmata & fixa, vt nunquam ab eo potuit diuelli, vel ad modicum separari, probat S. Euang. c. 2. dum dicit *Maria conseruabat omnia verba hęc conferens in corde suo: Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius*. Gressus Virginis firmi fuerunt in Dei præceptis, nec vnquam vacillauerunt, numquam titubauerunt, nec mutarunt, nec vnquam errauerunt à legis diuinæ præscripto, sed firmi fuerunt in bonis, nec vinci, nec superari, nec subijci, nec substerni vnquam potuerunt à malis, hic est fructus animæ conseruantis, & conferentis verba Dei in corde suo, hoc est singulare Dei donū, sicut è contrario grauissima pœna est, quando Deus de corde aufert verbum suum, vt ex verbis Pauli, & Barnabæ in actis Apostolorum facilè probatur in cap. 3.

S.Laur. Iustin.

Luc. Eu.

Prædicantibus illis verbum Dei in Iudæa, & paruifacientibus legem Dei, dixerunt Acta Apost. cap. 13. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, indignos iudicatis æternę vitæ, ecce conuertimur ad gentes*, priuare eos verbo Dei, fuit grauissima pœna, imò pœnarū prima, & maxima.

Act. Ap.

Commorante in monte Dei Moyse, & colloquijs diuinis perfruente, rebellis ille populus, addens peccata peccatis, expostulauit ab Aaron nouos Deos. Exod. cap. 32. *Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant*, qui vt satisfaceret desiderijs eorum, respondit eis: *Tollite inaures de vxorum filiorum, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me*; vt fabricaret illis Deos aureos, cur inaures potius, quam quidquid aliud popoſcit afferri? vt respondeam, nota, quòd doctissimus Origenes hom. 14. in numeris, quærit; *Cur Deus Balaamo verbum suum non posuit in corde (quòd est theca seu penu verbi Dei) sed in ore. Posuit Deus verbum suum in ore Balaam, Cur in ore, & non in corde?* inquit bonus Doctor, *quoniam in corde eius desiderium mercedis erat, & cupiditas pecuniæ verbum Dei non in corde, sed in ore ponitur*, hæc

Exod.

Orig.

hæc ille. Pecunia vt populo Dei maledi-
ceret Balaam, à Rege Balaac promissa,
possidebat cor illius Prophetæ, verbum
suum abhorret Deus, vt collocetur in
corde tot vanitatibus, & mundi cupi-
ditatibus occupato, ideircò in ore po-
nitur Balaam, & non in corde: cordis
aurium ornamenta sunt Dei verba, quæ
dum auferuntur ab auribus, est pœna
à Deo iustissimè inflicta, imò pœnarum
maxima.

Et quòd verba Dei sint inaures au-
rium, & ornamenta ostendit sum mus
ille Sacerdos, qui videns corda populi
sui carnalibus desiderijs occupata, vt
pœna digna responderet eorum desi de-
rijs, & peccatis, non inuenit pœnam
digniorem quam tollere inaures auriú,
quam priuare corda eorum illis occu-
Tertull. pata verbo Dei. Audi Tertullianum in
hoc: *Aaron iubet inaures fæminarum in
ignem conferri, ut fieri eni merant in iu-
dicium sibi vera ornamenta aurium Dei
voces*; Dei enim voces, Dei verba sunt
ornamenta aurium animæ quæ si ab ea
tolluntur, sunt hæc in pœna peccati &
est pœnarum maxima hac vita, quam
vt & tu effugias ò anima mea, imitare
Mariam, quæ in corde puro conserua-
bat omnia verba hæc conferens in cor-
de suo, vt dicere possis cum Dauid, &
in sinu meo abscondi verba oris tui. *In
sinu enim cordis verba Dei abscondimus;*
D. Greg. inquit D. Gregorius lib. 16. moral. cap.
17. *quando mandata illius non transitoriè,
sed implenda opere audimus*; hinc est,
quòd de ipsa matre Virgine scriptum
est: *Maria autem conseruabat omnia uer-
ba hæc conferens in corde suo.*

Ex collectione, & cum corde suo col-
locatione verborum filiorum Dei, ope-
rum, & actionum, & quidquid Domi-
nus Iesus opere gessit, & ore docuit, the-
saurum condidit, & in corde matris,
velut in penu tutè seruandum, & ad
tempus, & ad cui salutem depromédum
reseratum Virgini commisit.

Quid times? quid expauescis acce-
dere? illa thesaurum seruat, tu ad ape-
riendum, ad manus clauem habes, quid
moraris? quid tibi obstat ò anima mea?
huius penu claues sunt humilitas, & ora
tio; Si quid habes debiti hic inuenies, vt
saluas Deo, si quid peccasti, vt satisfa-
cias, habes vnde persoluas, si in Dei le-
ge obseruanda Deum offendisti, si ab
eius præceptis declinasti, in hoc penu
virginali habes thesaurum tuæ recon-
ciliationis, tuorum peccatorum satis-
factionis, tuarum culparum indulgen-
tiæ, & illarum absolutionis, & remissio-
nis, & gratiarum, quibus indiges, præ-
tium, & solutionem, imò totius vitæ
tuæ exemplum, & viuendi modum, etiã
& iræ Dei placationis adiutricem, aduo
catam, & remedium.

Amnonis effuso sanguine, & per ma
nus Absalonis illo iam vita defuncto, hic
exilio se relegauit in Gessur, vt patris
declinaret iram, & cum de reditu in Ie-
rusalem nihil rogaret ipse, en mulier
Thecuitis ingreditur ad Regem, & non
rogata rogat de redeundo Absalone,
cuius precibus placatus Rex Dauid, re-
2. Reg. spondit: *Reuertatur Absalon in domum
suam, & faciem meam non videat*: 2. Reg.
cap. 14. Hanc Dauidis benignitatem, &
D. Amb. mansuetudinem admiratus D. Ambro-
sius in laudem eius scripsit ad Sitinianum
epist. 42. *Quid de Sancto Dauid loquar
qui degenerem filium, & fraterno oblitũ
sanguine, ad unius mulieris petitionem
paternis uisceribus mentem emollitus do-
mo recepit.*

Nec minoris laudis preconio commen
danda est pietas, & misericordia huius
fæminæ, Dauid pepercit filio, rogatus
à muliere, at mater nullis Absalonis
sollicitata precibus, pro Absalone in-
tercessit, laudabilis fęmina, sed laudabi-
lior, & vltra quam dici potest, commen-
dabilior Maria & ad orandum pro no-
bis, & pro nobis impetrandum effica-
cior: tui numquã obliuiscitur ò anima
mea, & non rogata à te pro te rogat. Si
exul à patria faciem patris videre fla-
gras desiderio, & obstant peccata tua, &
iræ Dei iusto percussa timore times,
quid habes spei? vt redicaris, vt reuoce-
ris ab exilio in Vrbem, & ab Vrbe in
domum patris, vt videas, & fruaris il-
lius facie, vt placetur ira Dei, & remit-
tat tibi quæ peccasti, nihil vtique nisi in
solis Mariæ precibus, & meritis: hęc le-
uauit & puerum Ioannem de cœno pec
cati originalis, hæc leuauit mundum
totum in limo peccatorum defixum,
cur hoc, & ipsa sola tanti ponderis est,
& æstimationis apud Deum; nimirum
quia in corde Virginis recondidit the-
saurum diuitiarum suarum, velut in pe-
nu: lege D. Ambrosium in lib. de instit. D. Ambr.
Virg. cap. 13. qui sic declarat verba illa
Isaiæ Prophetæ; *Ecce Dominus ascendit*

ſuper nubem leuem, verè nubes leuis Maria, qua leuauit hunc mundum de graui fœnore peccatorum, leuis erat, qua remiſſionem peccatorum vtero geſtabat, deniq; eleuauit Ioannem in vtero conſtitutum, qui ad vocem illius exiliuit, & infans exultauit in gaudio, prius ſenſu deuotionis, quam ſpiritus infuſione vitalis animatus. Si Maria peccatorum omnium remiſſionem geſtat in vtero, quid cunctaris? quid trepidas ad Mariam accedere? Quæ & ſi cuncta filij ſui, ſeruauit, & contulit cum corde ſuo, ad tui ſalutem, ad tui vtilitatem, ad tui exemplum ſeruauit. Aſcende ad palmam, ſta, ſede, commorare, quieſce meditationis ſomno ſub hoc ramuſculo, penu cordis Virginis plenum eſt, opulentiſſimum eſt, theſaurus diuinarum diuitiarum ibi ſeruatur, ibi cuſtoditur, ſed tibi & ad tui ſalutem.

Claue orationis aperitur, claue humilitatis ingreditur, ingredere, & contemplare quomodo conſeruauit Maria omnia verba, geſta, & opera filij ſui in ſpacio triginta trium annorum operata.

Quæ autem, & quanta ſint, quæ Chriſtus Dominus noſter geſſit, cum ſecundum hominem moraretur in terris, dulci ſilentio prætererunt Euangeliſtæ relinquentes ſcienda in cœlo, quæ nunc ignoramus in terris, in cœlo ſumma cum voluptate perfruemur, & nunc ſub hoc ramuſculo in penu cordis Virginis ſcire, & contemplari poſſumus, ad hoc conſeruauit in corde ſuo congruo tempore tibi propalanda. Non ignorauit Maria filij geſta, quæ filio præſtò ſemper fuit, nunquam Maria ſine Ieſu exceptis tribus illis diebus, quãdo remanſit puer in Ieruſalẽ inſcia matre, quocũq; pergebat filius ſequebatur & mater: Si non reliquit ſolum in cruce: *ſed ſtabat*: inquit Euang. *iuxta crucem Ieſu, mater eius*: num dereliquiſſet in itineribus, & totius illius decurſu? hoc ſentire vide-

D. Bern. tur D. Bernad. inquiens; *Maria filium audiuit non modò turbis loquentem, ſed & diſcipulis ſeorſum regni Dei myſteria reuelantem, vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit expirantem, vidit reſurgentem, vidit & aſcendentem, indiſſolubili dilectionis diuinæ vinculo tenebantur aſtricti*; & vndè ſeparatio, vel ſequeſtratio? hinc D. Epi-

phanius vocat Mariam perpetuam Ieſu S. Epiph.
ſectatricem, quod & Metaphraſtes teſta- Metaph.
tur: *Mariam fuiſſe perpetuò verſatam cũ filio, & ei ſemper adhæſiſſe, nõ erat locus, quem calcans Ieſus, quem non calcaret, & mater.*

Comes indiuidua totius peregrinationis filij ſui fuit Maria, vndè & ipſa ſola plenè nouit, quæ nos ex ſilentio Euangeliſtarum ignoramus. Diſcruciãtur multi deſiderio ſciendi, quid fecerit Chriſtus ab anno duodecimo vſque ad
trigeſimum, quibus reſpõdet D. Lucas; Luc. Eu.
erat ſubditus illis, alij docent adiuuiſſe cap. 2.
Ioſephum in arte fabrili, in quos eſt D.
Baſilius in ſuis Conſtitutionibus mo- D. Baſil.
naſticis cap. 6. *Veriſimile eſt*, inquit ipſe; *cum homines illi eſſent, & iuſtitiæ, & pietatis cultores, tenues tamen, neque neceſſariis ad viuendum copiis ſatis inſtructi, quod ex præſepe intelligi poteſt, in quo venerabilis ille locus eſt fœtus, ſolitos eos in aſſiduis corporis laboribus verſari, & hac ratione quotidianum ſibi victum quæritare, porrò Ieſus cum his, ut diuina littera prædicant, eſſet ſubiectus, ſine dubio in proferendis etiam una cum ipſis laboribus, morigeram declarabat ſuam obedientiam.*

Docent alij Chriſtum illo tempore vacaſſe orationi, & ineffabili contemplationi, illius operari erat oratio, & ſubleuatio deifica, quæ omnia reſerata in corde ſuo conſeruabat dulciſſima mater.

Sub hoc Ramuſculo contemplare amabilem contentionem inter Mariam, & Ieſum, quomodo honore, & reuerentia ad alterutrum ſe perueniebant, illa genibus flexis, vt adoraret, ille vt honoraret, & obediret. Heù quoties ad inuicem ſe benedicebant, & benedictionibus ſe cumulabant; ſingula membra ò Maria, ò Virgo benedicant te, & cor tuum, de penu cordis tui benedictionibus repleatur cor meum, vt ſciat te amare, te laudare, te benedicere.

Benedictum ſit nomen tuum in æternum ò humilis Virgo Maria, mater Ieſu filij Dei, te precor ò Maria, monſtra te eſſe matrem, & miſerere mei, quoniam in te ſola ſperat, & confidit anima mea, ſub vmbra huius ramuſculi protege me nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

DE

DE ADOPTIONE FILIORVM in Ioanne.

RAMVSCVLVS QVINQVAGESIMVSSEXTVS.

Cum vidisset Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat dicit matri suæ, Mulier ecce filius tuus. Ioan. cap. 19.

PIetatis grande spectaculum, nouæ huius commutationis grande mysteriũ, Christi Iesu, & Mariæ, matris, & filij, amoris verò, & dilectionis grande incendium. Sub hoc quinquagesimo sexto ramusculo nunc ò anima mea tibi proponitur contemplandum, si Iesum piè spectes morti addictum, & agonizantem in cruce, & Angelis, & hominibus, & creaturis omnibus lacrymabile magis, & admiratione dignum, quale spectaculum? flent Angeli pacis, & amarè, & mundi machina tota, concussione montium, tremore conuallium petrarum ruptione, Planetarum obnubilo, & tenebrarum amictu, inuoluta conspicitur, & cooperta.

Si matris Virginis iuxta Crucem stantis, & filij spectes commutationem noui filij, & quæ hac commutatione acerbior, & afflictior? astat mater filio cruci affixo clauis, qui capitis, & oculorum nutu, tam matrem discipulo, quam discipulum matri designauit, quando defatigato sibilo, & voce laxa
Io. Eu. dixit Ioan. Euang. cap. 19. *Mulier ecce filius tuus*, & discipulo, *ecce mater tua*. Quibus certè verbis intimabatur Virgini hoc amoris nouo vulnere, quòd erat iam proximè orbanda filio, quem ex se genuit, & tunc verè experta est,
Paul. Ap. quam *Viuus est sermo Dei*, vt inquit Apostolus ad Hebræos cap. 4. *& efficax ac penetrabilior omni gladio ancipiti, per tingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum.*
D. Bern. *An non tibi gladius*, inquit D. Bernardus serm. super signum magnum, *fuit sermo ille, pertransiens animam vsque ad diuisionem animæ, & corporis, mulier ecce filius tuus. O commutationem, Ioannes pro Iesu traditur, seruus pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro vero Deo, quomodo afflictissimam tuam non pertransiret animam tonitruus vocis huius, sic lacrymabilis? quando nostra licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatione scinduntur.*

Super dolentis vulnera matris, matri vulnus vox addidit commutationis, sed ò pietatis, & amoris filialis affectus, dũ infert vulnus, leuaminis attulit medelam, si vox erat amantis filij, amatæ, & amanti matri compatientis; & vndè vulnus ad dolorem? vel noua plaga ad mortem? hoc nec proferebat tempus, nec tolerabat amor, nec sustinebat dilectionis affectus, qui de filij cordis pene tralibus deprompsit vocem illam ad solatium desolatæ matris, & in pignus erga eam sui perfectissimi amoris, nam cum dilexisset eam, in finem dilexit illam, vt non solum propter eam, finem viuendi, verum & in ipsam penè finem faceret loquendi dum velut inter vltima verba testamenti curam matris cuius debitorem se cognoscebat, dilectissimo transcribit hæredi.

Si erga matrem, Ioannem, &c. ò anima mea cordis Iesu amoris spectes incendium, quid eo ardentius, quid vehementius eo? cuius flammas nec remittere, nec cohibere valuit illa ex vulnerum Iesu nubibus exorta sanguinis inundatio, nec tot lacrymarum potuit, & si non extinguere, mitigare saltem imber inundans, & nimbus, quin altius

cua-

euaporaret, erumperet, & ardentius incalesceret, & arderet. Amantium est, in rei amatæ solatium, amantis absentiæ, dolenter ingemiscentis, & dolentis imaginem, amantem, & amatum, ad viuum, quantum fas est expresse repræsentare relinquere.

O nimis alta Ioannis laus, & dignitas, quando ipse solus fuit archetypi Christi viua imago, vere electus ex millibus, vt desolatæ matris ex absentia filij esset solamen, & solatium. Consolationis solatium est habere, cui pectus aperias, & cum quo arcana participes, cui committas secretum, vt colligas tibi virum fidelem, virum qui in prosperis gratuletur, tibi in persecutionibus adhæreat, & compatiatur in tribulationibus. vnde dicebat D. Gregorius Nanzianz. orat. 6 *Amicus fidelis hortus conclusus, fons signatus. qui opportune aperiantur, & communicentur, amicus fidelis solatij portus.* O quam pie, & prudenter in locum eius Christus Iesus suffecit, & subrogauit Ioannem, ad matris leniendos dolores, consopiendas molestias; vnde dicebat de Ioanne D. Hilar. *Ad desolatæ solatium charitatem filij in discipulo relinquebat.*

D. Greg. Nanz.

D. Hilar.

En quam prouide hoc præuidit, & prouidit dilectus filius in vltima cœna super pectus sui obdormire fecit Apostolum, qui ex illo Christi pectore, in quo non solum sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ reconditi, veluti ex fonte hausit tunc Euangelista fluenta doctrinæ diuinæ, qua vti torrens inundans vberiori cœlestium charismatum inundatione arentia, & squalentia mentium nostrarum humanarum deserta irrigauit. sed erat diuini amoris, & æternæ charitatis fornax igne succensa. *Et hanc*, inquit D. Hilarius, *reliquit in discipulo ad desolatæ matris solatium.* O vehementia amoris, quam sublime flammas attollis, pendebat de Cruce, pericula non timet sua, contemnit dolores, mortis, passionis pœnalitatum, cunctorum cruciatuum obliuiscitur, sed non obliuiscitur matris, de qua est sollicitus, comendans eam discipulo, vt illi esset in solatium in die desolationis suæ, & tibi ô anima mea in tuæ saluationis adiutorium, & illius erga te amoris argumentum, cum viuæ vocis oraculo, & in mortis articulo à moriente Iesu audis. *Mulier ecce filius tuus*, & ad discipulum *ecce mater tua*. Io. Eu. c. 19.

D. Hilar.

Ioan. Eu.

Perpetua illa Christi Iesu secretrix Virgo mater Maria, & verborum, ac factorum illius fidelissima conseruatrix, sicut à diuino filij sui nesciuit vnquam se subtrahere aspectu, sicut subsecuta est vsque ad Golgotha, & stans iuxta crucem Iesu lacrymosa, dolens, & mœrens, vt leuaret eam filius à luctu mortis suæ, ab ægritudine illa maxima animi angore, anxietate, solitudine, & mœstitia dixit ille. *Mulier ecce filius tuus*, quæ verba si attente obseruas, non minus ad desolatæ matris solatium dicta intelliges, quam ad tui consolationem, & in argumentum tum Iesu, tum Mariæ erga te perfectissimi amoris.

Electi & iusti, filij Dei nominantur, non solum quia cum Christo eandem carnem habent, sed ea potissimum de causa, quod Christo per fidem, & charitatem vere, & intime annectuntur vt sint vnum cum ipso, & ex hac vnione Christi Iesu cum iustis coniunctione dimanat, *vt vnusquisque nostrum*, inquit D. Paschasius lib. 4. in Matth. cap. 6. *renascatur in Christo, dum per adoptionis gratiam vnum corpus in eo efficitur, & nomen nouum accipit, vt patris filius dicatur, & cohæres Christi in regno Patris efficiatur.* Perpende anima mea hunc erga te Christi amorem, quo te in Dei Patris filium adoptauit, & intelliges cum D. Gregor. Nissen. in lib. de beatitudinibus orat. 7. quod est inexplicabile beneficium, huic tamen tali, ac tantæ rei, quam neque videre, neque audire, neque ratione perpendere licet. *Is qui pro nihilo in rebus vniuersis, reputatus est homo qui cinis, qui fœnum, qui vanitas est conciliatur ac in locum filij assumitur à Deo, & Domino rerum vniuersarum*; quæ gratiarum actio huic beneficio par inueniri potest? quæ vox? quæ sententia? qui cognitionis motus? quibus insuperabile beneficium celebretur.

D. Pasch.

D. Greg. Nissen.

Inexplicabilius redditur, si attendas Christi amoris erga te vehementiam quando non contentus dare tibi patrem suum in patrem, Ioannis testimonium est hoc dicentis. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, nunc & matrem tibi concedir in matrem, vt sis eius frater, & soror ex hoc eodem patre, & ex hac eadem matre.

Ioan. Eu.

Astruunt hoc mysterium verba ipsa. *Mulier ecce filius tuus*, naturalis enim

Vir-

Virginis partus vnus est, & vnum genuit, sed partu affectiuo seu adoptiuo, tot genuit, & generat in dies, quòd à no bis diffiniri non possunt, quando Iesus dixit matri. *Ecce filius tuus*, nunc in Ioanne omnes nos suæ matris adoptauit in filios. Audi D. Bernardin. Senens. tom. 1. serm. 55. cap. 3. *Intelligimus in Ioanne*, inquit, *omnes animas electorum, quorum per dilectionem Beata Virgo facta est mater*. Verba hæc, *Ecce filius tuus* igitur non sunt commendatitia, & virtute tantæ subrogationis. Ioannes verè & realiter factus est Virginis filius adoptiuus, in cordibus vtriusque, hoc est Mariæ, & Ioannis vim amoris tam immensi transfunderunt verba illa, quo nunquam mater amauit filium à se genitum, & nunquam filius dilexit matrem à qua generatus est, vice sigilli fuerunt verba illa, quæ amoris dextera fortiter pressa in corde Virginis erga Ioannem, materni amoris stemmata, & in pectore Ioannis erga Virginem cudere valuerunt filialis imaginis, vt illa hunc amaret verè vt filium, & hic filiali honore, ac reuerentia, & dilectione illam amaret, honoraret, obediret, ac si esset verè, & naturalis eius filius, & vi vtriusque ad inuicem amoris videbantur corda eorum, ita copulata in vnum & transformata in idipsum, vt haberēt vnum velle, idem amare, diligere, præoptare, & idem sibi arrogare. Ad hoc spectant verba D. Laurentij Iustiniani in lib de triumphali agone cap. 18. *Ecce filius tuus*, inquit ipse, *discipulum quem diligo præ cæteris tibi commendo in filiū, & quemadmodum comes ità integerrimæ Virginitatis tuæ fit custos, obtemperabit vt filius, & tu de illo sicut me qualicumque fueris solatio.*

D. Bern. | D. Laur. Iustin.

Diuus meus Bernardus, qui in meditatione horum verborum, *Mulier ecce filius tuus*, multus erat, quærit ad quid dixerit Ioanni, *Ecce mater tua*, si per illa prima verba, *Mulier ecce filius tuus*, sicut satis erat Mariæ intelligere, se matrem Ioannis constitui à filio, ita satis erat Ioanni scire se constitui filium Virginis, ideò hic filius, quia illa erat mater, & Virgo, ideò mater, quia Ioannes erat ei filius, ad quid? ecce mater tua, nonne fuit idem asserere, et iterare?

Sic respondet Sanctus in hoc mutuæ charitatis affectum mihi commendare videtur, ac si diceret, vnum absque alio satis non erat, imò necesse fuit vnum alteri addere, vt vtrique onus amoris ad inuicem exprimeret, & sciret vnus ab altero amoris pensionem exigere. Amātium proprium est amare, & amari, matribus autem, quæ verè amant, proprium est amari, ità & filijs amari, & amare, quando dixit matri. *Mulier ecce filius tuus*, ac si dixisset, ò Virgo ama Ioannem vt filium, ad hoc illum tibi commendo vt ames, & vt mater illi soluas amoris debitum, quando dixit Ioanni, *ecce mater tua*, idem sonat ac si diceret, Ioannes & tu ama Mariam vt matrem, esto tu illi in filium, & ipsa erit tibi in matrem, hoc non fecit natura, sed gratia vt in amborum cordibus arderet eadem ad inuicem amoris flamma, noluit vnum sine altero non connectere, vt amore indissolubili essent colligati, quemadmodum mater, & filius. Sic interpetratur, & asserit D. Bernard. de passione Domini cap. 10. Hoc docuit cum matrem discipulo, & matri discipulum mutuò commendauit, nolens vt charitas spiritualis ex vna parte frigida remaneret vt esset Ioannes, & nos in Ioanne Christi fratres tum ex parte patris, tum ex parte matris, nexu diuini sui amoris, quo erga nos ardebat, connectere voluit, hisce verbis. *Mulier ecce filius tuus*, vni, *& ecce mater tua* alteri.

D. Bern.

O imperscrutabilis erga nos Christi dilectionis abyssus? ò ardens amoris incendium, patrem suum nobis dedit in patrem, quando potestatem nobis contulit filios Dei fieri, & matrem suam in matrem nostram substituit, quando in Cruce pendens dixit Ioanni, *ecce mater tua*. Quid tuæ salutis ò anima mea simul & Christi Iesu, & Virginis matris maius, & euidentius amoris erga te argumentum? hoc spiritu prophetico præuidens Sanctus Propheta Dauid in non vulgari argumento complexus est vtramque dignitatem, & filiationis excellentiam quando dixit in psalm. 109. *ex vtero ante luciferum genui te.*

Dau. Pr.

Quæ verba licèt Diu. Ireneus lib. 2. contra heres. cap. 6. D. Hilar. lib. 12. de Trinitate, D. Atthanasius lib. 1. de fide sua. D. Ambrosius lib. 4. de fide cap. 4. & in lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 11. interpetrentur de ęterna Christi generatione, qua à Patre secun-

D. Iren. | D. Hilar. | D. Attan. | S. Ambr.

cundum diuinitatem Christus fuit genitus aute luciferum, hoc est in illa æternitate, verum non obstat quo minus illa intelligamus de temporali Christi generatione, qua seruata omninò matris integritate, ortus est ex Virgine.

Tertull. D. Ioan. Damasc. Theod. Aecum. D. Aug. Ità Tertullianus lib. 5. contra Marcionem, D. Ioannes Damascenus orat. 1. de Natiuit. Virg. Theodoret. & Aecumenius in epist. 6. Pauli, & D. August. in commen. huius psalmi, qui inter multa, in hæc prorupit verba. *Ex vtero ante Luciferum genui te*, ex vtero Virginali, & hoc ipsum ante luciferum signate dictum, & propriè dictum, & sic impletum, nocte enim natus est Dominus ex vtero Virginis Mariæ indicant testimonia Pastorum, qui vigilias exercebant super gregem suum, & natus est in splendoribus Sanctorum, quia instar splendoris maxima cum puritate, & sanctitate prodierit ex Virgine Maria.

Quę sub velamine horum verborum appellatur aurora, pro eo, quòd bi nos habemus. *Ex vtero ante luciferum genui te*, in hebræo legitur, *ex vtero auroræ ros natiuitatis tuæ*. D. Hieronymus transtulit. *Quasi de vulua orietur tibi ros adolescentiæ tuæ*. Rabbi Moysis Hadrasan in Genes. c. 25. ex scripto; Rabbi Barachias legit. *De matrice auroræ tibi ros natiuitatis tuæ*.

D.Hier.

Rab.Mo. Rab.Bar

Verè auroræ Mariæ nomen, hoc in loco ascribitur, non solum quia ex huius pulcherrimæ, & purissimæ auroræ vtero, absque vllo viri opere Christus Dominus, tamquam ros quidem cœlestis, summa cum totius orbis lætitia; imò & fæcunditate prodierit, hæc enim sunt roris præcipua munera, quando labitur in terram, terram lætificare, & fæcundare.

Et quæ maior fæcunditas? quàm quæ in Maria probatur? quando sub his verbis ecce filius, & ecce mater tua, mater electorum in Ioanne constituitur, quorum adoptiua generatio assimilatur, & meritò generationi roris aurora. propter multitudinem indefinitā eorum, qui adoptiua generatione generantur. Non comparatur generationi mulieris, quæ vel vnum parit, vel tantū duos, sed generationi roris auroræ, quę generans rorem, non vnam guttam, vel duas tantum, sed innumerabiles roris guttulas simul producit, & multiplicat in millia, quando descendit de cęlo.

Ad hoc nomen auroræ tribuitur Mariæ, quia de ea nascens Christus, prodijt ex ea veluti ros in aurora, vt capias ex hoc tu anima mea, & Virginis fæcunditatem in generatione adoptiua electorum, & tuam simul intelligas dignitatem, & Christi Iesu, & Virginis matris erga te charitatem, & amorem, dum tecum patrem suum Deum, et Virginem suam matrem voluit habere communem. Audi Riccardum in lib. 6. *Maria & si carnaliter vnicum genuit filium, in eo tamen spiritualiter mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum primogenitus Christus*, vndè signantèr dictum Lucæ cap. 11. *Peperit filium suum primogenitum, vt esset ipse primogenitus in multis fratribus*. Quid altius? quid gloriosius conferre potuit? quam vt esses Christi soror, et frater, tum ex parte patris, tum ex parte matris. Cognosce et si non vales ex te ipsa ex verbis D. Petri Damiani sic loquentis in serm. 1. de Ioanne Euangel. *Quoniam non ab alio, sed ab ipso veritatis auctore Maria dictus est filius, nemo iure videtur maior meritis eo, qui speciali quadam gloria frater est saluatoris*. Memorare anima mea, quòd et in Ioanne ad hunc dignitatis gradum es assumpta, quando illi matrem commendauit, et matri Ioannem, non dixit, ecce Ioannes, sed ecce filius tuus, et ad illum, non tibi Mariam commendo, sed ecce mater tua.

Riccar.

Luc. 11.

D Petr. Damian.

Quidquid habes, à Virgine, vel per Virginem habes, en quantum illi debes quantum vt mater laborauit pro te, et pro te quantum passa est Maria, ama illam, honora illam. Dicam tibi ò anima mea, quæ Tobias dixit filio suo, *honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius, memor esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo*. Tob. cap. 4.

Tobiæ.

Quę et quanta passa sit Maria pro te, vt capias velim scias, quòd partus duos tantum habuit Virgo, primo fuit in splendoribus Sanctorum, hoc est absque dolore, et absque suæ puritatis, et integritatis detrimento, imò vt alias dictū est, cum sui cordis lætitia, quo partu peperit filium suum primogenitum, secundus partus fuit iuxtà crucem, et in conspectu filij sui agonizantis, quem si supra se incomparabilitèr diligebat, hinc est quòd passa est vltra humanita-

tem,

S.Amad. tem, & vt dicit D. Amadeus vicit sexum, vitæ hominem, magis torquebatur in filio, quam si torqueretur in se. Dolor testis est fidelissimus amoris, & quo altius crescit hic, eò profundius penetrat, & crescit ille: pende Virginis in filium amorem, si potes, & cognosces animæ illius angustias, & dolorem, quo premebatur in Christi passione; certum est enim dilectionis magnitudinem: magnitudinem inferre doloris, & qui non diligit, non dolet, & eò crescit dolor, ei quem amat, condolendo, quo scit amantem, pro eius amore pati.

Si attentè, si deuotè attendas hunc tui partum ex Virgine, quanto dolore fuit illa oppressa in tempore partus, te parturiens sub arbore crucis, in angustijs, in cruciatibus morientis filij, genuit te, & peperit te, & astans illa filij, quascunque plagas, quæcunque vulnera, quoscunque dolores filius sentiebat, & suscipiebat in corpore, compatiendo mater suscipiebat in visceribus cordis sui, vt clariora fiant.

Duos filios Rachelem peperisse legimus in Genes. cap. 30. num. 25. *Et vocauit nomen eius Ioseph:* & in 35. num. 18. & Genes. ob difficultatem partus periclitari cœpit: *& egrediente anima eius præ dolore, & imminente iam morte vocauit nomen filij sui Ben-oni, idest filius doloris mei*: Pulcherrima Rachel Maria quando peperit primogenitum vteri sui, fuit in splendoribus sanctorum sine dolore, imò cum ineffabili lætitia, & veluti Ioseph meruit vocari, seu appellari filius accrescens Iesus, filius accrescens, quia nascens ex ea, non sustinuit manus eius, vt vas illud Virgineum laxaretur iniurijs, quia plurimum à cæteris differens natura communicabat non culpa, partus huius primogeniti non fuit cum iniuria suæ puritatis, sed cum argumento suæ integerrimæ integritatis

Post cuius partum flagrans Virgo desiderio nimio nostræ salutis, cum Rachele dicebat, addat mihi Dominus filium alterum, & cum peruenisset ad partum, quia in cruciatibus filij sui, & angustijs parturiuit nos, veluti illa mulier in Apocalypsi, repleta doloribus cruciabatur, vt pareret, & vocauit nomen eius Benoni, filius doloris mei.

Quilibet electus filius est doloris Christi, & matris Mariæ, hæc enim nos genuit in doloribus filij sui, tàm vehemens ergà nos amor ardebat in corde Virginis, & nostræ saluationis tàm vehementi tenebatur desiderio, quòd vellet si ei à filio datum fuisset, & vitam profundere, & aliquam partem saltem habere ad opus nostræ redemptionis, & salutis: at Christus non indigebat adiutore, vt prædixerat in persona Christi, Propheta Isaias cap. 65. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum:* & Is. proph. docuit his verbis D. Ambrosius: *stabat non degeneri mater spectaculo, & quia per Crucem Christi salus omnium parabatur, putauit aliquid se publico addituram muneri, sed Christus non indigebat adiutore.*

Verum quidem, quòd Maria nec sanguinem fudit, nec vitam pro nobis posuit; attende tamen anima mea cor illud virginale, pende si vales, corde illius amoris incendium, pectoris Virginei de tua salute ardens desiderium, quòd si non fudit sanguinem, ad effundendum paratissimũ eius cor erat, & si nõ posuerit pro nobis animam suam, exposuit, cordis martyrum subijt, licet non corporis. Expende ad hoc verba Riccardi Ricc. de de Sancto Laurentio lib. 2. de laudibus S.Laur. Virg. par. 2. *Filio ponente animam pro salute mundi, mater, & si non posuit, exposuit tamen, & quòd potuit, fecit, nec ipsa defuit martyrio corporali, sed ei defuit corporale martyrium, corde tamen plusquam martyr fuit*: ad hoc subiecuta filium ad hoc stat iuxtà Crucem, & compatiens filio miscebat dolores doloribus, pœnas pœnis, cruciatus cruciatibus, morti mortem filius in corpore, mater in corde, cum filio cupiebat cruci affigi, & cum eo consacrificari: hinc cum Riccardo, vbi supra dicere possumus Christo de cruce pendenti: *Verum est Domine, quòd non sit vir tecum, sed mulier vna est tecum, quæ omnia vulnera, quæ suscepisti in corpore, suscepit in corde, & sicut lancea militis perforauit latus tuum, ita gladius doloris eius animam pertransiuit.*

Et si tot, & talia passa est, quando te genuit, & peperit sub arbore crucis, nonne meritò te appellat Ben oni, filius doloris, & vt pulcherrima Rachel ad partum Beniamin anima exalauit, mysticè mortua est pro doloris immensitate Et si dolor amoris testis est, en quantum te amauit, quantum te dilexit, vt Mariæ dicere possis, quæ Paulus Apo- Paul Ap stolus ad Roman cap. 8. in persona omnium

nium dicebat Deo: *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; Commendat Maria charitatem suam in nos &c. quia reconciliati sumus per mortem filij sui, qui vt esset ipse primogenitus in multis fratribus, patrem, & matrem voluit nobiscum habere communem, & quæ non doluit in partu primogeniti, dolet nos parturiens iuxtà crucem, sub qua peperit te Beniamin, idest filium dexteræ.

Notasti superius, quòd nostra adoptiua ex Virgine natiuitas rori comparatur in aurora. Ex vtero auroræ ros natiuitatis tuæ: grande mysterium, quòd vt capias, attende. Conchilium in scopulis maritimis procreari, & ex rore cęli efficitur mater vnionis, seù margaritæ, quæ coloratur iuxtà dispositionem seù qualitatem cęli, vt puta si serenum est cęlum, albo colore vnio generata præfulget, si obscurum, seù nubilolum ad fuscedinem illa tendit. Generationis modus est, aperit Conchile os suum cœlum versus, rorante cœlo, fœcunditatis dono ditatur, & ex rore cęlesti generat, & parturit vnionem. Christi passio mare fuit, vt ipsemet per Prophetam testatur in psal. 68. *veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*: huius maris scopulus, petra illa fuit Caluarię montis, in qua fixa erat Crux Christi, cuius corpus quot stillas sanguinis ex membris omnibus stillabat, tot guttulas roris veluti de cœlo rorabat, & quot pendens ex ea, verba proferebat, tot roris stillas in corde matris, quæ omnia illa conferebat conferens in corde suo, pluebat, & stans illa iuxtà Crucem Iesu, verbis illis: *mulier ecce filius tuus*; veluti rore in aurora, effecta est ipsa cęleste Cōchylis.

Dau. Ps.

Antequam suus Iesus emitteret spiritum in illa vltima mortis agonia, inquit D. Euangelista Ioannes cap. 19. *aperuit oculos suos, vt videret matrem, ità cum vidisset Iesus matrem*, ò quàm lacrymosus, & doloribus plenus hic Iesus erga matrem intuitus? quid hic tunc in matris reliquit impressum in corde? Vnico illo intuitu omnes angustias, pænas dolores, cruciatus, afflictiones, amaritudines, angores, agonias, & vulnera, vt pari molestia mater afficeretur in corde, vt ipse in corpore, exhibuit. Vndè dicebat D. Laurentius Iustinianus in lib. de triumphali agone cap. 18. *Tunc effectum erat cor Virginis clarissimum speculum passionis filij sui*: & veluti manus horologij deforis præmonstrantis horam intus latentem. Præmonstrauit obtutus ille oculorum Christi, quidquid triste, & pœnalitatum hic patiebatur in corde matris, cui & si dixit: *mulier ecce filius tuus*: effecta tore cœlesti fæcundata genuit ros, quorum alij, alij candidati apparent, dùm in hac vita huius matris lacte, & precibus, & meritis statum obtinent innocentiæ: alij lacrymosi, & compūcti, qui peccatorum suorum donum impetrant compunctionis, sed quòd est mirabile in partu huius virginalis cōchilij, quòd vbi multitudinem filiorum generat infinitam, tanta est vis amoris erga omnes, ac si esset vnus tantummodo: tanta est huius matris bonitas, tàm suauis suorum viscerum pietas, & affectuosa sui cordis charitas, sic amat vnum, vt et omnes, sic omnes vt et vnum, sic est sollicita de omnibus, vt de vno.

Io. Eu.

D. Laur. Iustin.

Obseruasti quid natura operatur in conchile, hoc Margaritam generat, sed & vnionis nomen imponit, in vno conceptu multæ generentur, & multę sint, quo ad nomen, vniones vocantur, inquit Plinius: *quòd ferè nulli appareant indiscreti, difficillimè duæ reperiuntur Margaritæ, quæ non differant inter se colore, quantitate, & figura, & nihilominus vniones dicuntur*. O cęleste conchilium, rore illo diuino: *Ecce filius tuus*; multorum filiorum, & penè innumerabilium mater efficitur, & licèt tot sint, multi, & infiniti, vniones dicuntur, non est, qui ex illis appellari non possit vnicus, cum quilibet ametur à Virgine, ac si solus esset filius, cur hoc? O anima mea. Audi Diuum Dionysium Areopagitam de diuinis nominibus cap. 4. *Amor est virtus quædam vnitiua, separationem nesciens*: amor facit vt tibi inuigilet Virgo, ac si relictis omnibus alijs de te sola est sollicita: illi ita est cura de omnibus, ac si de vno, & de vno, ac de omnibus, ita te diligit, ac si alios filios non haberet, & ad te solam omnium cura translata esse videatur; stà igitur sub vmbra suæ protectionis, ibi viue, commorare, & quiesce sub eius adiutorio, hic est affectus filij fidelis, vt ea, quæ communiter omnibus sunt præstita, sibi soli præstita reputat.

Plynius.

D. Dion. Areop.

Nato puero Iesu vix suis manibus hæc Virgo mater eleuauerat è terra,

quod

quòd statim: *reclinauit illum in Præsepio* super fœnum in medio duorum animalium: locus à Deo electus nonnè matris sinus? matris pectus? matris vbera? matris brachia? si mater erat, & mater dilecti, & vnici filij, quem & Deum esse sciebat, cur in Præsepio, & super fœnum reclinat, & non in sinu suo Virgineo? cur hoc? Nisi in sui erga te amoris clarissimam argumentum, vt tuæ salutis quanta sit sollicita ostendat, vt tuo bono vacaret, & quam magis cor eius premeret tua salus, quam proprij filij zelus, filio se priuat, vt tuus sit, super fænum reclinat, & in Præsepio exponit. Audi quid dicat, Theodotus Anciræ Episcopus in Concil. Ephes. *Rerum indigentia operata est nobis prophetiam*: ac si diceret, illa pueri Iesu à matre reclinatio in Præsepio, non compulit necessitas, non fuit indigentia, sed nostræ saluationis oraculum, reclinans Maria filium in Præsepio hoc actu prophetauit, vt tibi totum tribueret in pignus amoris, agit tecum non vt seruus, sed vt filius, & si illa te amat vt vnicum, & tu ama illam, ac si alium filium non haberet.

Theod. Ancir. Episcop.

Recordare anima mea Verborum Diui Hilarij dicentis, quòd *ad desolatæ matris solatium, charitatem filii in discipulo relinquebat*: vt matris deliniret dolores, & mortis suæ placaret cruciatus, mitigaret & pœnas, suam charitatem, suum amorem in pectore depositauit Ioannis, vt iacturam, & absentiam læto animo toleraret, haberet vnde solaretur, pectus erat dilectissimi sui discipuli, illi quasi filij sui penu, & armarium, seu theca erat datum ad solatium, & consolationem.

D. Hilar.

Eua mater viuentium, amisso Abel, genuit Seth, & læta de nouo partu ait; *Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel*, Lib. Genes. cap. 4. quę verba explicans Diuus Chrisostomus in Genes. cap. 4. inquit; *Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abele, quem interfecit Cain, generosè ferens quod fiebat, consolationem statim meretur, & præmium*: patienter perferens Eua mortem Abelis, vt tanti filij iacturæ satisfaceret Deus, & matrem consolatetur. Seth dedit illi, homo datur illi, quæ hominis amissionem deplorabat, & lacrymabatur, quem perdidit Maria homo, & Deus, & sad desolatæ Virginis solatium tradit Deus Ioann. num homo iste purus valuit Dei iacturæ satisfacere? & matrem Virginem consolari? & quidem valuit, non quia homo, sed quia vices Dei gerebat Ioannes. Audi non me, sed Diuum Arnoldum in tractatu de septem Verbis Domini. *Vices filii naturalis filius accępit adoptiuus*: ideò potuit Euam matrem pro morte Abelis consolari Seth, quia hic virtutes primi iam defuncti accępit: dicam & amplius. Seth ob præclaras eius virtutes, vt Deus habebatur, & qui de eius linea nascebantur, Dij vocabantur, sic habet textus in Genesi cap. 6. *Videntes filii Dei filias hominum*: et ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, filij Dei hoc est filij Seth, Seth ab omnibus illius temporis fuit appellatus Deus.

Genes. S. Chrys.

S. Arnol

Genes.

O Deus cordis mei, si Eua mater viuentium ad sui consolationem de morte Abelis, filij sui meruit accipere hominem quasi Deum, vt consolatio responderet iacturæ, cur non magis, non verius Maria? quæ amisit hominem Deum, vt solatium responderet dolori, et præmium iacturæ, ad sui consolationem hominem meruit accipere vice Deum.

Theophilactus in Ioanne in hæc verba: *Ecce mater tua*, inquit, *ecce mater tua, tu eris pro me*; Quid est, tu eris pro me. Quando quis substituitur, & occupat locum absentis, absentis præsentia, & virtutibus frui debet, & gaudere, vt in toto illum repręsentet. O anima mea si Iesus ore suo, & viuæ vocis oraculo substituit, & subrogauit pro se Ioannem in Virginis filium, quid miraris, si desolatam valuit consolari, dum existens in sua natura humana hac substitutione, & subrogatione Ioannes factus est Deus, vt iacturæ compensatio sit æqualis, Deus datur pro Deo, vices filij Dei accæpit Ioann. filius factus adoptiuus, non natura, sed gratia subrogationis. Pende verba Origenis in Ioann. cap. 1. *Ioannes ille Deiuidus omnem visibilem, & inuisibilem superat creaturam, deificatus in Deum intra se deificantem, non enim aliter poterat ascendere in Deum, nisi prius fieret Deus.*

Theoph.

Orig.

En quomodo ad consolationem desolatæ pro Deo amisso compensatur Deus Ioann. & Virgo potuit dicere, *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel.*

D.Aug. Confirmat D. Augustinus in Ioann. cap. 19. in hæc verba; Mulier ecce filius tuus, inquit ipse: *Alterum pro se filio quodammodo prouidebat*; Si Ioannes vices Christi gerebat, quid mirum? si datur Virgini ad solatium, & in suæ mœstitiæ consolationem,& remedium, Guarric. quòd & clarius probat Guarricus ser. 2. de Assumptione, introducit pijssimus hic vir Virginem sic alloquentem: *Sufficit mihi meus nouus in carne Angelus, discipulum dico, quem meus diligebat Iesus, quem mihi dilectionis suæ reliquit hæredem, quum me illi, & illum mihi in Cruce commendauit, cuius obsequium nihil mihi gratius, quia conuersatione, & affectu nihil castius, moribus nihil suauius, nihil sincerius fide, nihil sanctius sermone*. Cur non consolari potuit Virgo cum filio hoc, quem ei reliquit filius, si Ioannes in moribus artissimè copulabatur cum Virgine? amittens Maria filium suum vnigenitum, libentissimè concurrit, & iuit ad adoptiuum, cur hoc? Nisi quia apoptiuus hic erat eiusdem propositi cum Virgine, hic eligitur inter cæteros Ioannes propter morum, & voluntatis propositum, & similitudinem.

S.Arnol. Pulchrè Arnoldus tract. in hæc verba probat; *Probatoque discipulo pudor virgineus assignatur, vt testis esset idoneus Virgo Virgini. Vices filii naturalis, filium accipit adoptiuum, & transfunditur in ministerium filialis affectus, formaturque & firmatur in ambobus pietatis vnicæ gratus, consorsque complexus, non ex traduce naturæ, sed ex munere gratiæ, vnum igitur contubernium Ioannis, & Mariæ virginitas accipit, & vnius moris in domo, vnum integritatis propositum, vnam habitationem meretur, communemque conuictum, conueniunt in vnum affectum, in vnum cor Ioannes, & Maria*; nec possunt à se inuicem diuidi, nec separari, vnanimes sunt, & concordes, & cur hoc? Non ex natura, sed ex virtutum muneribus, & morum conformitate, vt inquit Arnoldus; *Non ex traduce naturæ, sed ex munere gratiæ*.

Si in Ioanne adoptata es, & tuò anima mea in filiam Virginis, vt sis illi solatij, & illa tibi in matrem, esto & tu illi in moribus conformis, similis in virtutibus, sectatrix in dilectione, & in dilectione, & in puritate cordis, in simplicitate mentis, in integritate corporis imitatrix, & æmulatrix, vt & illa sit tibi in matrem, quæ te lactet, nutriat, alat, pascat, protegat, & defendat, & de tua salute sit sollicita, ad hoc in articulo mortis suæ Virgini te commendauit, & tradidit tibi in matrem, in cuius corde, vt impressius hæc tui commendatio fixa remaneret, & tuæ salutis Virginis memoriam nulla vnquam deleret obliuio, vltimo vitæ reseruauit imprimendo.

O incendium charitatis, & dilectionis diuinæ erga te, si Dominus Iesus bonorum omnium largitor est, ipse fons gratiarũ, & donorũ supercælestiũ, ipse Corona, & coronator, præmiator, & præmium, & alio non eget mediatore, cur matri commendat, cur matri committit, quòd ex seipso solus potest.

Vt capias cuius apud Deum potentiæ sit Maria, cui ille te commendat, ipse est qui dat omnibus affluenter, et non improperat, ipse dat velle, et perficere, ipse potest dona sua conferre, et elargiri quando vult, et quantum vult sua sunt omnia, si potest, et vult, ad quid commendat matri, vt et ipsa cum ipso interueniat, et apud ipsum interpellet pro nobis, et apud ipsum nostræ salutis negotia ipsi soli pertractare committit?

In causis nostris pertractandis, quòd de se dubitat Deus, in Maria pro certo ducit, plus Mariæ quam sibi confidit Deus, nam dum tot sunt nostra scelera, et nostra crimina multiplicantur in dies, vndè in corde Dei disceptant simul zelus iustitiæ, vt puniat, flagellet, et pœnas debitas inferat, amor vt benefaciat, et nobis dona sua largiatur, ne prævaleat iustitia, sed amor, quid factum est? nihil aliud, intret Maria, quæ et iram placare potest, et veniam impetrare. In salute tua reparanda ò anima mea, stat solus Iesus ex parte iustitiæ, sed ex parte amoris, misericordiæ, & pietatis, stat Maria. Audi Diuum Bernardum serm. de B. Maria: D Bern. *Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc, omnis sufficientia ex eo est, sed nobis bonum non erat esse hominem solum, congruum magis vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset, fidelis planè, & potẽs mediator Dei, & hominũ Christus,* sed

ſed diuinam in eo verentur homines maieſtatem, opus eſt mediatore ad mediatorem iſtum, nec aliter nobis vtilior, quàm Maria: Salua res eſt, vbi interuenerit Maria, quæ ad hoc tibi data eſt in matrem, vt tuæ ſalutis negotia ſecurè committas, eſto, & tu ei in filia mter ſub hoc Ramuſculo vt matrẽ ama, honora, ſpera in neceſſitatibus, ad eam exclama, dic ei, ò mater incorrupta, Virgo fœcunda, filius qui datus eſt tibi, filios tibi dedit, vt ſint omnes cõformes imaginis eius, & ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, itaque ab ortu vſque ad occaſum dilata Virgo mater tui ſinus Virginea tentoria, vt caſta generatio filiorum tuorum ſub eis caſtrametans, dilatetur, & ipſa, tui lactis enutrita mammis, creſcat in millies, tuis ſemper repleatur benedictionibus, vt ſic benedicta addiſcat, & ſciat dignè te amare, te honorare vt *matrem*, & benedicere nomen ſanctum tuum, quòd ſit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Ieſu filij Dei, te præcor ò Maria monſtra te eſſe matrem, & miſererẽ mei, quoniam in te ſola ſperat, & confidit anima mea, ſub vmbra huius ramuſculi protege me, nunc, & *in hora mortis meæ*. Amen.



DE VVLNERATO VIRGINIS CORDE in latere filij sui.

RAMVSCVLVS QVINQVAGESIMVSSEPTIMVS.

In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Iob cap. 29.



O Insensibile cor meum, ô somniculosa anima mea euigila iam; sta et tu super articulos pedum tuorum, quia stat et Maria iuxtà crucem Iesu, specta spectatricem pijs oculis spectantem filium in cruce dilaceratum, conscissum vulneribus super vulnera, manus habentem clauis confixas, pedesque perforatos, fundentem ex vnaquaque corporis sacri vena sanguinem, agonizantem, et morti proximum, et sicut non valuit sanguinem abstergere, ligatum soluere, inclinatum sustinere, sitienti potum aquæ ministrare, sic nequiuit mederi vulnera, nec mærentem, nec flentem præ tristitia potuit consolari.

Spectabat pia mater fel, acetum, flagella, spineam coronam, clauos, & vulnera, spectabat, & lanceam, & pectoris vulnus, quæ eo viuente, non est ausa illum irruere, dicente nobis Euangelist. Ioan.Eu. Ioan. cap. 19. *Vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit.*

Cur non viuentem, sed mortuum lancea illa crudelis sic temerè non dubitauit inuadere, & adoriri? dicam quæ sentio, voluit Christus matrem suam suæ passionis habere consortem, & vulnerum, et passionis instrumenta partiri Lansper. inter se. Audi pijssimum Lanspergium. *Diuisit Christus, inquit, cum matre sua huius vulneris iniuriam, vt ipse quidem persecutionem, & vulnus acciperet, sed tamen dolorem non sentiret, mater verò hujus vulneris in se pœnam reciperet, sputa, flagella, spinas, crucem, clauos Christus sibi retinuit, matri verò sua seruauit, & reliquit lanceam.*

Hinc arbitror Ecclesiam dulces vocare clauos, dulce lignum, dulce crucis, et passionis pondus, lanceam verò diram, et crudelem. *Quo vulneratus insuper mucrone diro lancea*, et quidem, si lancea non percussit viuentem, sed iam mortuum, satius erat eam appellare dulcem, clauos verò crudeles, et diros, nam vulnus quòd pungit, vexat, et cruciat amarum est, at quòd non sentitur dulce, sed dulces nuncupasse æstimo clauos, dulce lignum, dulcia pondera mortis, quia manus, pedes, caput, et Christi Iesu corpus percusserunt, et vulnerauerunt, at lanceam meritò crudelem, quia terebrando Christi latus, Mariæ matris animam perforauit. Sic docet nos Diu. D. Bern. Bernard. serm. de Annunciat. *Verè, inquit, tuam ô Beata mater animam gladius pertransiuit, quando crudelis lancea filio iam mortuo, latus aperuit, ipsius nimirum animam iam ibi non erat, sed tua planè ibi aderat.*

Imò per totius vitæ suæ curriculum semper in latere filij posuit Virgo nidũ suum, pectus illud erat Mariæ suæ quietis nidus, ibi contemplationis somno obdormiens replebatur dulcedine diuina, ibi dulci meditationis sopore absorpta eleuabatur in Deum, ibi velut noua phœnix viuebat vita immortali exaturata tantummodo solis radio, & rore cœlesti, ibi desideriorum supercœlestium cordis sui fouebat oua, ibi reponebat quidquid filij sui arcanorum sugebat quasi apis argumentosa de floribus sacræ scripturæ ibi alebat, nutriebatque pullos cogitationum pectoris sui, in hoc nidulo viuens viuebat, & vixit, & in hoc elegit mori. *In nidulo meo moriar.*

O flebile spectaculum, ô lacrymabi-

le

le mysterium, idcircò stabat iuxtà crucem, vt intelligas ò anima mea, nidum non dereliquisse, stabat Maria sexu imbecillis, animo virilis, disciplinata, verecunda, intrepida, fortis, constans, patientissima, plena lacrymis, immersa doloribus, firma in fide filij sui, & ibi stare impellebat amor, vbi erat cordis sui nidus, & dum staret, quid accidit? ò Deus cordis mei, caput inclinans Iesus matrem versus vbi inclinato capite, patri tradidit spiritum, reliquit matri vltimum vale, & vltimum cum lacrymis suspirium, quo percussa doloris gladio,
D. Bern. inquit D. Bernard. tractat. de lamentat. Virg. *Stabat emortua mater, vox illi non erat, quia dolore attrita iacens, pallebat, optabat mori magis, quam viuere post Christi mortem, quæ male viuens, emortua erat.*

Quasi in amantissimis matris luminum sepulchris moriens filius sepultos vltimos suorum oculorum reliquit obtutus, at nihilominus tantum luminis, & lucis illi superstitit, vt sæuientem militem videret in filium iam mortuum, & diro lanceæ mucrone illius crudelitèr inuadere pectus, & perforare latus, & dum filij lateralis plaga emittit aquã & sanguinem, Virgo mater amplexata crucem, lacrymas tundebat, suspiria, & voces emittens dicebat, en ò Simeon, nunc gladius, quo mihi prædixisti cor meum traijciendum, ecce gladius ò mi fili, ò mi Deus, ecce & tuæ matris vulnus, dolor tuus est dolor meus, quia cor meum est cor tuum, tua mors cor meum subijt, viscera mea sunt disrupta, lumen oculorum meorum obtenebratum est, & pectus meum crudelis pertransiuit gladius, lugete mecum ò vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte dolorem meum, & vulnus profundum cordis mei contuite, & fixis oculis in latus apertum, audio dicentem, & tu ò sacer nide, in quo lætantes simplices columbæ morantur, recipe columbam tuam, licèt mæstam licèt lugentem, quæ de crucis nidulo ad huius cauernam maceriæ, ad hæc foramina petræ descendit, vt commoretur in illis sic inuitata, *veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ* quæ si in illis viuens nidificaui, & in ijs moriens ædificabo & sicut palma multiplicabo dies meos.

In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies, Iob cap. 29. Palma Iob nostra virginea siquidem palma est assimilata palmæ filio, nam dum Ioannes nobis eam describit stantem iuxtà crucem Iesu, cuius crux palma nominatur à D. Gregorio. *Potest per palmam Chri-* D. Greg. *sti crux intelligi*, inquit ipse, *quæ cœleste cibum nobis præparauit*, nostræ salutis igitur fructum Crucis palma nobis edidit, & attulit, si Christi crux, in qua fuit Iesus clauis dirè confixus, dicitur Palma, & Virginis statura assimilata est palmæ, crux Christi palma vna, & Maria stando iuxtà crucẽ effecta est palma fæcũda, crux palmæ nomen sibi vẽdicat ex fructu, quẽ maturauit inter ramos suorũ brachiorum, magis non ẽ palmæ sortiri meretur Maria, quæ eũdẽ fructũ confixum habebat in corde. Ad hoc spectant verba D. Laurentij Iustiniani de triumphali agone cap. 18. *Effectum* D. Laur. Iustin. *erat cor eius clarissimum spectaculum passionis Christi.*

Contemplo D. Bonauenturam in D.Bona. suo stimulo amoris, & audio dicentem. *Quæro matrem Dei, & inuenio spinas, & clauos, quæro Mariam, & inuenio vulnera, & flagella*, erat anima illius absorpta in tali inquisitione, in mentis excessu, & credo audiuisse vocem Virginis sibi dicentis, ò anima quæris me, velim scias, locus habitationis meæ, & nidus meæ quietis est plaga lateris filij mei, ibi habito, quoniam elegi eam, ibi nidifico, si me videre cupis, quære me in vulnere lateris Christi, ibi enim habito, ibi nidus meæ consolationis, ibi me reperies, frustra alibi quæsitura, & in illo mentis excessu excessit seipsum, & exclamauit, quæro matrem Dei, & inuenio spinas, & clauos, ac si dixisset, flores quibus filij tui crux adornatur, sunt spinæ, iam in te rosas conuersæ, & eædem sunt, quæ cor tuum coronant ò Maria. Quæro matrem Dei, & inuenio clauos, si claui filij tui cruci illius deseruiunt pro Topazio, quo pulchrior redditur, & diuitior, ij similiter sunt, qui pectus Virginis præ omnibus pulchrius reddunt, & amabile. Quæro matrem Dei, & inuenio vulnera, si plagæ Christi tamquã pyropi crucem decorant, & ornant, multò magis cor Mariæ, in cuius sinu gratiarum cumulum plagæ illæ euacuaut, meritò statura tua assimilata est palmæ, & præcipuè ob constantiam inuincibilem Palmæ. Maria palmæ filio assi-

D.Arnol asſimilatur, dum ſtabat iuxtà Crucem Ieſu. *Palma*, inquit D. Arnoldus tract. de ſeptem verbis Domini, *non cedit pon deri, non ceſsit Virgo dolori*. Vndè & pijſ Pijſsim. Amad. ſimus Amadeus ſubinugit. *Vicit Virgo ſexum, vicit ætatem, & paſſa eſt ſupra humanitatem, ſtabat, non ſedebat*. Intro- D.Anſel. ducit D. Anſelmus Mariam ſic loquentem. *Quia ſi ſederem, omnia tormenta filij mei videre non poſſem*, vidit, ſenſit, experta eſt, & in corde ſuo conſeruauit omnia, quæ filius geſsit, & dixit, & ipſa ſui cordis vota conſeruanit in corde filij, hoc erat eius nidus, & theca ſecretorum cordis ſui.

Anima mea ſi quæris Mariam, quære in vulnere lateris filij ſui, Ieſus, & Maria vnum erant per dilectionem, vndè omnia, quæ Chriſtus patiebatur in corde, mater patiebatur in anima. Sic teſtatur Guarricus Abbas ſerm. 4. de Aſſumptione. *Planè iuxta Crucem Ieſu ſtabat mater, cuius mortem dolor crucis ſimul crucifigebat. Quid mirum*, inquit D.Arnol Arnoldus, *ſi omninò tunc erat vna Chriſti, & Mariæ voluntas, vnumque holocauſtum, ambo pariter offerebant Deo, hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis*, & vt clarius intelligas, nota, quæ dixit D. Laurent. Iuſtinian. de agone Chriſti. *Cor Virginis fuit clariſsimum ſpeculum paſsionis Chriſti, & perfecta mortis eius imago*, perſpicuum fuit Maria ſpeculũ, & quid accidit? quemadmodum ſi vulneratus quiſque ſe in ſpeculo introſpexerit, & imaginem ſui, & cum imagine vulnera neceſſe eſt vt videat, vulnera, quibus vulneratus languet, neceſſe eſt vt appareant, & expreſsè, & clarè repræſententur in ſpeculo. Si Maria eſt ſpeculum terſiſsimum Chriſti crucifixi viuum, non mortuum, quidquid fiebat in filio, mater velut ſpeculum exhibebat, & vulnera, & paſsionis inſtrumenta ad viuum repræſentabat, ſpinæ cor eius transfigebant, claui terebrabant, fel, & acetum amaricabant, dira, & crudelis lancea acutiſsimo cuſpide confodiebat, & penetrabat, vndè dicebat D.Bern. D. Bernard. ſerm. de paſsione. *Quòd in carne Chriſti agebant claui, & lancea, hoc in Virginis mente naturales affectus, & materna anguſtia*.

Huius, & illorum affectuum acerbitas, & dolorum cordis Virginis immenſitas, ne te laterent, nam ea, quæ in occulto ſunt, ab omnibus ferè ignorantur dum Virgo in nidulo cordis filij ſui clam cuncta paſsionis eiuſdem conſeruabat abſcondita. O amoris incendiũ, ò dilectionis Chriſti non explicabilis immenſitas, dextrum latus ſibi aperiri permiſit, vt tibi pateret aditus, & filij pectoris ianua iam aperta, inuenires tu Mariam, cordis illius dolores, & angores agnoſceres, & intra cordis tui viſcera intimè ſentires per compaſsionem, & amorem.

In hoc vulneris lateris Chriſti nidulo multus erat D. Bernard. ſerm. 2. de D. Bern. paſsione Domini, & quadam die cum in eum cecidiſſet mentis exceſſus, quærere cæpit cauſam huius dexteri lateris Saluatoris vulneris, & cum mente meditaretur verba illa Canticorum cap. 4. Cant. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum*, ſi ictus lanceæ fuit vnus, plaga vna, cur duplici vulnere ſponſus conqueritur eſſe vulneratum? vulnus vt patefaceret vulnus, latus vulnerati coegit, propterea latus vulneratum eſt, vt per vulnus viſibile, nos vulnus amoris inuiſibile videremus. Contingit nõ ſemel in quorundam morte, qui abſque vllo morbo, ſeù infirmitatis ſigno præcedente moriuntur, pectus aperire, & cauſam repentinæ mortis exquirere, quando Chriſtus expirauit in cruce, Pilato mors eius viſa eſt ferme repentina, vndè dicit textus, quòd miratus eſt ſi iam obijſſet, & incredulus veritatis, accerſito Centurione interrogauit eum, ſi iam mortuus eſſet, cur ſic miratur? cur de veritate hac manifeſta per tot ſigna dubius, & incredulus? nimirum, quia cum pluries interrogaſſet Ieſum, teſtatus eſt, *Ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam* Luc. Eu. *mortis inuenio in homine iſto*. Luc. cap. 23. *Chriſtus peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius*. Petr. Apoſt. Petr. Ap. epiſt. 1. cap. 2. & nos ſcimus ex D. Paulo, *quòd mors per peccatum intrauit in mundum*, ſi peccatum non fecit, ſi non præceſsit morbus, cum accepiſſet à Ioſeph ab Arimathia, quòd mortuus eſſet mortis cauſam ignorans, vt inueniatur, aperiatur pectus, ad hoc acceſsit Longinus, *& lancea latus eius aperuit*, & carnale vulnus exterius oſtẽdit ſpirituale interius, & quòd erat hoc vulnus ſpirituale? niſi quo intus vulnerauit amor.

O anima mea, & cuius erat amoris huius flamma, niſi ſignanter Virginis

Mariæ ? Nam si pro qualibet anima fideli amor diuinus sic cor Christi vulnerauit ad salutẽ, quãtò fortius, quãtò vehementius pro prima redẽpta, prima prędestinata, & saluata merito passionis Christi; imò & Virginis amore, vt est patrum sententia, mundum creauit, mundum redemit, mundum sustentat. Lege

Galat.
D. Bern.

Galat. in lib. 7. arcanorum Catholicæ veritatis cap. 2. & clarius D. Bernardus serm. 1. in Salue Regina : *de hac, & ob hanc, & propter hanc omnis scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est, & hac gratia Dei plena est, & per eam homo redemptus est, Verbum caro factum est, Deus humilis, & homo sublimis.*

Et si hanc Virginem super omnes creaturas incanduerat diuinus amor, ita vt videretur Maria tota migrasse in amorem Dei, & charitatis dilectionem diuinæ, ac si esset ipsissima charitas. Sic appellat eam Spiritus sãctus Dei amor,

Can. c. 3.
D. Greg.

& ignis: *ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam.* D. Gregorius Nyssenus legit : *Neque euigilare faciatis charitatem.*

Hic amor effecerat, vt esset speculum passionis filii sui, & perfecta mortis imago, sed intus in nidulo cordis latebat abscondita, vt tibi innotesceret, quo & quanto Christus te dilexit amore, quot qualia sunt, quæ pro tui amore, & salute passus est, & si doloris pondus amor est, quoniam quò iste magis ardet, magis ignescit, & plus cor amantis adurit, eò ille medullitus pungit, penetrat, terebrat, & premit, vt tibi patefaceret, quàm vehemẽs, quàm intimus, & quàm immensus, & inexplicabilis fuit dolor Virginis, & suę animę cruciatus, & męror, in passione filij lancea voluit aperiri latus, vt vulnus amoris deforis appareret, non solum corpus, verum etiam cor ipsum mucrone lanceæ vulnerari permisit, vt carnale vulnus, vulnus cordis ostendat spirituale, & intelligas, quòd ictus lanceæ non fuit Virginis cordi acus punctura, sed crudelis cuspidis grandis apertura.

D. Bern.

Audi Diuum Bernardum: *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum : Vtriusque enim vulneris ipsa soror, & sponsa:* Et quę verius Dei sponsa, & soror vt Maria? ac si sponsus aperte diceret: *quia zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum ; quis enim palo cor suum vulnerari permitteret, nisi prius amoris vulnus accepisset.* Si vulneratum conspicis latus Christi, huius vulneris causa fuit vulnus amoris, & matris dilectio.

O diuinum incendium, ò charitatis dilectio, si plaga cor percussit amoris pectus lancea conuulnerauit longinus, vt te sui excitaret ad amorem, & matris inuitaret ad compassionem, quam et si cupis inuenire, intueri, & compati, audi ipsam dicentem. *si me videre cupis, quære me in vulnere lateris Christi, ibi posui nidum, ibi habito, ibi me reperies, frustra alibi quæsitura.*

D. Bon.
In stim. amor.

Scito anima mea alibi te non posse inuenire Mariam, nisi in lateris vulnere filij sui. Antequam Christus expirasset primo inclinauit caput, dicentibus Euang. *Inclinato capite emisit spirtum* : huius capitis inclinationis causam exquirentes patres, multa contẽplati sunt, D. Athanasius in lib. 4. ad anrio. *Inclinauit Christus caput, vt nutu capitis accersiret mortem, vt veniret: Christus omnis peccati expers fuit, & stimulus mortis peccatum, quid mirum si non audebat accedere.*

D. Ath.

Diuus Ambrosius : *Inclinauit caput, quia homo post peccatum terram versus facie remansit inclinatus; sic dictum Caino legimus, cur cecidit vultus tuus? vt posset secum homo eleuare caput cœlum versus, voluit ipse moriens inclinare caput.*

D. Amb.
Gen. c. 4.

Hac capitis inclinatione voluit nos, inquit Arnobius, docere humilitatem, alij obedientiam; alij quam esset graue onus peccati, quòd illi fecit caput inclinare, alij honorem Deo Patri, in cuius manus commendauit spiritum, exibere debitum, alij Regię dignitatis in titulo expressę fugam, alii peccatoribus exibere misericordiam. D. Augustinus in lib. de Virg. inclinasse caput ad osculum pacis, & reconcillationis, alij vt Diuus Chrysostomus hom. 104. vt ostenderet, quia non moriebatur ex necessitate, sed ex voluntate. D. Bernardus, inclinans caput quærebat, qui eius abstergeret sanguinẽ, & in corde suo seruaret; alij vt vltimum vale daret matri; alij inclinasse Christum caput suum deorsus illud inflectendo pectus versus ad dexterum latus, vt signaret capitis nutu vulnus, simul, & vt ostenderet tibi capitis sui inclinatione thesaurum bonorum omnium

Arnob.
D. Aug.
S. Chrys.
D. Bern.

tuû :in absconditû, vt tu illum effodias, & inuenias. latus lancea iussit aperiri.

Vt capias, quæ dico, attende, quæ ex aliorum sententia scribit Platina in vita Leonis Papæ Noni. Cùm Robertus Guiscardus ex gallia venisset in Italiam cum ingenti exercitu, & eiectis ex ea Græcis, & Mauris occupasset Apuleam, inuenit quādam statuam marmoream mirificè fabrefactam, quæ & caput corona ęnea habebat redimitum; in cuius circulo per girum erat inscriptio hisce mandata litteris; *Occidente Sole in Ariete, caput auri*; ad huius inscriptionis intelligentiam indagandam, ex omni parte cum confluxissent multi, omni scientia præditi, in varias quoque defluxerunt intelligentias, sed à veritate quidem valdè alienas, inter quos fuit quidam Maurus ipsiusmet Guiscardi seruus, & captiuus, qui non veræ vtique scientiæ ductu; sed potius magicæ artis obseruatione nouit, & intellexit ænigma, omnisque difficultatis clauum ipse exemit, & erupit; obseruauit enim vbi ad solis occasum iam existentis in Ariete, illius statuæ terminabatur vmbra: caput siquidem statuæ à tergo percussum à sole vmbram ablongam efferens emittebat in terra, & obsignato capitis vmbræ vltimo termino, ibique effodere cępit, in quo, & thesaurum inuenit absconditum, quo & Principem à sua miseria, & seipsum à miserabili seruitute redemit; dum tanti beneficij non ingratus Robertus seruum libertati donauit, qui et inscriptioni præstitit intelligentiam, & omnis dubietatis absoluit quæstionem.

Platina.

O prodigia, ô miracula, ô mysteria diuinæ sapientiæ, quid est Maria, nisi bonorum omnium locuplex thesaurus, & gratiarum Dei immensissima abyssus, ab Angelo audiuit; *Aue gratia plena, Benè sola Maria gratia plena*, inquit Diuus Ambrosius, *quæ sola, gratiam, quam nulla alia creatura meruerat, consecuta est, vt gratiæ repleretur auctore*; & illo de quo inquit Paul. Apost. ad Colossens. cap. 2. *In Christo sunt omnes thesauri sapientię, & scientię Dei absconditi*. En Maria thesaurorum Dei optimus thesaurus, cum dicat Diuus Hieronymus; *Cæteris per partes præstatur; Maria verò tota se infudit plenitudo gratiæ*: Ad hæc respiciens dicebat pijssimus Riccardus à Sancto Laurentio lib. 10. de laude Virg. *Benè Maria gazophilacium vtriusque Ecclesiæ, quia quidquid boni nobis pauperibus dare disposuit munificentia diuina, in ipsa velut in quodam gazophilacio congregauit*. Vndè dicta est gratia plena non solum donorum Dei thesaurus, sed vt Idiota in lib. contemplationis Virg. vocat eam *thesaurariam gratiarum ipsarum*.

D. Amb.

Paul. Ap.

D. Hier.

Riccar. à s. Laur.

Idiota.

Sed erat thesaurus absconditus in theca, seù penu cordis Christi filij sui, hic erat nidus suæ quietis, audi dicentem tibi, *si me quæris videre, & inuenire, quære me in vulnere lateris Christi, ibi habito, ibi nidifico, frustra alibi me quæsitura*.

Christus in cruce mortuus figuraliter exprimitur in illa statua marmorea cum sua inscriptione, qui alio nomine, sol vocatur; *orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitię*; Malach. Proph. cap. 4. & alias in Scripturis sacris, sic repperies nominatum; mors Christi accidit mense Martij, in quo sol domum habet in Ariete, nemo est, qui hoc inficiat, cum esset in puncto, vt declinaret ad occasum mortis, antequam spiritum traderet in manus patris sui, inquit Euang. *Inclinato capite*; Sole occidente in Ariete, caput auri. Sacri Doctores, vt supra multa circa hoc inclinationis capitis mysteria contemplati sunt, non dico, quòd abierunt longè à veritate, sed tantum à meo instituto.

Malach. Proph.

Quando Christus caput inclinauit necesse fuit vmbrā facere in latere Christi dextero, qua vbi capitis inclinatione locū vulneri pręsignauit, præmōstrauit, ibi delitescere thesaurum illum, qui est vtriusque Ecclesiæ gazophilacium.

Ibi absconditus erat thesaurus Ecclesiæ, pretium scilicèt redemptionis humanæ, sanguinis & aqua, thesaurus Sacramentorum Ecclesiæ, quæ omnia fluxerunt de latere Christi erat, & thesaurus suæ matris Virginis, heù anima mea non ligone, non mucrone lanceæ, vt Ille miles fode latus, sed amoris, sed cordis, sed pietatis, sed compassionis, sed meditationis, contemplationis, sed orationis lancea fode, vbi vmbra signat locum, & tibi præmonstrat thesaurum; *Si me quæris videre, inuenire, quære me in vulnere lateris Christi filij mei, ibi habito ibi nidifico, ibi viuo, & ibi moriar, ibi sicut palma multiplicabo dies multos*; attende quid dicat; *qui me inuenerit, inueniet*

D. Bona. in stim. amoris.

eniet vitam, & anriet salutem à Domino; En tua libertas, tua salus ò anima mea, en opes,& diuitiæ, quibus à miseria, & penuria redimere te potes, tene Mariam,& nihil timebis, quoniam ipsa est thesaurus gratiarum Dei.

In nidulo cordis Christi commorâs iuxtà crucem quasi mestissima turtur Maria, tunc mortis dolores, & angustias millies est experta, angor, & meror, vulnera, & mors, filij quodam mirabile echo formabant in pectore Virginis matris, omnes referens Christi pœnas, & dolores, dolente Iesu continuò dolet,& mater: Christo tristante, tristatur & Maria, filio cruciato, cruciatur & mater, meritò D. Bernardus Mariæ dolores nominat inexplicabiles, hom.super verba; *Stabat iuxtà Crucem Iesu mater eius*:inquit,*ò dolores inexplicabiles, ò ineffabilis reciprocatio sancti amoris,filius patitur,& intus valdè compatitur matri;mater verò compassa est patienti filio*; Tantus nempè impetus passionis Domini Iesu fuit, vt quasi torrēs ipsum impleret patientem, quia teste Psalmista; *De torrente passionis in via bibit*,vt sic Christo impleto, in matrem flueret compatientem,qua similitèr impleta ad filium redundaret inundatio amaritudinis,& doloris.

Si Christi passio, & mors commouit terram, scidit saxa, diuisit velum templi,aperuit sepulchra,solem obscurauit, et tenebrarum caliginem effudit super vniuersam terram;num ad lacrymabile illud filij sui spectaculum potuit cor matris esse insensibile? & quòd senserunt inanimata,non sensit rationis compos? et mater? et quæ anima valet dolorum Mariæ immensitatem commensurare,et verè sentire quanta fuerit illorum acerbitas, et immensitas, intellige ex hoc, quòd scribit Hieronymus; *Punctura acus,Christo inflicta, vulnus lancea erat in corde Mariæ*; ò anima mea quid claui? quid spinæ? quid flagella? quid lancea? si cordi illi ictus lanceæ erat acus punctura, dicat qui capit, dicat cui datum est intelligere, et sentire, vnum dico,nō erat ictus vulneris in carne Christi,quòd velut echo non responderet in corde matris.

In Canticis lamentabatur Maria; *Inuenerunt me custodes,qui custodiunt Ciuitatem,percusserunt me,& vulnerauerunt me*.Cant.cap.5.Capto Christo in horto à turba illa, et ducto in Ciuitatem, sequebatur mater, vt videret omnia, sed non legimus fuisse compræhensam,nec percussam, nec vulneratam, percussiones,flagella sustinuit Christus, non mater,vulnera passus est Iesus, non Maria, cur se percussam, et vulneratam conquæritur? *In nidulo meo moriar*,erat mater Maria in filio, quorum erat caro vna, cor vnum, et anima una, quid miraris anima mea,si percusso filio percutitur et mater, in filio flagellato flagellatur,et ipsa,in cruce affixo,clauis amoris crucifigitur et ipsa, moriente filio, quasi emoritur et mater, in Iesu percutitur Maria, in Christo vulneratur Virgo, filij uulnera, passiones, dolores, et mors sua erant; idcircò inuenerunt me custodes percusserunt me,et uulnerauerunt me. Subscribitur huic sententiæ Hailgrinus adducens Mariā sic loquentem: *Pontifices, Scribi, & Pharisæi, qui ex officio custodire debebant Ciuitatem, appræhenso vero custode filio meo,inuenerunt me in ipso,percutientes eum, percutiebant me, vulnerantes eum, vulnerabant & me*. Cur hoc? quia inuenerunt me in ipso,erat Maria in filio, & filius in Virgine, quid miraris, si quid passus est filius passa est & mater, quæ viuebat in filio, & in morte filij experta est, & mori, & ipsa, quando dicit: *In nidulo meo moriar*,&c.

Dum vulnus lateris Christi signantèr fuit vulnus cordis Mariæ, illius enim vulneris dolorem Christus non sensit,sed pertulit mater,& sustinuit Virgo: En Simeonis oraculum in Virgine iam consumatum. Luc. Euang. cap.2. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius doloris*.

Sub gladij nomine sancti senem omnes Virginis dolores,quos sustinuit stās iuxtà crucem credo comprǽhendisse, sic videtur intellexisse,& Venerab.Beda in Lucam;*Tuam ipsius animam pertransibit gladius doloris, idest dolor passionis Christi, quia non potuit eum videre crucifigi sine affectu materni doloris*:confessit pijssimus Ansbertus in festo Purificationis Virginis: *Quamquam multa tribulationes animam transfoderint Beatæ Virginis: illa tamen hic specialiter designatur, quæ Domino in cruce moriente materna viscera transfixit*: quæ autem fit hæc vna tam singularis, nisi gladius lanceæ docet D. Bernardus, & vulnus

Marginalia: D. Bern. — D. Hier. — Cant. — Iob. c.19. — Hailgr. — Luc. Eu. — Vener. Beda. — Ansber. — D. Bern.

lanceæ, quòd non sensit filius, sensit & mater, animam matris transuerberauit, & transfixit, quæ per amorem erat in corpore emortuo filij sui.

Profunda sunt Simeonis verba, si attendatur, ly ipsius; *& tuam ipsius animã pertransibit gladius doloris.* Nota verba, anima mea, & dulcia signa mysteria, vel referas ad Christum, & erit sensus, & tuã ipsius scilicet Christi animam, quæ quidem est tua per amorem, vel referas ad Virginem, & erit sensus, tuam ipsius animam, quæ est ipsius Christi creatione, redemptione, & amore. Sed altius contemplanda sunt verba hæc, ly ipsius nec ad Christi, nec ad Virginis animam est referendum, sed ad gladium illius Longini, & hic erit sensus, gladius, & mucro lanceæ, quo vulneratum est Christi latus, pertransibit animam tuã: O mira sententia, & lacrymosa meditatione digna, qua exprimitur immensitas doloris Virginis, dum esset in nidulo cordis filij sui. Constat quia Maria
D.Hier. tantum doluit, inquit D. Hieronymus serm. de Assumpt. Virginis, vt totam animam pertransiret, ac possideret vis doloris, meritò idem Sanctus vocat Mariam plusquam martyrem: *Beata Dei Genitrix, quia spiritualitèr passa est gladio passionis Christi plusquam martyr fuit.*

Non gladius doloris, sed ferrum ipsum quo latus filij vulneratum est, vulnerata fuit anima matris. Vi perfectissimi amoris anima magis est vbi amat,
Plato. quàm vbi animat, Platonis sententia est, amantis anima in corpore amãtis est, quæ viuificat, & informat, & in corpore amati, quòd amat, & diligit: hic amoris dulcissimus ligatur vinculis, ibi naturæ tenetur nexibus, hinc dicitur, quòd amicus est alter ego: *viuo ego iam non ego,*
Paul. Ap. dicebat de se D. Paulus Apost. ad Galat. cap. 2. *viuit verò in me Christus.*

In Virgine erga filium nõ erat tantũ modo amor naturalis, sed supernaturalis qui excedit omnem amorem naturalẽ; vehementèr amabat, ardentèr diligebat, & anima eius in nidulo sui corporis erat, naturali colligata nexu, at in nidulo pectoris filij sui, erat vinculo amoris naturalis, & supernaturalis, hinc factum est, vt illo confixo in cruce, cruci illi conclauata erat mater, & filio mortuo: quando Virgo suis oculis vidit latus illi aperiri mucrone diro lanceæ in corpore filij non erat anima ipsius, iam expirauerat, iam in patris manus spiritum tradiderat. Ioan. Euang. cap. 9. Ioan. Eu.
Ad Iesum autem vt viderunt eum iam mortuum, &c. Mucro lanceæ vbi carnem Christi vulnerauit, ibi matris animam transfixit; ita D. Bernard. super signum D. Bern.
magnum: *Et quidem postquam emisit spiritum ille tuus Iesus, ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransiuit, ipsius nimirum anima ibi nõ erat, sed tua planè indè nequibat auelli;* ergo Longini gladius, qui Christi percussit pectus, & intulit mortem carnis, idem ipse Beatæ Virginis animam cruciatu maximo affecit, ipse pertransiuit matris animam, qui & filij diro ictu vulnerauit pectus.

Si Christus latus aperuit vulnificus Calybs, & senex Simeon prophetando dixit: *& tuã ipsius animam pertransibit gladius doloris*; Ly ipsius, vt supra dictũ est, refertur ad gladium, qui ferreus fuit, & acutus; quid dubitas anima mea, gladium, qui transfixit animam Virginis non fuisse doloris tantum, sed & ferreus, si fuit idem, quo et vulneratus est filius a: udi non me, sed Proph. Dauidem
in psal. 104. *Humiliauerunt in cõpedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius.* Dau. Pr.
Clauis in cruce confixo Domino, ibidem clauis amoris confixa remansit et Virgo quasi compedibus ligata à cruce discedere non valens, sed stabat iuxtà crucem Iesu mater eius, quid tunc ô Propheta sanctè: *Ferrum pertransijt animam eius*; non Christi quia illa à corpore iam recesserat, teste Ioan. Euang.
cap. 19. *Vt uiderunt eum iam mortuum,* Ioan. Eu.
&c. latus aperuit, si ferrum pertransiens Christi latus non pertransiuit animam eius, quæ iam abierat à corpore, erat in patris manibus depositata, quàm aliam animam ferrum illud pertransiuit? nisi Beatæ matris Virginis, quæ in nidulò cordis filij sui erat, ibi viuere optabat,
et ibi mori. Iob. cap. 29. *In nidulo meo* Iob.
moriar, &c.

Mori cupiebat sed mors illa non fuit ad mortem, at potius ad vitam, nam vbi nos legimus; *Et sicut palma multiplicabo dies meos:* ut Phænix legunt alij. Phænix enim constructo ex myrrha, et thure nidulo ex aromatibus cõfecto lignis in illo amori dicitur, & adusta igne, & in cineres resoluta, de quibus intra bre-

ne tempus vermis, ex eius humore procreatur, de quo noua post triduum Phę nix renouata, renascitur eadem.

Non est mortua Maria ex ictu illo lanceæ, vulnerata fuit, sed non mortua, in plaga illa laterali exusta igne diuini amoris, vt alias dictum est, non moritura expirauit, sed vt multiplicaret dies æternitatis, & in æternum victura.

Emnri te docuit Maria, vt in æternũ viuas ò anima mea, hoc Christi lateris vulnus, tibi est puteus aquarum viuentium, in quibus defatigata, tu refrigereris, est tibi Arca Noë, vt à diluuio salueris, est tibi cœli ostium, per quòd intrãs viræ æternæ posſis pascua inuenire, est tibi refugij templum, ad quod confugiens, immunitate eius gaudens libera ab hostium protegaris incursu, est tibi turris fortissima, in qua est omnis armatura fortium, ad expugnandas Diaboli potestates; est tibi fons patens, in ablutionem peccatorum tuorum: est tibi piscina salutaris, in qua ingrediens salua eris: est tibi porta orientalis, ad quam diuinæ misericordiæ eleemosinam petens mendica anima facilè subuenitur: est tibi Ethna spiritualis ardentissimæ charitatis, & amoris flammas euomens, vt inflammeris Dei amore; est vulnus salutare, in quo recipitur ad medelam medicina salutis: est Mariæ nidus, in quo columbæ morantur, & nidificant, ostium lancea tibi apertum est, ingredere, intuere Mariam, quæ passionis filij sui speculum effecta est, & illi compatere, illam imitare, si eam cupis videre, & compati, quære in latere Christi.

O magna tuæ tepiditatis imò tuæ duritiæ confusio, insensibilia cuncta Creatoris, & matris Mariæ vulnera senserunt, quando petræ scissæ sunt. O anima mea salubre consilium tibi erit, sub hoc ramusculo cor habere lapideum, quam carneum, nam molliores sunt petræ cordibus carnalibus. Proh dolor, tu Deus cordis dixisti per Prophetam

Ezech. tuum. Ezech. cap. 11. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* rogo te per viscera tuæ misericordiæ, per merita huius lateralis vulneris filij tui per angorem, & lacrymas matris Mariæ aufer à me cor carneum, & da mihi cor lapideum, nam cor carneum, adamantina quadam duritie induratũ est, vt nullum compassionis, compunctionis, & doloris in eo appareat vestigium. Si erit lapideum, spero, vt dum scinduntur lapides, & cor meum scindi, vel à saxeis cordis mei venis tua passio, & tuæ matris compassio aquam extorqueat compunctionis, & doloris, percute non Moysis virga, sed tui lateris lancea, qua et percussum intueor tuæ matris penetralia sui cordis, vt dicere possim, & ego: Iob. cap. 29. *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.*

Sit ò Domina mea, sit ò Virgo, & mater tui doloris effectus, sit tui cordis vulneris donum, tuæ passionis, & compassionis meritum, sit tuæ charitatis, & maternæ tuæ dilectionis opus, sit tuarũ lacrymarum fructus meum scindere pectus, rumpere penetralia cordis serui tui, emollire duritiam congelatam liquefacere malitiam, emundare, & dealbare nigredinem vt cor, quòd sua culpa, suis sceleribus coruinam valuit induere naturam, ad columbarum possit ascendere simplicitatem, puritatem, & candorem, & vt columba suum habere nidum, vel in latere filij tui, vel in vulnerato corde tuo; vulneribus tuis vulnera ò Maria cor meum, vt tuo mereatur coniungi vulnerato, tecum habitare in foraminibus petræ, & in hac cauerna maceriæ hic nidificet, hic desideriorum suorum foueat oua, hic nutriat pullos suos, hic viuat, hic moriatur, hic resurgat, vt uiuens ò Maria tibi uiuat, & moriens ò uulnerata Domina mea, tibi moriatur, & resurgens ò spes fidelium tibi resurgat, ut tibi uiua, & sibi mortua, amet te, cupiat tua uulnera, & laudet te, & benedicat nomen sanctum tuum, quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea, sub umbra huius ramusculi protege me, nunc & in hora mortis meæ. Amen.

DE

DE INEFFABILI LÆTITIA cordis Virginis in die Resurrectionis Filij sui.

RAMVSCVLVS QVINQVAGESIMVSOCTAVVS.

Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris. Cantic. cap. 4.



E summo crucis patibulo, corpore Iesu iã deposito, & cunctis erga filium completis tùm maternis, tũ pietatis officijs à mestissima Virgine matre; quæ lacrymis mestitiæ non paucis commendato sepulchro, à quo nocte iam imminente erat discessura, antequã discederet, vt te ô anima mea, non verbis, sed doceret factis, sacri illius loci venerationem filij sui, eum omni cordis affectu, venerata est monumentum illud, vt in tractatu de planctu Virginis contemplatur D. Bernard. *Terminato,* inquit, *sepulturæ officio sacrum saxum materna complectebantur brachia, rigabant oculi, osculabantur labia, & totus gestus corporis inter sua præcordia absorbere videbatur sepulchrum.* D. Bern.

His peractis, regressa est Virgo in Ierusalem, & conscenso cum Ioanne monte Sion secessit in cubiculo suo solitaria, vt mestissima turtur, & à sensibilibus absorpta diebus, quibus filius eius fuit in corde terræ, in altissima contemplatione posita, tum passionis, & mortis filij sui, tum suæ spei, & fidei Resurrectionis eiusdem; cuius anima à corpore separata, si Sanctorum Patrum animas, vt visitaret, & consolaretur, ad illos in infernum descendere non est dedignata, cur in illo triduo parua tantum temporis morula, desinere potuit, non visitare matrem, quæ effecta erat dolorum multitudine, & mestitiæ, acerbitate, & amaritudine mons myrrhę, & amore, & desiderio, & orationis feruore, collis thuris? Christi animæ in limbo degentis esse verba illa; *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris;* facilè persuadeor.

Mons quippè in vertice montium est Maria, ita Isaias propheta, quæ in passione, & morte prolis suæ facta est mons myrrhæ, dum cor eius effectum est speculum passionis Christi, & imago mortis illius. Diuum namque Bonauenturam audi in suo stimulo amoris Virginem sic alloquentem: *Aspicio carissima Domina, cor tuum, & iam non est cor, sed fel amarum, myrrham, & absynthium video, quare matrem Dei, & inuenio spinas, clauos, lanceam, spongiam, atque acetum; quæro Mariam, & inuenio sputa, ludibria, flagella, & vulnera, quia tota conuersa es in ista.* O verè Maria, quia amaritudine plena, quid fecisti? cur vas sanctitatis fecisti vas pœnalitatis? vas tripudij, & amoris, fecisti vas contumeliæ, & horroris? factum est cor Mariæ, verè mons myrrhæ, dum gladius passionis Christi pertransiuit animam eius. S. Bonau.

Sic vulnerata, & amaritudinibus plena, vacans in cubiculo suo orationi, facta est collis thuris, cuius meditationis ardor, incendium, ignis, flamma; cuius orationis odor, & suauiolentia, & cordis illius oratio hæc erat. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara;* ô fili, ô Deus cordis mei, tu gloria mea, tu psalterium, & cithara: exurge iam de sepulchro, ô mi nate Deus, en iam diei tertiæ tuæ obdormitionis, mane illucescit. Dau. Pr. psal. 107. & 56.

Huc vsque demoratus est fletus tuæ mortis, appareat lætitia mane, exurge, videam te, audiam te, amplectar te, deosculer te, te fruar, consoletur me dulcis, & ama-

& amabilis præsentia tua: quid tunc? Astitit Gabriel Angelus in veste candida in habitaculo virginali confortans Virginem, & exhilarens eam illis lætitiæ perdulcissimis verbis: *Regina Cœli lætare Alleluia*; hisque penè finitis, ecce rediuiuus Iesus magno circumfusus splendore, magnaque stipatus multitudine sanctarum animarum, quas eduxerat de limbo, matrem sic audio alloquentem, ô mater, ô mons myrrhæ electæ, esto gaudiorum, & lætitiæ mons, ecce filius tuus, non Ioannes, sed quem genuisti Deum, in gloria, non in cruce, lætitiæ tibi filius, non doloris, gaudij non mœrotis, non mortuus, seù mortalis, sed viuus, immortalis, impassibilis, gloriosus, & victor de inimicis, pelle tui cordis amaritudinem, tui pectoris mæstitiam, mel comede resurrectionis meę, & diei ineffabilis gaudii mei.

Quò! quantum se diffuderit in cor Virginis, balbutit, hoc lingua, humano explicare sermone; *quia* vt testis est Diuus Anselmus de excell. Virgin. cap. 6. *etiam ipsis Angelis est impenetrabile, nolo*, inquit Sanctus, *hanc immensitatem gaudij Virginis penetrare, quis laboret; quoniam qua ipsis Angelis est admiranda, & impenetrabilis, non facile crediderim, quòd alieno homini mortali possit esse penetrabilis*; quid mirum? Si cuilibet creato intellectui impenetrabilis fuit Marię passionis, & compassionis acerbitas, impenetrabilis, & dolorum suorum immensitas, vt immensitati responderet immensitas, iustitia fuit, iuxtà illud Dauidis Proph. psalm. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tua lætificauerunt animam meam*. Vt gaudiorum profunditas absorberet passionum acerbitatem, & lætitiæ pelagus omnes in passione Christi perceptos à Virgine angores, cruciatus, dolores, & amaritudines, vt quę prę cæteris fleuerit, & doluerit, supra cæteros exultaret, lætaretur, & gauderet, & prima omnium videret, & resuscitatæ carnis mereretur præ cæteris frui amplexibus filij sui, qui de limbo exclamabat.

Vadam ad montem myrrhe, & ad collem thuris: Tempore namque Christi passionis, & mortis præ multitudine, & magnitudine dolorum, effecta est Maria mons myrrhæ amarissimus, & præ contemplationis altitudine, & meditationis igne, quo ardentius solito concaluit cor eius, tota videbatur absorpta in filium, ad quem inter ignitos suspiriorum carbones, & lacrymarum flammas sollicitè, & sine intermissione dirigebat suę orationis incensum, vndè & facta est collis thuris suauissimi odoris: intuere vulneratam, lacrymantem, orantem, contemplantem, intuere mæstam, doloribus oppressam, & audi vocem piè, & dulcitèr inclamantem: *Exurge gloria, exurge psalterium, & cithara: Psalterium* iuxtà Clem. Alexandr. lib. 2. de Pedag. cap. 4. *Verbum, & Iesum significat, qui manifestatur elemento decadis*: Dominus Iesus totius gratiæ, & perfectionis plenitudinem in se vno continebat.

Quatenus igitur Christi corpus diuina operabatur miracula; inquit D. Augustinus in psalm. 56. *erat psalterium, quòd in parte superiori resonabat; quatenus humana patiebatur tormenta, erat cithara, quæ ad concentum emittendum in parte inferiori feriebatur, & quemadmodum psalterio artificioso percusso humanis auribus iucundè canitur*: sic Christo Domino humilitèr imploraro Iucundissimè canitur diuinis. Attendè quam iucundissimè percussus orationis odore à matre, *Exurge gloria mea, exurge psalterium, et cithara*; Virgineis auribus resonat, exurgam diluculò, & exurgens venit ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Et quòd hic mons sit Maria Septuaginta interpetres videntur exprimere, dùm legunt ipsi: *Ibo mihi ad montem myrrhæ*; quemcumque alium montem ascendit Christus, nobis ascendit, & non sibi; si cœlum, eo parare vobis locum, si Caluariæ locum, vt opus nostræ salutis perficeret; Virginis vero montem, ait D. Zeno lib. 3. cap. 6. sibi soli ascendit: *Ab æterna sede*, inquit, *profectus Dei filius in prædestinata Virginis templo castrametatur*; hic tendit totius vitæ suæ cursus tentoria, & ab hoc monte nequiuit neque ad horam discedere.

Quando in cruce, inclinato capite, expirauit corpus, vt sepulturæ traderetur reliquit matri, animam vero Patri commendans descendit ad inferos: de hoc descensu loquens. D. August. epist. 99. inquit: *Nulla causa occurrit cur illuc venisset credatur Saluator, nisi vt suos ab illius doloribus saluos faceret*; itaq; quam diù corpus iacuit in sepulchro extitit anima in limbo, vt docent D. Ignatius Mar-

D. Ansel. · Dau. Ps. · Can. c. 4. · Psalm. 56 · Cl. Alex · D. Aug. · Dau. pr. psal. 56. · Septuag. · D. Zeno. · D. Aug.

Martyr epist.ad Trai. & D. Chrysostomus hom.44.in Matth. vt *solutis inferni doloribus* in libertatem gloriæ educeret animas sanctorum Patrum.

Existente autem Christi anima in limbo, ascendit fumus aromatum, & suauissimus thuris odor orationis de thuribulo materni pectoris, Dauid Propheta psalm. 56. & 107. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.* Quid tunc? si Tobia iunior Tobiæ, & Annæ filius ex desiderio, quo tenebatur, & amoris stimulo pungebatur interius, & vrgebatur exterius reuertendi ad suos progenitores, respondit socero eum enixè roganti esse, & demorari apud se, plures, quàm pater suus, & mater decreuerant sibi discedenti dies, dixit illi, victus plus paterni, ac materni amoris vinculo, quam blanditijs, & præcibus soceri sui. — Dau. Pr.

Ego noui, quia pater meus; & mater mea modo dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis; lib. Tobiæ cap. 10. tanta est vis amoris. Heù anima mea, numquid erga Virginem matrem Iesu dilectio, hac erga suos Tobię dilectione, qui nec potuit vinci præcibus, nec retardare promissis, quin euolaret ad suos, fuerit minor, vel minus feruens, vel minus ardens, absit hoc à fidelium cordibus, imò absque computatione vehementior. Hic amor erat, qui Christi animam stimulabat Resurrectionis accelerationem odor thuris illarum precum, lacrymarum, & vocum, ò fili mi, ò benignissime nate miserere Marię matris tuæ, moram, & tarditatem tuæ absentiæ longius non sustinentis. Suscipe præces, & has rumpe iam moras, desine matri tuæ esse durus, qui semper illi fuisti benignus in cunctis, vndè & merito fidei suæ, spei, & amoris meruit audire; *Exurgam diluculo,* meruit & prima videre, & ipsamet Virgo reuelauit B. Birgittę lib. 6. suarum reuelat. cap. 94. *Mihi apparuit filius meus priusquã alijs, quamuis hoc non sit scriptum.* — Tobiæ. — B. Birg.

Cur Deus noluit, vt hæc Virgini facta apparitio mandaretur memoriæ? vt vera, & certissima, quia non erat dubitandi locus, illorum tantummodo apparitiones litteris mandarunt Sancti Euangelistæ, qui ad contestandam Christi Iesu Resurrectionem poterant esse testes, (inter testes omni exceptione maiores non connumeratur Maria, quia mater erat, & ad testimonium præstandũ pro filio, mater minimè adducitur.

Illorum apparitiones prænotarunt Euangelistæ, quos de resurrectione filij sui præordinauit Deus ad testimonium perhibendum, vt dixit Apostolus c. 10. *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis à Deo*: quorum primum locum fęminæ obtinuerant, ex Euang. manifestum est, quod prius apparuerit Iesus fœminis, quàm viris. En diuina sapientia, fœminis primum voluit fieri manifestum, & cur hoc? respõdet D. Petrus Chrysologus serm. 79. *Fit resurrectionis nuncia, quæ fuit mortis interpres, & quæ viro porrexerat interitus tanti nuncium, viris ipsa porrigit magnæ salutis auditum*; fœminæ Christum primò vident, quæ primò vidit serpentem, & fuit mortis nuncium viro suo, fit modo fœmina nuncia vitæ viris; *Quæ mortem primò gustauerat,* inquit D. Ambrosius in Luc. cap. 6. *Resurrectionem prior vidit, veterisque lapsus compensat ærumnam resurrectionis indicio.* — Act. Ap. — Pet. Chr. — D. Amb.

Et inter mulieres prima omnium fuit Maria mater Iesu, quæ resurrectionem Domini prima vidit, & credidit, licèt non sit scriptum, hoc enim si verteretur in dubium, vtique fateri cogimur nunquam apparuisse, quia nullibi apud Euangelistas reperimus scriptum. O quàm elegantèr veritatem hanc exaratam reliquit Rupert. Abbas lib. 7. de diuin. offic. c. 25. hisce verbis. *Quod si idcircò verum non videtur, quia nullus Euangelistarum scriptis hoc attestatur, consequens est, quòd nunquam post resurrectionem suam visus sit matri, quia quando? vel vbi apparuerit illi? nullus eorum dixit, nulli dubium est igitur primo apparuisse Virgini matri suæ.* — Rup. Ab.

Honor maximus æstimatur ab Euangelista Marco prima Christi apparitio immediatè post gloriosissimam resurrectionem suam à mortuis, quem super omnes testatur ipse, Dominum attulisse Mariæ Magdalenæ, cui primum omniũ ante omnes fœminas, cæterosque discipulos rediuius apparuit Dominus. *Surgẽs aũt Iesus mane prima Sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem Dæmonia*; & huius honoris causa, ni fallor, fuit quia hæc sancta mulier plus ceteris erga Dominum ardebat amore, & quæ plus amabat, plus dole- — Mar. 16. cap. 16.

dolebat, plus cęteris flebat, quãdo abeũtibus Apostolis. *Maria stabat ad monumentum foris plorans*; melius erat illi sepulchrum Domini sui custodire, quàm ab eo longius ire, audi non me sed do-
Orig. ctissimum Origenem. *O Maria quid speis? quid cordis? aut quid consilij? erat tibi vt sola stares ad monumentum discipulis abeuntibus? tu ante illos venisti, & post illos remansisti, Cur hoc fecisti? sapiebas plus illis? & quia ardenter amabat, à sepulchro non patiebatur separari*: Cur hoc? nisi vt inueniret, vt videret amatũ, frueretur amati præsentia, en merces amoris, doloris, lacrymarum, & suę perseuerantiæ. Prima omnium meruit gaudijs resurrectionis perfrui, quæ plus cęteris ardebat, vt amor amati respondere
Mar. Eu. ret amantis amori, & honoraret præ cęteris amantem, inquit Euang. Marcus c. 16. *Surgens Iesus mane prima Sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ.*

O anima mea hoc, quòd Christus vni mulieri denegare non valuit, potuit ne denegare matri; *Cuius amor erga filium,*
D. Ans. inquit D. Anselmus, *omnes vincit amores*; multò fortius, multoque ardentius, quàm Magdalena, amauit mater Maria, hinc factum est, vt super omnes prima omnium mereretur resurrectionis gaudia degustare, & dilectionis suæ meritò prima omnium resurrectionis libare primitias, quæ plus ardebat cæte-
D. Anto. ris omnibus. Ad hoc respiciens D. Antoninus p. 1. tit. 5. cap. 7. de apparitione Christi dicebat. *Licèt in Euang. non haberetur, quòd ante omnes primò apparuit Mariæ matri suæ, vt quæ plus omnibus doluit, citius, & magis consolaretur, & quia plus hæc meruit, eum omnibus alijs deficientibus, in fide firma fuerit, & hæc est causa, quare Maria cum cæteris non iuit ad monumentum.* Contra quòd asse-
Metaph. rit Metaphrastes lib. de compassione Virginis, quòd mater sola remansit, sepulchro adhærens, minimè dormientibus oculis perseuerans; Ego quidem
Io. Gers. cum Ioanne Gersone part. 4. de passione Domini, audeo affirmare Virginem sanctissimam sepulto Domino, clausoque sepulchro redijsse Ierusalem, & cũ cæteris fæminis non redijsse amplius ad sepulchrum: *Sola Virgo cæteras in fide longissimo interuallo superabat, credebat filium vnguentis non indigere, sed tertia ad vitam immortalem rediturum, expectabat ergo illum domi, precibus, diuinisque meditationibus vacans, certa de resurrectione, de sepulchro inuisendo non curabat.*

Sed de supercilio montis altissimæ suæ contemplationis speculabatur aduentum filij sui, quẽ iam venientem, & iam proximum, & prænunciaquadam dulcedine præsentijs in corde, & dum sic cor eius noua perfundebatur lætitia; en sacrum Virginis cubiculum ingreditur multitudo Angelorum cytharizantium, psallentium, & dulcitèr canentium comitantibus Patriarchis, & Prophetis, inter quos vidit Ioseph dilectum sponsum patrem suum Ioachim, & Annam collaudantes eam, & benedicentes ei. Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicauimus, nouo gaudio interim perfundebatur cor eius, quando vidit filiũ gloriosum de triumpho, lætum de victoria apertis brachijs occurrentem sibi, cui & obuiam venit, & mater ad inuicem amplexati sunt, & inter amplexus, & dulcia oscula.

Natum amplexata sinu, toto illi pectore inhęret, prima rediuiuis circundat brachia membris, oscula fraganti lateri dans, oscula fronti, dulcia purpureis exurgens vulnera labris, trina Maria flagrent triplici præcordia amore. O anima mea, & quæ tunc cordis Virginis lætitia? quale gaudium? quæ vota, & desideria? quæ vox? quę verba? quę iubilationis laus? quæ gratiarum actiones? nimirum, nec lingua valet dicere, nec littera exprimere, nec cor hominis ascendit, quàm inundanti gaudiorum torrente, & inundatione lætitiæ repletum fuit cor Mariæ; audi Ruper. Abbat. Rup. Ab.
Gestit Christiana deuotio perpendere quatenus torrens gaudij repentè inundans animam eius, ferro doloris confossam inebriauerit, cum rediuiuus filius illi ante omnes mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam nunciauit. Erat tunc Maria anhelans amore, spe, & fide firma, expectabat filij sui videre resurrectionis promissum, irrita ne? & in fraudem adducta fuit hæc matris Virginis spes, & fides? denegauit ne matri Christus, quòd mulieri non denegauit Magdalenæ, cui nam Christus suæ carnis omnium primò resurrectionis aperuit mysterium, si non aperuit matri? Hæc quidem primò vidit rediuiuum filium, hæc resurrectionis filij sui pri-

Dddd mo

riò mella degustauit dulcedinis.

Quòd non duntaxat cogimur fateri pactú auctoritate, & ratione, sed etiam veritate Euangelij. Sepulto namque Domino, vt in eum complerent illæ sanctæ mulieres pietatis officia, docent nos Euangelistarum textus, quòd cum transisset Sabbathum: *Maria Magdalena & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum*; Mar. cap. 16. hoc idem Luc. cap. 24. & Matth. cap. 28. sed Euang. Marcus non solum aduttorum mulierum describit, sed & tempus, quando peruenerunt ad monumentum: *Et valdè mane vna Sabbathorum veniunt ad monumentum, orto iam Sole*: ad quid hæc verba? *orto iam Sole*? si tu anima mea litteram attendis, erit sensus illorum, quòd valdè mane iter aggressæ sunt, at cum in via aliquantulum morarentur, & circa sepulchrum versarentur, & occuparentur in confabulationibus de reuolutione saxi ab hostio monumenti; & succrescentibus alijs difficultatibus in itinere, quò tendebant: *orto iam Sole*; erat crepusculum matutinum, quando sol primos incipit radios emittere.

Mar. Eu. Luc. Eu. Matt. Eu.

Si attendis mysterium, dicente nobis Euang. quòd valdè mane peruenerunt ad monumentum; *orto iam Sole*, erit sensus, quòd quando peruenerunt, licèt esset valdè mane, albescebat cc... uce adhuc tenebris permixta, quò... hit ex præsentia solis, quando pri... is Orizontē facit albescere, vene... do fœminę illæ a l sepulchrum, *orto* ... *m Sole*. Nomine Solis Dominum Iesum hoc in loco forsitan intellexit Euangelista Sanctus, ac si dixisset: *accesserunt ad monumentum, orto iam Sole*: idest post veri Solis Christi Resurrectionem; iam Christus resurrexerat, quando venerunt ad monumentum, hoc est: *orto iam Sole*. Quòd clarius expressit Sanctus Lucas Euang. cap. 24. *Et ingressæ non inuenerunt Corpus Domini Iesu*; qui soli cōparatur, imò est sol diuinus, qui fecit hūc solē, sol iste quē corporeis cernimus oculis, quando primo mane coruscantibus radijs primordia rumpit suæ natiuitatis. Prima quę luce sua perlustrat, loca sunt, cacumina montium, & quò hæc sunt altiora, eò citius clarius, eò velocius, eò primò irradiantur cunctis alijs, eò primò suo splendore illustrat, exhilarat, pulchrificat, corona: adornat

Luc.

fœcundat, spectabilia, decora, per pulchra, & quasi ridentia, iucunda, & læta reddit. O anima mea si hoc materialibus creatura præstat montibus, vt vix oriri incipiat, statim illicò, & primò montes visitet, & sua luce ab eis, quidquid vmbræ, quidquid caliginis, quidquid mæstitiæ contraxerunt ex vmbraculo noctis expellit, & serenos, & claros & hilares reddit.

Si tantum creatura præstare potest creaturis, quid Creator, & Dominus Iesus, qui est sol iustitiæ, velut sol in occasu crucis occidit, & sepulchri, & dū corpus iacet in occasu in illo triduo, vt se ostenderet solem veri, & ęterni luminis, montes illorum Sanctorum Patrum, qui erant in corde terræ, diuinitatis fulgentibus radijs, & suæ sempiternæ gloriæ splendore illuminans, illustrauit, & eduxit de tenebris, & vmbra mortis. Audi Diuum Damascenum lib. 3. de fide orthod. cap. 29. *Ob id Christi anima ad inferos descendit, vt quemadmodum, ijs, qui in terra versabantur iustitiæ sol ortus erat, ita etiam ijs, qui infra terram in tenebris sedebant illucesceret.* O admirabile nostri solis effectum, exurgens tertia die ab occasu sepulchri, ex occasu, & sepulchro fecit orientem, dum exurgens, & euigilans surrexit, mulierum mōtes primò illustrauit, qui erant circa sepulchrum eius, primò apparuit Mariæ Magdalenæ, sed primò primum omnium montem Virgineum, qui sua altitudine eleuabatur supra verticem montium, & quò altius, eò facilius, & primò à sole inuisitur, & illustratur.

S. Damas.

Vadam ad montem myrrhæ: Erat in illo triduo Maria mons myrrhæ opacus, obscurus, obnubilatus nebula passionis, & mortis Iesu filij sui, qui exurgens de sepulchro compulsus est iure filiationis debito iustitiæ simul & maternis gemitibus matri primò omnium se præbere rediuiuum, & suæ resurrectionis radijs matris montē exhilarare, & nouo lucis radio illustrare, & replere, & illi gloriā resuscitatæ carnis primò omnium prębere degustandam. Si quando tres illæ mulieres venerunt ad monumentum, ortus erat iam hic sol iustitiæ, non erat in sepulchro, hoc testatus est Angelus: *surrexit non est hic*, non erat cum mulieribus sepulchro astantibus, & introeuntes non inuenerunt Corpus Domini Iesu, non erat cum Magdalena

hæc

hæc stabat ad monumentum foris plorabat illum, quærens videre: non erat cum Apostolis, ita affirmat ille cœlestis Nuncius: *Ite dicite discipulis eius & Petro*; & Petrus, & Ioannes audita Christi resurrectione, adierunt sepulcrũ, vbi nã Iocorum erat? vbi nam commorabatur? nisi cum matre Virgine: *vadam ad montem myrrhæ*. cui poterat dicere; *adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui in principio lætitiæ meæ.*

Mar. Eu. cap. 16.

Dau. Pr. psal. 137.

O anima mea Angelus, qui apparuit mulieribus sedens super lapidem sepulchri, & præcepit illis, vt irent, & nunciarent discipulis, & Petro, erga Petrum & Apostolos vrgebat amor, & eos consolandi ratio de morte magistri, quid erga Virginem matrem de morte filij sui? Nouit iam spiritus ille cælestis resurrectionis mysterium, matrem non latere, imò et prima omnium vidisse rediuiuum: idcircò non dixit ite, & dicite matri, & discipulis eius, sed tantum discipulis, & Petro, quia iam Virgo sole illo fruebatur, perlustrabatur, & consolabatur, & replebatur gaudio. Audi Diuum Bernardum in serm. de Resurrect. *Prima vidit Dominum in forma gloriosa, & non ad confirmationem dubij, sed ad consolationem gaudij*: Et Niceph. Calistus lib. 1. de histor Eccles. cap. 12. *Primum quidem à matre, & reliquis conspectus mulieribus, deindè à dilectis discipulis, & veluti fortissimus Samson dulcissima resurrectionis mella in ore Leonis, suæ mortis, quàm occiderat, inuenta prius matri suæ, quàm aliis pergustanda communicauit.*

D. Bern.

Niceph. Calistus.

O quàm dulcitèr, ò quàm suauitèr libans hæc mella Virgo Deipara lætabatur, consolabatur, & exultabat cor eius, dùm aspiciebat filium rediuiuum, abiecta omni mortalitate, prodeuntem de sepulchro, depositis mortis exuuiis: gaude, & lætare Virgo mater, & aspice rutilantissimum corpus illud, quòd vidisti mortis caligine obscuratum: Aspice ò Maria immortale corpus, quòd vidisti mortuum, aspice impassibile, quòd tot cruciatibus vidisti expositum, aspice mira agilitate decoratum, quòd cruci vidisti confixum, Aspice admirabili subtilitate præditum, quòd vulneribus vidisti perfossum. Aspice Patribus, Angelisque stipatum, quòd vidisti latronibus in cruce associatum, aspice caput Regia corona redimitum, quòd vidisti spinis coronatum; aspice vultum cœlesti quadam pulchritudine in Resurrectione fulgentem, quem vidisti sputis, & proprio cruore in cruce madefactum, aspice manuum, pedumque vulnera perforata clauis, nunc instar astrorum nimio perfusa fulgore micant, & splendent, aspice latus, & quod militis lancea vidisti vulneratum, nunc suo splendore vincit solem, & illuminat cœlum. En ò Maria iam gloria resurrectionis sepeliuit morientis iniuriam, & patientis opprobria, & cruciatus: en vt vtar verbis Diui Leonis serm. 1. de Resurrect. *Quodammodo Resurrectio Domini non finis carnis fuit, sed commutatio, neque consumpta substantia est, qualitas transijt, non natura defecit, & factum est corpus impassibile, quòd potuit crucifigi, factum est immortale, quòd potuit occidi, factum est incorruptibile, quòd potuit vulnerari, erat eadē per essentiam, sed non eadem per gloriam*: Videns Maria, quia in corpore illo nihil remanst passibile, nihil infirmum, sed totum mutatum in immortalitatem, sole ipso splendidius, & clarius nimio perfundebatur gaudio, & lætitia, quia vidit, & primò vidit.

D. Leo.

Et primo Mariam vidisse rediuiuum à mortuis filium ratione valdè probabili cogimur fateri, cum resurrectionis illius acceleratio fuit ex solis suis precibus; Resurrectionis terminus iuxtà promissum: *& tertia die resurgam*: debebatur Vesperi diei Dominicæ, at Christus resurrexit valdè mane, cur hoc? & quæ accelerationis causa.

Dicam primò, quòd hora qua Christus surrexit, ignota est nobis, est omnium Sanctorum Patrum sententia: *Dominum resurrexisse*, inquit D. Hieronymus epist. 150. cap. 6. *hora, qua ipse voluit, & quæ nulli mortalium est cognita*: sed tantum fuisse diluculo, creditur ab omnibus, ita D. Clemens lib. 5. const. cap. 16. D. Ignatius epistol. ad Trallian. D. August. in psalm. 58. Vespere passus est, inquit D. Ambrosius in psalm. 45. *Christus manè diluculo surrexit*; omne diluculum incipit post mediam noctem lapsis aliquot horis.

D. Hier.

D. Clem.
D. Ignat.
D. Aug.
D. Amb.

Christus vt docet D. Ignatius epist. ad Trallia. hora sexta fuit crucifixus, nona expirauit, sepultus est antè solis occasum: illucescente Dominica die surrexit, & sic secundum Diuum Augustinum lib. 3. de Trinitate cap. 6. ab hora

D. Aug.

mortis computata etiam hora nona, vsque ad horam resurrectionis numerantur horæ quadraginta, si ab hora sepulturæ, horæ fluxerunt triginta sex, ergo tres dies sepulturæ illius non fuerunt integri, sed parte feriæ sextæ, Sabbatho verò toto, & parte diei Dominicæ, si Vespere huius Dominicæ diei erat Resurrectionis tertius, vt tres dies essent integri, cur resurgere voluit hora tertia post mediam noctem diei Dominicæ? & non expectauit Vespere, sed & has horas breuiauit.

D. Leo. Respondet D. Leo serm. 1. de Resurrectione. *Ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denunciatam tridui moram, tam mira celeritate breuiauit, vt dum ad integrum secundum diem (idest Sabbathum) pars primi nouissima (idest feriæ sextæ,) & pars tertij (hoc est Dominicæ diei) concurrit, & aliquantulum temporis spatio decideret, & nihil dierum numero deperiret.* Resurrectionis acceleratio fuit, ne longa mæstitudo cruciaret discipulorum animos, sed magis fuit, vt matrem desolatam solaretur, quæ filium thure, & odore suę orationis ad citò resurgēdum sollicitabat, & stimulabat illa voce, & oratione.

Dau. Pr. Dau. Pr. psal. 56. & 107. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara,*

Christus sua virtute resurrexit, est doctrina omnium: *Nam,* inqnit D. Leo

D. Leo. serm. 1. de Resurrectione: *Deitas, quæ ab vtraque hominis substantia non recessit, quòd potestate diuisit, potestate coniunxit*; tamen resurrectionis acceleratio fuit merito præcum, lacrymarum, & vocum matris, quæ in illo triduo, ve collis thuris, odorem spirabat suauissimũ, & vehementissimum; *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara,* & quòd debebatur vesperi, operatum est manè diluculo, en exurgam diluculo.

Pet. Chr. Docet D. Petrus Chrysologus ser. 2. de Resurrectione, etiam Solem hunc, quem oculis cernimus corporalibus, in hac die, pperasse & tres horas illas, quas diei Eclypsis (quæ fuit feria sexta moriente Domino) eripuerat, restituisse, ab hora sexta vsque ad nonam tenebræ factæ sunt super vniuersam terram: Ergo Sol, qui præter horam, vt Domino compateretur, abscesserat cum resurgeret Dominus claritate ante tēpus occurrit.

O vis odoris, ò efficacia thuris, ò ingens, & vrgens vehementia vocum Mariæ, de Iuda prophetans Iacob pater eius dixit. *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum.* Genes. 49. De Christo intelligunt Sancti Patres, qui fuit de tribu Iuda, & tria prædixit sanctus senex. Primo ve prædareeur corda hominum, ascendie ad prædam, quando ascendit ad crucē. Secundo, & capta præda requiescere debebat in sepulchro, quò ad corpus, & quò ad animam in sinu Abrahæ. Tertio quis suscitabit eum? doctissimus Origenes, & Eucherius aduertunt, quòd Leonis Catulus recens natus dormit tres dies, & tres noctes; tertia verò die mater eius leena rugitum emittit adeò vehementem, quod tremefacere facit locum cubilis, & excitat dormiētem, quis sucitabit eum? Genes. Orige. Catulus.

Mater catuli leonis de tribu Iuda est Virgo Maria, non est qui ignoret, hic catulus in cubili sepulchri tres dies obdormiuit, & totidem noctes, nam vbi lectio Caldaica legit: *requiescet in fortitudine quasi leo*; legunt alij, *Dormisti vt leo, & sicut catulus leonis.* Leo obdormiens fortitudinem leonis non amittit, ita quando Christus dormiuie in sepulchro mors hominis, Dei potētiam non abstulit, quis suscitabit eum? Lectio Caldaic.

Vtique vox leænæ Virgo mater, quæ genuit eum, ita docet nos Eucherius hoc in loco: *Matrem fortissimi leonis scimus esse Beatissimam Virginem, eique nomen Leæne aptissimè commedatur*; vnicum enim Leæna habet partum, Virgini Mariæ non accidit fecundus partus, hunc leunculum tantum edidit, quem & sibi vidit peremptum à morte, & iacentem, & obdormientem in sepulchro acerbissimo mater confecta dolore, ve collis thuris in illa feruentissima meditatione, accensa igne, & desiderio videndi rediuiuum, suspirijs, lachrymis, gemitibus, vocibus ad vitæ reuocauit vigiliam, Dauid Proph. psal. 56. & 107. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara,* quibus tremefactus locus cubili, quando Marc. Euang. cap. 16. *terremotus factus est magnus, & exterriti sunt custodes*: non tātū ad descensum Angeli, quam ad vocis tonitruum: *exurgam diluculo.* Diluculo non expectauit diei Dominicæ vesperę, sed breuiauit horas, & properauit, ve matris leniret dolorem, & ne matrem longa cruciaree mœstitudo, Eucher. Dau. Pr. Mar. Eu.

tudo, Resurrectionis tempus maturauit, & accelerauit, & festinauit, & meruit prima omnium videre Dominum in forma gloriosa, non ad confirmationem dubij, sed ad consolationem gaudij, quando vidit filium lumine Solis fulgentiorem, & sibi salutantem audiuit: *Salue Sancta Parens, Resurrexi, & ecce tecum sum*. O anima contempla, si vales actus, verba amplexus, dulcedines, & cordis Virginis liquefactiones, quando vultum filij contemplabatur, quando corpus gloriosum palpabile sibi tangebat, quando osculabatur vulnera, & lateris plagam, intuebatur animæ illius gloriæ altitudinem, corporis splendorem, immortalitatem, claritatẽ, impassibilitatem, agilitatem, & fortassis eius diuinitatem: O dulcedo, ô suauitas, ô gaudium, quale, & quantum fuerit! vnico dicam verbo, tanta fuit Virginis in illo intuitu dulcedo, & fęlicitas, & lætitia cordis eius, & animæ, vt ne vi tanti gaudij deficeret, speciali fauore diuino, nisi sustentaretur, vtique deficisset.

De quadam Matrona Romana scribitur, quòd cum accepisset à milite; filium suum occubuisse in bello, Anibale Romanos debellãte, intimè, & maximè doluisse, & filij mortem lacrymis, & gemitibus planxisse, verum quia varij sunt euentus belli, filium, quem longo tempore luxit, cum inopinatò vidisset incolumen, & viuum, tanto gaudio est perfusa, vt præ lætitia, nec vnum quidem valens proferre verbulum, admotis ad filij colla brachijs, animam præ nimia lætitia exhalauit.

Quòd & Virgini matri accidisset, nisi diuino fauore roneretur inter oscula, & filij amplexus, vtique deficeret, nisi filius speciali dono maternum affectum non cohibuisset, quem nouo amoris affectu adorans, contemplans, consolabatur, & gaudebat.

In huius ramusculi vmbra commorare anima mea, ascende ad palmam, carpe fructus eius, fructus dulcedinis, vitæ, & consolationis, hic cor Virginis contemplare, quanto gaudio dilatatur, delectatur, lætatur, & gaudet, videns filium in forma illa gloriosa, stipatum A gelis, circumseptum sanctis Patribu qui omnes ad conspectum Virginis l tantur, & ipsi eam laudando, glorifica do secum de tanto gaudio, congaudei tes dulcitèr canunt victori, & matri de ferunt victoriæ palmas, lauda & tu ani ma mea, & gratias age Deo, & Virgini matri, dic & læto animo cane, benedictum sit nomen tuum in ęternum ô h milis Virgo Maria mater Iesu filij De, te pręcor ô Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te se la sperat, & confidit anima mea, sub um bra huius ramusculi protege me, nunc & in hora mortis meæ. Amen.



DE AFFECTIONE CORDIS VIRGINIS in Ascensione Filij sui.

RAMVSCVLVS QVINQVAGESIMVSNONVS

Statura tua assimilata est Palmæ.
Cant. cap. 7.



Nunciata per Angelos non omni populo, sed tantum testibus præordinatis à Deo, Christi Iesu Domini nostri resurrectione à mortuis; quàm sicut æquè cunctis spirituum supercœlestium dispensatione sua diuina primò choris voluit esse conspicuam, sic vt cœtui mortalium postmodum innotesceret vniuerso: ipsissimam humanitatem, quæ tribus ferè diebus iacuerat in sepulchro, deuictis tenebrarum hostibus, & expugnatis ereis inferuorum foribus, & muris, ac doribus iam propria virtute gloriosis donatam, per dies quadraginta in multis argumentis tùm ostensionis vulnerum, tum apparitionum apertarum, tùm commestionum, tùm de arcanis Sacræ Scripturę allocutionum, etiam de discipulorum incredulitatis increpatione, ipsemet omnibus textatam, sua auctoritate relinqueret, in conspectu totius illius multitudinis Sanctæ, in supercilio montis oliuarum assumi complacuit, & in dexteram Patris sublimè collocare, vt locus responderet locato, quando vt nobis, inquit Euang. Lucas: *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Acta Apostolorum cap. 1. Act. Ap.

O lætissima Christi resurrectio, ò nostræ iustificationis fons viuus, & origo, ò admirabilis Iesu in cœlum ascensio, & nostræ ad æthera ascensionis exemplar, & viua imago. Non te pigeat anima, anima mea in monte oliueti conscendere, & tantæ, Dei & Domini tui festiuitati corde saltem, vel spiritu interesse, & te exhibere præsentem, quia astat, & Maria Mater Iesu, ad cuius latus nunc intuere sedentem, dulcitèr colloquentem, & dulcissima filij sui fruentem præsentia, & trophæo illius gloriæ lætantem: aspice cœlestibus filij delectare triumphis, mellifluis illius verbis inebriari amore, pasci, & enutriri dulcedine, & veluti Palmam Virgineam conspice extra, & interius totam transformatam in similitudinem palmæ filij sui, vt ex corde, & tu valeas illi decantare: *Statura tua ò Maria verè assimilata est Palmæ.* Cant. cap. 7.

De naturali palma scribit Philo in vita Moysis, quòd vim talem habet non in radicibus, vt cæteræ arbores, sed in vertice, & in summo comæ illius, quasi cor situm in medio ramusculorum, à quibus circumquaque spargitur. Philo. En nostra palma virginea hodie eleuata in monte oliuarum, semper virens, semper vernans, non immutatione foliorum, sed conseruatione, & diuturnitate suæ primæ perfectionis, inter discipulorum Cedros, & inter Cypressos sanctarum mulierum, quonam pacto super omnes palmæ filio sola assimilatur? cor sursum erectum habens, & cœlum versus in summo eleuatum.

Vndè & si Iesus corpore ferebatur in cœlum, mater corde, & oculis, si ille amictus lumine, hæc tota circumfusa gaudijs, si ille onustus victorijs hæc cohonestata meritis, si ille propria virtute euolat super cœlos cœlorum, hæc flammigeris dilectionis flammis, & pennis eleuatur ad æthera, si ille comitatus Angelicis ordinibus, hæc comitata amoris suspirijs, si ille ascendit comitantibus Patribus de limbo nuper ereptis, hæc lacrymis associata, & desiderijs de profundo cordis sui deductis.

Hanc palmam virgineam piè, & satis deuo-

denotè, si attentè contemplaris anima mea, inuenies in cortice exterius, et in candsce de discessu filij mæstam, & contristatam, comam vero superius, cordis dico, virentem, lætam, exultabundam, & cœlum ipsum inuenies exhilarantem.

O Deus, ò cordis mei amor, quæ mens capere potest, vel quæ lingua valebit exprimere, illos Iesu, & Mariæ vltimos amplexus? matris, & filij illa vltima verba? amantis, & amati illud vltimum separationis ad inuicem vale? De

D.Greg. Polypo scribit D.Greg.Nanzian. quòd suis oculatis chælis, seù brachijs sic adhæret scopulo, quem sic presse amplectitur, & stringit, vt si alicuius manus vi extrahitur, & ab eo auellitur, ò indissolubilis nexus, ò naturę proprietatis fortè ligamen, ac si amoris iure legali, vel dilectionis pacto inuicem conuenissent,

Iob. vt prædixit Iob cap. 5. *Sed cum lapidibus regionum pactum tuum*: in illa præfracta separatione scopulus aliquid secum retinet de polypi visceribus, & polypus secum aliquid deportat de scopulo. O dulcis separatio, ò mixta amoris mæstitia Iesu, & Mariæ dilectæ matris, & filij, hic abiens in cœlum cor secum abstulit matris suæ, & mater derelicta in terris in secreto pectoris sui cor sibi reseruauit abeuntis filij. Imò ausim dicere, quòd hic diuinus amor in anima Virginis ità ad vnguem suæ dilectionis coloribus corporalem filij sui translatam, & expręssam trãscripsit imaginem, vt Virgo mærens ad solatium suorum ardentium desideriorũ obtutibus quando volebat in ea quasi in speculo filium ipsum intueretur mentalibus, quem oculis per discessum in cœlum intueri iam priuabatur externis.

Amantium est, & conditionis humanæ, contristari de absentia amati. Proh amor quantus dolor, quantusue timor tunc irruit in materna viscera in absentia filij sui: En quanta mæstitudine exterius affecta apparet nostra palma virginea, sed interius in corde, vt palma vernans ineffabili afficitur gaudio, repletur lætitia de filij ascensione gloria palmis, victorijs, coronis, triumphis, & cœlestibus iubilationibus; Heù anima mea ascende ad palmam, & sub hoc ramusculo hos illius apprehende fructus, fructus mæstitię, & contristationis; sed perdulcissimos, & suaues simul fructus lætitiæ, & exultationis. Si te mœrore afficiet discessus, seù absentia Iesu, consolare de promissis: *Non turbetur cor vestrum*: dixit Apostolis, quia *non relinquam vos orphanos*; abiens enim ille, tibi matrem reliquit vice sui in terris, vt te foueat, & tibi opem ferat, & præsidio esset, hos fructus lege sub hoc ramusculo, & dulcedine illius allecta dulciter cane. Ioan. 14. c. 14.

Statura tua assimilata est palmæ. In cortice humanæ conditionis, & maternæ etiam affectionis, in discessu filij sui, amorosa quidem præ tristitia turbata conspicitur, at non perturbata nostra palma Virginea, & naturali quodam affectu contristata, & dolore dulcissimo concussa videtur in recessu, & absentia amati: amantis est dolere in amissione amati, & dilecti, qui effectus etiam in Christo Domino visus est, antequam resurrexisset à mortuis, quando *venit hora, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos in finem dilexit eos, & cœna facta cum discipulis, cum illis egressus est trans torrentem Cedron vbi erat hortus, in quem*, inquit Euang. Ioannes c.18. *introiuit ipse, & discipuli eius*: & vt feruentius, & vehementius oraret; *secessit ab illis, & elongauit se ab eis*; hunc recessum, & ab Apostolorum conuentu separationem, vt nobis innotescerer Sanctus Lucas, non absque mysterio verbis illis vsus est: *& auulsus est ab eis*: auellere proprium est arborum, quæ dum in terra altissimas emittunt, et terræ immeant radices, non nisi vi auelluntur, et eradicata semper pars radicum, vel radicum capillamentum defixum remanet in solo, semper aliquid radicis retinet sibi humus; ò vis amoris, ò vehementia dilectionis.

Ioan. 13. c. 13. Ioan. 18. Luc. 22. c. 22.

Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Ioan. cap. 13. Vi huius dilectionis, tam altè Christus Iesus sui amoris, suæ immensæ charitatis radices fixerat in cordibus discipulorum, quòd discessurus, & recessurus ab eis, non videtur liberè secedere, sed vi auelli, vi elongari, vi relinquere, vi discedere, & auulsus est ab eis, mœrore, & dolore quodam affectus auulsus est, & sic auulsus sui amoris aliquid radicis reliquit in eis, hoc est, & in finem dilexit eos. Si in cordibus discipulorum hoc operatus est diuinus amor? quàm altè, quàm profundè idem amor radices putamus fixisse, & expandisse in corde Virginis? *Si amor Mariæ erga filium*, inquit Anselmus, omnes Ioan. Anselm.

nes

nes vincit amores: Amor huius Virginis amor erat Seraphicus, nulla vnquã morula interruptus, sed velut ignis sem per sursum ferebatur in Deum, nunquã remissus, semper ardens, semper feruens in contemplatione filij, Deum intelligens, & in operationibus diuina ille operans, circumfusa lumine singulari, sicut non habebat terminum in cognoscendo, sic amor carebat, & ipse termino in amando. Proh' vim diuini amoris, quò plus amabat, plus ardebat, plus accendebatur, plus alliciebatur, plus delectabatur, plus satiebatur, & satietas ipsa fames erat, dum non fastidium in pectore Virginis generabat, sed maius desiderium plus amandi, & sic famescen do implebatur, & plena, & superplena famescebat, cur hoc? ò anima mea?

Dicam quæ sentio, diuinũ erat, quòd intuebatur in filio, & quòd diuinum est, ab intellectu creato videri non potest, nisi cum noua admiratione, & admiratio vt erit in Beatis, oritur ex incompræhensibilitate diuina, quæ transcendit omne creatum, dum Mariæ anima tot esset diuinis irradiata illustrationibus, quid poterat videre in filio, qui Deus erat, quòd admirationi illi non esset? & illecta visione illa semper noua intelligendo, videndo, contemplando, fruendo, exatiando se, fastidio non erat videre, & amare, sed satietas famelica, qua delectabatur videre, quòd amabat, & amare, quòd videbat, vnde per huius amoris vim, semper cor eius ferebatur in illum appetendum, cogitandum, desiderandum, ruminandum, intuendum, contemplandum, fruendum, & præsentialitèr semper habendum, hoc amore diligebat, & diligebatur à filio: *qui cum dilexisset eam, in finem dilexit illam*.

Intuere si vales, quam altas, & quam altè dulcis Iesus defixas habebat sui amoris radices in corde matris? si vi in horto à commercio auulsus est Apostolorum, & vi assumitur in cœlum à patre, recessurus à matre: *Et Dominus quidem Iesus*, inquit Marcus cap. 16. *postquam locutus est eis, assumptus est*, & Lucas in actis Apost. cap. 1. *Eleuatus est*, & in Euang. cap. 24. *Recessit ab eis & ferebatur in cœlum*. Passiua hæc discessionis Christi vox, uim uehementem præmonstrat amoris, & quæ hæc uis? vtique materni amoris, cuius glutine adeò intimè

Mar. Eu.

Act. Ap.

Luc. Eu.

anima Christi, animæ matris conglutinata erat, quod recessurus ab ea, nisi pater æternus alitèr decreuisset, Dominus Iesus nullatenus à matre recederet, nisi ille vi ab illius aspectu, & præsentia sibi assumeret, & abiens, ò vim dilectionis diuinæ licèt posset penetrare cœlos virtute suæ diuinitatis, & dotis agilitatis in ictu oculi, vt à maternis oculis eius ascē sio esset productior, quòd poterat, vt De us breuissimo temporis spatio conficere complacuit ad solatium matris in itinere aliquantulum immorari, hoc sonat, ferebatur in cœlum, voluit paulatim ascendere, ne subito vel raptim ab illius conspectu subducere videretur.

Intuere anima mea quomodo, vt inquit D. Lucas, eduxit discipulus, & matrē foras extra domum, in qua pertransierant ad montem Oliueti, & cum esset iam hora sexta circa meridiem, sic matrem arbitror allocutum. *Opus quod dedit mihi pater, iam consumaui*. O pijssima mater mea, tempus est, vt tollar à te, & reuertar ad eum, qui misit me in comitatu Angelorum, & huius sanctæ multitudinis animarum prompto animo mecum ducerem te, sed ad solatiũ, consolationem, doctrinam, & exemplar discipulorum, secus prædefinitum est à patre meo, vt aliquantulum degas in terris, læto animo, hilari fronte respondiste credo, Fiat ò fili Dei voluntas, cui semper parata fuit patere, verum tuus discessus, & tua absentia nimis excruciat, & angit cor meum contorquentur viscera pectoris mei, te perdere, & tua præsentia non frui, amplexati ad inuicē deosculabantur, & inter amplexus filij, audi dicentem, interim dum in hac valle vitæ meæ tempus percurram, qua possum deuotione, & cordis mei affectu saluto Deum patrem, & Dominum meum, Spiritum sanctum dilectissimum sponsum, & te Dei vnigenitum, Fili ne obliuiscaris Mariæ matris tuæ, nec amoris, nec lacrymarum illius, commendo tibi fideles, quos redemisti sanguine tuo, eu redemptionis humanæ stemmata tenes, quæ sigillatim deosculata est, & lateris vulneri oscula figens, quòd erat nidulus meditationum, & desideriorum suorum, nouo inebriabantur amore.

Luc. Eu. 6. 22.

Et stans in medio recto corpore, cæpit Iesus paulatim sursum ferri: *Et viden-*

dentibus illis eleuatus est. En anima mea, vbi amor, ibi oculi, & signanter matris, quæ corde sursum cum filio ferebatur in Cælum, languebat amore, mærebat matris affectu in absentia dilecti, quæ cordi amantis est durior, quò quòd perditur ardentius amatur, & amantis animæ, quæ durior pœna? quàm Dei sui absentia.

Tam pulcher erat bonus Iesus, quòd à planta pedis vsque ad verticem capitis pars illi non erat, quæ illum intuentis animæ mille desideria ad amandum non generaret, & mille non incenderet voluntates ad seruiendum illi, illum intuendum, & eo fruendum. Sponsa illa hoc erat experta, quando dicebat. Cant. cap. 5. *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis*: legunt Septuaginta Interpetres: *Guttur illius dulcedines, & totum desiderium.* D. Gregorius Nissenus interpetratur, *nihil nisi desideria*; ò Deus amor, ò fons amoris, si Virginis amor in filium vincit omnes amores etiam Angelorum, quando eleuari, & ferri vidit in Cœlum. Proh' dolor, absentia filij cuius delicias iam gustauerat, quanto angore, quantaue mœstitia eam affecerat, dicat, cui datum est capere, & sentire. Quando puer Iesus remansit, Inscia matre in templo, absentia trium dierum illorum tanto dolore Virginem affecerat, vt cruciatus, sollicitudo, labor, & mœror non paruus, non parum vexauerint, quòd materno affectu ducta dulci querimonia conquæsta sit. Luc. Euang. cap. 2. *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: Iesu præsentia erat matri super omnes delicias mundi dulcissima, Quid mirum, si tali præsentia priuata, dolet, & dolens conqueritur: *Fili quid fecisti nobis sic?* Fili cur ad istum modum egisti nobiscum? cur te clam à nostris oculis subduxisti? fili quid fecisti nobis. D. Alredus hæc Virginis verba meditando, exclamat ad Virginem. *O Domina mea, quid dolebas? credo non famem, non sitim, non inædiam puero timebas, quem Deum noueras ineffabilis præsentiæ eius delicias quærebatis.*

Cant. Septuag. Interp. D. Greg. Nissen. Luc. Eu. D. Alred.

Non poterat Virgo filij sui mortem timere, vel dolere, quòd vel fera pessima interiret eum, vel famis necessitas interficeret, erat Deus, & ipsa nouerat, quòd dolebat, & pro quo dolebat, & quærebatur, erat absentia triduana filij, cuius præsentiæ delicias iam gustauerat, & quia absentia erat Dei, eius vulneri non valet creatura mederi, nisi ipsemet Deus, absentiæ damnum non reparatur nisi à Deo, tam dura, tam amara est hæc pœna, quòd non medetur, non subleuatur nisi præsentia absentis Dei.

Quàm sit dura animæ amantis hæc pœna, expressit Christus Iesus quando promisit Spiritum sancti mittere Apostolis, de suo discessu tristibus & mæstis. Ioan. Euang. cap. 14. & cap. 15. *Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis*, & alias: *Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis a patre.* Dei absentiam non potest releuare nisi Spiritus sancti consolatione. Ioan. Eu.

Quando Deus Duce Moyse ducebat populum in terram promissionis, lib. Exod. cap. 33. *Vade*, dixit Moysi, *ascende de loco isto tu, & populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti in terram, quam iuraui Abraham, Isaac, & Iacob* & vt in illam absque pauore ingrediatur: *mittam percussorem tui Angelum, non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis est*, Populus autem cum audiuisset, quòd Deus denegaret illi dulcem sui præsentiam, luxit, doluit, lacrymatus est, & tanta mæstitia fuit affectus, quòd nullus ex more indutus est cultu suo, luctuosis vestibus induerunt se, & vt leguntur in hoc loco Septuaginta, audiens populus verbum malum, ꝙ verbũ malũ? Nisi denegatio præsentiæ Dei amabilis, luxit in lugubris absq; termino fleuerũt, & doluerunt vllam vnquã admittentes consolationẽ. Si Dux eorum erat Moyses, si in rectorem datus est illis Angelus, terram ad quam properabant fæcunda, & fertilis erat, terra quæ manabat lac, & mel: Cur populus non lætus incedit? sed mœstus, & plorans? O quàm amara, ò quàm dura pœna est absentia Dei, verbum illud, *non ascendam tecum*, ramaricari valuit omnes dulcedines, absentiæ Dei vulneri in corde amantis mederi non valuit Moyses, sanare, & curare non potuit Angelus, reparare non potuit cum sua dulcedine, & opulentia nec ipsa promissionis terra, & limus, absentia Dei, non nisi à Deo sanatur, reparatur, subleuatur, & consolatur. in illa triduana absentia filij Virgo mater, sui pectoris vulneri mederi non valuit nisi inuento dilecto in templo, mæ-

Exod. Septuag. Interp.

rentibus Apostolis, & contristatis de discessu Iesu promisit Spiritum sanctum *Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis*: Dei enim absentiæ iacturã non reparat, non satisfacit, non æquiualet nisi ipsiusmet Dei præoptata præsentia.

Mœstitudinis huius acerbitas erat tantum in cortice nostræ palmæ virgineæ iuxtà naturalem affectum in filium, cuius bonitatis immensitatem iam ipsa benè nouerat, cuius dilectionis flammas, & incendium erat iam experta, ideò illi erat durior, & omni alio molestior, at in coma, seù vertice veluti palma vim habens vitalem, & cor, hinc est, quòd si filius corpore ferebatur in cœlum, corde sursum cœlum versus, quò ille tendebat ferebatur & ipsa. Amor meus, pondus meum, eò feror quocunque feror, ad hoc Christus Dominus ascendit, vt non matris tantum, sed & nostra corda sursum traheret, & inflammaret affectu. Ita docet nos D. Greg. hom. 49. *Oportet, vt eum sequamur corde, quo eum corpore ascendisse credimus, desideria terrena fugiamus, nihil nos iam delectet in infimis, qui patrem habemus in cœlis, & si adhuc hic tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris.*

D. Greg.

Quibus, & illum subsequi matrem cernimus, quem cum ardenti amore teneretur erga filium, ob victricem, & triumphalem eius Ascensionem, quando comitatus exercitu Angelorum, stipatus myriade Sanctorum, quos eduxerat de Limbo, vectus non alio curru nisi gloriæ suæ, suæ claritatis, & splendoris, suæ maiestatis, & Diuinitatis infinitæ, cuius gloriæ pondus, quantò cor Virginis matris ampliori dilectionis flamma naturalis, & Diuinus illustrauerat, & propalauerat amor, tantò in eiusdem filij sui Ascensione gaudio repleuit ineffabili, & menti humanæ incompræhensibili cumulauit lætitia.

1 Vndè gaudebat Maria videns maiestatem, & gloriam triumphantis, & ascendentis super currum gloriæ suæ, ante quem præibant Angeli in corporibus assumptis, sequebatur turba hominum captiuorum, plaudẽtes victori, victorias, & palmas de inimicis dulcitèr illi canentes.

2 Gaudebat Deipara videre Deum, quem ipsa generauerat, portauerat in vtero, lactauerat mammis, suis aluerat manibus, atque nutrierat laboribus, post tot labores sedere ad dexteram patris, & quem videbat humanitati patri inferiorem, æqualem verò secundum Diuinitatem, Angelis omnibus, Cherubinis, & Seraphinis, cæterisque omnibus creatis rebus intuebatur multò superiorem.

3 Gaudebat Virgo exultans, & iubilans cum Angelis, & Archangelis, quando vidit humanam naturam in sede Dominica eleuatam, & immortali gloria fulgentem conscendere, & consedere in cælestibus ad dexteram Dei patris.

4 Gaudebat Regina cælorum de insolito spectaculo videns carnem nostrã super regium solium euectam, & quæ in tam humili, & abiecto tenebatur loco, vt vlterius descendere non posset tam altius eleuatam in throno, vt sublimius non posset descendere.

5 O iubilum, ò ineffabile cordis Mariæ gaudium, gaudens gaudebat, quando vidit maiestatem cum carne, carnem recipere inter velamina diuina.

6 Gaudebat dulcissima mater vidẽs ascendente filio, hominem qua die fuerat ipse à Paradisi delicijs expulsus, in ipsamet in sua tabernacula cœlum recepisse, & inter Angelorum gaudia collocasse.

7 Gaudebat cum iustis iustissima Virgo videns nos non solum Paradisi possessores Christi Ascensione esse firmatos, sed cum Christo etiam cœlorum penetralia penetrasse.

8 Gaudebat exultans lætabunda Maria cum videret, quos inimicus de primi habitaculi infaustè deiecerat, nunc concorporatos filio, filium Dei collocasse in dextera patris.

9 Gaudebat, & intimè lætabatur mater purissima cum videret mysticam humanitatis filij sui arcam, omnibus Dei plenam delicijs, ex orbe terrarum in cæleste templum translatam, & in illa Sancta sanctorum patris consessu introductam cum iubilo creaturarum omnium.

10 Ineffabili replebatur gaudio mater Dei sactissima exultans, & gaudens cum videret proprijs oculis corpus sacratissimum filij sui, in diluuio aquarum passionis, & mortis illius veluti Arca illa Noë, non fuisse demersum, sed post sanguinis lacrymabile diluuium

requie-

requiescere super montes Armeniæ Cœli Empirei super Choros Angelorum.

11 Gaudebat intelligēs passionis filij sui cruciatus, & opprobria, & totius vitę illius itineris clausulā, finē, & terminum habuisse plenum honore, gloria, lætitia, iucunditate, & delicijs Paradisi.

12 Gaudebat plenè iubilans Maria videns Deum ex te natum requieuisse iam ab omni opere nostræ redemptionis in sua Ascensione, qui & ascendit ad nostram glorificationem.

13 Gaudebat Virgo mater videns filium baculo crucis veluti Iacob transisse passionis Iordanem, & reuerti ad patriam cum duplici turma, Angelorum vna, Sanctorum Patrum altera.

14 Gaudebat pietatis mater videns cœlestem Pastorem ouem errantem, quàm maximo labore sudauit, vt inueniret, & inuentam, & humeris proprijs impositam intulisse in illud cœleste ouile.

15 Gaudebat mater viuentium, videns augeri fidem in Ecclesia Christi Ascensione, dùm confitetur filium hominis esse Deum, quē vt Deum colunt, adorant, & cultum debitum exhibent: *tunc*, inquit D. Leo Papa serm. 2. *filius hominis, filius Dei excellentius sacratiusque innotuit, cum in paternæ maiestatis gloriam se recępit, & ineffabili modo cępit esse diuinitate presentior, qui factus est humanitate longinquior.*

D. Leo Papa.

16 Gaudebat de nostra spe cœlum etiam ascendendi, ascendente Christo; ipse namque caput est nostrum, nos corpus eius mysticum. *Quò præcessit gloria capitis*, inquit D. Leo sermon. 1. *cò spes vocatur, & corporis*: en anima mea esto & tu membrum Christi viuum, si vis ascendere cum Christo.

D. Leo

Quo ascendente corpore, ascendebat corde nostra Palma Virginea, ascende & tu anima mea ad hanc palmam, intuere comam, qua potes deuotione, & attentione, quomodo viret, quomodo vernat, quomodo splendet, quomodo exultat, iubilat, & cœlestibus repletur gaudijs, tanta vi amoris sursum trahebatur ad filium ascendentem, quòd videbatur eleuari corpore etiam ipsa, & quò filius gloria ineffabili circumfusus sole fulgebat clarior, eò mater replebatur gaudijs, & trahebatur extra se.

Si vera scripserunt antiquì dicentes Chilonem, & Elphodium videntes filios suos triumphare laureatos coronis laureis ob victoriam partam, in ludis olympicis præ nimio gaudio animam exhalasse. O Deus cordis mei, ò Deus veræ lætitiæ, & veri gaudij, quale quantumvè æstimas tu anima mea Virginis gaudium videndo illum ascendentem, corpus habentem lumine amictum caput Diademate redimitum, non laureo, sed aureo, suæ gloriæ, suæ pulchritudinis, suæ diuinitatis, suæ maiestatis, & suæ fœlicitatis æternæ, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quanta fuit gloria ascendentis, & quantum gaudium matris corde illum comitantis.

In vita Alexandri Magni scribit Plutarcus, quòd quidam Senex nomine Demoratus Atheniensis quando vidit in Regali Throno Regis Darij sedere Alexandrum Magnum, tanta erat huius Principis Maiestas, & gloria, tanta eius pulchritudo, & gratia, quòd intimè stupore percussus, & lætitia simul, & animi sui angore punctus, & mæstitudine exclamasse legitur: Heù mors crudelis, qua tanto bono spoliasti, quos tua percussisti manu, qui antè dormierunt, quàm vidissent Alexandrum in tantò solio sedere. Cur hoc? & sic amarè queritur hic Senex? & miseros vocat illos, qui non superuixerunt, vt viderunt Alexandrum sedere in solio suæ Maiestatis.

Plutarc.

Tanta erat gloria, & inexplicabilis huius Principis maiestas, quòd mundus totus conuenisset in vnum, vt tantam gloriam potiretur, & intueretur. O cæcitas humana, gloria illa, & maiestas Alexandri nonnè corruptibilis erat? vana? fragilis? caduca? & transitoria? Cum subiugasset suo Sceptro Asiam, tantummodò tantò dignum existimabat honore, vt lugeret mortuos, qui non viderunt, & viuos interpellat, vt adessent.

Victoria parta à Christo fuit illustrissima, & gloriosissima, æterna, & immortalis; *quia resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*; En triumphans ascendit in cęlum, sedet in Throno Maiestatis Diuinæ, ò fœlix visio, ò beata fœlicitas, videre Iesum in dextera Patris sedentem, videre Iesum ascendentem in nube diuinitatis suæ, infœlix Iuda, qui obijt antequam Christus

Paul. Ap. 1. Corin. cap. 15.

stus ascendisset infęlices qui sic viuunt, vt non mereantur videre, beati oculi eorum, qui viderunt, gustauerunt, & lætati sunt. Videntibus illis elenatus est, viderunt, & laudauerunt: vidit Maria, & Dau. Ps. psal. 144. læta cecinit; *exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi*: Viderunt Apostoli, & pariter repleti gaudio laudauerunt ascendentem, cui quia & ipsi erant de recessu Domini mærore confecti, credo collacrymantibus oculis dixisse; *cur nos Pater deseris? Aut cui nos desolatos relinquis, & acceperunt illud diuinum responsum; non turbetur cor vestrum, neque* Ioan. Eu. cap. 14. *formidet, quia non relinquam vos orphanos.*

En vestigia mea relinquo vobis, & matrem meam superstitem, ipsa consolabitur vos ab operibus vestris, & docebit vos, & erit vt mater sollicita de vobis, vestigia relinquo vobis ad imitationem meam, matrem ad doctrinam, & solatium, in discessu reliquit discipulis Christus vestigia sua impressa humo, D. Hier. vt testatur D. Hieronymus de locis hebraicis in actib. Apostol. hæc sunt verba Sancti Doctoris. *Mons oliueti ad orientem Ierosolymis est, inter fluentem torrente cedron, vbi vltima vestigia Domini hodieque monstrantur, cumque terra eadem quotidie à credentibus excauetur, & exaretur nihilominus, tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuò recipiunt.* Aperiebat tunc Dominus primum cœlum, ex vestigijs enim impressis viam, qua illuc sit eundum, aperit, in cœlum non ascenditur, nisi per vestigia Christi, ipsum imitando, & eius vestigia sequendo, vt docuit D. Petrus Aposto- Pet. Ap. ep. 1. c. 2. lus; *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vesti-* S. Chrys. *gia eius*; quòd probat D. Chrysostomus orat. 5. contra Iudæos. Propterea, inquit, Christianus es, ideò hoc nomen accępisti, vt Christum imiteris eiusque legibus operum exhibitione parens.

En tua confusio, ò anima mea, num saxo durius erit cor tuum? mollescit illud, vt feruet intra viscera sua vestigia Domini sui, & non emollitur cor igne, seù ictibus tantæ dilectionis? ò Deus cordis mei, permutare rogo te, ego tibi cor meum, tu mihi tua vestigia dona, vt hæc in corde cudendo figes, & impressa ego retineam, vt habeam quæ sequi, & quæ imitare valeam.

Non relinquam vos orphanos. Ascendens ipse in cœlum ne fidelibus durus videretur eius absentia, ad solatium, & protectionem Virginem matrem suam nobis reliquit. O liberalitas Christi Iesu, ò cœleste donum, vt tui curam sollicitè, & affectu materno susciperet Maria abiens in cœlum ipse, matrem reliquit in terra, cur hoc? Audi ipsum Dominum ascendentem, quid dicit matri suæ. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Cant. cap. 6. Oculi matris Marię filium auolare, ascendere, & ferri fecerunt in cœlum, quid dulcius filio, quàm matris suæ oculi? cur nunc se ab oculis maternis sic subducit, quando nubes suscepit eum ab oculis eorum vt non possit filius amplius intueri, & quæ cordi virginali durior pęna? quàm hęc Iesu filij sui absentia? Vim sui amoris in hoc tibi præmonstrat Deus, dùm se subtrahit ab oculis Marię, vt hęc non flectat oculos in filium, sed in te, & oculis suis, vt pia mater foueat te, protegat te, pascat te, te consoletur, te recreet, vt tibi soli sit præsidium, & deficientibus alijs, in tui auxilium, non deerit Maria, cur hoc? quia ipsa mater, & custos relinquitur generis humani à filio. Hominem illum, qui descendent ab Ierosolymis in Ierico, denudatum pannis, vestitum vulneribus, inuolutum sanguine dereliquerunt in via. Luc. Euang. cap. 10. *accidit autem vt transiret eadem via* Luc. Eu. *quidam leuita, & viso illo præterijt*; Sacerdos, & fecit similiter, at cum illuc peruenisset Samaritanus, misericordia motus, alligauit vulnera eius, fundens vinum, & oleum, & impositũ in iumentum suum, duxit in Ciuitatem, & curam illius egit, & curauit, & sanauit, & reuocauit ad vitam. Cur soli Samaritano reseruatur cura, misericordia, pietas, & erga illum semiuiuum charitatis officium? Præteriit leuita, præteriit Sacerdos, & non præteriit Samaritanus?

Et quis est homo iste à latronibus sic vulneratus? Nisi anima, quando descendit à statu perfectionis, & ab obseruatione legis diuinę, tunc incidit in Latrones, dęmones dico; qui plagis impositis vulneratam, denudatam, & morti vicinam derelinquunt, vt hæc anima sanitati restituatur.

Cui seruata est cura? Dicam quæ sentio. In vniuersali Dei Ecclesia festa, & solemnitates quotidie celebrantur Sanctorum

ctorum ad illorum honorem, & nostrum profectum, & auxilium, & sic modo inuocatur vnus, modò alius, modò inuocatur ille, modò iste ad opem nostrarum necessitatum, quid accidit? visa illa pertranseunt omnes, non sanatur à vulneribus, non curatur à putredine, non viuificatur, quia pertranseunt omnes, num in Sanctis illis deest charitatis oleum? vel diuini amoris vinum? num desunt illis fasciæ misericordiæ, vt alligent illius vulnera? Non equidè, non est defectus charitatis, & misericordiæ, sed est grauitas morbi, vulnerum acerbitas.

Samaritano hæc cura seruatur, iuxta D.Greg. D.Gregorium Samaritanus custos interpetratur, & cui à Christo traditur Ecclesia fidelium in custodiam? nisi Mariæ? non relinquam vos orphanos, vobis trado in matrem, in custodem Mariam, hæc sola oleo charitatis redundat, hæc vino diuini amoris ardet, & fumat, hæc sola misericordia mota habet fasciam vulnera alligandi, illi data est cura, non imponit in iumentum, sed sinu suo fouet, protegit, & curat, sanat, & viuificat.

O fęlix anima, quam respicit Maria, non potest videre, non potest nostra vulnera intueri, & non misereri, abiens Christus in cęlum ad hoc nobis in terra matrem reliquit, dicens illi, *Auerte* Cant. *oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*; ac si diceret, assumptus ad patrem non debeo à te sic tenerè diligi, conuerte oculos tuos ad meos, quos oportet te, me ab illis assumpto, maternæ tuæ pietatis teneritudine consoneri.

Guliel. Sic interpetratur Gulielmus in hoc loco, *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*, hoc est, propter ipsos auolaui à te, vt auertas oculos tuos maternos à me, ascendens in cęlum auolaui à te, vt à me in meos transferes teneritudinem maternæ pietatis. Quid hoc dulcius? quid ad salutem securius, habere Mariam in custodem, quæ simul mater est Dei, & mater misericordiæ, ipsa nos consouet sinu, ipsa aperit iter ad cęlum, vt de te sit sollicita, esto tu illius filia, esto tu eius ancilla, toto corde ama illam, toto conatu sequere, & imitare, nam vt docet D.Bo- D.Bona. nau. in speculo B. Virg. *Qui habuerit charatterem Mariæ annotabitur in libro vitæ, & cognoscetur à Ciuibus Paradisi.*

En quomodo salus tua in manu Virginis reposita est, sub eius patrocinio viue, ad hoc Christus ascendens ipse in cęlum tibi matrem reliquit in terra, vt tuta sit nostra salus in manu Mariæ, quia mater est triumphatoris, & inferni spoliatoris, vndè terribilis facta est Dæmonibus, & fugiunt à facie eius sicut puluis à facie venti, plus potest ipsa sola, quam totus exercitus Angelorum. Hoc voluit innotescere sponsus quando comparat odorem vestimentorum Cant. Mariæ odor thuris. Cant.cap.4. Odor quem spirat nomen Mariæ, odor quem alant merita, & virtutes Virginis, odor quem afflant voces, & Mariæ præces, est velut odor thuris, vt diffugiant Dęmones veluti puluis à facie venti, veluti cera à facie ignis. Dicebat Angelus Raphael Tobiæ de piscé capto in flumine Tob. Tigris. Tob.cap.6. *Exentera hunc piscē, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi, sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtilitèr*, & interrogatus à Tobia Angelus, *quòd remedium habebunt ista quæ de pisce seruare iussisti*, sic dixisse annotauit sacer textus. *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum*. Non de piscis corde alloquitur, sed de corde Virginis Mariæ, quòd positum super prunas, & carbones diuini amoris, totum ardet, & fumigat, & odor est sicut odor thuris ad extricandos, & Dæmones expellendos. Audi non me, sed Diuum Amadeum homil. 2. de D.Amad ortu Virginis. *Asserunt odorem thuris Dæmones effugari, lacrymas excitari, Deum mediantibus lacrymis placari, ego verò libentèr dixerim odore virtutum Sanctæ Mariæ Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine, huc, illuc raptari, vt in eis impleatur quòd dictum est, fiant tamquam puluis à facie venti.*

Si tam potens est Virgo ad nostros vincendos inimicos, quam magnum est donum, & munus à Christo collatum, quando matrem reliquit in terram, ne te derelinqueret orphanam ad solatium, & ad salutem matrem reliquit, hanc palmam virgineam tibi donauit, ascende igitur ad palmam hanc, & appræhende fructus huius ramusculi, sede sub vmbra illius, vmbra protectionis, & fructus sunt salutis, fructus gloriæ, & lætitia

tiæ ſunt, lege fructus, experire dulcedinem eius, & Angeli pacis ex charactere Mariæ de Chriſti ouibus, agnoſcent te, vt deducant te ad illud ouile, in quo paſcua inueniuntur ſalutis, & cantica laudum, & voces laudantium Deum audiuntur, lauda & tu, & benedic nomen Sanctiſsimum Virginis, dic, Benedictum ſit nomen tuum in æternum, ò humilis Virgo Maria mater Ieſu filij Dei, te precor ò Maria monſtra te eſſe matrem, & miſerere mei, quoniam in te ſola ſperat, & confidit anima mea: ſub vmbra huius ramuſculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE SPIRITVS SANCTI plenitudine in corde Virginis in die Pentecoſtes.

RAMVSCVLVS SEXAGESIMVS.

Statura tua aſſimilata eſt Palmæ. Cantic. cap. 7.



Vtinam, & ille diuinus ignis, qui in die Pentecoſtes, penetralia cordium, deſcendens de cœlo, intimè, & medullitus penetrauit Apoſtolorum, & pectora flammigeris intus incanduit, & dilectionis igniuit cœleſtibus flammis, menteſque eorumdem æternæ lucis radijs clarius illuſtrauit fulgentibus, tenebraſque ab eis fugans ignorantiæ, inuincibili fortitudinis cõſtantia roborauit, & robore, ijſdem hodie ſplendoribus non dedignetur mentis meæ aciem illuſtrare, ſuiſque flammis cordis mei ardentis amoris quoque ignire ſecreta.

O lux beatiſsima, ſerui tui hodie reple cordis intima, vt poſsit ad hanc palmam virgineam aſcendere, & dulcitèr tenere cacumina eius, ſuper quæ de cœlorum vertice nouitèr illapſus, quando factus eſt repentè de cęlo ſonus, tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, repleta domo, in qua erant ſedentes, ſedenſque ſuper ſingulos eorum, nouus donorum, noua chariſmatum tuorum, ſuper omnes, qui tunc aſtabant verticē huius palmæ virgineæ repleſti plenitudine, fœcundaſti fructibus, impinguaſti dulcedine cœleſti, diuina inebriaſti cõſolatione, ac diuino luſtraſti lumine.

Fructus enim eius, tua ſunt dona, ò dator munerum, cuius rami ſicut manus, ita fructus, ſeu dactyli, digitorum præ ſe ferunt figuram: ò myſteria, ò miracula, quid hic nouus in Virginem Sancti Spiritus aduentus? ad quid eiuſdem Sancti Spiritus in Mariam hic nouus illapſus? ad quid eiuſdem hæc noua illius repletio? ò quàm latè cordis ſui ſinum aperuit Virgo ad illa diuina chariſmata recipienda: ſaxit Deus, quòd eò ipſa ſuſcepit vberius, quò ſuper omnes copioſius erat Dei charitas diffuſa in pectore virginali, hinc hæc palma virginea ſemper coronata floribus, ſemper affluens, & effluens dulcedine, ſemper vmbroſa ad requiem, ſemperque fœcunda fructibus.

Quorum quilibet, ſi digiti figuram protendebant, ò anima mea, quis enim digiti nomen in ſcripturis ſacris verius, vt Spiritus ſanctus ſibi vendicar? nonne & ſancta mater Eccleſia dexteræ Dei digitum appellat? & D. Auguſtinus in Exod. & Clemens Alexandr. nonne docent Magos Pharaonis defeciſſe in tertio ſigno, hoc eſt in cognitione tertiæ perſonæ, quæ eſt Spiritus ſanctus, & ſtupore exclamaſſe, *Digitus Dei eſt hic*, & D. Gregorius hom. 10. in Ezechiel exponens verba illa Marci Euang. *Miſit digitos ſuos in auriculam eius. Quid per digitos Redemptoris, niſi dona ſancti Spiritus deſignantur*, ex vtroque loco colligitur, quia digitus Dei vocatur Spiritus ſanctus, & ipſe Dominus compellans Iudæos dixit. *Si in digito Dei eijcio Dæmonia, profectò peruenit in vos Regnum Dei*. Spiritus ſanctus hic appellatus eſt digitus Dei propter varia dona, quæ per Spiritum ſanctum dantur hominibus.

D. Aug. Clem. Alexand. D. Greg. Luc. 11.

Si palma noſtra Virginea in die Pentecoſtes Spiritus ſancti donorum fructibus, cæteris omnibus apparuit vberius fœcundata, fertilitèr decorata, affluo-

fluentius cumulata, plenius repleta, plus omnibus nimis fœginata plus omnibus onusta, plus satis inebriata, plus omnibus coronata. Si plantula est Spiritus sancti, quid miraris? si fructus digitorum figuram exprimunt, quo nomine vocatur, & Spiritus Sanctus, qui est & dexteræ Dei digitus, hic est qui palmam hanc virgineam fœcundauit, & suis charismatum donis super omnes repleuit, qua plenitudine repletam vidit Angelus salutans eam: *Aue gratia plena*. Huic plenitudini alia superueniens in actu incarnationis quando in eius vtero Verbũ caro factum est, quòd quidem incarnationis opus, quia totum perfectum est Spiritus sancti operatione, eam vtique tunc cumulatius repleuit descendens in eam, cum omnibus suis essentialibus donis, sic enim testatus est D. Nuncius. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. Eu.

Si plena, imò & superplena fuit Maria Spiritu sancto, ad quid hæc noua eiusdem spiritus repletio? vt capias anima mea, velim scias, Assumpto in cælum Domino Iesu, postquam nubes illa suscepit eum ab oculis discipulorum, de monte oliueti regressi sunt in cænaculum, in quo paulò ante pransi erant cum Iesu rogo te non te pigeat ingredi in cænaculum hoc, & ibi adesse, hic inuenies omnes congregatos, & quo cordis feruore erant perseuerantes vna nimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, et fratribus eius.

Et dum cælestis illa Ierusalem tota erat occupata in laudibus diuinis laudando, plaudendo, et adorando victricem Christi humanitatem, assumptam iam in dextera Dei Patris, quæ cùm nouis sit distincta choris, quilibet eorum vnum sibi reseruauit diem, vt triumphatori Domino pariter, et ascendenti debitum exhiberet honorem, reuerentiã, et tributum, quibus iam elapsis, cum decimus aduentasset dies, erat Maria mater Iesu inter choros mulierum, & discipulorum Christi magis ardens amore, magis accensa desiderio, magis æstuans dilectione, cuius vi, & ardore extra sensus rapta, intus iam præsentiens Spiritus sancti aduentum, flexis genibus, erecta facie, fixisque in cœlum oculis, psallens, & orans humili voce inclamauit. *Veni creator spiritus, mentes tuorum visita, imple superna gratia, quæ tu creasti pectora.* O vehemens suspirium, ò Virginis ardens desiderium, descendit Spiritus sanctus, seditque supra singulos eorum, sed longè copiosius super verticem nostræ palmæ, cum esset ipsa palma solaris, i lles sol s diuini, qui non repleuit eam gratia tantum, sed voluit in vtero eius, per assumptam humanitatem requiescere, & hodie nona plenitudine repletam super replere.

Cur hoc? si iam erat plena, sic respondet D. Bernard serm. 5 de Assumption. *Adueniente Spiritu sancto, plena sibi eodem autem superueniente nobis quoque superplena fuit*, sibi ad effectum confirmationis absque alio charismate materiali, fuit Virgo sicut & cæteri tunc cõfirmationis effectibus excellentius con firmata, nobis autem ad solatium, vtilitatem, & salutem, vt possis sub vmbra huius ramusculi illi dicere et tu anima mea. D. Bern.

Statura tua assimilata est palmæ. De naturali palma ausi sunt scriptores antiqui affirmare, *Arborem esse solarem*, quia sol in ea efficacius prædominatur, & tandiù eam conseruat in vita vsque dum ipsius met folijs videatur incorruptibilitatem participare. Equidem ò quam verius audemus & nos Mariam dicere palmam esse solarem, ex hoc enim Virgo cum palma componitur, quum ei dicitur, *Statura tua assimilata est palmæ*, quia sicut naturalis palmæ prædominatur à sole Planetarum principe, sic nostra Virginea prædominatur à sole illo diuino, qui nescit occasum, qui non per gratiam duntaxat elegit habitare in ea, sed per assumptam humanitatem, diuturnitatem nouem mẽsium voluit in Virginali eius vtero etiã requiescere, ex quo factum est, vt Virgo à sole hoc totius sui status mutauerit viriditatem, incorruptibilitatem, fæcunditatem, & Spiritus sancti charismatũ, & donorum plenitudinem, vt esset plena sibi, & superplena nobis, ex qua plenitudine gratiarum, & Dei matris dignitate, factum est vt de plenitudine eius accipiant vniuersi. Scr. ant.

Et huius palmæ virgineæ ad tui vtilitatem, salutem, profectum, & solatium, ò anima mea, primus fructus est, quòd sit Maria primum donum ad extra, sicut Spiritus sanctus primum donum ad intra, hoc virginale donum à Deo,

dono nobis donatum, erat quòd extra se mentem Dauid prophetæ rapiebat in stuporem, vt in psalmo 8. ipse prænotauit dicens. *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum*, & vocat Virginem cœlos plurali numero, ad distinctionem cęlorum materialium, de quibus in superiori versu dicebat, *Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos*, ij enim cęli, & orbes voce Dei tantum creati sunt, ex illo primo Dei fiat, facta sunt omnia, & in ordine ad naturam cuncta cęlestia Verbo Domini firmata sunt, dicente eodem Propheta psalm. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt*. Virginis verò cęlum, fuit opus digitorum Dei, cęlum Mariæ fuit perfectum Dei spiritu, & illo, cuius sunt septem dona, cum fit vnus sicut plures digiti sunt in vna manu. O Deus cordis mei, qui tribus digitis appendis molem terræ, intromitti desiderat cor meum in hoc cęlum virgineum vt illic te, & tuam potentiam confitendo, & prædicem, illic te, & tuam liberalitatem contemplando laudem, illic te, & tua opera intuendo magnificem, illic te tua dona, & tuam magnificentiã admirando glorificem, illic te, & tuam æternam dilectionem meditando intelligam, cur opus digitorum tuorum voluisti esse Mariam? nisi quia Spiritus sanctus, qui est amor in diuinis, & donum, ipse excitauit Patris potentiam, Filij sapientiam ad producendum ad extra de thesauro diuinitatis suæ hoc Virginale opus, & tam Dei singulare donum.

Dau. Pr.

Nonne primum donum in donis est amor, quo ab amante cuncta donantur amato? illa namque censentur dona, quæ solo donantur amore. Deipata, donum est, sibi ipsi, & nobis, à Deo gratiosè donatum, per quòd cætera nobis donata sunt Dei dona, tum naturæ, tum gratiæ, tum etiam & gloriæ. Audi pijssimum Idiotam lib. de Virgine Maria in prolog. *O homo, inquit ipse, quicunque es, probationem vitæ ingressus, misericordia Domini nostri Iesu Christi indiges, sine qua saluari non potes, accede igitur per deuotam mentis contemplationem ad gloriosissimam Virginem Mariam matrem eius, quia per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa, & ab ipsa habet mundus, & habiturus est omne bonum.*

Pijssim. Idiota.

Et Virginale donum fuit omnibus Dei donis summè repletum, vt de plenitudine eius accipiant Vniuersi, vt D. inquit Bernard. *idcircò in die Pentecostes nobis fuit superplena, plenitudine superesfluentis ad nostrum profectum, & salutem*, ad hoc vocat Propheta Sanctus Virginem Cęlum, & opus digitorum Dei. Compertò est omnibus, orbes cęlestes, seù cęlos, opera esse Dei, & vniuersale donum cunctis donatum creaturis dum sua luce, motu, & influxibus influunt in cuncta corpora mixta, & sublunaria, et influendo fœcundant, fœcundando vim præbent fructificandi, et qui auctor est naturę, ipse idem est auctor gratiæ, cui ex sua liberalitate, palmam hanc virgineam, veluti cęlum, & opus esse digitorum suorum complacuit fabricare, vt sua luce, suo motu, & influxibus magis necessarijs, & communibus influeret in orbes animarum fidelium, & qui totum voluit nos habere per Mariam, vberius, & super omnes affluentius noua & ineffabili donorum suorum plenitudine, vt de plenitudine accipiant vniuersi, voluit & replere, & fœcundare.

D. Bern.

O dulcissime Iesu nonne tu Dei Patris es donum? nonne satis eras nobis omnibus? quò processsie tua liberalitas in nos? quò tuus diuinus amor? amoris est donum, qui in donis non nouit terminum, vt sua magnificentia ostenderetur liberalior, & sua erga nos dilectio magnificaretur efficacius, & se tibi dare voluit, & suam matrem tibi in cœlum constituere, & vt cęlum cumulare donis, & te virgineis fœcundare influxibus, quòd donum tibi Crucis testamento legatum est, quando dixit Ioanni, *Ecce mater tua*, ex vi cuius donationis gloriosa illa Virginis transmissio ad nos omnes facta est, & in persona omnium legimus ibidem de Ioanne, *& accepit eam discipulus in sua.*

Quo dono, cum sit primum omnium nam Virgo extitit prima omnium creaturarum, nobis fluunt omnia alia dona; quapropter si sic Spiritus sanctus hodie descendens, sedensque super eam tot innumeris dactylorum fructibus, fœcundauit, onestauit, & super omnes affluentissimè repleuit, cur hoc? nisi quia dactyli, qui figuram protendunt digiti, & illius digiti, qui est dexteræ Dei digitus, fructus sunt Spiritus sancti, & huius palmæ virgineæ, & illius

dona,& seipsum nobis communicare non vult,nisi per Virginem,nec mirum? dum æterni Patris filium nobis non donauit paterna illa liberalitas,nisi per Virginem,quæ & genuit,& peperit, & D. Meth. lactauit eum,vndè dicebat D. Method. martyr. *Dedit Cælis gloriam, & terris Deum.*

Et hic ascendens in cęlum,Spiritum sanctum qui procedit ab ipso æterna illa processione, quemadmodum & à Patre,nobis misit,& dedit,& ipse Spiritus sanctus Christi meritis etiam quoad Dau. Pr. eius effectus,& dona communicātur hominibus,vt in psalmo 67. astruit Propheta Sanctus. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem,dedit dona hominibus*,at non nisi per Mariam,nam effectus procedentes à Christo, dignitate maternitatis Dei ascribuntur etiam & Virgini, à qua & si temporali generatione nobis datus est filius,& à filio Spiritus sanctus,& effectus filij sunt etiam & matris, quid miraris anima mea? quid trepidas? si dona Spiritus sancti,& ipsemet Spiritus sanctus, vt tibi donaretur per Virginem, voluit in die Pentecostes eam super omnes fæcundare, & replere,vt hoc cœlesti dono fæcundareris,& replereris & tu.

D.Bern: Senens. Audi D. Bernardinum Senensem to. 1.serm.52.art. 1.cap.2.quàm clarè hoc expressit dicens. *A tempore,quo concæpit Virgo Deum in vtero suo, quamdam, vt sic dicam,iurisdictionem,& auctoritatem habet in omni missione Spiritus sancti,quia non vult ipse Spiritus sanctus, nisi per eam communicari, sicut & filius* D. Bern. *à quo Spiritus sanctus procedit,per ipsum datus est nobis*, & D. Bernard.ad hoc idem respiciens in serm. de Natiuit. B. Virg.dicebat.*Si quid spei in nobis est, si quid gratiæ,si quid salutis, ab ea nouerimus redundare*,vtitur verbo redundare, vt præmonstraret nobis plenitudinem super affluentem Virginis,vt dixit idē, vt & de plenitudine eius accipiant vniuersi.

Ad hoc super omnes suis diuinis charismatibus repleuit eam Spiritus sanctus,& filius abiens in cœlum, matrem nobis reliquit in terris,vt effecta donorum supercęlestium Spiritus sancti fluuius, & fons irriguus nostra arentia corda irrigaret,fæcundaret, & consolidata, & confirmata fructus redderent vitæ æternæ. Cardinalis Vigerius in suo dechacordo corda nona introducit Car.Vig. Christum ascendentem in Cælum, & matrem sic alloquentem. *Post ascensionem meam pro gratiæ plenitudine, & beneficentiæ exuberanti virtute,eris perpetuò in omnes mihi fide subiectos fluuius gratiosus, quo in principio nascentis Ecclesiæ,quasi plantulæ nutrirentur animæ iustorum,cum hæc impleueris, cum plantationes nostræ fuerint confirmatæ, cum quæ ego plantaui,tu irrigaueris, veniam ad te,& quomodo me nunc vides ascendere,sic te conducam*,hæc ille.

En quomodo plantulæ primitiuæ Ecclesiæ per Virginem irrigatæ fuere, & ex plenitudine donorum Spiritus sancti Virginis florescit,vernat, & germinat campus sanctæ matris Ecclesiæ tot Apostolorum,ac martyrum purpureis purpurata rosis, tot victorum laureis coronata triumphis,tot scientiarum,& prædicationis Doctorum illustrata fulgoribus,tot Virginum candidata lilijs, & tot Sanctorum cohonestata floribus, & fructibus.

Antequam hanc Virginem suis donis repleret Spiritus sanctus fidelium campus cordium erat, veluti terra in principio suæ creationis,de qua dicitur in Genes.c.1.*Terra autem erat inanis,& vacua*,sterilitate dura laborabat, & fame,egestate, & omnium bonorum penuria abundabat,si vernantem floribus fæcundum fructibus, nunc illum conspicis, Mariæ Deiparæ absque dubio ascribendum puto. Gen. Tempore Eliæ terra Samariæ, & totum Iudeæ Regnum illā triennalem sustinuit famem,& sterilitatem,ex eo, quia non pluerat super terram tribus annis & sex mensibus, videns Propheta Sanctus hanc vniuersalem oppressionem,se transtulit in cacumine montis Carmeli, Deum ibi suis pręcibus deprecaturus ascendit,& dum oraret ipse,puero præcepit vt mare versus aspiceret,et nunciaret ei,si quid videret,et iussit illi, vt reuerteretur septē Reg. vicibus.*Prima vice vsque ad sextam respondit,non est quidquam, septima autem vice reuersus ad eum*, testatus est se vidisse nubeculam paruam,quasi vestigiū hominis ascendentem de mari, ò mysteria,ò prodigia.

Cur septima vice, et non primò apparuit illa nubes parua? et quid hæc nubes? nisi Maria, vt Sanctorum est sententia? sic pijssimus Ioannes Ierosolymita-

Io.Ierof. mitanus lib. de institut. Monach. c. 33. *Quia nubecula illa mater Iesu non fuit à puero visa nasci in prima illa ætate, ideò puer dicit Eliæ, non est quidquam,* & dum Maria abest à mundo, quid mirariss, si totus erat inuolutus tenebris, si grani sic laborabat egestate, infirmabatur rerum penuria, & opprimebatur sterilitate, carebat lumine, pulchritudine, decore, & fæcunditate? priuatus Maria, terra erat inanis, & vacua, & destituta Mariæ influxibus noxijs obsidebatur vmbris.

Ascendente Virginis huius filio ad æthera, nonne nubes suscepit eum in cœlum? *Quæ licèt*, vt inquit D. Thom. p. 3. q. 57. art. 2. *apparuit, & Christo occurrit, non vt præberet adminiculum illi per modum vehiculi, sed tantum in signū suæ diuinitatis*, fuit nihilominus signum pronosticum futuræ pluuiæ, & illius de qua dixit Sanctus Dauid psal. 97. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*, vt fuit illa nubecula Eliæ.

D.Tho.

Dau. Pr.

Scribit enim Plinius lib. histor. cap. 65. quòd existente cęlo sereno, claro, hilari, læto, & lumine rutilante, si nubes videtur consurgere inter septentrionē, & meridiem, certum esse præsagium pluuiam ex ea, quam fæcundam nascituram. Si Christus ascendens ascendit nube velatus, qua quando raptus ēst, quis ignorat non ascendisse inter Septentrionem, & meridiem, quando de monte Olíueti ferebatur in Cœlum, & nubes suscepit eum ab oculis eorum: nubes illa non tantum erat Christi, sed & matris suæ Mariæ, cuius erat & caro illa, quæ ascendens, nube eleuabatur, si caro eadem, cur non nubes? vtrique hoc insinuare voluit Spiritus sanctus, dum nubeculam ab Eliæ puero visam de mari ascendentem nobis describit, quòd hominis vestigij figuram præseferebat. O Deus cordis mei, si nubecula illa Mariæ referebat figuram, si hæc Virgo mulier erat, cur ascribitur ei figura hominis, seu viri? nisi quia Maria adeò in filium, quem ipsa genuerat, erat transformata amoris vi, & virtutum imitatione, vt ab illo vix, seu nullatenus poterat distingui. Audiamus de hac re Ioannem Ierosolymitanum vbi supra. *Ecce nubecula parua*, inquit, *quasi vestigiū hominis ascendit in Carmelum, quia Maria in hoc suo spirituali ascensu oculis intentis, & corde sequebatur filium ascendentem in Cælum, non fæminam, quam imitaretur, sed hominem Diuinum habuit in exemplum.*

Plinius.

Io.Ierof.

Exemplo, imitatione, & dilectionis vinculo erat hæc nostra Palma virginea omninò palmæ filio similis effecta, vt cum esset Christi, & Mariæ vna caro, vna & eadem esset nubes. Si credamus Caietano, qui dicit *nubem fuisse quosdā mirantes radios, qui è glorioso triumphantis Christi corpore prodibant*, hanc virgineam nubem cum hodie intueris ascendentem cum filio spirituali ascensu, & non primo, sed in septima vice apparuit ascendens de mari, qui septenarius numerus Spiritum sanctum designat, per septem charismatum dona. Caietan.

O anima mea, ò iubilum cordis mei, tunc pronosticum fuit fæcundissimæ illius pluuiæ, & aquarum inundantia, quam pluuiam voluntariam appellat Propheta Dauid, pluuiam liberalitatū, donorum, charismatum, atque gratiarum Spiritus sancti, quæ à Virgine tam quam imber serotinus effusa est in Apostolorum, & fidelium corda, de quorum superficie expulsæ sunt tenebræ, mundus totus indutus est decore suo, terra fæcundata arboribus, coronata apparuit floribus, cumulata fructibus, & quidquid habet decoris, & pulchritudinis à Virgine accæpit. Tunc Ecclesia apparuit rosis purpurata martyrum, lilijs circundata Virginum, & repleta ex omni parte odore suauissimo Sanctorum omnium, descendat super arentem cordis serui tui, & aridam terram hæc cœlestis pluuia. O nubes protectionis, ò cœlestis ros animæ meæ, rore donorum, quibus es repleta, inebria me, fæcunda me, & faciem animæ meæ irriga, vt fæcundata rore, rorem gratiarum, & laudis tibi reddat.

De terrestri Paradiso legimus, quòd de eo *ascendebat fons, qui irrigabat vniuersam superficiem terræ*, Genes. cap. 2. quæ fertilis, & fęcunda reddebatur fructibus, quæ terra hæc? nisi cor meum, ò Maria, siccum ab omni rore gratiæ, denudatum ab omni decore venustatis, & ab omni vbertate fructuum, ab omni firmitate virtutis, cum sic ipsamet volubilitate volubilius, vt imbre donorū Spiritus sancti, vt aqua irrigetur cœlesti non nisi de fonte tuo Virginali voluit emanare, effluere, & communicari idem Spiritus sanctus, nisi de tua plenitudine accipere. Gen.

Huius veritatis testis est Lucas Eu.

ò anima mea, qui vt Virginalis huius fontis vbertatem,& affluentiam aquarũ illius nobis innotesceret (Fuit enim hic Marialis fons in die Pentecostes sic superaffluentèr repletus, quòd sola voce,seu halitu Virgo implebat Spiritu sancto animam cuiuscumque, quæ eam audiebat tantummodo loquentem) vt quis Spiritum sanctum acciperet,& donis eiusdem repleretur, satis erat Virginis halitus, Mariæ dulcis sibilus, & vox eius suauissima Elisabeth non ventre tantum,sed & spiritu sterilis erat,& cor infantis illius veluti terra à principio erat inanis,& vacua, imò & tenebræ culpæ originalis erant super faciẽ cordis illius, ò fons hortorum, ò puteus aquarum viuentium,ò dilectionis, & pietatis mater, quando Spiritus sancti charismatum dona,& donorũ eiusdem plenitudinem sic in se recepit, vt in alios illam effundat,sic continet in se,vt & alijs communicet,& donet: est fons hortorum,& puteus aquarum viuentium, quibus irrigata corde fideliũ fæcundantur ad vitam,en abijt in montana, intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth, ò quam fœlix hæc salutationis vox,qua ab aquis Spiritus sancti,quibus tunc plena erat Maria,irrigatur terra sterilis Elisabeth,& ex sterili effecta est fæcunda, & ex atra peccati originalis nocte, puero ortus est Sol,et facta est lux,quando inquit Sanctus Euang. Luc.c.1. *Factum est,vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth,exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto.* Erat fons hortorum Maria,et puteus aquarum viuentium.

Luc. Eu.

Gulielm *Fons hortorum est*, inquit Gulielmus in Cant. *rigando eos, puteus aquarum viuentium continendo eos, continet sibi abyssos vitæ,& immortalium gaudiorũ, sed non ita continet sibi,vt non effundat, & alijs; effudit Angelis, & hominibus participationem pro captu singulorum, Angelis quidem torrentem voluptatis, hominibus in hac peregrinatione riuulos sanctitatis,& sanitatis, donec & ipsi ciues effecti inebrientur ab vbertate domus eius,& torrente voluptatis potentur*, sic tamen effudit, vt non minus contineat, cautius continet,vt vberius effundat,et vt effundat,sufficit ex eius superaffluentia,vox,et halitus: ò cœlestis superplenitudo,loquatur ipsa,audiatur vox, fiet eius sibilus in aure,et audientem replet,et implet Spiritus sancti donis.

Testis est mihi D. Chrysost. à Busto citatus in par. 7. serm. 46. *Cum enim Beata Maria salutauit Elisabeth,vox salutationis per aures eius ingrediens ad puerũ descendit,virtute cuius salutationis Spiritum sanctum recepit,vt ante prędixerat Angelus,Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ,& Spiritu sancto repleta est,& mater.* D.Chrys.

En quàm fluenta Spiritus sancti fæcunda sunt,vt ad vocem Mariæ, vt ad salutationis sonitum Virginis,matri,et filio detur Spiritus sanctus. Puteus erat aquarum viuentium, et fons terrestris Paradisi ad hoc tot aquis repletus, vt de plenitudine acciperent vniuersi. *Figurata fuit Maria*,inquit D. Bernardin. Senens. vbi supra in fonte illo, de quo legitur in Genes. cap. 2. *qui de terra ascendens irrigabat vniuersam superficiem terræ.* O verè torrens inundans, ò fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei,en terra inanis,et vacua,en terra sterilis, et infæcunda animæ serui tui, irrigà illam vt fæcundetur, vt tibi laudum fructus afferat: scio ò Maria te gloriari: *Spiritus meus super mel dulcis & hæreditas mea super mel, & fauum:* scio ò mater pietatis, quòd ex superaffluenti plenitudine effluis, et rẽdundas ad profectum,et salutem animarum.

D. Bern. Senens.

Eccles.

Anima mea si hic virginalis fons redundat,et affluit, vt sola voce impleat aquis dulcedinis,consolationis, et salutis audientem illam,attende fontem; audi loquentem,nam *sub lingua eius lac & mel,& labia eius fauus distillans.* Fauus melleus est Maria, qui si piè fuerit compressus tactu labiorum animæ deuotè orantis dulcedinem mellis super cor eius facilè distillabit,quando venit et descendit super eam Spiritus sãctus obũbrando eã, et suis diuinis replendo charismatibus, lac,et mel posuit in ore eius,et in illius halitu Ioannes clausus adhuc in vtero matris suæ, sensit hanc dulcedinem, quando audiuit eam loquentem,tanta dulcedine tunc fuit repletus,tanto gaudio delibutus,quòd se continere non potuit, quin intra matris viscera non exiliret, tripudiaret, et exultaret. *Si paruuli nec dum nati*, inquit D. Bernard. serm. 1. de Assumpt. *anima liquefacta est,vt Maria locuta est, quid putamus,& quanam illa fuerit cœlestium exultatio,cum & vocem audire,& videre f[illegible]m,& beata eius frui præsentia merueru*nt,si vox Virginis beat[illegible]

Can.c.4.

D. Bern.

tos

tos, et recreat spiritus cœlestes in patria, quæ anima non cupit eam audire, eam videre, et eius præsentia, et pulchritudine frui? *Lac & mel sub lingua eius, fauus distillans labia eius.* O lac, ò mel, ò Virginis fauus, lac quòd pascit, et nutrit, mel quòd mentis oculos irradiat, et illuminat, mentem regit, intellectum dirigit, amorem erigit, cor tenet, et firmat in bono, et ad fluenta illa superna os sitientis trahit, et adducit, fauus qui beat, recreat, implet, et satiat.

Anima ita facta est capax maiestatis diuinæ, vt à solo Deo, & non ab alio possit impleri, quando Deum non habet, plenum non est desiderium suum, ò mirabilis Dei, & diuinæ sapientiæ arcanū, cor hominis tantæ paruulæ et quantitatis, quòd vix sufficit ancipitri, miluo, & Aquilæ pro vnico bolo, vel buccea, & nihilominus tantæ est capacitatis, quòd ei satis non est latitudo totius mundi, tanta est cordis humani capacitas, & tam dilatatur, quòd non satiatur totius orbis terræ latitudine, frustra buccella est totus mundus cordi hominis, ita docet Riccardus Victorinus: *Parua quadam buccella esse videtur, quæ in illud interioris hominis os iniecta penitus implere non valet, imò penè non comparet sed si ad illam internam, & supernam dulcedinem inhias, si ad veram spiritus suauitatem suspiras,* audi quid diuinitus tibi præcipitur. Dauid Propheta psalm. 42. *Dilata os tuum, & implebo illud:* parua sunt omnia creata, & nihilum, vt cordis humani impleant desiderium, quò plus bibit, plus sitit, quò plus satiatur, plus famescit, nam cūcta mūdialia irritant potius cordis ingluuiem, quàm satiant, quia vana sunt, & non vera.

Riccar. Victor.

Psal. Pr.

Adueniente Spiritu sancto super Apostolos, & copiosius super Virginem obseruasti anima mea, quid dicat Euāg. Act. Apost. cap. 2. *repleti sunt omnes Spiritu sancto.* anima quando habet Deum, plenum est desiderium eius, & nihil aliud, quòd desideretur exterius superest, dum aliquid exterius desiderat, manifestum est, quòd Deum non habet interiùs, quo habito nihil est, quòd vltra desideret. Deus est summum bonum, quod plus cupiat non habet, qui summum bonum possidet, & qui hoc summum bonum non desiderat, restat vt desideret, quod non est summum bonū, ergo creaturam desiderat, si creaturam desiderat, continuam famem habet, quia licèt quod desiderat de creaturis adipiscatur, vacua tamen remanet, quia non est in mundo, quod cordis vacuitatem repleat nisi Deus, ad cuius imaginem creatum est.

Act. Ap.

Vt hanc cordis tui repleret vacuitatem, satiaret famem, postquam cœlum ascendit in consessum paternæ dexteræ gloriosè obtinuit, vt impleret corda fidelium, misit Spiritum sanctum suum, qui solus diuinitatis suę Charismatibus valet replere omnia, at primò replenit affluenter Virginem. Isaias Phoph. hoc mysterium annotauit, quando in 6. oraculi sui: *vidit Dominum Iesum sedentem super solium excelsum, & eleuatum,* & subdit, *& ea qua sub ipso erant, replebant templum:* quæ sunt ista? quæ primò replebant templum Spiritus sancti anima tum? dico Virginem, nisi dona ipsiusmet Spiritus sancti: audi Rupertum Abbatem in Isai. lib. 2. cap. 28. *Postquam Dominus ascendens in cœlum, sedit super illud paternæ maiestatis solium excelsum, & eleuatum, quæ deinde sub eo sunt? Nimirum dona, quæ dedit hominibus, dona sancti Spiritus, quæ dedit Apostolis, hæc implent templum.*

Isaia. Pr.

Rup. Ab.

Quo super affluenter impleto, vidit Ezechiel cap. 47. *de latere eius dextero, aquas egredi ad salutem fidelium. Fluebant aqua,* inquir Hector Pinctus, *per templum, vndè veniebant ad atrium exterius, quo fons templi vergebat.* Nobilissimum Dei templum extitit Maria, sic vocant eam Patres sancti: *Aue,* inquit D. Gregorius Thaumat. serm. 3. de Annunciatione, *animatum Dei templum, Aue cœli, & terra æquiualens dignumque domicilium.* & pijssimus Idiota lib. contemplat. Virg. cap. 2. *Miranda illa obumbratio Spiritus sancti, quæ vno momento te templum Dei irradiauit, & decorem tuum manifestauit, & auxit,* quando sic eam repleuit, vt de plenitudine Virginis acciperemus & nos, qui totum voluit nos habere per Virginem, hæc aqua sola nos satiat, hæc sola nos replet.

Ezech.

Hector Pinctus

Gregor. Thaum.

Idiota.

O ineffabilis Dei dulcedo, quādo non potest totus mundus, valet vna stilla sola huius aquę: audi Riccardum Victorinum, *Adaucter affirmo, quòd sola vna huius mellis stilla potest, quòd totus mundus non potest, cor quidem copia mundi non satiat, vna huius dulcedinis gutta plenè inebriat,* qua inebriatus D. Apostolus

Riccar. Victor.

Mat. Eu. solus Petrus exclamauit, *Bonum est nos hic esse*. Matth. Euang. c. 17. *Vnam enim stillam*, inquit D. Augustinus lib. 3. soliloq. cap. 21. *dulcedininis ille gustauit, & omnem aliam fastidiuit dulcedinem, quid putas dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis diuinitatis tuæ gustasset, quam abscondisti timentibus te.* Petrus in fonte humanitatis Christi, nos de latere templi Virginis Mariæ possumus degustare, hæc sola aqua satiat, hæc sola replet, hæc sola inebriat, saluat, & consolatur, hæc sola huius vitæ amaritudines dulcescit, labores cælesti perfundit consolatione, cuius dulcedo mella superat, nemo nouit nisi qui accipit, vt accipias anima mea ascende ad palmam virgineam, en quam onusta dactylis, en quam superplena Spiritus sancti Charismatibus repleuit illam, vt et tu accipias & repleatis.

O quàm errauit diues ille siti oppressus, & flammis sepultus in inferno, cruciabatur in lingua, & quærens refrigerium suæ miseriæ solatium, & consolationem, & conuersus suam ad Abraham direxit petitionem. Luc. Euang. Luc. Eu cap. 16. *Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquā, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Sitis ardore delirabat miser, dum non Lazari digitus poterat à flammis liberare, & siti, nec consolari in tormentis, alter digitus postulandus erat, dum viueret. Heu anima mea, dum tibi vita suppetit, si illas cupis euadere flammas, sitim, gemitus, & lacrymas alter digitus tibi postulandus erit, ille inquam, qui est dexteræ Dei digitus, Spiritus sanctus, cuius donis fructibus, & dactilis onustam conspicis hanc palmam virgineam, sub vmbra ramusculi huius palmæ siste gradum, commorare, ascende, lege, & carpe fructus, illam rogo, vt extremo digiti sui tangat non linguam solum, sed cor, animam, corpus, & quidquid habes, nam ad hoc super affluenter in die Pentecostes repleuit eam Spiritus sanctus, qui Paraclitus dicitur, hoc est consolator. *Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium, in labore requies, in* S. Matee Eccles. *æstu temperies, in fletu solatium.* Sancta Mater Ecclesia, vt capias quàm ad refrigerandum, ad consolandum, ad subleuandum sit potens Maria.

Si salutis viam aberrasti, si tibi ignota sunt abscondita, & occulta, quę Deus pro te fecit, & passus est, memẽto, quod quando volumus aliquid demonstrare, digito demonstramus, hic digitus est Spiritus sanctus, qui occulta, quæ ignoramus, nobis demonstrat. Viam ad palmam scire cupis, ascensum ad illam, fructuum dulcedinem, consolationis saporem, intende oculos ad digitum hunc, & quæ tibi indicat perfice, ibi versus dirige gressus tuos.

Ad illum exclama, ò ignis, ò Dei digite, quàm dulciter ardes, quàm secretè irradias, & illuminas, quàm desideranter aduris, ò amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris, accende me igne tuo, amore tuo, dulcedine tua, delectatione tua, desiderio tuo, charitate tua, iucunditate tua, suauitate tua, voluptate tua, concupiscentia tua, quæ sancta est, beata, bona, casta, & munda est, vt totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ vaporatus diligam te, amem te, si cor meum te hospitari non meretur, mereatur merito vmbræ huius palmæ virgineæ, quam sic affluenter obumbrasti. Sub hac ramusculi vmbra adoro te, benedico te, laudo te, rogo te, vt sanes vulnera animæ meæ, vt sanata fiat tibi habitationis dignum domicilium, veni iam veni benignissime dolentis animæ consolator optime, protegens in opportunitatibus in tribulatione adiutor, veni mundator scelerum, curator vulnerum, veni fortitudo fragilium, reuelator labentium, veni humilium Doctor, superborum destructor, veni orphanorum pius pater, viduarum dulcis Iudex, veni spes pauperum, refocillator deficientium, veni nauigantium sydus, naufragij portus, veni omnium viuentium singulare decus, morientium vnica salus, veni sanctissime Spiritus, veni & miserere mei, apta me tibi, veni, robora meæ imbecillitatis miseriam, vt viuam sub vmbra palmæ virgineæ, vt illius nutriar fructibus, vt protegar vmbra, vt inebrier florum fragantia, & virtutum illius odore, vt sentiam suauitatis illius dulcedinem, qua inebriatus laudem, & benedicam nomen sanctum eius, quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te pręcor ò Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

DE

DE
VMBRA QVARTÆ PALMÆ VIRGINEÆ.

Sub Vmbra illius, quem desideraueram sedi; & fructus eius dulcis gutturi meo.
Cant.cap.2.



NOn cuiusuis amantis animæ, sed pueri Iesu Filij Dei sedentis, & viuentis sub vmbra hac quartæ nostræ Palmę Virgineæ, verba sunt ista. *Sub vm-* Can.c.2. *bra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*: ò fructus dulcedinis nimia suauitas: ò vmbrę amplitudo nimis immensa, quid hac palma mirabilius? Et quid hac vmbra altius, vel latius, cum hæc palma virginea vmbra obumbrata Spiritus sancti, vmbra sua potuit obumbrare obumbrantem omnia, & sui fructus dulcedine valuit illius, per quem nec ales esurit, & qui dat escam omni carni, plenè exatiare famem, ò anima mea, & quæ fructus illius tàm noua dulcedinis nouitas gutturi Dei? Et vmbra quæ latitudinis, & altitudinis capacitas, seù amplitudo tàm lata? vt obumbret, iam obumbrata sibi cœlitus obumbrati.

Vt capias, attende ortum, seù originem naturalis vmbræ. Nulli dubium est, quòd consurgit vmbra ad præsentiam solis, seù luminis super corpus opacum cadentem, & tunc ipsa nascitur cum alicuius luminis radijs obijcitur: & ne naturæ ordini aliquid fieret contra iuris ordinem, experientia iam hoc in vmbra exploratum est, quòd qualibet vmbra cum nascitur, longior est, cum assurgit maxima videtur, at minoratur, cum crescit, tunc minuitur, cum vigoratur, & cum senescit, euanescit, & verè aufugit velut vmbra, quia nihil fugacius vmbra.

Cum oritur, seù fit vmbra obiectu corporis ad rem lucidam, insitum est hoc illi ab ipsa natura, vt sit inanis, fluxibilis, tenebrosa, & vacua, merito, quò sol ascendit altius, ipsa descendit, abbreuiatur, senescit deficit, & euanescit, dùm vmbra ortum trahit à sole ex interpositione media alicuius corporis opaci, eò in suo ortu longior apparet, quò sol in nostro Emispherio est minus eleuatus, & quò hic eleuatur magis, ex oppo sito vmbra fit minor, & breuis.

Vnde si accidit, quòd sol in sua eleuatione perueniat ad eum punctum, ita quidem vt perpendicnlariter super cor pus, quasi sit in eius Zenith, ita euanescit quòd ex tali corpore nulla prorsus reuera causaretur vmbra, & iam vt refert Incognitus in psalm.108. ver. *sicut vmbra ablatus sum*: experientia probatum est, nam in monte Sion est columna, quæ dicitur esse in medio mundi, & cum in solistitio æstinali in meridie sol respicit columnam, nullam causat vmbram, sed ex omni parte illuminatur à sole, cuius ratio est, quia cum corpus solare maius sit illa columna, ad omnem partem expãdit radios suos, & per consequens totam illius vmbram euacuat, quæ si ex solis depressione fit longior, maior, & grandior, & ex eleuatione eiusdem minoratur, & iuxtà solis ascensionis gradus deficit, abbreuiatur, & euanescit. Incogn.

Vmbra verò nostræ palmæ virgineæ virtute altissimi iam obumbrata non inanem, sed fæcundam, non vacuam, sed super affluentem, non tenebrosam, sed diuino lumine circumfusam, non fluxibilem, licèt esset ex sui natura; sed incorruptibilem promit vmbram, & cum sit ipsa palma sempiternæ viriditatis, non senescit, nec euanescit, perpetuò stat, perpetuò viret, perpetuò vernat, perpe-

L tuò

tuò floreſcit,& perpetuò fructificat, ſiue ſol ille diuinus aſcendat ſuper caput eius per affluentiam ſui luminis,& gratiarum, ſiuè in vteri ſui aluo deſcendat per aſſumptam humanitatem ſemper creſcit,& eò creuit ſuæ humilitatis vmbra,quòd fuit cœlo latior,cœloque longior,atque capacior, ita vt quem cœlorum ambitus non potuit capere,valuit continere,capere,& obumbrare obumbrantem omnia. Meritò præ ſtupore exclamat D. Epiphanius in ſermon. de laud. Mariæ: *O vterum impollutum habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehenſibilem in te verè comprehenſum portaſti: O vterum cœlo ampliorem, qui Deum in te coarctaſti: ò vterum, qui cœlum eſt ſeptem circuli conſtans, & capacior illis extiſti: ò vterum ſeptem cœlis ſublimiorem, ac latiorem: ò vterum qui eſt octauum cœlum ſeptem firmamentis latiorem.*

D. Epip.

Cur Dei filio non ſuauisſima illius vmbra? & vmbræ non perdulcisſimus fructus illius gutturi eiuſdem? Mulier illa nomine Debora Iudiciorum ſuorum tribunal ſub vernantis palmę olim ſtruxerat vmbram, vt habetur in libro Iudic. cap. 4. *Iudicabat populum in illis diebus, & ſedebat ſub palma.*

Iudic.

Cur ſedebat ſub palma? Reſpondet Toſtatus: *vt qui cum ea conſilia ſua inire cupiebant, & eiuſdem iudicio indigebant, & conſilio, procul dubio alibi eam non inuenire agnoſcerent, niſi ſub palma, vel quia fructibus veſcebatur palmæ perdulcisſimis, ad hoc elegit palmæ ſedere ſub vmbra.*

Toſtatus

O mi puer Ieſu, ò nate Dei, iam factus homo, tibi ſoli ſedens ſub hac tuæ palmæ Virgineæ vmbra, an et mihi? ſede & tu ſub vmbra huius palmæ, & intelliges, ò anima, quòd tibi ſedet & ſibi, ſibi vt palmæ fructibus veſcatur, & lacte, vt palmæ ſimul protegatur et vmbra; Tibi verò vt ſcias Ieſum non inuenire, niſi ſub vmbra huius palmæ Virgineæ, quæ ad hoc carne ſua ſub vmbra virginalis ſui vteri obumbrauit, vt obumbraret & tibi: ſede igitur et tu ſub vmbra quarta hac Virgineæ palmæ, vt obumbrata viuas, & protecta ſalutis tuæ fructus carpes perdulcisſimos, & posſis dicere cum puero Ieſu.

Can. c. 2. *Sub vmbra illius, quem deſiderauerant ſedi, & fructus eius &c.* ò ſesſionis grande myſterium, ò concupite vmbræ grande incendium, quando mi puer Ieſu, tu ęterni Patris filius, hac ſedere ſub Virginis vmbra deſiderabas: nonnè vt Patri conſubſtantialis, coæternus, & coæqualis ſedebas in ſinu Maieſtatis illius? quòd nouum hoc ſedendi genus? & quę tanti deſiderij ratio? amor, ò vis amoris, ò violentiæ diuinæ erga te dilectionis, qui ſibi ſoli ſedebat in ſinu patris, vt & tibi quoque ſederet, ò anima mea, ſedendi ſub vmbra palmæ Virgineæ ardenti tenetur, & maximo vrgetur deſiderio, quis hoc fecit, quærit D. Bernardus in ſerm. 64. in Cant. *Amor, dignitatis neſcius, dignitate diues, affectu potens, ſuaſu efficax, quid violentius? triumphat de Deo amor.*

D Bern.

Tanti ponderis eſt amor, quòd non nouit exatiare ſui pectoris famem, nec quieſcere, nec vnquam conſiſtere, niſi amore rei amatæ, cuius amore etiam quæ ſunt impos ſibilia operetur. Audi non me, ſed D. Chryſologum in ſermon. 147. *Amor non recipit de imposſibilitate ſolatium*, ac ſi diceret, ſi non vincit, ſi non ſuperat, ſi non triumphat de omnibus etiam imposſibilibus, ſi non obtinet, quòd deſiderat, occidit amantem: non recipit de difficultate remedium, ſubdit Sanctus; *Amor niſi ad deſiderata peruenerit necat amantem*: & D. Bernar. vbi ſupra, *quid tamẽ tam non violentum? Amor eſt, quæ eſt iſta vis. quæſo tam violenta ad victoriam? & tam victa ad violentiam*; Quid magis difficile, & imposſibile vnquam viſum eſt, coarctari magnitudo diuina, deprimi maieſtas, humiliari altitudo, Deus homo, homo Deus, Deus humilis, homo ſublimis, Deus infans, diues pauperculus, homo diues, ad Dei namque naturam ſpectat eſſe immortalem, impasſibilem, æternum, fortem, & diuitem: ò anima mea, quis effecit mortalem, pasſibilem, temporalem, imbecillem, & pauperculum, amor dignitatis neſcius, vndè dicebat D. Dionyſius Areopag. *Audiendum eſt hoc pro veritate dicere, quòd Deus ex vi charitatis ſuæ extaſim paſſus eſt*: & quid eſt extaſim pati? ſic reſpondet idem Areopag. lib. de diuin. nominibus cap. 4. Amor non permittit amatores eſſe ſui ipſorum per mentis ſobrietatem, ſed eorum qui amantur per mentis exceſſum, illi enim qui ſunt aliorum extra ſe ſunt.

D. Chryſ. D. Bern. S. Dyon. Areop.

Quando Deus Verbum elegit ſedere

ſub

sub vmbra palmæ Virgineæ, & hospitari, & hospitio recipi inter angustias illius ventris, & inter arcta corpusculi concludi, tunc extasim passus est, ò anima mea, quid loci, & sinus angustiæ? ad maiestatem tam immensam? & quis tam parui corpusculi Deum compulit subire angustias? sic tibi respondet Diuus
D. Bern. Bernardus vbi supra, *Denique semetipsum exinaniuit, vt scias amoris fuisse, quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo adęquata est, quòd singularitas associata est*; ò miracula, ò amoris prodigia, qui erat in forma Dei, æqualis patri, ita exinaniuit semetipsū, vt in die Conceptionis suæ: *Corpusculum illud*, inquit
Magist. Magist. sentent. lib. 3. distinct. 2. *ita paruulum, ita erat exiguum, quòd vis humanis oculis subiacere posset*: adeò tenuis erat, & parua forma: vt vix humano visui posset subijci, & in ea nihilominus tota maiestas, & magnitudo abscondebatur: *Salua tamen*: inquit D. Leo Papa
D. Leo Papa. in serm. de Trinitate; *proprietate vtriusque substantiæ, & in vnam coeunte personam suscipitur à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, & æternitate mortalitas. Ità magnus*, inquit D. August. serm.
D. Aug. 27. de Trinitate; *in forma Dei, breuis in forma serui, vt neque ista breuitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine breuitas ista premeretur*: Et de impossibile quis fecit possibile, vt factus sit Deus homo? & homo Deus amor; *qui nō recipit de impossibilitate solatiū, nec de difficultate remedium, nisi ad desiderata perueniat*: Amore tendente in rem amatam nihil velocius, nihil acutius, nihil subtilius, nihil penetrabilius, quia sua natura non quiescit, donec substantialitèr totam penetrauerit profunditatem, & per transierit amabilis totalitatem; hic Dei filium compulit angustam palmæ virgineæ desiderare vmbram, & amabiliter, & quietè sedere in ea, & fructibus illius dulcitèr frui, vndè exclamare non cessat: *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi &c.*

Quantum, & quale fuerit hoc filij Dei desiderium, hac sedendi sub vmbra,
D. Aug. explicat D. August. in serm. 17. de Natiuitate Domini loquens Virgini in persona Gabrielis Archangeli. *Vsquequò moraris ò Virgo, Nuncium festinantem intuere Dominum Deum in cœli me vestibulo sustinentem*; & amantium more loquitur, vt quantitatem exprimat ardoris, & qualitatem patefaceret tanti desiderij. Quando quis ardentèr aduentum desiderat, & expectat alicuius, non intra cubiculum, vel in penetralibus domus impatiens desiderium patitur expectare, vt perueniat ad ipsum, sed ad fores palatij compellit exire obuiam ei, quem citius videre desiderat, & flagrat amore, & cum tadio quodam fastidit omne, quòd sui cursum amoris impedit. Testis est mater Tobiæ, quæ filij sui longioris moræ impatiens, eum videndi ardentis desiderij agitata stimulis, celeri cursu non domi expectabat, sed cacumina montium ascendebat.
Anna autem; refert sacer textus cap. 10. Tobiæ.
Sedebat secus viam quotidie in supercilio montis, vnde respicere poterat de longinquo: vt procul videret eum, si fieri posset venientem: amanti omnis mora nimis longa videtur, & expectatio onerosa præ amoris vi, & desiderio re amatæ.

O Deus amor, & hic tuus amor verè diuinus, & tanti desiderij incensor, vt me amaret omni bono denudatum, & saluaret fœdatum omni lethali peccati veneno; hic est qui tuo diuino in pectore valuit meæ salutis inflammare affectum, & sedendi sub hac Virginis vmbra accendere desiderium, quòd vbi per annorum plusquam quinque millia prorogauerat Deus, tùm propter mysterij grauitatē, tùm propter secretum propositum suæ diuinæ voluntatis sic iustè disponentis, quòd Dei desiderium cùm tanto nuncio non esset absconditum, vt videret expletum, & exatiatam tanti desiderij famem, consensum Virginis accelerare festinat, vt fidelis nuncius, festinus se nominat, vsquequo moraris ò Virgo nuncium festinantem intuere Deum, qui præ amoris vi, & desiderij fame, non in sede suæ Regiæ Maiestatis, non in throno suæ gloriæ, sed in vestibulo cœli, ad foris sui palatij, tuum præstolatur consensum, sui desiderij complementum, quis hoc fecit, amor dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax.

Et vt clarius tibi ò anima mea innotescat hoc ardens Dei desiderium sedendi sub vmbra huius Palmę Vigineę, sit tibi euidens argumentum, quòd scripsiit idem D. Augustinus vbi supra; *Nec* D. Aug.
mora reuertitur nuncius, & nuptialem thalamum ingreditur Deus; ac si diceret, exhibito iam consensu, à Virgine pau-

Luc. Eu. cis illis verbis. Luc. Euang. cap. 1. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;* & vi tanti desiderij, quo ſedere iam flagrabat, vt Deus potentia ſua diuina, & cui nihil impoſsibile, vt reciperet amor eius de impoſsibilitate ſolatium, iura violauit naturæ, quadraginta dies ad corporis ſui materiæ diſpenſationem, vt accidit in maſculis, non expectauit, ſed vnico temporis momento, & quodammodo imperceptibili in vteri vmbra Virginali, Spiritus ſancti cooperante virtute, cooaptatur corpus organizatur, & perfectè abſoluitur, anima illi infunditur, & vinculo vnionis hypoſtaticæ indiſſolubili vnitur, & copulatur Deo; ita teſtatur Diuus D. Dam. Damaſcenus lib. 3. de fide Orthod. cap. 20. *non ità paulatim tacitiſque incrementis forma corporis abſolueretur, ſed vno eodemque momento perficeretur.*

Cur tam celeris feſtinatio? & quæ corporis feſtina organizatio? animæ infuſio, & ad vnionē hypoſtaticam humanitatis aſſumptio? Tam præceps, & imperceptibilis? Vt ſcias amoris fuiſſe, quòd plenitudo effuſa eſt, quòd altitudo adæquata eſt, quòd ſingularitas aſſociata, & conſociata, quòd Deus factus eſt homo, & homo Deus, ſimul & innoteſceret, quòd vbi in ſinu patris ſibi ſoli ſedebat, ſedens ſub vmbra Virginis, dedit & tibi conſedere in cœleſtibus: Tuæ ſalutis deſiderium traxit de ſinu patris, & virginitatis pulchritudine, & Virginis humilitatis vmbra, & fructus huius palmæ Virgineę ſedere fecit ſub vmbra D. Andr. Cretenſ. illius. Hoc ſic expreſsit Diuus Andreas Cretenſis orat. 2. de dormitione Virg. *Tu es terra, quæ vera es deſiderabilis: Rex enim deſiderauit gloriam tuæ pulchritudinis, & amauit diuitias tuæ Virginitatis & in te habitauit.*

Et nouem ſedens menſibus habitauit ſub huius Virginis vmbra, quæ ſola fuit, Dei ſui deſiderij adæquatum complementum, & diuini pectoris fames ſaturitas. Hoc nomen ſibi vendicat Ma- Alb. Ma. ria, inquit Albertus Magnus ſuper miſſus eſt c. 16. de Eliſabeth loquens Ioannis Baptiſtæ matre; *Quæ,* inquit ipſe, *interpetratur Dei mei ſaturitas, & ſic nominatur, quia Mariam ſignificat, ſub cuius vmbra Deus, vt fieret homo, ſui deſiderij adinuenit ſatietatem.* Si animam quærebat Deus ab omni peccati labe præſeruatam, & omni gratia, cęleſtique bono plenam, quid anima Virginis purius? *Quando,* inquit D. Thomas in ex- D. Tho. poſition. Aue Maria, *ipſa puriſsima fuit quantum ad omnem maculam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit:* ſi corpus deſiderabat mundiſsimum, vt ex eo habitum ſibi humanitatis intexeret, in ſimilitudinem hominis factus & habitu inuentus vt homo, quid corpore Virginis vnquam purius, & candidius? *Quando,* inquit D. Bonau. in pſalterio Virg. *pulchritudine* D. Bona. *carnis ſuper Angelos, & Archangelos excellentia ſanctitatis.* Si inter ipſummet Deum, & homines adiutricem, & mediatricem inuenire præoptabat Deus; quæ vnquam hac Virgine potentior? de qua dicit Vgo in pſalm. 90. *Hæc eſt ad-* Vgo. *iutorium altiſsimi, quia iuuat eum ad ſaluandum genus humanum, & potens eſt ad protegendum, hæc eſt Dei ſui ſaturitas, & Dei deſiderij complementum, vt Deus ipſe non haberet in puris creaturis quid amplius concupiſceret, ſeù deſideraret, & ameſceret.*

Diuus Petrus Damianus in ſerm. de D. Petr. Damian. Annunciat. Deiparę, ſatis expreſsè hoc annotauit, dicens: *locus voluptatis vterum B. Mariæ intelligo; in quo cumulauit omnes delicias deliciarum Dominus, de cuius delicijs Spiritus ſanctus admiratorio ſermone in amoris Cantico ſic eructat: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens.* Cant. cap. 8. *Numquid in* Cant. *Angelis voluptatem habet altiſsimus, in quibus ipſe reperit prauitatem? numquid in conſtellatione, & ſcintillatione ſtellarum, quarum aliæ conuertuntur in ſanguinem, aliæ cadent de cœlo, aliæ in tenebris obſcurantur? Numquid Dominus voluptatem habet in aere, vel in igne, vel ventis? Nequaquam quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in Spiritu Dominus, ſi verax eſt ille, qui curru igneo, & equis igneis eſt aſſumptus in cęlum, numquid in aquis vbi furens, & tortuoſus leuiathan immoratur, aut in terra, quæ ſub maledicto Adę ſpinas emittit, & tribulos? non eſt locus voluptatis, niſi vterus Virginis, ex hoc egreditur humanitate, quia neſſitus cilicio noſtræ mortalitatis, viſibilis humanis oculis apparuit.* hæc Sanctus.

Et vt locus deliciarum erat quippè deſiderabilis, & Deus deſiderauit decorem ſuæ pulchritudinis, & amauit delicias ſuæ virginitatis, & ſedit ſub vmbra illius.

illius: *Salue igitur ò Virgo, per quam sanD.Cyril. cta Trinitas,* inquit D. Cyrillus ad Nestorium, *in vniuerso orbe glorificatur, & adoratur, per quam prolapsum plasma in cœlum denuo subuehitur, per quam sanctum baptisma obtigit credentibus.*

En quomodo puer Iesus sedens sub Virginis vmbra sibi sedit, & tibi per assumptam humanitatem, sic sub eadem viuens sibi vixit & tibi, quapropter exPet.Chr. clamat D. Petrus Chrysologus ser. 141. *O benedicta quæ fuit maior cœlo, fortior terra, orbe latior, nam Deus quem mūdus nō capit sola capit, & portauit eū, qui portat orbem, genuit suum genitorē, nutriuit omnium viuentium nutritorem*: quo cibo? qua alimonia? nutriuit Virgo infantulum ex se natum? non alia nisi vberum suorum lacte.

Hoc erat totius humanæ naturæ ardens desiderium non intus solum mentis oculis illum contemplari in sinu patris, & intueri fruentem lacte deliciarum Dei, sed & corporalibus iam obtutibus carne vestitum deforis inuenire & videre sugentem vbera matris, Virginis foueri sinu, blandiri, deosculari, & lactari, quando exorando exclamabat, Cant. Cant. cap. 8. *Quis det te fratrem meum sugētem vbera matris meæ, & inueniam te foris, & deosculer te*: ac si diceret, ò dilecte mi satis est tibi soli sedere in sinu patris tui, & nectare, & lacte diuinitatis suæ vsque modo lactari, cibari, viuere, & potari, vt sedeas & mihi, quis mihi det, fraterno amore qui maximus est omnium à te complecti, & videre te foris sum vmbra palmæ virgineæ sedentem, & sugentem vbera matris tuæ, ita Septuag. Interp. est lectio Septuaginta Interpretes. *Quis det te fraterne mi lactentem vbera matris tuæ*: & factus homo, & iam natus ex Virgine solo, & nunquam alterius mulieris, lacte lactatus est puer Iesus, nisi matris Virginis, nam si Virgo concæpit, Virgo portauit in vtero, Virgo peperit, Virgo & lactauit, vt qui de Virginis sanguine natus erat, de lacte virgineo decens erat, & lactari, & nutriri.

Lac in pectore Virginis miraculosè confectum dicimus, quoniam ipsa met natura in pectore mulieris, lac non immittit, nec administrat, nisi primo virginitatis suæ patiatur iacturam, & parturienti lac habere naturale quidem est, eò quod lac gignitur ex sanguine ad vbera confluente, & per caloris coctionem ad candorem deducto, totum hoc incorrupta operatur natura.

At in Virgine totum fuit Spiritus sancti opus, cuius obumbratione si infans Iesus fuit in vtero conceptus, Virgine materiam subministrante, sic lacte non alio lactari necesse fuit, nisi vbere de cœlo pleno, Virgo sanguinis materiam subministrans, nam vt diximus, lac sanguis est coctus, non corruptus in albedinem conuersus in partibus destinatis frigidioribus parturiētis, quod in Maria ipsa cooperante confectum est virtute Spiritus sancti, Spiritus sanctus illud cæleste nectar, & lactis ambrosiam confecit in pectore virginali. D. Atha. Concinnè hoc cecinit D. Athanasius in serm. de descriptione Virginis, & Ioseph: *Vbera Beatæ Virginis naturæ consueta radicem non habuerunt, longèque à naturali consuetudine, ac lege fuerunt aliena, lac verò peregrino modo fluxit*, & sancta Mater Ecclesia nonnè cantat. *Ipsum Regem Angelorum Virgo lactabat vbere de cœlo pleno*: si de Cœlo ergo ex Dei operatione, & non naturæ.

Huius veritatis testis est fidelissimus Dau. Pr. ipsemet infans Iesus, qui ad patrem loquens, sic ait Dauid Propheta psalm. 21. *Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ*: iam natus homo, quæ spes vitæ meæ ab vberibus matris meæ? si natura lac denegat virginibus, Virgo me genuit, Virgo peperit, si Virginis matris lac vbera præbent, tua ò pater est potentia, qui dedisti Virgini salua virginitate concipere, & parere præter consuetum modum, vsumque concipiendi, & pariendi, quia manu tua obstrecitante eduxisti me de vtero, & Virgo me peperit, & Virgo permansit, vt & Virgo lactaret, spes mea tu ab vberibus matris meæ. Doctor. Audiamus hic eruditum quemdam Doctorem in psalm. 21. sic hæc verba exponentem, vult docere, vt Virginis matris lac sugeret id non nisi diuina efficientia, & potentia factum esse, Deumque patrem vitæ suæ sponsorem quodammodo, ac fidei iussorem extitisse, nouo inauditoque miraculo lac eius matri vberibus sugentem, quæ semper integra, & inuiolata fuisset, nam ex fæminæ inuiolatæ vberibus, lac sperare,

indeque vitam puero polliceri, natura non nouerat, si natura non nouit lac Virgini præstare, & Dei filium sugentem vbera matris videmus, miraculosum fuit lac, quòd Virgo filio præstitit, & puer Iesus sub vmbra hac virginea suxit, & quem Virgo virtute Spiritus sancti genuit, Virgo peperit, & Virgo eiusdem Spiritus sancti cooperante virtute, lactauit, aluit, & nutriuit.

Sub eadem vmbra virginea paulispèr tui cordis vagi siste gressus ò anima mea, paruulum Iesum attende sedentem simul, & famelicè lactentem vbera matris suæ: Numquid famescere potest Deus, qui purus spiritus est, & nullius indiget? caro est, quæ famem patitur, & indiget alimento, & nutrimento propter conseruationem humidi radicalis, si non famescit Deus, quæ illius diuini pectoris sedendi sub vmbra virginea desiderij fames tam valida? vrgens? & violenta? vt exclamaret Cant.c.2. *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi:* nimirum quia caro factus, vt & qui dat escam omni carni, & facit ex terra oriri cunctaque, æ ad cibum sunt necessaria. David Proph. psal. 146. *& dat Iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum:* nunc esurie, sitit, famescit, & alimento indiget, cur hoc? nisi cum esset diues, ita egenus factus est, vt nutrimento indigeat, & omni humano adiutorio destitutus, vt ad patrem clamitet, cui maxima, & præcipua est vigilantia, & cura nutriendis destitutis, & à parentibus derelictis. Dauid Propheta psalm. 21. *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero:* ac si diceret, quia Virgo seruata virginitate me mundo edidit, ut me lactet ex ui naturæ, quæ Virgini lac denegat, nulla mihi spes lactis est, spes mea tu, vt in mammis matris meæ esc i mihi pares ad vitam, qui desolatorum spes es, & omni humano auxilio destitutis suppeditas alimentum.

Cant.

Dau. Pr.

Dau. Pr.

Partus ille portentosus filiorũ Israel de Aegypto, quia eduxit, & deduxit, & adduxit illos Deus in fortitudine brachij sui, vt inquit Psalmista psalm. 135. *Qui eduxit Israel de medio eorum in manu potenti, & brachio extento:* quid illo potentius? de quo dictum est, & brachium Domini, cui reuelatum est, potentia brachij sui eduxit illos de Aegypto, deduxit per desertum, & adduxit in terram promissionis, quasi de ventre matris abstraxit electos suos Deus, cui quia cura est de omnibus, deduxit per desertum, & uestimenta eorum non sunt attrita, seruauit ea Deus à uetustate, & putredine, & quia omni humano adiutorio erãt destituti, quẽadmodũ & pulli coruorum, quia uigilat Deus in nutriendis derelictis, pluit illis manna de cœlo, quod non descendebat in deserto, nec pluebat de cœlo sine rore, ita in lib. Num. cap. 11. sacer textus: *Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat paritèr, & man.* Alimentum non præbebat Deus nisi indigenti, nisi esurienti, desolato, & destituto, & omni humano, seu naturali auxilio carenti, & derelicto, ò Deus cordis mei, quis omni vnquam humano, & naturali magis destitutus, & derelictus auxilio, vt hic tuus puerulus Iesus? quem Maria, vt mater, nec locum habuit vbi reclinaret, posuit in præsepio, nec vt Virgo lac, quo pasceret, & lactaret eum: *quia tibi derelictus est pauper, orphano tu solus eris adiutor:* Audi vocem pueri ad te clamantis. Dauid Propheta psalm. 21. *quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero:* & si inopia cibi Hebræia laborãtibus in deserto pluit Deus manna de cœlo, quid Iesu infantulo, & filio? quem ipse eduxit de vtero diuinitatis suæ. ipse deduxit in desertum humanæ naturæ, & ipse adduxit in teram illam promissionis lacte, & melle manantem. Sic vocat Virginem D. Petrus Damianus serm. 2. de Natiuitate Virginis. *Terra repromissionis est dicta, quæ longè ante paritura Saluatorem mundi a Prophetis multifariam est promissa, quæ verè lac, & melle manauit, dum Deum, & hominem intemerata virginitate profudit;* quando igitur in Mariam ros cœli descendit, descẽdit paritèr & manna. Quis in pectore virginali venam, quam claudit natura in Virgine, sic affluentèr aperuit? virtus vtique Altissimi, quæ sicut in cõceptu, sic obũbrauit in lactatione, vt lactentem lactaret Virgo mater lacte virgineo, quod in ore pueri cibus erat, & manna verè cæleste, & Dei patris oculis gratissimæ hæ Virginis mammę. Ita pijssimus Gulielmus in Canticis cap. 4. quoniam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa, sic fatur: *Quàm grata*

Dau. Pr.

Num.

Dau. Pr.

Petrus Dam.

Guliel.

grata sunt oculis patris, quæ filium vuietā aluerunt, quam pulchra sunt, quæ lacte singulariter candido tumuerunt, nempè lac illud singulariter candidum, quia virgineum quid negas ò mundi stulta sapientia, partum virgineum? Deus nascebatur, quid item negas, lac virgineum? Deus pascebatur, non decuit Deum pasci, nisi lacte virgineo, nec minus habet miraculi pectus Virginis lactescens, quam venter partu grandescens, hæc ille. Et si hic non concæpit, nisi sub vmbra Spiritus sancti, & virtute altisſimi, ita non tumuerunt vbera Virginis lacte, nisi sub eadē vmbra Spiritus sancti, ab eodem uirgineum lac, à quo & uirgineus partus, qui sedens sub vmbra, & ubera sugens, meritò exultans testatur. Cant. cap. 2. Cant.
Et fructus eius dulcis gutturi meo.

Dulcisſimum fuit puero Iesu à matre Virgine lactari, & sub illius vmbra lactis fructu, & fructus dulcedine frui, ò anima mea si nosti cuinam dulcius etat Mariæ Dei filium suis lactare mammis, an Iesu papillas capere, & vbera sugere matris? Pro mei ingenij paupertate dico, quòd sicut nulla valet lingua edicere, nec cuiuſcumque creaturæ intellectus capere, iucunditatem, qua fuit Virgo perfusa in conceptu filij, & in partu, portando in vtero, gestando in gremio, lactando mammis, ore deosculando, amplexādo brachijs, & cum eodem dulciter conuersando; sic non est humani sermonis exprimere dulcedinem, qua tenebatur puer lactens vbera matris, dicatur tantummodo, delectabatur ab vbere, deliciabatur mammis, & cœlestibus replebatur delicijs, voluptate, iucunditate, & dulcedine, & dulcis eius fructus gutturi eiusdem.

Et quidem dulcisſimus, ex eo quia lac illud in pectore Virginis à Spiritu sancto fuit confectum, & depuratum ab illa superflua lactis dēsitate, purositate, & crassitudine, quæ ab alijs Colostrum dicitur, & in cunctis fœminis reperitur, & emittitur in partu; Virginis verò lac caruit hac dēsitate virtute altisſimi, qua & lac ipsum deductum est, & efformatum in mammillis Virginis, & vt putisſimum quid mirum? si delectabile fuit puero, & perdulcisſimum gutturi illius.

Isaias Propheta sub hac palma virginea lactantem puerum dulci meditatione contemplan. vt saporositatem, sua uitatem, & lactis dulcedinem tibi innotesceret, qua delectabatur infans vbera lambendo, dixit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel butyrum & mel comedet*, Is proph
quid mel ad lac? & lac istud cur butyro comparat, & melli? nisi quòd lac Virgineum, quo lactebatur infans Iesus, & suxit de pectore matris suę, & vt Spiritus sancti opus, & virtute altisſimi depuratum, quò ad delicias, dulcedines, & voluptates erat dulcisſimum super mel & fauum, carens omni mollitie fœminea, & omni densitate, & crassitudine ita B. Cyrillus in Catena Greca: *Butyrum lac Virginis*; vocat Propheta: *quòd non ex muliebri mollitie, uoluptateque, ac dissolutione natum sit, sed leue esset ac firmum, nullam peccati amaritudinem admixtam habens, sed mellis dulcedinem, siquidem omnia, quæ ex Deo sunt, dulciora sunt super mel & fauum.* D.Cyryl.

Quantaue namque fuerit hæc dulcedo, dicat qui capit, & cui experiri desuper datum est, ego siquidem in meditatione mea sisto, præ oculis habens verba Pijsſimi Bernardini de Busto ser. 5. de partu B. Marię p. 2. in fine: *Beatę Virginis lac habuit saporositatē, quàm traxit à Spiritu sancti depuratione: nunquam enim aliqua mulier habuit lac, tàm saporosum, sicut ipsa*: Et huius ratio est, quia lac aliarum mulierum habet multum impuritatis, & ideò non potest esse magni saporis, lac autem B. Virginis sic fuit à Spiritu sancto depuratum, quòd factum est dulcisſimum, & nimium saporosum, hæc ille. D. Bernardinus de Busto.

Dulcisſimum gutturi Iesu lac hoc Virgineum, non minus dulce sit et tibi ò anima mea, cùm sibi non soli suxit illud, at etiam & tibi, vt te saluaret, & vitam præberet æternam in sanguinem, qui tuæ salutis pretium lac immutauit, vt testis est D. Athan. hisce verbis: *suxit mammillam, vt diuinum illud lac nobis scaturiret, quòd ex proprio latere profudit; nihil enim aliud est lac, nisi sanguis albus*: & clarius D. Idelphonsus: *lacta Maria Creatorem tuum, lacta panem cœli, lacta pretium mundi, ad hoc carnalia puer, Iesus vbera ex matre Virgine suxit, vt per Virginem nobis spiritualia defluerent* in pectore Virginis concreuit primò lac misericordię, & ex ea quasi per aquę ductum in nobis profluit, repleta est prius ipsa, & ex ea descendit donorum D. Atha. D.Idelp.

illa

illa abundantiam, nempè quod Virgo effecta sit mater nostra, & nos Christi fratres, & hæredes Dei, & cohæredes Christi,& filij tantæ matris.

Quid animæ fideli salubrius euenire, vel quid vtilius obtigere, & dulcius potest contingere, vt habeat vndè viuat, nutriatur simul, & protegatur, & subueniatur in suis necessitatibus, quā in filiam adoptari Mariæ, quæ & si sem per extitit Dei mater, semper & fuit ele ctorum genitrix. Huius veritatis in testem ipsamet à Spiritu sancto adducitur in Canticis cap. 8. *Ego murus, & duo vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*. Vbera, mos est scripturarum, significare dignitatem maternam, quæ Dei matris dignitas Virgini collata fuit, ex quo concepta fuit in vtero matris suæ, in illo enim instanti sicut Deum Virgo mente concepit, tanta fuit Spiritus sancti charismatum donorum, & gratiarum affluentia repleta, quòd posset, ac si nata, & perfectæ esset ætatis, Deum ventre concipere, vnde quando mundo nascitur tunc matris nomen iure sibi vendicat iuxtà sententiam Guarrici Abbatis sermon. 1. de Natiuitate Virginis. *Nata est hodie*, inquit, *mater noua*, & clarius Diu. Chrysolog. sermon. 146. *Aut genitrix, quando non? quæ sæculorum genuit auctorem*, ac si diceret, ex quo concepta est in vtero Virgo, fuit ne aliquod instans temporis, quo mater Dei non esset, non quidem. Respondet Fulbertus Abbas in lib. de laud. Mariæ. *Hæc quidem Virgo, mater prinsquam nasceretur diuinis miraculis designata*. Si ex quo facta est, Maria extitit Dei genitrix, extitit & nostra mater. Audi ipsam in Canticis cap. 4. *Duo vbera mea sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in lilijs*. Singula verba hæc diuinis scatent mysterijs, & ineffabili quoque dulcedine nos redigamus in micas, vt capiamus suauitatis saporem, ob sui luminis acumen Capræ componitur Virgo, cuius duo vbera iuxtà D. Anselmum in lib. de excellentia Virginis cap. 4. & D. Rupert. Abbas in Cantic. lib. 3. sunt eius virginitas, & fæcunditas simul coniunctæ in Virgine, prima placuit Deo, secunda Ipsa peperit Deum hominem, ex quo vnico conceptu corporali factum est, vt nostra sit etiam mater spiritualis.

Cant. Guarric. Abb. D. Chry. Fulb. Ab. Cant. D. Ansel. Rup. ab.

Perpulchrè hoc mysterium in his verbis obseruauit, & eruditè expressit pijssimus Gulielmus, *Porrò eò ipso quo sibi magnum illum hinnulum, idest Verbum incarnatum, corporaliter genuit, Deus sibi hinnulus, idest teneriora eius membra in vtroque sexu spiritualiter adoptauit, siquidem per hoc, quòd facta est incarnati Verbi mater corporalis, facta est membrorum eius mater spiritualis, per hoc, quòd caput nostrum secundum carnem concepit membra eius lacte pietatis suscepit, habet ergo vnicum, quem pro tempore lacte corporeo nutriuit, habet & gemellos ex vtroque sexu adoptatos, quos lacte pietatis nutrire non desinit*, hæc ille.

Gulicl.

Et dum acuto lumine intuetur qua, & quanta indiget ope, & eius protectione, & auxilio, quos genuit, velocissima accurrit materno affectu, quòd maternitatis priuilegium, vbi in Conceptione accæpit dignitatis munus in Cruce eidem astipulatus est Christus in Ioanne dicens, *Mulier ecce filius tuus*, quapropter sollicita subuenit, protegit, et suæ pietatis, et misericordiæ lacte lactat pascit, nutrit, et defendit. Virginis est vox ò anima mea. *Ego murus & duo vbera mea sicut turris*; ità te pascit, vt Cant. etiam et tueatur, lac et vbera tibi exhibet, vt viuas, et à malis, et à calore diuinæ iustitiæ vt protegat, vt saluet, obumbret, vt seruet, vbera sunt ad escam lactis, et dulcedinis, sed murus, et turris ad defensionem, et protectionem. Audi Guillelmum in hæc Gulielm. verba. *Vbera mea non tantum sunt vbera, sed etiam turris, non tantum nutriendi, sed & protegendi vim habens, nullus me putet habere quo nutriam, & non habere quo muniam, materna pietas mea quos nutrit etiam munit*. Anima mea quòd hos fructus degustauit puer Iesus sub hac vmbra Virginea attende sedentem, intuere lactentem, & quem aluit lacte, muniuit à facie Herodis inimici, protexit in Aegypto, & quando non Iesus sub virginea vmbra? & quando hæc vmbra non obumbrata vmbra Iesu? cuius capitis si corporalis est mater, extitit & membrorum eius: esto & tu huius capitis non putre membrum, sed aptum, & sanum, pasce inter lilia per odorem operum, & virtutum, esto candens lilium, & suge vbera Virginis, quæ non præbet nisi pascentibus inter lilia, sub

vm-

vmbra hac ſede, vt Apicula operoſa, ſub qua non deſunt lilia caſtitatis, nec flores virginitatis, nec fructus perdulciſsimi pietatis,& miſericordiæ. Surge igitur aduolare,feſtina ad palmam, vt ramuſculorum illius perdulciſsimos fugas flores,fauum, & mella tibi componas,cuius in cellis poſsis meditationum tuarum dulciter fouere oua, & illarum pullos enutrire,ſimul parare, & eſcam, huius enim palmæ fructus ſicut perdulciſsimi ſunt ad vitam,& delectabilis ad guſtum, ſic eius vmbra ſuauis eſt ad requiem,& amabilis ad ſoporē ſe dit ſub ea,& pauſauit puer Ieſus,pauſa & ſede & tu,vt eius protectionis ſętias dulcedinem,& lacte viuas eiuſdem, & adoleſcas, cuius dulcedine tui cordis, & oris dulcorata lingua valeas ad laudem tantæ Virginis dicere, *ſub vmbra illius quem deſiderabam ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*, & huius laxatis organis poſsis,& eiuſdem ſemper benedicere nomen, quòd ſit benedictũ in æternum, ô humilis Virgo Maria mater Ieſu filij Dei,te præcor ô Maria monſtra te eſſe matrem, & miſerere mei,ſub hac vmbra tua protege me, nunc,& in hora mortis meæ. Amen.


Finis Quarti Tomi.





PALMA
QVINTA,
SEV
TOMVS
QVINTVS.

AD
MARIAM VIRGINEM DEI MATREM, ET MEI DOMINAM, & Reginam.



QVoniam maternæ tuæ benignitatis auxilio, ò Maria, ò Virgo, & mater Dei mei, sub vmbra primæ, secundæ, tertiæ, & quartæ palmæ virgineę vsque modo non minus deuotè, quàm dulcitèr, suauitèrq; anima serui tui suam transegit vitam: nouiter nunc non minori, quàm primò ardens desiderio ad quintam tui perdulcissimi nominis, etiam tua confisa pietate & clementia, anhelat ascendere palmam: & hoc sui cordis desiderium non est audaciæ partus, nec temeritatis insolentia, seù spiritus arrogantia, sed tantum erga te, licèt exilis, & paruulus, pius tamen amoris affectus, qui nouum hoc in ea & ingerit, & parit desiderium, & desiderium gliscens nouis reparari, & confoueri ardoribus, tu nosti ò Maria, quæ mater es pulchræ dilectionis, & magistra perfecti amoris, quòd hoc habet perfectus amor, & hoc eius pondus, quæ amans desiderat semper inuenire se certò credit.

Ignoscat mihi tua pietas, excuset me tua dilectio, si hoc auet, & audet anima te minus amans, & veræ dilectionis

ſpoliata operibus; facti tamen veſtita deſiderij amictu, cupit, confidit, & ſperat, noto nunc flagrans deſiderio tuæ huius palmæ obtinere conſcenſum, ad quam, qui eam ſic pungit, ſic ſtimulat, ſic cogit, vrget, & prouocat ſi non eſt amor, nec perfecti amoris deſiderium, nec purus mei cordis affectus, fateor, non nego, erubeſco, & confundor, eſt tamen impellens meæ miſeriæ extrema, & miſerabilis neceſſitas.

Audeo & hoc, quòd & tu Virgo puriſſima in carne viuens, caro emortua in te non viuebat, ſed ſpiritus, tamen veſtita carnis velamine, dum quem ſic ardenter amabas, iam ab oculis eius abſentem deſiderabas habere, vel ſaltem videre præſentem. Amantis nimis dura videbatur abſentia amati, vt tui cordis flammigerus amor pijs paſceretur, & enutriretur obtutibus, corporis perſępè ducta greſſibus, vel inuiſendo, vel etiam quàm ſæpiſsimè cohabitando loca, in quibus dilectus tuus filius & pati complacuit, & ſepeliri voluit, non quærendo viuentem cum mortuis, ſed vt locorum oblectata aſpectibus, Aſcenſionis illius amplecteteris, & ſequereris veſtigia, cuius tanto & ſic vehementi ligata tenebaris amore, vt tantus amor euomeret ardorem, temperaret incendium, remitteret flammas, cuſpidem ſui ardoris retardaret, & aciem emolliret ſuorum ictuum, quibus per horas, & momenta vulnerabatur cor tuum ſolius amore dilecti.

Te abſente, ò lumen oculorum meorum, & amor animæ meæ, quòd tepeſcat, & algeat cordis mei ingenium, & à vero lumine peregrinet mens mea, & ignauiæ nubilo ſuffocata torpeſcat ratio, & ſplendore tuæ lucis cœcutiet oculus meus, & atra caligine caliget anima mea: nec mirum, ſi à te, vera mater luminis, & ab vmbra tuæ palmæ virgineæ ſic elongata viuit, cuius aſcenſum ductu tuæ pietatis auidè præſtolatur. Tu enim ò Deipara ſuper choros Angelorum exaltata, & ſurſum adeò eleuata vltra humanitatis noſtræ naturam, euecta vſque ad ſolium paternæ dexteræ,

in

in quo Christus sedet tui vteri partus, Maria, quòd voce non possum, nec facundia valeo, nec corporis oculis intueri, nec obtutibus animæ præsentia frui, exequar votis, & mei cordis desiderijs, quæ vt ad te aptè, dignèque volitent, manibus spirituum supernorum, qui volant super pennas ventorum contrado, qui post filij tui in cœlum ascensionem, adhuc te degente in terris deferebant tui cordis desideria, & voces, tui pectoris vota & suspiria ad thronum Maiestatis gloriæ suæ, vel saltem ponam, ò Virgo, pectoris mei desideria super alas eorundem, quorum pennæ cum sint leues, & pondus leue, quia pauperis, & parui valoris, cum ad tuæ pietatis peruenerint ostia, rogo te, ò mater omnis exauditionis, ne præcludatur illis exauditionis ingressus, & vuluarum tuarum misericordiæ ne obstruatur aditus, non quia cordis mei sunt partus, sed duntaxat, quia tuo sunt consecrata nomini, tuisque dicata glorię laudibus.

Sub vmbra huius quintæ palmę virgineæ quiescat dulciter anima serui tui, & sedendo sentiat suauiter, & plenè capiat amorem, quo æstuabas, quo ardebas, & desiderium, quo tenebaris, & quo sic fortiter languebas, & amore, & desiderio frui præsentia filij iam absentis. Hic tuæ dilectionis ignis, & flammę sic succensę desideriorum tuorum, quibus cremebatur cor tuum, concremet, aduret mei cordis penetralia, vt eisdem amoris succensa flammis, eisdem purgata ardoribus, sub vmbra tuæ quintæ palmę Virgineę sedens anima serui tui, sentiat, capiat, intelligat, & pergustet affectum desideriorum tuorum videndi filium, tui cordis languorem, tui pectoris lætitiam, gaudium, & exultationem: tui transitus dulcedinem, tuæ obdormitionis suauitatem, tuæ gloriæ triumphum, tuę animę fœlicitatem, & beatitudinem, tui corporis glorificationem, tuę coronę, tui Regni, tui Imperij latitudinem, & vniuersale dominium, intelligat & erga te suę seruitutis debitum, & obsequium. Hisce flammis amoris nutriatur erga te, ò Maria, mei desiderij

ignis,

ignis, meę deuotionis dulcedo, & tuę benedictionis, & laudis ardens facula cordis vt dignè, & ardenter laudem te ò benedicta in ęternum.

Tuę Maiestatis Virgineę

Seruorum minimus

Fr. Bernardus à Crypta Mineruæ Capuccinus.

NVMERVS RAMVSCVLORVM HVIVS Quintæ Palmæ breuitèr collectorum.

Ramusculus Sexagesimusprimus.



Ræmonstrat cor Virginis post filij sui Ascensionem in cœlum, erga ipsum amoris igne sic intimè æstuasse, quòd pro amore eiusdem, quum esset tota transformata in filium, ardentius quàm Paulus semper languebat, & comitata suspirijs penna dilectionis sursum ascendebat ad eum, cuius præsentiæ delicias iam experta, dulcius quàm Adam exul à Paradiso, sed dulcedinis eius languor erat non mæstitiæ, quia non ignata loci, vt Magdalena, sed vt mater sciebat, vbi suus morabatur dilectus, cuius imaginem intra se, ac si in speculo continuò speculabatur, à qua tot virtutum incrementa, & maiora suscipiebat, quàm plantulæ illæ, quæ circa Moysis rubum erant, & sic vulnerata amoris sagitta accæpit nouum vulnus amoris erga nos, vt quos stans iuxta crucem filij sui adoptauit in filios, nostrorum curam gereret, nutriret, aleret, ac protegeret, quos pepererat in dolore cordis sui.

Ramusculus Sexagesimussecundus.

PRæmonstrat Mariam, iam filio assumpto in cœlum, vitam non otiosè transegisse in terris, sed semper fuisse in spiritualibus occupatam exercitijs, ad hoc fuit à Deo amicta Sole, & inter cætera erat frequens in oratione, & contemplatione Dei, cui vt omnium magis tributaria, hoc fine intermissione immolabat Deo sacrificium laudis, ita vt nec somnus necessarius interrupit, aut retardauit ad modicum cor eiusdem, tum quia filia erat orationis, tum quia dormiens more patrū suorum dormiebat, vt leo, tum vt sua assiduitate, & exemplo alios alliceret ad orandum, & ad perseuerandum in oratione Dei, quòd non Christus in horto, vndè facta est magistra Apostolorum, & doctrix totius Ecclesiæ, cui facta est velut turris Dauid, erat & freqnens in fractione panis sanctisfimæ Eucharistiæ, quo cibata pabulo eleuabatur magno spiritus feruore ad Deum, ad cuius similitudinem tota transformata videbatur. Si hoc accidit in vltima cœna Apostolis, quantò expressius in Maria, quæ maiori feruore, amore, dispositione, deuotione, & præparatione accedebat, & pane illo famelicè vescebatur.

Ramusculus sexagesimustertius.

PRæmonstrat Mariam in vita, & in morte extitisse semper euangelicæ paupertatis sectatricem inuariabilem, & pauperi filio fuisse omninò persimilem, quia non est, quod sic reddat animam filio Dei conformem, vt paupertas nudus Iesus, nudas quærit animas, ideò permisit pallio spoliari sponsam à custodibus, timuit Petrus, quia reliquit sua, sed non erogauit pauperibus, non timet Maria, quæ omnia à se abdicauit, licèt non vsum, & Ioannem accæpit in filium, quem meritò bonorum suorum in vltimo testamento leganit hæredem, pauca fuerunt, & pauperrima sed infiniti valoris, vt fuit vna ex duabus tunicis, quę paupertatis dono quantæ omnipotentiæ fuerit, & quomodo ad solatium fidelium fuerit inuenta, & quibus reuelata, pulchra sed breuis descriptio.

Ramusculus Sexagesimusquartus.

PRæmonstrat Mariam non victam in articulo mortis suæ, sed mortis fuisse victricem, vt & in hoc assimilaretur filio, cui in signum victoriæ ramos palmarum obtulerunt pueri Hebræorum, Mariæ verò Gabriel Angelus Ramusculum attulit palmæ in argumentum, quòd licèt migraret è vita, non tamen subiacebat mortis imperio, quum non esset in Virgine causa meritoria mortis, sed tantum formalis, fuit ipsa tributaria morti, non peccati stipendio, sed naturæ conditione, imo ausim dicere fuisse eius mortem amoris tributum, seu exactionem, & succrescens in dies, ita factus est vehemens, ita ardens, quòd consumptis in pectore virginali spiritibus vitalibus, animam exalauit, non febricitans, sed languens amore, qui amoris ignis ardens secundò in hoc rubo virgineo potuit comburere, sed non valuit consumere, quia quando obijt Maria, obijt in plaga laterali filij sui, & vt Moyses iuxta os Domini, & quia moriens migrauit ad vitam, viuens, & non mortua videbatur.

Ramusculus Sexagesimusquintus.

PRæmonstrat Virginem iam obijsse, sed mors suo morsu deuorare non valuit, quia non est mortua mortis imperio, sed potius dilectionis incendio, quæ vulnerata ad mortem migrauit ad vitam, & absorpta remansit in illa diuinitatis abysso, vt meritò dicat sapiens, quòd pretium Mariæ fuit de vltimis finibus. & in morte fuit filio persimilis, quando mors eius fuit honorata ab Angelis, coronata ab Apostolis, & illustrata miraculis, imo & præsentia filij Dei, qui erga matrem Parochi functus est officio, in cuius manibus animam commendauit & corpus, quòd post mortem ita remansit delectabile oculis intuentium, ac quando viuens dormiebat, quæ omnia obumbrauit Ioannes sub velamine solis, lunæ, & stellarum, & Salomon sub velamine risus, quia sola Virgo risit in die nouissimo.

Ramusculus Sexagesimussextus.

PRæmonstrat corpus Virginis, separata iam anima, sanctis Virginibus traditum fuisse ad lauandum, non vt mundaretur ab aqua, sed potius ab eius contactu sanctificaretur aqua, à virginibus illius tangi potuit, sed præ nimia lucis, & splendoris claritate videri non potuit, & psallentibus Angelis portatur ab Apostolis, collocatur in sepulchro, cuius figura præcessit in translatione arcæ in templum Domini, deposito corpore multiplicantur hymni, multiplicantur & lacrymæ circumstantiũ, qui sic allecti amore triduo perseuerauerũt, quia amanti nullus dulcior locus, quàm vbi iacent ossa dilecti cordis sui, vt Dauid, & Abraham in Hebron, & Rapha petram, & Magdalena vbi erat sepulchrum amati, vt inueniret quem amabat à sepulchro non recedebat. Sit sepulchrum Mariæ locus habitationis tuæ, dum incola viues in hac valle lacrymarum.

Ramusculus Sexagesimusseptimus.

PRæmonstrat Virginis Sepulchrũ fuisse portẽtosum, tum quia à Deo fuit matri Virgini præparatũ, Angelicisq; manibus elaboratũ, in quo manus Apostolica Mariæ corpus deposuit, tum quia non fuit theca vermiũ, seu corruptionis, sed domus vitæ, & resurrectionis à filio, cui semper fuit persimilis vocatur lectulus floridus, & tigna cedrina per incorruptibilitatem, collatã Mariæ virtute Epicheiæ, caro enim Mariæ erat caro Christi, qui ius legale traduxit ad ius naturæ, quãdo audiuit quærelã illius corporis è sepulchro, dic ergo illi vt me adiuuet, quare relictis sepulchoribus surrexit e tumulo, non iterum moriturũ, vt cætera corpora Sanctorũ, qui surrexerunt, sed in æternũ victurũ, & veluti ramus virẽtis oliuæ reportatur in arca æternitatis, & gloriæ. Et si mater filio fuit in passione similis, similis facta est in resurrectione, & gloria, esto & tu imitatrix Magdalenæ perseuerãdo, & viuendo iuxta sepulchrum Virginis, quòd erit tibi via ad vitam, & portus ad salutem.

Ramu-

Ramusculus Sexagesimusoctauus.

PRęmonstrat Mariam post triduum resurrexisse, & super choros Angelorum ascendisse meritò humilitatis, quia ad exemplum filij sui descendit in inferiores partes terræ, ad eiusdem similitudinem meruit ascendere super omnes cœlos, hinc est, quòd capilli Mariæ comparantur caprarum gregi, quæ ascenderunt de monte Galaad; hic descensus humilitatis apud Deum est ascensus sublimis, quò descendens Virgo ascendere meruit vsque ad solium Maiestatis Diuinæ, sic euolauit penna humilitatis, quia licèt locus gloriæ tribuitur Mariæ meritò maternitatis Dei, ad hanc ipsa non ascendit, nisi humilitatis descensu, tantò Angelis excelsior effecta, quantò differentius nomen hæreditauit, hinc ascendentem omnes cœli exceperunt illam iubilando, & hymnizando deduxerunt illam vsque ad thronum filij sui, quem si obsequuta est in passionibus, meritò associata est illi in cœlestibus.

Ramusculus Sexagesimusnonus.

PRæmonstrat gloriam Virginis in cœlo esse consimilem gloriæ filij Dei, cui in totius vitæ suæ curriculo semper in passionibus, & laboribus fuisse conformem per illas quatuor dimensiones, si Christus reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, quantò sublimius corpus Mariæ, quæ in humilitatis profunditate, in passionum sublimitate, in operum latitudine, in charitatis, & dilectionis longitudine Christo fuit persimilis, quæ si certauit bonum certamen, cursum consumauit, fidem seruauit, iuxtà illas dimensiones debetur, & præstatur ei corona gloriæ, quæ tantæ est sublimitatis, quòd ipsa mens Angelorum præ stupore exclamauit, quæ est ista, quæ ascendit de deserto innixa super dilectum suum, nam maiores delicias attulit de deserto Angelis Maria, quàm ipsa reportauit, cùm nobis post Deum non est maior gloria quàm videre Mariam, tot, tantisque onustam coronis, quæ thesaurizauit innixa supra dilectum suum sibi, & nobis meritorum thesauros, quibus respondet illud manna cœleste, & absconditum tantò delectabilius, quantò præ alijs laborauit ardentius, proficiens semper in sapientia, & ætate, profecit & in gloria sedens ad dexteram filij sui, ad quem euolauit alacriter.

Ramusculus Septuagesimus.

PRæmonstrat Mariam fuisse eleuatam in throno beatitudinis super omnes electos Dei, sic & fuisse coronatam corona eminentiori, quæ creuit in Virgine ad mensuram sui certaminis, quo effecta filio similis, persimilis, & in corona, qua super omnes illos patriæ cœlestis coronatos eminentius emicat, & sublimius præfulget, quia coronatur Maria corona qua coronatur Pater ęternus, nobilius quàm Esther, & totum hoc, quia Virgo non est alia à Deo, ratione dignitatis maternæ, infinita illa, diuina & infinita, & ista Marialis, sub cuius vmbra sedere, & quiescere colliguntur fructus suauissimi dulcedinis, & fęlicitatis æternę.

Ramusculus Septuagesimusprimus.

PRæmonstrat Mariæ Regnum, & Imperium in latitudine, & maiestate esse æquale, & persimile imperio filij, & sui, cuius illa fuit mater, & dignitate hac materna collatum Virgini fuisse dominium omnium creaturarum, nam tot creaturæ seruiunt, & obediunt Mariæ, quot obediunt, & seruiunt Sanctissimæ Trinitati; imò superius Mariæ imperium, quando illi famulatus est etiam Deus in carne mortali, & erat subditus illis, & hoc imperium non solum hæreditauit Maria dignitate, potestate, dominio, excellentia, & latitudine, sed etiam, & tempore, semper mater, semper & Regina, & quæ nunquàm Dei imaginem fœdauit, vt fœdauit Adam. Nun-

quam Maria ſine regno,vel ſine imperio,& huius ſui imperij poteſtatem non exercet exigendo tributa,ſed offerendo miſericordiam, & ideò vt cœleſtis planta tranſlata in cœlum,de ſua radice emittit ſuccum gratiæ,& gloriæ,& inuitat ad vmbram deliciarum Dei.

Ramuſculus Septuageſimusſecundus.

PRæmonſtrat nos debere omni cultu tàm interno, quàm externo honorare Mariam propter eius ſanctitatem,dignitatem,dominium, & imperium, & docent nos, & exempla præbent illi ſeptem ſpiritus cœlorum ſtantes in conſpectu throni, qui honor debetur Virgini,quia locus venerationis eſt,vt monſtratum eſt Iacob,& Moyſi,qui non eſt auſus accedere ad rubum pedibus calceatis,& Gabrieli Archangelo quando ſalutauit Mariam,quia non eſt dignus laudare,& honorare Mariam, qui vita non eſt Angelus, ideò ſolum illi centum quadraginta quatuor millia ſequuntur agnum quocunque ierit,quia & agni ipſi ſunt. Si Rex Aegypti ſic honorauit,& iuſſit honorari Ioſeph,quantò magis Mariam,quam ſic honorat Deus, & vult honorari,& illius honor tua erit merces,quia tibi non deficit Virgo, quæ non rogata rogauit pro defectu vini in nuptijs, & ſi eius merito ex aqua factum eſt vinum, & ex latere Chriſti fluxit ſanguis miraculosè, qui ſi tua culpa eſt tibi durus, vt petra habes Virgam, vt percutias non vt Moyſes,ſed vt loquatur pro te, quia mater eſt,& mater miſericordiæ,& mater iudicis.ipſa placatum reddet, & faciet de latere eiuſdem effluere aquam,vt bibas,& ſalies in vitam æternam.

Vmbra Quintæ Palmæ.

PRæmonſtrat, quàm dulcisſimum eſt nobis, & ſalubre ſedere ſub vmbra hac virginea,ſiuè hic in via,ſiuè ibi in patria: ſub hac vmbra ſedet Deus, ſedet Angelus,ſedere debet & homo, vt guſtet, & ſentiat fructus illius ſuauitatem, & dulcedinem, ſiuè legas eos ex ventre, ſiuè ex mente Virginis, fructus huius vmbræ ſolum dulceſcunt,& in dulcisſima conuertunt etiam amara: fructus amarisſimos carpſit Eua,quibus ramaricauit cuncta corda hominum,vt ex amaris dulcia facias,en vmbra Mariæ,quæ relicta eſt tibi, vt luna in abſentia ſolis, & quia non fictè vt Diana, ſed verè,vt mater Dei plena eſt mammis, ſemper parata lactare nos lacte perdulci conſolationis,ſolatij,& dulcedinis,& quum ſit ipſa ſola perfecta imago Dei, perfecta eſt Regina noſtra, cui ſoli principandi data eſt poteſtas, non vt Adam, de eius adiutorio eſto ſecura, quia eſt tibi ſicut oliua in domo Domini, circundans velut iris thronum illius,vt proferat fructus ad tui ſalutem,& gloriam. Sed vt Elias ſub vmbra iuniperi,& ſatiaberis pane refectionis,beatitudinis, & viues vita æterna in æternum. Amen.

D E
VI AMORIS IN CORDE Virginis.

RAMVSCVLVS SEXAGESIMVS PRIMVS.

Nunciate dilecto meo, quia amore langueo. Cant. cap. 2.



IAm Christus astra ascẽderat, & humani generis naturam, quam & ipse inseparabilitèr assumpserat de Virgine in consessu diuini illius Senatus iam fecerat consedere in cœlestibus, tantò sublimiorem Angelicis ordinibus euectã, & eleuatam, quantò differentius præ illis nomen hęreditauit, ad hoc enim primò regressus vndè venerat, cunctis tandem attritis suæ peregrinationis itineribus, cunctisque completis nostræ redemptionis, ac salutis mysterijs, vt & hominis naturam, quam paulò ante per incarnationis mysterium in solio eleuauerat Maiestatis Diuinæ, modò per ineffabilem æternæ illius fælicitatis altitudinem super omnes cœlorum ambitus paternæ gloriæ, & sisteret in dextera, & associaret in throno.

At vbi ipse cęlum sic gloriosè ascenderat, sui tamen corporis genitricem nobis reliquit in terris, quæ superueniens remansit vsque ad tempus prędefinitum, quo & ipsa in throno maiestatis diuinæ, iure etiam erat consocianda filio.

Cuius discessus, & absentia corporalis prę amoris magnitudine maternum pectus sic intimè (licèt dulcitèr) nouo vulnere vulnerauit, quòd quò sui castissimi veteri partum amabat ardentius, eò (quia absens erat) suauius suspirabat, & anhelabat illius corporis, quòd ipsa genuerat, portauerat, lactauerat, aluerat, & educauerat, præsentiam in gloria intueri, & illius pulchritudine præsentialitèr frui, ibi esse ardentèr mater cupiebat, vbi erat filius, ad quem contemplandum, cum esset ipsa in terris, animę volatu celerrimo, mentis oculis, cordis sui gressibus, continuè, & indefexè, vt poterat, festinabat, suspendebatur, eleuabatur, & currebat, illuc namque cor Virginis gradiebatur, vbi erat, & amati, & amoris sui impetus, qui & ipsum regebat, ducebat, ferebat, & sic intensè dominabatur, quòd nullus satiare poterat, nec quietare, nec cordis illius vulnus perfectè mederi, nisi hoc vnum, quòd amabat, propter quod vnum intimè languebat.

O anima mea intuerè cor illud Virginis, amoris igne inflammatum, quomodo æstuabat? quomodo ardebat? cuius lumine edoctum sciebat esse summè desiderabile, verè desiderandum, & totis viribus amandum, quod amabat, desiderabat, & peroptabat, idcircò hoc vnũ sitiebat, hoc vnum concupiscebat, ad hoc vnum videndum anhelabat, ad hoc vnum suspirabat, in hoc vno sperabat, hoc vno exatiari, refici, & quiescere cupiebat, hoc vno impleri, hoc vnum contemplari, ardenti desiderio tenebatur, vndè ad Angelos, qui inter matrem, & filium de cœlis ad terras, & à terra in cœlum, vt administratorij spiritus fungebantur legatione, sæpè repetitis verbis illis, simul collacrimantibus oculis, exclamabat: *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.*

Languebat Maria præ amoris vi, & desiderio videndi filium, & illius corporalis præsentia fruendi in gloria, languebat ò anima mea præ amore tuæ salutis, & vtilitatis, hinc adiurat filias Ierusalem, hoc est Angelos sanctos, qui in illa cœlesti Ierusalem, non solum inuenerunt dilectum, sed in dextera Dei patris, & vident, & intuẽtur, & perfruuntur, & contemplantur, & semper desi-

derant prospicere, vt nuncient ei sui pectoris languore, suæ dilectionis vulnus, & sui cordis amorem, adiuro vos, vt nuncietis ei, quia amore langueó.

Languebat cor Virginis præ nimio amore, & desiderio vidēdi filium, quem sic ardentèr amabat, nec mirum, si vi amoris, & matris, & filij erat caro vna, cor unum, anima una, uoluntas una, desiderium unum, & amor idem, & huius amoris sagitta uulnerata mater, non poterat nō sentire hoc amoris uulnus, quo sic percussa medullitus, nequibat D. Bern. sempet nō pensare de filio, & eius amore non ardere, non languere, audi D. Bernardum serm. 19. in Cant. *Sagitta electa amor Christi, quæ Mariæ animam non modo confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret*: Si amoris sagitta in pectore virginali non reliquit partem vacuam, vacuam inquam amoris uulnere, ergo toto corde, tota mente, tota uirtute, totis uiribus, totisque sui pectoris uisceribus diligebat Maria Dominum Iesum, cuius & eiusdem amoris sagitta, dispari tamen uulnere percussus quadam die D. Paulus, fassus est, non se uiuere uita Pauli, sed D. Paul. uita Christi, sic scribens dicebat ad Galat. cap. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*: uidisti animam igniram, uidisti mentem alatam rationem in Dei amorem immersam? uidisti animā succensam, uulneratam, & ex toto transformatā in Deū, si uiuebat Paulus, uiuo ego, quonā pacto, sed non ego.

O uis, ò diuini amoris uiolentia nimis uehemens uiuebat ipse, dum fruebatur hac uita, non in se, sed in Christo, & Christus in ipso, non erat Pauli vita, qua Paulus uiuebat, sed uita erat Christi, qui uiuebat in Paulo, & qui agebat Paulum ad bonum, & ad uitales uirtutum actiones, non erat Pauli natura, non Pauli uoluntas, non Pauli concupiscentia, sed Christus motibus suę gratię, qua ita Iesus ad se traxerat, & amoris nexu uinxerat Paulum, quòd non tam Pauli Paulus erat, quàm Christi, ut Paulus in Christum, & uicissim Christus in Paulum transformatus uideretur, quoniam quisquis nostrum talis utique est, qualis eius dilectio.

Papæ, si Paulo ò anima mea, amoris uulnere percusso dicere licuit: *Viuo ego, iam non ego*: Cur non uerius Mariæ quæ à suæ conceptionis exordio fuit hac amoris sagitta intimè vulnerata, & flammas amoris huius nondum non interpellauit, sed exarsit, vt amore languens inter easdem dilectionis flammas in æternum victura tandem deficeret, dicat ergo, viuó ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.

Vis, & effectus diuini amoris hic est rapere amantem extra se, audiendus est D. Dionysius Areop. in lib. de diuinis D. Dion. nominibus cap. 4. in quo sic habes; *Extasim facit diuinus amor, amatores suos statu dimouet, & sui iuris esse non sinit, sed in ea, quæ amant, transfert*: ò Deus amor, ò fons dilectionis Verbum patris, quis transformauit in hominem, in similitudinem hominum factum? cū ex amore erga nos vehementi, et extatico formam nostrę naturę, quo ad omnia, excepto peccato assumpsit, nisi hic suus amor? cuius est vnionem facere, & de duobus vnum.

Quo dilectionis nexu fortius siquidem transformata erat Maria in Christum, & Christus in Mariam, quam Paulus; Christi enim & Mariæ vna erat caro, vna volūtas, cor vnum, vna dilectio, & vnitas illa separationem non admisit vnquam, & ex hac vnione inhæsione, & vnione mutuò se amabant, & redamabant, vt meritò dicat Virgo & verius quam Paulus, viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus.

Qui dum præsentia corporali recesserat ab ea; vi amoris rapta desiderio perueniendi ad amatum, & eiusdem fruendi præsentia languens languebat amore, & collacrymabatur, præstolabatur, suspirans, & anhelans sitiebat, & excruciabatur amore, experta iam didicerat, quam dulcis, quam amabilis, quā iucunda, quam læta, & hilaris, quam fælix, & beata erat Christi pręsentia, à qua omne sui cordis bonum, quo bono se extimabat orbatam orbata præsentia amati, præteritæ fælicitatis memoria, & rei amatæ recordatio intimè pungit, & exulcerat, & vulnerat cor amantis.

Infælix ille Adam, quem collocanerat Deus in Paradiso voluptatis, cuius delicijs, & bonis omnibus dum frueretur, lapsus est, & peccati sui pœnam accæpit, quando inquie Moyses: *Emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis*: Genes. cap. 3. num. 13. & locus in quem Genes. eijecerat Dominus, inquit D. Chrysostomus

D.Chryſ. ſtomus hom.18. in Geneſ. Erat ſeu fuit non longè à Paradiſo, & contra Paradiſum. *Et habitare*, inquit Sanctus, *fecit eum è regione horti deliciarum*: & Septuaginta interpretes hoc idem addunt. *Et collocauit eum ante Paradiſum voluptatis, vt ſemper præ oculis haberet*. Cur non longè eiecit à Paradiſo? ſed propè voluit cohabitare? ni fallor, illi hoc arbitror præſtitiſſe Deum, vt ex vicinitate Paradiſi, recens, & aſsidua eſſet memoria, & recordatio loci amœnitatis, illius fontis perennis arboris vitæ, & deliciarum omnium, quas vndequaque ſcatebat locus ille deliciarum, & iam expertus erat Adam. & meminerit, quid amiſerit, & ex memoria tanti boni iam perditi acerbius torqueretur, &

D.Chryſ. excruciatur. *Adam*, inquit D. Chryſoſtomus hom. 2. de Lazaro, *è Paradiſo eiectum, è regione Paradiſi habitare iuſſit Deus, vt aſsiduus conſpectus renouans moleſtiam exactiorem illi præberet ſenſum expulſionis à bonis.*

Quid Chriſtus Mariæ? ò anima mea niſi Paradiſus erat locus deliciarum, locus ſuæ voluptatis, ſuæ lætitiæ, ſuæ fœlicitatis, quid Chriſtus Mariæ? niſi arbor vitæ quo viuebat? niſi fons gratiarum ſemper inundans, niſi locus à quo illi omne bonum, quo abſente ab ea abſens videbatur eſſe omne bonum, recordatio tanti boni, memoria tantæ fælicitatis, tantæ dulcedinis pungebat, exulcerabat, vulnerabat cor matris, & amantis Virginis, quapropter languens ſuſpirabat, & peruenire ad amatum, cuius dilectionis vulnere erat vulnerata, ſuſpirando, & languendo peroptabat.

Experiri aues ne anima mea, vulnus amoris, quo nimis cor Virginis angebatur, nunc in ſecreto cubilis ſui, nunc locis omnibus, in quibus dum adhuc viueret filius frequens erat, premendo pedibus, ſanctificando præſentia, replendo odore virtutum, exhibe te præſentem, quia poſt filij ſui aſcenſum, multa erat, & mater.

Quam dum amoris ſagitta intimè intueris vulneratam, intuere & ſuſpirantem, ſuſpiria amoris ſunt nuncij, quia quando memoria rei amatæ intima mentis tangit, ſtatim amoroſa ſuſpiria, quaſi quoſdam amoris nuncios erumpit, expellit, & emittit, hæc erant pectoris Mariæ vulnerati nuncij, quos mittebat ad amatum, vt præſentia ſua demulceat vulnus, & reficiat ſuſpirantem.

Mariam ò anima mea, ſi amoris ſagitta intueris vulneratam, intuere deſiderantem. *Si omnia*, vt inquit D. Aug. lib. 13. confeſsionū, *ponderibus ſuis aguntur, & loca ſua petunt, grauia deorſum vt lapis, ſurſum leuia vt ignis: hæc extra loca ſua exeunt quaſi inquieta, ſed quòd eſt pondus in corporalibus, eſt amor in ſpiritualibus, amor meus, pondus meum, eo feror quocunque feror*, & quò amoris pondus vehementius eſt, eò maiora, & ardentiora deſideria cor amantis emittit nulli dubium eſt, quòd maioribus deſiderijs ad amatum æſtuabat Maria, præ cæteris, vt quæ maiori amoris ſagitta erat vulnerata, ardentiora deſideria erant cordis ſui, quæ ſurſum ferebant vnde ardebat, languebat, inardeſcebat, ibat, aſcendebat, nec erat ei quietus locus, donec peueniret ad amatum. D.Aug.

Si Virginem vulneratam amoris ſagitta intueris, intuere cogitationibus plenam, & ibi fixos corporis oculos, mentaleſque obtutus, vbi ſuæ dilectionis erat theſaurus, quem cum pater recondiſſet in ærario dexteræ ſuæ, ibi prę amoris magnitudine ſui cordis dirigebat cogitationum affectus: amor eſt animorum nexus, quos non poteſt nectere, ſi non adſunt cogitationum vincula, perfecti ergo amoris argumentum eſt aſsiduè cogitare, & præ oculis amatum habere, *neceſſe eſt*, inquit D. Fulgentius in quodam ſermone, *vt quo proceſſit dilectionis theſaurus, hoc eſt amatum, illic ſequatur amantis cogitationis affectus*. O Deus cordis mei, quot, & qualis, & quã aſsiduæ erant de Ieſu Virginis cogitationes? hinc erat quòd Virgo omnia faſtidiebat etiam propriam vitam, vt Ieſu præſentia frueretur, hic erat languor, quo languens exclamabat, *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.* D.Fulg.

Languor amoris erat, quo quælibet mora longa videbatur Mariæ, & expectatio oneroſa, et quò plus prolungabatur, eò interius excruciabatur, quò plus impediebatur, et retardabatur hęc amoroſa expectatio, eò plus tanta mora erat iniucunda, et ſatis moleſta, et leuamen ſui cordis erant ſuſpiria, amoroſa deſideria, lacrymæ, et voces: *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.*

Cuius amoris vulnere vulnerata, prę ip-

ipsius amoris vehementia, quo eum videndi, & eius præsentia fruendi tenebatur, resistere non valens, quin amoris sagitta eiusque mentem medullitus non penetraret, cordis affectum non transuerberaret, pectoris desiderium dilectionis flammas non emitteret, & eructaret, vndè sic accensa ardebat, feruebat, æstuabat, & tota amorosis gemitibus languens repleta anhelabat amatum.

Heu quoties in die simul, & in silentio noctis, sursum in cælum vbi erat thesaurus cordis sui, facie eleuata fixis oculis, & sæpè præ amoris vehementia collacrymantibus, nunc extensis, nunc cōplicatis brachijs, singultus, & longa suspiria ducendo de profundo pectoris sui, nil aliud proferre valens, nisi verba hæc, repetitis vicibus, adiuro vos filiæ Ierusalem, *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.*

Meritò se languere testatur Maria, quia triplici dilectionis vulnere vulnerata erat, dum primo ex se sola genitum amabat, vt filium amore naturali, secūdò amabat, vt pollententem moribus, & cunctis virtutibus, cunctisque gratijs plenum, & ornatum amore iustitiæ: tertiò amabat illum, vt Deum amore diuino, & infuso, tribus his lanceis, non vt Absalon ad mortem, sed vt mater amans, & amata Maria transfigebatur ad vitam, pungebatur, vulnerabatur, confodiebatur, percutiebatur ad maioris dilectionis gradum, quo vehementèr affecta, quid mirum si sic dulcitèr sauciata languebat propter amorem dilecti cordis sui.

Hic nempè languor in corde Virginis non erat durus, non grauis, non mœstitiæ, non tristitiæ, non mœroris, sed gaudij, solatij, & consolationis, erat enim vulnus amoris, & sagitta dilectionis diuinæ.

Amoris vulnere percussam, legimus erga Christum mulierem illam, de qua ipse Dominus testatur, quòd dilexit multum, pluries accidit huic sanctę mulieri, quòd Christus elongaretur ab ea, & priuata præsentia amati languebat, & languoris pectoris sui effectus erat ille ploratus, & ingens imber ille lacrymarum, quando iuxtà monumentum sedens, sic interrogatur ab Angelis: *Mulier quid ploras?* Sepulto Domino, & ingressa ipsa sepulchrum, vt videret, quē sic ardentèr amabat, vt tangeret, vt vngeret, vt adoraret, & vt inuentum secum tolleret, sed non inuento corpore Iesu, illud sublatum credidit, & ignorans furem, simul & locum, vbi spes esset, illud inueniendi, languebat, & plorabat, sed languore mœstitiæ, & doloris intimi, quia totum perdidisse existimabat, non erat consolationis locus, nec spes solatij, dum sublatum credidit, & locum ignorare testatur, quando interrogantibus, sic respondit: *Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.*

O vis amoris, ô violentia dilectionis, ô acerbitas doloris, & mœstitiæ, si tu sustulisti, dicito mihi, vbi posuisti eum, depositionis dilecti sui locum expostulat hæc sancta mater, vt locus amati sit illi causa consolationis, sicùt amor perditi est illi causa languoris: Magdalena hanc Christi absentiam alias, & pluries fuit experta, & quando hic suus dilectus erat absens, præ amoris vi languebat cor eius, sed erat languor dulcis, mollis, tenellus, amabilis, suauis, erat languor dulcoris, teneritudinis, liquefactionis, lætitię, solatij, & consolationis, dum non ignara sciebat, vbi absens dilectus morabatur, commorabatur, versabatur, in quo loco erat, & vbi habitabat, licèt amor absentiæ sagitta elongationis vulnere cor eius vulnerabat, & separationis plaga, qua & languebat, erat tandem languor consolationis, quia vbi deerat præsentia sui dilecti, per litteras carta suppeditabat; calamus igitur & carta, & amati responsio vicem gerebāt præsentiæ desiderati, & amati, vndè & cor eius leuabatur, solabatur, & in eo nascebatur consolationis ratio, & gaudij, & solatij causa.

O anima mea, quæ mens etiam Angelica capere queat, quo dilectionis vulnere, qua amoris sagitta fuit consauciatum cor matris Virginis, quando ablatum ab oculis suis eleuari, & in cœlum vidit ascendere dilectum filium, cuius præsentia priuata sola ipsa remaneret in terris, filium sedere intuebatur in dextera patris super Choros Angelorum; & ipsa constituta in hac lacrymarum valle, remanere inter mortales filium inter delicias Paradisi, & æternæ fælicitatis, & ipsa in hoc durissimo vitæ certamine; Maria sine Iesu, mater sine filio, ô separatio, ô dilungatio, dura qui-

dem

dem, sed ineffabili dulcedine confecta, ò languor amoris, ò suspirium ardoris, cum à filio accepisset mater, tempus est, vt reuertar ad eum qui misit me, te vt relinquam necesse est, & remanere in terris sic expedit vsque ad tempus, liquefacta est anima matris per incendium charitatis: *parata instar metalli*, vt

Riccard. inquit diuin. Riccard. lib. 4. *liquefacti decurrere in omnes modulos diuinæ voluntatis*, quando sic dilectus filius locutus est, verè dicere potuit illud Canti-

Cant. corum cap. 5. *liquefacta est anima mea, vt dilectus loquutus est.*

O maternus amor, ò filialis affectus, quibus dilectionis brachijs adinuicem Maria, & Iesus, tunc amplexati sunt, tunc osculati sunt, & sursum ascendens filius, & abiens de longinquo, osculo suauissimo se salutauerunt mater, & filius quando inclinato capite mater super pectus filij dulciter inclinauit se, & strictis brachijs tenebantur ambo; ò Deus cordis mei, quis brachiorum nexus? pectoris ligamina? cordis vincula rupit? & dissoluit? nisi amor? & dilectionis flamma, & sic separati ab inuicem, & remansit in terra. & ille euolauit in cœlum. quem eò vsque oculi sequuta est mater, & corde ascendit cum filio, licèt corpore ipsa tenretur in terra, quem et sedere vidit amictum lumine in dextera Maiestatis paternæ, non igitur ignara loci, suppeditabant Epistolæ quòd ei denegabatur pręsentia corporali, vice litteræ, seù cartę, erant cordis vora, erant suspiria, & singultus, erant gemitus, & lacrymę, erant cordis affectus, & animæ liquefactiones, hæ Epistolæ vtriusque amorem, & amoris vehementiam præ se ferebant: ò quoties intrinsecus, & extra ineffabili dulcedine, nunc per visiones, nunc per reuelationes nunc per inspirationes desuper immissas, nunc per Angelorum nuncia, & legationes, nunc per raptus mentis, nunc per extaticas cordis eleuationes, matri respondebat filius, & materno affectu, eam consolabatur, & sic solabatur eam, vt languendo langueret amoris, & dulcedinis languore, & non mæstitiæ, dicat qui capit, qui intelligit, qui sapit, qui percipit, dicat cui datum est hæc scire, & capere, ego siquidem verba illius in corde meo, veluti dulciter echo, reperam, *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.*

Amoris languor tenebat cor Virginis post filij sui discessum, & in cœlum Ascensionem, dilectionis languor angebat animam eius, nec mirum o anima mea si Virgo mater sic languebat, quæ experimento didicerat sua tantarum virtutum incrementa, & tot suarum perfectionum lucra insuper, & animæ, & corporis pulchritudinem, non aliundè traxisse originem, nisi ex præsentia Christi, ex vicinitate, & propinquitate Dei, nisi ex commercio, & contubernio filij sui, et Dei, & ipse gratiarum cumulus, & donorum omnium aceruus, & ipsamet matris Dei dignitas, qua transcendit Virgo Angelorum choros, ita vt non videatur pura creatura, sed tota in Deum transformata, vndè in Maria tot & talia? nisi ex consocietate, vicinitate, & præsentia filij sui & Dei?

Vt capias, quæ dico accipe, quæ scribit D. Gregorius Nissenus in Cant. cap. 1. *Cunctos Adæ filios*, inquit ipse, *esse quasi specula, quæ illius, quòd in seipsis recipiunt, speciem expressè representant & qualis est obiecti species seu forma, talis est, & imago, quam tibi immittit speculum siuè sit illa pulchra, seu deformis.* D. Greg.

Hoc idem docens Ruper. Abbas in Matth. cap. 9. quærit cur Euang. Matth. facies ascribitur hominis? Cùm cæteris apponatur tantum facies Bouis, facies Leonis & facies Aquilæ, respondit ipse, totum hoc accidit Matthæo, quia homo est speculum, & vt speculum, id solum repræsentat, quòd in se accipit, erat primo Matthęus Theolonearius, & Thelonij, seù Thelonearij imaginem exhibebat.

O fœlix occursus, Christus quasi in speculo obiecit Matthæo sui corporis speciem, & præsentiam, quando vidit hominem sedentem in Thelonio, & dum Thelonearius hic in Christi speculo inspexit, & in se vt in speculo Christi, qui Deus erat, & homo recipiens ex vicinitate, ex præsentia, ex propinquitate ad Christum, subito imaginem Dei hominis retulit, qui Dei hominis in se speciem recæpit, & ex homine Thelonearío factus est homo verus, verè representans imaginem illius, ad cuius simil tudinem primò formatus fuerat, quę imago, & si fuerat Thelonij tenebris obscurata, reformata, & illustrata fuit ex radijs speculi in præsentia Christi, qui est verè speculum sine macula, hæc sunt verba

Rub. Ab. in Matt. cap. 9. verba Ruperti Abbatis; *Erat ipse Matthaeus tamquam speculum perlucidum, sed in tenebris reconditum, & subiecto latens curarum nimis saecularium, vbi verò vidit eum Iesus, vbi vidit eum sol iustitiae, resplenduit ex aspectu eius, & quia vidit eu filius hominis, reddidit imaginem eius, & formata est in ipso facies hominis*: si valuit praesentia Christi sic illustrare, sic sublimare Matthaeum, & de theloneatio reddit hominem, quid erit de Maria matre Iesu?

Quae non solum vicinitate, & proximitate fuitDeo vicinissima, sed ipsi Deo fuit identitate cunctis proximior, ita vt esset idem quòd ipse; O speculum sine macula, ò viua imago bonitatis illins, introspiciens in Dei speculo, & Deus intuens in speculo matris suae, quàm aliam imaginem potuit praesentare Maria, nisi Dei? ita quòd potius Deus esse videbatur, quàm pura creatura.

Apparuit Deus Moysi in rubo, in flamma ignis, & plantula illa vri videbatur, sed non comburi, caeterae autem arbores rubo illi circumstantes, splendido, & purpureo colore ex vicinitate videbantur indutae, non erat in eis folium, quin in lucidissimum quasi crystallum non esset mutatum, & adeò perlucidos spirabant lucis radios, quòd cum solis splendore, & radijs videbantur contentiosè concertare; Petrus Comm. *Omnes vicina plantulae*, inquit Petrus Commestor: *parili virore vernabant ex praesentia Dei, qui ardebat in rubo, & ex huius vicinitate, licèt insẽsibiles diuini tamẽ illius Dei splẽdore participes videbãtur effecta, & diuina illius flamma ardentis in rubo imaginẽ prę se ferebãt*: ò ignis diuinus, ò Deus animę meę, quãdo in rubo virginali ardebas p incarnationis mysteriũ, quid mirum? si tunc cor Virginis, si animae illius potentiae, si cuncta corporis membra, Deitatis splendore radiabant, & diuinitatis radios emittebant, vt tota in Deum ipsum videretur transformata, hanc diuinalem pulchritudinem in Maria laudare cupiens diuinus sponsus, & huius pulchritudinis rationem, iuxtà Septuaginta interpretes, sic laudat; *Ecce quam speciosa ex proxima amica mea*: vbi nostra vulgata legit; *ecce* Can. c. 1. *tu pulchra amica mea*: Cant. cap. 1. Ergo si pulchritudo Mariae diuinae pulchritudini similis videtur effecta, non aliundè nisi ex proxi[mi]tate ad Deum, ex praesentia Dei, ex vicinitate, & identitate cum Deo, sic testatur in Canticis Dinus Gregorius Nissenus: *per appropinquationem trahens dispensationem pulchritudinis*. D. Greg. Nissen.

Virgo speculum erat sine macula, & inspiciens, intuens in Dei speculum, non poterat nisi Dei imaginem praesentare, nisi Deus ipse videri, si totum hoc ex praesentia filij sui, & Dei capiebat Maria, quando filius ascendit in coelum, & à maternis oculis elongans se, abstulit praesentiam sui corporis, priuata Virgo praesentia filij; Heù prae amoris vi, & dilectionis vehementia non poterat non languere, & sępè sępius ad Angelus non exclamare; *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo*.

Qui languor amoris, & charitatis vulnus, non tantum erat in pectore Virginis, ex discessu filij, & elongatione amatae illius praesentiae, sed languebat etiam pro tua salute, & vtilitate, secum tunc filius non traxit in coelum, sed tibi, ò anima mea, reliquit eam in terris, vt te foueret, vt te firmaret, vt te instrueret, te reficeret, te roboraret, te saluaret, te salutis vtilia doceret, & praestaret. Audi Vigerium Cardinalem in suo decachordo chorda nona, qui introducit Christum ascendentem in cęlum, & matri suae sic alloquentem. Vigerius Card.

Neque diù mater durabit nostra secundum carnem separatio, instrues, confortabis, diriges discipulos meos, & sicut in mea morte, tu sola fuisti lumen indeficiens, spei inconcussa columna, charitatis amplissimam domicilium extitisti, ita post Ascensionem meam pro gratia multitudine, & beneficentia exuberanti virtute, eris perpetuò in omnes mihi fide subiectos fluuius gratiosus, quo in principio nascentis Ecclesiae, quasi plantula nutrientur anima iustorum; cùm hęc impleueris, cùm plantationes nostra fuerint confirmata, cùm qua ego plantaui tu irrigaueris, sic te conducam, gaude igitur mater optima, fruere faelicitate, quàm vides in me, quàm paulò post senties in te.

Impleuit Virgo durante hoc elongationis tempore, quòd de nobis matri charitatiuè mandauit filius, ò immensa Christi erga nos vehemens dilectio, priuatur matre ascendens in coelum, vt ipsa tibi semper adesset, ò charitas erga nos tãta Virginis matris, orbatur praesentia filij sui, vt tibi in campo certaminis

nis opem ferret,& præstaret auxilium.

In Cruce pro tua salute agonizans Christus,et morti proximus,vnum Mariæ tunc adoptauit filium verbis illis: *Mulier ecce filius tuus*: et sub hac vnius adoptatione omnes alij,sed post Resurrectionis triumphum ascendens in cœlum, multos vice illius adoptati, matri adoptauit,et commendauit, et filios reliquit,mulier en filij tui,quos vt diligas,et materno foueas affectu,et pascas,
Can.c.6. nutrias,instruas,et doceas:*auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*: quę verba Christi erga nos amoris vim, et pectoris sui vehementiam dilectionis exprimunt,et est sensus.

O mater idcircò auolo à te,et te in terris renliquēs,ascendo ego ad patrem charitatis, amor vrget me, quo filios meos, quos proprio sanguine redemi, vehementer amo, et diligo,oculi tui sic intenti in me cogunt auolare à te, et te in terra dimittere, vt ego anolatus à te maternos oculos tuos auertas à me, et in filios meos conuertas,transferas maternæ pietatis ardore.

O cor meum, ò anima mea,oculi hi Mariæ numquid non illi sunt, quibus cor suum vulneratum toties conqueri-
Can.c.4. tur Deus? *Vulnerasti, vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum*:Si Virginis matris oculo vulneratur, et capitur Deus, cur ab eodem nunc cogitur auolare, quùm cœlum petijt?

Quid dulcius excogitari vel dici potest,vel qui maior charitatis excessus videri? Abiens ipse in cœlum à maternis oculis se subtraxit præsentia corporali, vt cum filium Virgo non haberet præsentem,in quem oculos suos figeret, figeret in nos,& in nos declinaret, & flecteret, vt nos respiciendo diligeret, &
Gulielm. præsidio esset. Audi D.Gullielmum,qui filium ad matrem sic alloquentem introducit.

Quia verò vetera transierunt, & nouitas iucunda, noli me aspicere ò pia mater vt olim, vt mater auerte à me maternos oculos, sed aspice in me velut amica, & sponsa,iam ascendi ad patrem, abeant materni illi oculi vacationem, sed ad me porrò ad membra mea vacare illos nolo, auerte à me,ad fratres meos,et filios meos ne claudas illos, sed auerte à me, transfer maternam pietatem à me,ad meos, à me quia iam assumptus ad patrem, a matre non debeo amplius teneré diligi, in meos autem conuerte, quos oportet me ab illis assumpto materna tua pietatis teneritudine confoueri: hæc ille.

Cęlum cupiebat Maria ò anima mea, cœlum amabat, cœlum inspirabat, in cœlum ascendere anhelabat, in cęlo cor fixum,& oculos eleuatos cœlum versus semper habebat,vsque dum vitę suæ exilij tempus finiretur, et hora, præsentia filij sui se voluit potius priuare, & illius optatæ præsentiæ elongationem sustinere,& pati,quàm te sine adiutorio, & præsidio relinquere, cur hoc? nisi quia charitatis sagitta erga te vulnerata erat.

Sustinnit cor Virginis filium in cœlum abire,sed pati non potuit relinquere te solam in terra,tecum voluit esse, tecum commorari,tecum cohabitare,vt in te matris officium adimpleret; En quam pia mater,spontè amore tui languere voluit, tantò temporis interuallo, ne & tu langueres tuæ languore infirmitatis, vt materno affectu tuos languores ipsa mederetur, curaret,& sanaret, elegit orbata præsentia fili sui in terris diù languere,vndè sępè audiebatur suspirans; *Adiuro vos filia Ierusalem, nunciate dilecto meo, quia amore langueo*.

Non erat hoc nuncium,vt amato sui cordis vulnus aperiret amoris,num qui vulnerauit, & sui amoris sagitta in pectore matris suæ vulnus amoris inflixit, & effecit, hoc idem amoris vulnus valuit ignorare? sique illud latere? vt ab alijs sibi aperiri, & nunciari necesse esset? *Quorum ergo*, expostular hoc in loco Ruper. Abbas in Cant. lib. 5. *Ten-* Rup.Ab.
dit,vel quid effecit hæc adiuratio? Adiuro vos filia Ierusalem,vt nuncietis &c. Angelos sic adiurare Mariam, dicerem, vt nuncient dilecto filio suo, non iam amoris vulnus sui pectoris, sed vt ei nuncient, quòd sui amoris vulnere iaculatoria, sanè quidem erat effecta sagitta, vt alios vulneraret; & hac sui amoris sagitta aliorum corda ipsa appeteret in pectora: sic explicat idē Abbas vbi supra,dicēs, eò nimirum,vt percussa percutiat, & vulnerata vulneret mater filias,quasvt percuteret, vt vulneraret, vt sauciaret, exulceraret, & iacularetur hac amoris sagitta,qua & vulnerata ipsa primò in suo pectore hoc dilectionis vulnus accępit,&ex hoc amoris vulnere, effecta amoris Dei sagitta

gitta Maria, didicit vulnerare filias, quòd vulnerandi munus ita impleuerat in terris, nunc languebat amore, hoc idem præ eiusdem amoris magnitudine exequi, et perficere in cœlo, è regione suæ præsentiæ hoc adiurat, vt nuncient dilecto suo; *Nunciate dilecto meo quia amore langueo*.

O Maria, ò amoris Dei sagitta nimis acuta, quot hoc amoris sagitta, & tui cordis vulnere iam percussa, percussisti? & vulnerasti vulnerata? & sic ad Dei,& ad tui amorem traxisti? & si infinitus est numerus vulneratorum, quos traxisti? cuspidem huis tui amoris sagittæ, vt me non vulneret ò Maria, quis ausus est retundare.

Proh' lacrymabilis dolor, proh' vulnus grande cordis mei, hoc namque vulnere, quòd grandius vulnus? quàm tui amoris ò Maria dulce non sentire vulnus, vt mei pectoris lethale sanetur vulnus hoc, non est medicina alia efficacior, quàm tui amoris vulnus, tuę charitatis sagitta, quam tuę dilectionis plaga; ò amoris vulnere pro me ad hoc. adeò sic intimè vulnerata, vulnera, percute, transfige, sagitta, scinde, penetra, adure sic duritiem cordis serui tui, quòd eo non glacies strictior, non est gelu frigidius, nec lapis durior eo, nec ferrum eo pertinacius.

Pia mater si vt esses mihi amoris sagitta, te amoris vulnere vulnerauit Deus, vt percussa percuteres, vulnerata vulnerares, ò amoris incendium, vt cor meum, dissoluta glacie, liquefacto gelu, duritie comminuta lapidis, & ex frigido ignescat, vt ferrum incādescat, quòd si tui amoris igne non incenditur, tuæ sagittæ cuspide non scinditur, non frangitur, non soluitur, non comminuitur, non vulneratur, non emollitur, non liquescit, non aduritur, non inflammatur, non calefit, non ignitur, non est cor, sed Adamas, qui & si sua natura, vel vitio nescit calescere, vt calescat, consociare vulneri cordis tui. quòd dum plenum est igne dilectionis, dulcedine amoris, dulcedine gratiarum non potest non ignire, & ipsum vt consumato vulneran di à te ò Virgo munere, verè dicere possis, adiuro vos &c. *Nunciate dilecto meo quia &c.*

En ò anima mea, Ramusculus hic amoris, & dilectionis vmbram præ se fert gratiosissimam, curre sub vmbra illius, quia vmbra salutis est, vmbra charitatis est, vmbra consolationis est, & sub vmbra illius, ramusculi fructus legas, & carpas, quibus exatiata conualescas, conualeas, & sana a tu addiscas amare, & amando laudes, & laudando gratias agas, & toto cordis affectu, nomen Mariæ semper benedicas, dic ergo.

Benedictum sit nomen tuum perdulcissimum in æternum; ò humilis Virgo Maria mater Iesu Filij Dei, te præcor ò Maria monstra te esse matrem, miserere mei; quoniam in te sola sperat; & confidit anima mea; sub vmbra huius Ramusculi dilectionis tuæ protege me, & refice me; doce me, & instrue me nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE EXERCITIIS BEATÆ MARIÆ Virginis post Filij Ascensionem.

RAMVSCVLVS SEXAGESIMVSSECVNDVS.

Signum magnum apparuit in Cœlo, mulier amicta Sole. Ioann. Apocal. cap. 12.



CVm à Diuo Ioanne accipis, ô anima mea, Mariam Sole apparuisse circumamictam in cœlo sanctæ Ecclesię, licèt D. Idelphonsus serm. 5. de Assumptione dicat: *soli Deo esse notum, quid ipsa egerit post filij sui Ascensionem in cœlum*: nihilominus non otiosè vitam Virginem transegisse; sed semper occupatam voluit tibi indicare Sanctus Euang. dum illam sole vestitam describit, & amictam; Sol enim est laboris, & omnis operationis symbolum, ipse solus expers est omnis torporis, & otij. D.Idelp.

D.Dam. Testatur enim D. Damascenus; quòd hoc corpus solare, dum fuit corpus informe, & absque luce fuit pariter, & absque motu, & operatione, at quando fuit luce clarissima exornatum & informatum, ex tunc nunquam cessauit à motu, sic habet ipse: *Prima die creauit Deus cœlum, & terram, in cœlo fixit corpus solare sine luce, efforme, quietum, & stabile, verum quarta die acceptam lucem corpori infudit solari & factus est sol, & statim ab accepta luce in orbem cæpit rotare, pernicique cursu omnes mundiales plagas illuminaturus auolauit*: En quomodo subitò fugatus est torpor, & otij quies, vbi apparuit lumen, & lux in corpore solari.

Si Maria sole est vestita, & solis vestimento Ioanni apparuit induta in cœlo, quid est hoc anima mea? nisi quod Virgo semper extitit occupata, semper sanctis operibus intenta, & nunquam otiosa, nunquam fuit aliquo victa torpore circumambulans in laboribus, & sanctis exercitijs, de ea sic scribit D. Vincentius Ferretius serm. de Natiuitate Virginis: *Virgo nunquam fuit otiosa, imò semper erat occupata in sanctis operibus, surgebat in media nocte, & orabat, deindè filabat, & texebat.* Vincent. Ferrer.

Qua ratione quieti, vel otio vacare poterat cor illud virginale, si erat lumine diuinæ dilectionis circumamictum? Amor enim otium ignorat, quietem nescit, nunquam est Dei amor otiosus, operatur enim magna, hinc dicere solebat ille D. Ioannes Tritem. homil. 6. *Si Deum ardentèr amaueris, nunquam eris otiosus, verus enim Dei amor non sinit in ea nasci torporem, sed semper impellit ad voluntatem dilecti, qui non vult fieri desidiosus amet.* Ioann. Tritem.

O Deus cordis mei si licuit D. Augustino de se dicere: *Amor meus, pondus meum, eò feror quocunque feror*: quo tendere potuit cor Marię? nisi vbi amoris pondus cor illud trahebat? quomodo torpescere potuit otio? & ignauia? quòd Deum filium sic ardentèr amabat? vt pro eius amore dilectionis languore vulneratum sic vehementer languebat? hoc amoris pondere assiduè ad illum trahebatur, & ad illum anhelare, desiderare vrgebatur, & ita cogebatur, vt nunqnam otiaretur. D.Aug.

Vis & amoris natura hæc est, vt si est nunquam sit otiosus, in ferm. de laudibus Mariæ hoc testatur D. Aedilio sic inquiens, semper Deo intendebat, & Deo semper vacabat, quæ Dei amore erat amicta: *Vnum pro certo scimus*, inquit ipse Sanctus, *quòd omnis Maria* D.Aedil.

actio, semper intenta fuit in Domino, quē sic vehementer amabat, & cui soli placere semper studebat, nouerat enim ipsa, quòd vanus est omnis labor, & inanis omnis nostra actio, quam hic finis Deo placendi non animat, non informat, non dirigit, non ordinat, non terminat.

Hinc post filij sui ascensum in cœlum Beata Virgo suam habitationem alibi esse noluit, nisi Ierusalem, specialis tamen eius domus fuit cænaculum, si credamus Metaphrasto, Andreę Cretensi, & D. Damasceno orat. 2. de dormit. Deiparæ.

Metaph.
And. Cr.
Damas.

Et licèt sit sequuta Ioannem Euangelistam (cui in cruce fuit commendata à filio, & ipsemet Apostolus fuerit comes totius peregrinationis Mariæ) vsq; ad Ephesum, & ibi aliquantulum temporis cum ipso fuerit commorata, vt docet concilium Ephesinum actione secunda cap. 26. nihilominus cænaculum illud semper Virgo coluit, & amauit, in quo & vixit, cohabitauit, & à D. Dionysio Areopagita visitata fuit.

Conc. Ephes.

Si verò fidem præstare volumus D. Sophronio lib. 4. de præconio Virginis cap. 1. antiquus hic auctor testatur Beatam Virginem suum domicilium habuisse in spelunca illa, in qua erat filij sui sepulchrum, quòd videtur etiam affirmare D. Dionysius Carthusianus.

D. Soph.
D. Dion.

Si verò Abbati Guarrico serm. 2. de Assumptione docet hic, Virginem habitasse in valle Iosaphat, vt cuncta illa loca sancta perlustraret, & quæ filij sui præsentia orbata viuebat, amori quo erga eum ęstuabat, illa inuisendo partim satisfacere videbatur, loca illa amplexando, deosculando, meditando, contemplando, quæ ibi dilectus cordis sui pro tua salute pati voluit, & operari, hoc docet D. Idelphonsus serm. 5. de Assumptione, Beata Birgitta lib. 6. suarum reuelat. cap. 61. sæpè copiosis lacrymis loca illa Maria madebat, lauabat, & sic tenerè collacrymando singulis oscula figebat, & D. Hieronymus ad Marcellam, & Canisius lib. 5. c. 1. testatur, quòd Virgo post filij sui ascensionem elegit commorari in Ierusalem, vt præsentia haberet loca illa sancta, quæ corporali filij sui orbata præsentia iam remanserit in terris, quamdiù Ierusalem accola fuit vice speculi saltē vel mētalibus oculis priuata, iam corporalibus dilecti filij sui præsentia vt frueretur, vtebatur locis illis, ad quæ visenda continuò impellebat amor, & solaris ille amictus, quo vestita celeri cursu, cunctaque per dies veluti sol ipse perlustrabat vt & anima mea possis ad laudem eius psallere, & dicere: *Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta sole*, &c.

Guarric. Abb.
D. Idel.
B. Birg.
Idelph.
Hieron.
Canis.

Solaribus igitur radijs, quibus Maria vestita apparebat, loca illa filij sui conseruata præsentia, sic rapta dilectionis flamma erga dilectum vrgebatur sollicitè, & sine interpellatione præcurrere; Hoc erat quotidianum Virginis exercitium visitare, & prospicere loca illa, in quibus dilectus suus aliquando commorauit, & mira operatus fuit, à Nazareth pergebat in Galilæam, à Galilæa in Iordanem, in quo & filius baptizari voluit, & desertum petijt, vbi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit, & cunctis perlustratis ad petram illam, quæ vestigia dilecti sui impressa seruabat, quando cœlum ascendit, sæpè se conferebat.

O anima mea, & tu siste hic gressus cordis tui, cōtemplare, & intuere matrē Mariā, quo affectu materno? qua teneritudine præcordiali? quo amore? qua anxietate? qua dulcedine? qua suauitate? quo spiritu feruenti? quo mentis excessu? qua pietate, & consolatione? quibus lacrymis? & dilectionis singultus nunc intuendo, nunc meditando, nunc contemplando, nunc amplexando, nunc dulcitèr deosculando loca illa sancta; Heu quoties ineffabili suauitate spiritus deuicta, & amoris vehementia, quasi ratione vtentibus locis ipsis inclamabat, & alloquebatur, nunc adhærendo faciem, nunc supra apponendo pectus, nunc labia figendo, nunc lingua lambendo, nūc rigando lacrymis, ic strictè amplexata brachijs tenens, humili corde implorabat, & obtestabatur, adiuro vos: *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo*: & quæ tanto languebat amoris ardore, quomodo quieti, & otio uacare poterat, quinimò cō sēper Virgo ferebatur, quo eā ferebat, & impellebat amor.

Autumat Gulielmus de spina centuria prima contra Hęreticos B. Virginem Mariam fundasse monasterium cētum Virginum, quas & sanctissimis legibus, et institutionibus præmuniuit, ne esset ipsa exemplar, et norma benè, sanctèq; uiuēdi, quòd probari potest testimonio Nicephori lib. 2. c. 23. qui sic scribit. Guilelm. Niceph.

Erat

Erat Maria in rebus omnibus honesta, & grauis, pauca admodum, atque necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquam affabilis, honorem & venerationem omnibus exhibens, decenti dicendi libertate aduersus homines omnes vsa est, sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia, erat denique fastus omnis expers, simplex, nihil molliciei secum trahens, sed humilitatem praecellentem colens; Vestimenta, quę ipsa gestauit, coloris natiui contenta fuit, quòd etiam nunc sanctum capitis velamen ostendit; & vt plurima eius facinora (quia in cunctis inerat exuberans Dei gratia) paucis intercludam, & ipsamet Virgo testata est, vt videri potest in lib. reuelat. Sanctę Birgittę lib. 6. S. Brigit. cap. 61. *Ego quippe post Ascensionem filij mei longo tempore vixi in mundo, & hoc voluit Deus, vt visa patientia mea, & moribus meis plures anima conuerterentur ad eum*; Ergo Maria erat ad opera pietatis erga nos sic sollicita, vt de ea D. Ignat. dicat D. Ignatius epist. 5. ad Ioannem Euangelistam: *Apud fideles omnium operum pietatis est Maria magistra, nunc docendo, nunc consolando, nunc corrigendo, nunc admonendo, nunc sustinendo ita, vt iniuriantibus esset grata, in persecutionibus, & afflictionibus hilaris, erat omnibus exemplar, & norma virtutum*; in serm. signum magnum, sic habes de ea apud D. Bern. Diuinum Bernardum; *Pudibunda fuit Maria, ex Euangelio hoc probamus, vbi enim aliquando loquax? vbi praesumptuosa fuisse videtur? foris stabat quaerens loqui filio, nec materna auctoritate, aut sermonem interrupit, aut habitationem irruit in qua filius loquebatur; cuius exemplo omnium magistra, & serua se profitebatur esse.*

Inter omnia Maria exercitia post filij sui ascensionem in cœlum, tria fuisse principalia, ex Luca Euang. liquidò patet; Continua Virginis exercitatio erat in oratione, in doctrinę communicatione, & in quotidiana Eucharistię refectione, sic habet Sanctus Euangelista in Act. Ap. Actibus Apostolorum cap. 2. *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, fractionis panis, & orationibus*: certum est in his exercendis prior omnibus erat Maria.

Et quo ad orationis exercitium, sic erat Maria sollicita, assidua, frequens, sedula, indefexa, & feruens in oratione Dei, quòd in serm. de Natiuit. Virg. sic de ea scribit D. Damas. *Virginis animus erat semper in sublimibus contemplationibus*; cur non hoc ò anima mea si mens Virginis feruore, & ardore dilectionis Dei continuè tenebatur, cur non hoc? si erat ipsa amicta sole, torpor & otium in cor Mariae, nec interrumpere potuit, nec vnquam locum habere: *Sed omni tempore*, inquit Lodulphus de Saxonia de Natiuitate Virginis; *contemplationi, aut orationi, aut lectioni, aut operationi se dabat, & pro salute generis humani sine intermissione orabat.* Et quidem quid mirum est? si sic tota erat orationi addicta Maria? quae vt docet Diuus Epiphanius haeres. 79. non nisi per praeces donata est patri, ac matri, nam quòd eisdem progenitoribus negabat aetas, tempus & sterilitas ipsa, legimus illis fuisse concessum vi, & virtute orationis, huius veritatis testis est Diuus Germanus, qui sic scribit: *Precibus horum commotus dedit sobolem, quam ad Deum fusa prosemnauit oratio*: hoc idē autumat D. Epiph. in orat. de laud. Mariae: *Ioachim siquidem pręcabatur in monte, & Anna in horto suo, & accedentibus pręcibus talem fructum germinarent*; in horto orabat Anna, quae coelestis hortus erat effecta per gratiam, in quo Mariam quodammodo seminauit oratio, Audi D. Nilum de hac re sic loquentem: *Sancta est orationis arca, pertraxit etiam ad nos Sanctè Sanctum Sanctorum*: Virginem ergo oratio genuit, oratio seminauit, oratio enutriuit, & educauit, & oratio super omnes cœlestes spiritus vsque ad solium deitatis euexit, si sanctior est Maria cunctis electis, quia sollicitior fuit omnibus in reddendo Deo sacrificium laudis.

Hoc argumento in suo Apologetico vsus est antiquus ille Tertullian. qui irrisoriè loquens de Idolorum Sacerdotibus, qui sub diuersis ritibus, & adinuentionibus Dijs illis, subijcebantur, at illi caeteris existimabantur sanctiores, qui maiora Dijs vectigalia, seu tributa soluebant; *Dij*, inquit ipse, *qui magis tributarii, magis sancti, imò qui magis sancti, qui magis tributarii*; iuxtà veritatis professionem, liceat mihi de hoc eodem in persona Virginis vti argumento, si huius Virginis cura, & sollicitudo tota erat offerre Deo viuo, & vero, trino, & vni sacrificium laudis sine intermissione, iuxtà Dauidis praescriptum:

D. Dam.

Lodul.

D. Epip.

D. Germ.

Epiph.

D. Nilus.

Tertull.

Im-

Dau. pr. psal49. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altisſimo vota tua*, quæ verba exponens
D.Aug. D. Augustinus, inquit, *Indicit nobis Propheta Sanctus vectigal laudis, & qui magis sanctus, magis tributarius, magis tributarius magis sanctus.*

Et quæ anima inter filios Adæ magis sancta? vt Maria? ergo magis tributaria, & si magis tributaria magis sancta, quæ laudis hoc vectigal perdulce, & tributum hoc summè suaue, & sollicita ipsa redderet Deo factori suo absque mora, seù cunctatione, aut interpellatione temporis, tempus vnquam nullum fuit in Virgine, quòd hoc sacrificio censeretur vacuum, etiam tempus suæ dormitionis, audi ipsam sic loquentem in
Cant. Canticis cap.3. *ego dormio, & cor meum vigilat*: ità dormiebat Virgo, vt et dormiens vigilaret, sic est sententia Pijssimi Canisij, Bernardini de Busto, & Dionysij Rachelij; Et vt capias, quæ dico, recordare anima mea, quòd Maria secundum rationem seminalem ortum trahebat ex Patriarcha Iacob, qui morti proximus benedicens filios suos, cum venisset ad Iudam sic fassus est; *Catulus Leonis Iuda, ad prædam ascendisti fili mi, requiescens accubuisti vt Leo*; sui profectus spiritualis, & proficiendi in via Domini tanta sollicitudine tenebatur, & tantò spiritus feruore vrgebatur Iudas, quòd quando adueniebat quietis, seù dormitionis tempus, ita dormiebat, ac si vigilaret, & minimè dormiret, & grauatus somno dormiebat vt leo, requiescens accubuisti vt leo; Leonem testimonio Diui Epiphanij ad Phisologem scribentis de natura animalium, esse symbolum vigilantiæ, quia quando dormit leo, non vt cætera animalia dormit clausis oculis, sed apertis, & sic potius vigilare videtur quàm obdormire.

Canisius Bernard. de Busto Dionys. Rachel.

Genes. cap.49.

Epiph.

Hoc oraculum arbitror non fuisse duntaxat de Iuda, sed de Virgine Maria, fuit enim ipsa de tribu Iuda, & qui aliquid ex stirpe nascuntur, progenitoribus, à quibus propagantur, probè, per secteque, assimilantur, & perpulchrè, signateque in se portant motus, gesta, & actus imitantur: Si Maria suum ortum traxit ex Iacob, qui in palestra tota nocte luctans cum Angelo, quem iuxtà Oseæ Prophætiam, oratione vicit, & lacrymis, & quando ex Iacob dictus est Israel, tunc effectus est grandis in domo Domini; Israel secundum intelligentiam Ruperti Abbatis dicitur Princeps cum Deo, & si Virgo natura est ex tribu Iuda, qui in reddendo Deo laudis sacrificium, & laudationis vectigalia ita multus erat, quòd custodiendo vigilias, noctis, noctes ducebat insomnis, nam dormiens dormiebat vt leo, quid Maria? quæ et orationis est filia, & ortum trahebat ex tribu, & propagine patrum custodientium vigilias noctis? Si non sanguinis duntaxat traxisset originem, sed et morum, & motuum, & facinorum, si eorum imitatur actus probè viuendi, sequitur rationem, tenet vestigia, & officiorum assecla extitit, & æmulatrix indefexa, more patrum suorum, ex quibus nascebatur, quando dormiebat Maria, dormiebat vt leo, quia ita dormiebat, quòd non videbatur dormire, sed potius vigilare, de hoc suæ vigilantiæ somno testatur ipsamet Virgo: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; quia obdormiens Deo vacare non interpellabat, Dei præsentia, Dei commercio, & diuinis frui colloquijs non desistebat.

Rup.Ab.

Can.c.4.

Virginis namque solius fuit hoc singulare donum, vt ab instanti suæ purissimæ Conceptionis semper esset in statu merendi absque vlla vnquam temporis interpellatione, quòd si dormiens non vigilaret, sed tota obdormiret, vtique interpellato somno, interpellaretur & ratio meriti, seù merendi, cum de ratione meriti sit, vt opus sit bonum, actus operandi liber, & actio viatoris, & opus, quòd de se non est liberum, meriti quidem nomen non meretur, ita docet nos D.Clemens Alexandrinus lib.2. pedagogo, inquiens: *Nullus homo dormiens vllius est prætii, magisque, qui non viuit*; quia datum est Mariæ vt dormiret, quando dormiebat vt leo, eius corporis somnus orationis officium, & exercitium, nec intercesſit, nec vnquam præpediuit suæ mentis oculum, quin altissimæ contemplationi, & Deo non vacaret sine intermissione. Audiamus Diuum Ambrosium lib. 2. de Virginibus: *Dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit, & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita, aut gerit, gerenda prænunciat.*

D.Clem. Alexan.

D.Ambr.

Nec Virgini putamus denegandum,

quòd

quòd legimus fuisse concessum primo parenti, & vxori illius, qui quandiù permanserunt in statu illo fœlicissimo innocentiæ, semper fuisse in statu merendi, autumat D. Augustin. quia quando dormiebant, etiam somno correpti, mentem dirigebant ad Deum, Deum cogitabant, & Dei præsentiam ante oculos semper habebant; alioquin rationem merendi, & ius meriti vtique perdidissent somno sepulti: *Tàm fœlicia*, inquit Augus. *erant somnia dormientium, quàm vita vigilantium*: quid Mariæ? quæ & illius status innocentiæ adepta est ab ipso suæ Conceptionis instanti nobile vexillum, & filia erat orationis, & in cuius corde congesta erant omnia sanctorum priuilegia.

D.Aug.

Fælicia Virginis somnia, quæ sine intermissione comitebatur vigilia contemplationis; cui vigilando sic vacabat assiduè, vt nulla vnquam inordinata affectio, distractio, fragilitas mentem illius à contemplationis lumine reuocauit, nec occupatio vlla exterior, & quemadmodum actum amoris, quem inchoauerat in illo primo instãti sui esse, nunquam interpellauit, nec obturbauit, sic nec vnquam diremit, nec dirupit actum contemplationis, orationis, & meriti etiam somno correpta, nimirum, quia vigilabat, quando dormiebat, & cum esset de tribu Iuda semper erat etiam dormiens parata ad prędam, quia requiescens accubabat vt leo, exemplo patrum suorum, & Christi semper vigilans, semperque pernoctans in oratione Dei, & quæ erat magis sancta, magis Dei tributaria in reddendo sacrificium laudis, & orationis, & quæ magis tributaria magis sancta, quæ sanctitas vrgebat, vt esset ipsa sollicita in oratione, & ad orandum suo exemplo alios impellebat, & veluti primum mobile orans ipsa, inquit D. Ambrosius in sua oratione alios Sanctos secum trahit: *te Domina tacente, nullus orabit, te autem orante omnes iuuabunt, omnes orabunt.*

D. Amb.

Orationi namque semper adeò erat occupata Maria, vt sua perseuerantia alios ad orationem, & in oratione perseuerandum ita alliciebat, vt in eos torpor nec adesse, nec irrumpere vnquam poterat, inter quos erat Maria orans, orationis perseuerantia illorum, qui in cœnaculo illo orabant Mariæ perseuerantiæ, & exemplo ascribit Diuinus Euangelista dicens; *Erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu.*

Cuius orationis perseuerantia adeò erat efficax, & modus orandi adeò feruens, & vehemens, & ipsamet Virginis oratio tam efficacissima in se, quòd nō poterant cum ea non vnanimiter orare, quibus & orans astabat Maria.

Suis Sanctis Apostolis, quos orationis tempore de cænaculo secum duxerat trans torrentem Cedron Dominus Iesus, in horto oraturus ad Patrem, vt orationi vacarent orandi præceptum indixerat, & vigilantiam commendauit. *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem, & relictis illis, secessit in locum seorsum, & elongatus est ab eis, quantum iactus est lapidis*, Matth. Euang. cap. 24. & consumata prima orationis hora, venit ad eos, & inuenit eos dormientes similiter secunda, & tertia orationis hora consumata, regressus ad eos semper dormientes inuenit. Mat. Eu.

Cur dormientes Apostoli? & vndè sic somno grauati profundè obdormiunt? nonne & orandi, & vigilandi præceptum acceperant? cur tenentur somno tam graui? vndè grauati sic vacant somno? vt meritò audiat Petrus. *Simō non potuisti vna hora vigilare mecum, vigilate, & orate* &c. obdormiunt ipsi & somno vacant, quando orabat, & in oratione perseuerabat Dominus; vndè ò anima mea somni torpore grauati torpescunt Apostoli?

Dicam quę sentio, dicam quæ capio, non obdormiunt, nec somno grauati tenentur, eò quia solum ab eis discesserat Dominus Iesus, quando auulsus est ab eis, sed benè quidem, quia inter eos non aderat Maria, quæ si adesset, & adfuisset, vtique non grauarentur somno, sed vigilantes perseuerarent in oratione. Attende, & audi anima mea quid dicat Sanctus Euang. *Erant perseuerantes in oratione vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Iesu*. Quando in illo cænaculo erant isti perseuerantes in oratione, numquid ab eis Christus Iesus non abierat? & elongatus, non dico quantum iactus est lapidis, sed iam ascenderat in cœlum vsque ad solium paternæ Deitatis, & maiestatis suæ? vndè ergo nunc vigilia, & in eis hæc orationis perseuerantia? discesserat quidē Dominus, sed astabat, & aderat Maria, cuius

cuius orandi perseuerantia exemplo, doctrina,& feruenti modo allecti,& sua uiter adducti, erant & ipsi perseuerantes in oratione,ipsa vrgebat,impellebat animabat,hortabatur, & perseuerantes reddebat. Audi Bernardinum de Busto in serm.de orat. Mariæ. *Illa benedicta Dei mater alios inducebat ad orandum*, & ideò in actibus Apostolorum cap. 1. de Apostolis, dicitur quòd *stabant in oratione cum Maria matre Iesu.*

Bernard. de Busto

Væ igitur animæ,cui non adest Maria,quæ cum sit amicta Sole,nec torpor nec ignauia,nec otium,nec somnus vnquam præpediri potuit,quin semper vigilaret,& oraret, et sine intermissione in precibus perseueraret, hoc erat vnum de quotidianis, et singularibus Mariæ exercitijs.

Secundum autem erat circa doctrinam edocendam,quoniam non solum, quæ de filij sui gestis dicebantur, libenter audiebat,sed et ipsa alios docebat, idcircò conseruauit in corde suo omnia quæ audiebat, vt postea docendo, alijs conferret, fuit enim ipsa omnium sapientissima quantum ad cognitionē Deitatis,et secretorum Theologicorum et quantum ad res naturales, et omnes considerationes scientificas;itaque quādo in exordio sui Euangelij docet nos D.Lucas,sicut tradiderunt nobis,qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis,signantèr intelligit de Maria, scripsit enim ipse de Christo, quæ scire minimè poterat nisi primo à Maria fuisset edoctus,et plenè instructus, ità fatetur quidam modernus, placet mihi sententia quorumdam,qui Beatā in primis Virginē Christi matrē intelligunt.

Ex quo infertur,quòd in rebus fidei difficillimis in exordio Sanctæ Ecclesiæ fuit Maria Apostolorum doctrix,et magistra,vt videri potest apud Rupertum Abbatem lib.1. in Cant. Et quòd hoc munus alios edocendi fuit,vt magistra, Virgini concessum,testatur D.Anselm. lib.6.cap.11.his verbis. *Multa Apostolis per Virginem reuelabantur, quæ in sè non solum simplici scientia, sed ipso affectu,& experimento didicerat de mysterijs Christi.* Erat ve Luna in Ecclesia Maria sole absente,lumen quòd à sole iustitiæ non poterat veritatis, et doctrinæ accipere,à Luna Maria accipiebat, sic Lucius dexter in suo Chronico anno Christi trigesimoquarto. *Sacra Virgo Consilio,luce doctrinæ, & mirabili vitæ exemplo præsidet Collegio Apostolico,nihilque graue gerunt illi, quòd non eius consilio,ductuque gerant.*

Rup.Ab.

D.Ansel.

Lucius

In illo Concilio,in quo controuersia orta erat de mysterio circumcisionis, et in alijs casibus ad fidem pertinentibus,et ad Christianæ Religionis sacramentum,vt magistra aderat Maria,cuius consilio decretum fuit, quod factū legitur cap.15.actuum Apostolorum Sanctæ sanctiones stabilitæ ibi fuerunt per Mariam, et quidquid ad nos emanatum est per Apostolos à Virgine fluxisse, et deriuatum, agnosce tu anima mea,teste Riccardo lib.2. par.2. *Maria Apostolorum magistra facta est,qui nostri postea magistri facti sunt,& ascendente Domino nouum docuit testamentum,quòd ad docendum nos ijdem Apostoli conscripserunt.* Riccard.

Si quid igitur doctrinæ, si quid eruditionis, si quid fidei, et Religionis, si quid veritatis ad salutem à corde Virginis tibi deriuatum agnosce: salubris est illa doctrina,quæ à Maria fluit, Mariam redolet,Mariam sonat,Mariam sapit,idcirco sapida eius doctrina,idcircò dulcis; quia ab vberibus Mariæ distillat: suge igitur anima lac hoc veritatis erudire, et addisce vt salueris, ad hoc post filij ascensionem remāsit in terris, vt nō deuies, et non erres à via salutis.

Numquid non audisti, quòd collum huius Virginis turri Dauid comparatur in Canticis cap.4. *Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis,*quæ enim propugnacula hæc? et ad quid turri illi sunt appositaè vt intelligas mysterium legit tex. hebræus *Constructa est ad disciplinas*, Pagninus vertit:*ædificata est ad docendum*, sapientia igitur scientia,et doctrina, qua repletum erat cor Virginis, sunt propugnacula non ad sui defensionem, sed ad tui protectionem,et custodiam, quæ docuit verbis,et exemplis firmiter tene vt salueris,dic ad eam cum Idiota. *Trahe me ignorantem, vt me reddas scientem,& vt sic curram in odorem vnguentorum tuorum,hoc est in fragantiam sanctarum virtutum tuarum ad exemplum Sanctorum illorum, qui erant perseuerantes in doctrina Apostolorum.* Cant. Tex.heb. Idiota

Ad hoc sequitur tertium exercitium de frequentia Sanctissimæ Eucharistiæ, deficit hic calamus,quia deficit hic mihi

hi

hi a'itus,et spiritus, quæ mens capere? vel meditari? quænam lingua? vel qui cordis affectus exprimere sufficit? qua fame? qua esurie? qua siti? quo desiderio? quo amoris ardore? quo dilectionis affectu? qua voluntate? quo cordis apparatu?qua dulcedinis voluptate? qua mentis puritate? qua animæ innocentia?qua dispositione? qua deuotione? qua spiritus præparatione? quibus lacrymis? quibus suspiriis?gemitibus? singultibus? qua delectatione? quo gustu?qua pectoris liquefactione?qua fide qua spe?qua charitatis flamma? Maria famelcebat,sitiebat,properabat, currebat, accedebat peroptabat, flagrabat, suspirabat,anhelabat, accipiebat, et intra se incorporabat illum, qui ex se primò nasci cõplacuit, dicat cui capere et intelligere datum est.

Erat panis ille cœlestis cordi matris suæ satietas plena,cibus satians,refectio inebrians,complimentum sui desiderij, solamen sui amoris,solatium sui ardoris,consolatio diuina, quies opulenta, fœlicitas beata,fons suæ dilectionis, in quo tota immersa sitim remittebat, vt plus sitiret, quò abundantius bibebat, plus famesceret, quò opiperè manducabat,nec mirum,si sic frequens erat in huius fractione panis,dum Christi præsentia corporali,quam videre, & quam manibus tractare suspirabat, hic verè, realiter sub illis speciebus fruebatur, intuebatur,amplexabatur, colloquebatur,solabatur,consolabatur, & dulcitèr manducando,suauiterque deosculando replebatur,& satiabatur; erat in corde Mariæ amor vehemens erga filium, ad quem quotidie ascendebat, eleuabatur, & trahebatur hoc amoris pondere,non premente, non grauante, sed vrgente, cogente,& sursum eleuante.

Machinam quamdam adinuenit ars, & mens humana, qua lapides magni ponderis facillimè sursum eleuantur, quæ rotæ figuram gerit, & ad rotæ similitudinem fabricata est, hanc vnus homo pertractans, & mouens lapides, licet prægrandes,huius adiutorio rotæ sursum attollit,& eleuat,quos quinquaginta & plures sine hac rota mouere minimè possunt.

Rota hæc in Ecclesia Dei non arte humana adinuenta sed diuina,qua modo ineffabili, non solum animæ sursum adDeum eleuantur,sed etiam & corpora grauia iuxtà Diui Irenei sententiam est panis ille cœlestis. *Corpora nostra,* inquit Sanctus, *participantia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia spem re surrectionis habentia*, sed velut lapides rota hac eleuantur vsque ad cœleste illud Dei amphiteatrum. D. Iren.

Exploratum hoc mysterium iam nobis reliquit ipse machinæ structor,& inuentor, vt ponderat Diu. Riccardus à Sancto Victore lib. 1. de Emanuele cap. 16. exponens verba illa Marci Euang. cap. 14. *Recumbentibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus,&c.* Antequam Christus Iesus ascendisset in cœlum,& discipulos communicauit,& seipsum sub speciebus panis,& vini, accipiens corpus suum,sed cur ascensurus ad Patrem, pane illo sacramentali se primò cibauit? & refecit? sic respondet Sanctus. *Quia manducauit, quia comedit, ascendit, non enim subiit in cœlum nisi primo pane illo refertus.* D. Ricc à S. Vict. Mar. Eu.

O Deus cordis mei, ò imperscrutabilis Dei mei sapientia. corpus illud iã erat gloriosum, resurrexerat enim à mortuis,morti iam non amplius obnoxium,quatuor gloriæ dotibus verè fruebatur,quibus veluti pennis sursum ad sublimia cœlum penetrare,& ad solium Deitatis absque adiutorio se poterat eleuare,cur ascendere recusat nisi panẽ Eucharistiæ primo accipiat?

Vt capias, quod corpus suum sub specie panis in sacramento Eucharistię, est rota diuina in medio rotæ,qua eleuātur sursum corpora nostra, ex vi dotarum gloriæ poterat ipse in cœlũ ascendere,sed noluit,nisi prius corpus suum, sub illis speciebus intra se sumeret,ascẽdit,quia comedit, eleuatur sursum in Cœlum,quia manducauit.

O Maria,ò Virgo,ò mater, dum te perseuerantem contemplor in fractione panis, quò enutriebaris, quò pascebaris, pane inquam illo satiebaris, qui igne Spiritus sancti in tuo fuit vtero coctus,sic fatetur D. Bernardus serm. 2 de Natiuitate Domini: *Felix mulier benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus superueniente igne sancti Spiritus, coctus est panis iste. quo sic nunc lautè, & dulcitèr cibaris:* quo cibata,& enutrita pane, heu quas amoris flammas erumpebas de tuo pectore? quos referebas Deo, & filio tuo gratitudinis actus, & gratiarum actiones? in quos in illo tũc D. Bern.

deueniebas mentis excessus? quot sustinebas tunc cordis tui raptus, & animæ, & pectoris liquefactiones.

Quando os tuum virgineum approximando applicabas, tangebas labijs, excipiebas lingua, accipiebas corde, dic ò Maria, dic animæ serui tui, in quæ ignita verba rumpebas? quibus amplexibus intra viscera tua illum stringebas? spiritus brachijs amplexabaris? quę dulcia oscula infigebas? quibus verbis filium alloquebaris? cui pandebas tui cordis vota, tui pectoris desideria propalabas, te illi commendabas? te totam donabas? dicat ipsa quæ nouerat, & tibi inspiret, quæ experta fuerat.

Quando hoc pane cibata (taceat calamus de anima Virginis) corpus ipsum virginale pane illo veluti rota eò versus cęlum rapiebatur, trahebatur, & eleuabatur, quo amoris pondere ferebatur? Ita vt verius dicere possit; *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*; quoniam Beata Virgo hoc pane cælesti enutrita, non vita amplius viuebat humana, sed penè diuina, in Deum transformata non loquebatur, nec operabatur, vt pura creatura humana, sed tota transfusa in diuinitatem diuinam agendi rationem sortita erat.

Si de cunctis dignè panem hunc participantibus verificatur verba illa Diui Dionisij Areopagitæ de Ecclesiastica Ierarchia cap. 3. eò amplius imò, & verius verificantur de Virgine matre, ait enim Sanctus. *Verus ad sacra participāda accessus, id accedentibus tribuit, vt ex communione diuina, ad Dei similitudinē, atque consortium transeat*; nam inter cæteros huius sacramenti effectus, qui dignè communicantur, merentur per vitæ sincerę, ac diuinæ similitudinem Christo compaginari, & in Dei similitudinem totaliter, & verè transformari: & ità transformatur homo, quòd non videtur homo, sed totus Christus, & ex toto, dum dignè manducantem se mutat in cibi substantiam, & Christū efficit; quòd expressit D. August. nobis loquens in nomine Christi, quando dixit. *Cibus sum grandium, cresce, & mā- ducabis me, nec tu me mutaberis in te, sed tu mutaberis in me*: dignè ergo Christi corpus accipiens non tantum intimè in anima, sed extra quoad faciei dispositionem, figuram, seu similitudinē

D. Dion. Areop.

D. Aug.

mutatur in Christum, vt & Christi facies impressa, expressa videatur in facie hominis, non alio sigillo excussa, quam hoc Eucharistico sacramento.

Accipe ex Scriptura diuina testimonium, vt capias, quæ dico. conuentione à Iuda iam facta cum Iudæis de sanguine Christi, scelus hoc testantur Euang. Matth. cap. 26. & Marc. cap. 14. Iudam non consumasse nisi osculi signo. *Dedit eis signum dicens, quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.* Si Dominus Iesus. & vita, & miraculis, doctrina, prędicatione, & prodigijs erat omnibus notissimus in Ierusalem, & ab omnibus ferè agnitus, adeò quòd mihi non videtur credibile, imò impossibile inter eos, qui venerant, vt in eum manus inijcerent, qui eum agnosceret. Militum multitudinem, qua comitatus Iudas venerat in horto, ille vt traderet, illi vt caperent, vbi tres alij Euangelistę vocant turbam multam. *Et adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis, & fustibus.* Ioan. verò vocat cohortem. *Iudas ergo cum accepisset cohortem*, cohors si maior est, quingentos, si verò minor, trecentos continet milites. Mar. Eu.

Num inter tot non potuit saltem vnus inueniri, qui eum agnosceret? & si ignorabant ad quid miserunt? & quē caperent non agnoscentes? non est rationi concors, sed valdè alienum, quę ergo signi necessitas? & Iudas ad quid spopondit Christum osculi obsignare signo? *qui autem tradit eum dedit eis signum*, &c. arbitror Iudam accepta panis buccella exijsse à cœna, & panem Eucharisticum, quo omnes Apostolos iam cibauerat Dominus Iesus, accæpit & Iudas, quem non consumauit, sed Iudæis præmonstrandum seruauit dicens videte, Vafer ille hac nocte hunc artē sua confecit bolum, quo & mentes, & corda discipulorum nondum fascinauit ad confitendum esse corpus eius, sed & facies eorum, ad suæ similitudinem hoc immutauit maleficio, & ita transformauit, vt omnes conueniunt cum illo, & videntur consimiles, imò facies omnium vna apparet, & eadem, quæ & Christi, hoc adinuenie vt captionem, & manus vestras effugiat, vt alias, ille callidus.

Me verò qui eius artes, ab initio rectè agnoui, & plures expertus sum, fal-
le-

lere non poteſt,quin & ſi non ex facie, ex veſtibus,quibus incedit indutus ſaltem agnoſcam,mandate cunctis,vt ſint cauti,& manus non inijciant niſi in illum,quem ego oſculatus fuero;en ſigni neceſsitas,& oſculo ſignare Chriſtum, ſe elegere ab alijs, en neceſſaria ſigni ſponſio,& ſigni promiſsio. *Dedit eis ſignum*, &c. quo nobis innotuit huius Euchariſtici panis ſingulare effectum, qui eſt vt homo hoc pane refectus in filij Dei figura, ſimilitudine, & conditione ſubſiſtat,audiamus quid dicat D. Chryſoſtomus hom. 45. in Ioan. *Hic ſanguis facit*,inquit Sanctus,*vt imago in nobis regia floreat,hic ſanguis pulchritudinem,& nobilitatem animæ, quam ſemper irrigat,& nutrit, langueſcere non ſinit*, ſic ille. Si Apoſtoli ex participatione ſacramenti huius, non haberent facies Chriſtiferas,intus primò mutati in Chriſtum,& extra in faciem Chriſti,eorum facies non eſſent transformatæ,ridiculum videretur Iudæis hoc ſpondere ſignum,cum ergo vna omnium, & Chriſti faciei omninò perſimilis eſſet effecta facies eorum, ne errarent in perſona Chriſti. *Dedit eis ſignum*, &c.

Pagnin. Et Pagninus in Exodo cap. 25. nu. 30. vbi noſtra vulgata legit. *Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo*, ex hebræo legit ipſe. *Pones ſuper menſam panes facierum coram me iugiter*, panem Euchariſticum ab effectu vocat panem facierum, quo dignè ſumentes Chriſto transformati aſsimilantur in facie,& ſunt vnum cum Chriſto,quem & ſi Pater ſignauit ſuæ diuinitatis ſigillo,ita & nos, quum panem hunc manducamus, ſignat ſuæ imaginis ſuæ figuræ ſigillo. *Signaculorum natura*,inquit D.Hilarius lib.8. de Trinitate,*vt omnem in ſe ſpeciei explicent formam, & nihil minus ex eo in ſe habeant, vndè ſignentur,& dum totum accipiunt, quòd imprimitur, totum ex ſe præferunt quidquid impreſſum eſt*. Si materiali ſigillo hoc præſtat natura, quantò verius fatendum eſt hoc de Euchariſtia? qua veluti ſigillo Chriſtus nos ita ſignat, quòd qui dignè accedit, aptè participat,diſpoſitè ſumit,& accipit,cum ipſe ſit ſplendor paternæ gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, & imago bonitatis illius,& in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ,& ſapientiæ Dei abſconditi: ò anima mea, ſi hunc Pater ſignauit Deus ſuæ ſigillo Diuinitatis, factus eſt ipſe Dei Patris ſigillum,& character,quo in Sacramento altaris Chriſtus nos ſignat, ita teſtatus eſt Algerus in lib 1.de corpore,& ſanguine Chriſti cap. 3. hiſce verbis. *Commendauit nobis in iſto ſacramento corpus,& ſanguinem ſuum, quòd etiam facit nos ipſos, nam & nos corpus ipſius facti ſumus, & miſericordia ipſius, quòd accipimus nos ſumus; igitur corpus Chriſti ſumus,& Chriſti ſumus,ita etiam vt in altari eodem ſacramento ſignemur*, hæc ille: ergo hoc Euchariſtici panis nos ſignati ſigillo in nobis nihil minus eſt,quòd præterre,proferre & promere debemus,quòd impreſſum eſt. ſi dignè accipimus,nam dignè ſumentes duntaxat,ſignat hoc ſigillo, in quo totum quòd ipſe eſt, & quidquid ipſe habet à Patre depoſuit,quid mirum? ſi diſpoſitè,& dignè accipientis in Chriſtum, & in eius imaginem, ſimilitudinem, pulchritudinem, figuram, & claritatem transformati apparent, & ſunt Chriſtus,& vnum cum Chriſto, Chriſto incorporati.

D.Alger.

D. Hilar.

O Deus animæ meæ, ò Dei amor,& Deus cordis mei,ſi vt anima digna ſit, ſit & apta, ſit & benè diſpoſita, vt dignè panem hunc manducet,facit corporalis munditia, conſcientiæ puritas, & cordis actualis deuotio, quæ conſurgit tum ex timore Dei, tum ex cognitione ſui ipſius, tum ex amore, timoris eſt in anima incutere reuerentiam, amoris verò eſt excitare deſiderium,eſuriem,& amoris affectum,dicat qui nouit,& cui datum hoc ſentire, qua corporis munditie? animæ puritate? qua cordis deuotione? qua fide? cuius claro lumine Maria eleuabatur ad cognitionem tanti myſterij, & humilitatis ſui ipſius? quo amoris affectu? qui dilectionis flammis incendebat,& inflammabat ad deuotionem, ſimul, & excitabat ad deſiderandum, ſciens panem eſſe, qui in ſumente interioris hominis quærit eſuriem,intuere, quo accedebat timore,qui licet mater, in ea nihilominus, & ſui ipſius cognitionem, & profundam reuerentiam, qua ſedula ipſa,vt cum honore, & deuotione non hoſpitem,ſed & filium reciperet cordis ſui, pectoriſque præ-

parabat hospitium, mandabat lacrymis, & suspirijs exornabat sacris meditationibus, & contemplationibus.

Heu quoties, quasi carbo accensus, & igne diuini amoris succensa nunc inter suspiria, & mentis excessus, hæc Virginis querula vox audiebatur dulciter, suauiterque respondebat echo cn-
Cant.c.5. bili sui. *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructus pomorum suorum.* Cant.c.5. Christo Domino, & Dei filio cor Mariæ, anima, pectus, viscera, & quidquid erat hortus erat deliciarum virtutum omninm floribus exornatus semper ad ipsum recipiendum aptus semperque paratus, *Veniat dilectus meus.*

Cur ò Maria veniendi tempus non limitas, non statuis, num omne tempus illius aduentus in te erit apricum? quoniam si nullum in me tempus flante austro suæ gratiæ vacuum est pomorum floribus dulcissimisque fructibus, sic nunquam ego sine pomis, non illi præscribo tempus, veniat nam ex quo facta sum illi hortus deliciarum semper plena, sempetque fæcunda pomis, veniat vt comedat: ò Maria, ò Virgo dic quæso seruo tuo, quoniam facta es famescens conuiua tui cordis mensam, & hos conuiuij apparatus parasti ne dilecto tuo vt ipse comedat, & manducet pomotum suorum fructus, an vt à
D. Bern. te manducetur? sic pro Virgine respoudet Diuus Bernatdus. *Vt manducet, & manducetur*, alias cibi huius Eucharistici singularis non sequeretur effectus, qui est transformationis.

Ita ergo, & quum pascit pascitur, & pascitur quum pascit, simul nos suo gaudio spirituali reficiens, & de nostro æquè spirituali profectu gaudens manducat nos, & manducatur à nobis, quo arctius illi astringamur, hæc Sanctus, ò anima mea, quid est hoc? si homo peccator hunc panem dignè manducans, dum maudit, manditur, & manditur à cibo hoc, dum angluitur deglutitur, dum instruitur, decoquitur quum immutatur, digeritur quum transformatur, vnitur dum incorporatur, conformatur dum assimilatur, hæc enim est vis, & virtus cibi huius, qui non mutatur in substantiam cibati, dum manducatur, sed ipse immutat in substantia sui, & diuinum, & cœlestem efficit se manducantem.

Quid effecerit in Maria, quam altius quam perfectius immutauerit in se, & exptessius transformauerit in sui similitudinem cœlestem, diuinamque efficiens, non est mei spiritus, nec mei calami hanc perscrutare abyssi profunditatem, dicat qui nouit, & meditari, & intelligere, capere, & sentire datum est, hoc vnum dicam, si natura præstitit filios matrizare, num non dicemus verius Mariam filiare, non duntaxat quando primogenitum peperit, sed & filiare quando se cibabat hoc diuino Sacramento.

Contemplare anima mea, & mentis oculo deuotè intuere Mariam, genibus flexis humiliter prostratam ante altare, in quo B. Ioannes Euangelista, qui Virginis erat Parochus, sacrum mysterium faciebat, intuere Virginem in illo actu accedentem, propetantem, appropinquantem, suspirantem, anhelantem, desiderantem, famescentem, collacrymantem, qua cordis puritate, & lætitia? quo feruenti spiritu? qua deuotione? accedit os, labia, linguam, & coe porrigit, attingit, tāgit, accipit, mandit, deglutit: & repositū in tabernaculo purissimi sui pectoris, adorat, rogat, supplicat, benedicit, laudat, gratias agit, spiritualibus osculis deosculatur, amplexatur, stringit, tacitè loquebatur ò Fili, ò Deus cordis mei, tu spes mea, gaudiū meum, iucunditas mea, dilectio mea, amor meus, quies mea, tranquillitas mea, cibus meus, dulcedo mea, suauitas mea, refectio mea, expectatio mea, refugium meum, locutio mea, meditatio mea, vita mea, tu Deus meus & omnia, liquefacta est anima mea, en languet solo desiderio tui te cupit, te desiderat absque velamine frui in Patria; quapropter cupit dissolui, & esse tecum: ecce parata sum, vt serua tuæ voluntati semper obtemperandi, & dum sic loquebatur, victa dulcedine, & suauitate cœlesti superfusa eleuabatur supra se tota effecta Deiformis, & filio persimilis, tu vas puritatis, tu lumen claritatis, munda cor meum, & luce tuæ gratiæ expelle de anima serui tui tenebras ignorantiæ, culparum tepiditatis torporis accende igne Dei timoris, vt di-

gnè

gnè ego manducem hunc panem, & mater in filij tui similitudinem, & factus Deiformis dignè laudem te, & benedicam nomen sanctum tuum, quòd sit benedictum in æternum ô humilis Virgo Maria mater Iesu filii Dei, te præcor ô Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola sperat, & confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE TESTAMENTO VIRGINIS in Morte.

RAMVSCVLVS SEXAGESIMVSTERTIVS.

Statura tua assimilata est Palmæ.
Cant.cap.7.



Onstituta in mortis articulo vera mater illa viuentium cubans in lectulo, non febre febricitans, sed ad mortem languens amore, vt quæ in vita fuit filij sui expressa, & viua imago, ità & in morte, vt se ostenderet esse, & illius viuum, & persimile exemplar, paupertatis testamento, quo parua sua bona, quæ ad vsum sui habebat, legando, præmonstrat.

Non est virtus inter perfectiones Euangelicas, quæ creaturam Creatori suo magis reddat persimilem, & in terris expresius in illa exprimat diuinam imaginem, vt paupertas Euangelica; non enim datur in terris expresior Dei imago, vt pauper, & mendicus: & licèt homines sint conditi omnes ad imaginem Dei, expresius non est, qui illam sic exprimat, adumbret, præmonstret, & repræsentet, vt pauper.

Siluian. Episc. Si Siluiano credamus Episcopo; *De illis*, inquit, *qui expediti ab omnibus, vel penè ab omnibus sarcinis Saluatoris viam sequuntur, & Dominum Iesum Christum, non sanctitate solum, sed etiam paupertate imitantur, non aliter, quàm Dei imagines colo, & Christi membra suscipio.*

Pauper ergo duntaxat est viua Christi Iesu imago, quoniam cum esset ipse diues, pro nobis ad extremam, & vltimam sese abiecit, & deiecit paupertatem; propter expressam Dei imaginem D.Clem. Alexan. D.Clemens Alexandr. lib. 2. strom. pauperibus accõmodat verba illa Dauidica: Dau. Ps. psal. 41 *Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*: & est ratio in pictoribus, qui vt artis suæ vim melius ostentent, & virtutem nudam non vestibus, varijsque coloribus tectam depingunt figuram; nudi enim corporis singula membra, & membrorum singulas partes, quæ non solum venas, neruos, arteria, & musculos præseferunt, sed & motus, actus, & gestus penicillo perfectè exprimere longè difficilius est, quàm gemmis, & auro vestitam.

Attende anima mea opificem illum diuinum in pingendis idearum suarum imaginibus, magis in nudo paupere, quàm in diuite auro vestito ostentare præstantiam, & peritiam manuum suarum, vndè meritò bonus Doctor vocat pauperem nudam Dei imaginem.

Et si quilibet, vt ex præmissis, Euangelicus pauper est expressa, & viua Dei imago, quę anima, ita vnquam fuit paupertatis amatrix, & emulatrix, vt Maria.

Quæ anima vnquam ita nuda, & perfecta Dei imago, vt Maria? quæ anima vnquam ita expresius, & sic ad viuum prætulit, & plenius Dei perfectiones adumbrauit, vt Maria? Si Diuo Augustino adhæreamus, vocat ipse in sermone centesimo de tempore, Christum caput pauperum, & pauperem, huius capitis membrum; *Ecce caput pauperum*, S. August. inquit ipse, *quos ego requiro, huius capitis membrum, est pauper verus.*

O Deus cordis mei, ò imago bonitatis diuinæ, quæ anima fidelis fuit vnquam capiti illi, nec aptius, nec proximus, nec coniunctius, nec magis persimile membrum vt Maria? quæ quantò filio suo fuit omninò in vita similis, ità & in morte non dissimilis, vt paupertatis amatrix, ex ijs, quæ testamento legauit, & viuam Dei imaginem, & expressam Christi similitudinem præmonstrauit

uit in mortis articulo, vt tu verè anima mea ad laudem eius dicere possis; *statura tua assimilata est palmæ*.

Verè palma tu Maria, palmæ Christo per omnia similis effecta; est enim Christus palma despecta in radice humilitatis, & aspera, & rugosa in cortice paupertatis, firma per constantiam fortitudinis, decora perfectionis viriditate, delectabilis in flore puriditatis, dulcis, & suauis in fructibus immortalitatis, & gloriæ, huic palmæ sola assimilata est Maria, ipsa sola illi coæquata, quia ipsa sola est illum imitata per paupertatis asperitatem, & nuditatem.

Est enim paupertas totius perfectionis culmen, & fundamentum, supra quo fundata hæc nostra virginali palma, ascēdit ad apicem, & copulata est Christo, qui totius Euangelicæ perfectionis est principalissimum fundamentum, vt ipsemet paupertatis magister, nos docuit dicens: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus & sequere me*: Matth. Euan. cap. 19. numquid Christum sequi non possumus, nisi primò deponatur sarcina bonorum omnium? vtique non? Nam nudum sarcinis oneratus sequi minimè potest: *Nudus Iesus*, inquit D. Hierony. *nudas quærit sponsas*: vt Virgo mater viuens viuenti filio, & moriens morienti, & mortua mortuo perfecta esse imitatione conformis, & omninò persimilis, & viuens, & moriens fuit Virgo filij paupertatis amatrix: nā non est virtus, quę anima faciat ad Deum magis accedere, vt paupērtas sine hac nec Deum inuenire, nec ad Deum accedere potest anima fidelis.

Matt. Eu.

D. Hier.

De lectulo suo sollicitè surrexerat amatrix illa Dei sponsa, vt sponsum quæreret, & inuentum non dimitteret, & dum quæreret, misit sponsus obuiam occurrere illi custodes murorum, quos & Angelos in custodiam hominum datos possumus intelligere, & quid illi? Audi tu anima mea sponsam mæstè, & flebiter conquerentem, dum sic conqueritur: *Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum*: qui sunt isti Spiritus cœlorum? Custodientes animas hominum, quibus et pallia tollunt? Nonnè eorum munus est seruare potius, defendere, & custodire, cur vulnerant sponsam? percutiunt? & pallium tollunt; quo illam spoliant, & nudam constituunt, vtique prædonum, & non custodum nomina merentur, dum pallium eripiunt sponsæ, quàm in custodiam habebant.

Cant. c. 5.

Sed si attendamus, quæ docet Diuus Ambrosius lib. 3. de Virginib. illa percussio fuit gladio Verbi Dei, sicut & vulneratio fuit charitatis, & dilectionis vulnere, ita et palij ablatio fuit amoris, & amantis zelus, quando tulerunt pallium, non furum, non prædonum, sed verè custodum, & custodientium Angeli functi sunt officio, tollentes pallium, non vestem, sed ignorantiæ pallium illi tulerunt, vel vt subdit Ambrosius actuum corporalium inuolucrum sustulerunt ab ea, vt nuda mentis simplicitate quæreret Christum, quem nemo potest amictu vestitus scientiæ sæcularis videre, quærere, inuenire, nec ad illum accedere, spoliatur igitur sponsa exuuijs mundanæ, seù carnalis concupiscentiæ, quę Christum cupit inuenire, Christum sequi, Christum imitari, & ad Christum ascendere.

D. Amb.

Nouerant diuini illi custodes sponsæ affectum, cordis vota, & ardens pectoris desiderium, quo anhelabat simul, & festinabat sponsum Deum inuenire, & inuentum ad se trahere, & secum habere, sed quærebat pallij ornatu amicta, & vestium sarcina onusta, & grauata, quæ cum nec sequi, nec inuenire posset, sic onerata, vt nuda nudum facilè sequi, & assequi valeat, pallium tollunt; *Benè tollitur ei pallium*, inquit D. Ambrosius, *quæ ad Christum propinquat, nequit anima ad Deum conuolare, nisi ab omni affectu, sit temporalis vitæ denudata; & quò nudior, & pauperior est, eò citius Deum inuenit, eò facilius Deum adit, eò propinquius ad Deum accedit*.

Intuere nunc anima mea cor illud Mariæ, intuere, quæ erant eius vota? qui eius affectus? quæ eius desideria? quæ eius feruidæ affectiones? aspirationes? & exercitia? Nisi Deum quærere, Deum inuenire, Deum habere, Deum amare, Deo copulari, Deum amplecti, Deo conformari, & in Deum transformari, sciens Deum sequi non posse, nec ad Deum appropinquare, nisi ab omnibus, denudata omnibus bonis, quæ ipsa possidebat, renuncians, à se abdicauit.

Hæc est vera, & summa Euangelij paupertas, quam Christus primò obseruauit, nos docuit, & à suis, qui ad perfectionis apicem ascendere contendunt

sem-

semper exegit, & exigit, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes da pauperibus, veni & sequere me; vt Christum sequi, & assequi posset Petrus Apostolus, & eius condiscipuli dixerunt; Matth. Euang. cap. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Hæc verba vltima videntur verba formidationis, Christum sequi, Christo conformari, & copulari peroptabat Apostolus, & relinquendo omnia, cur nunc sic trepidat? dicendo, quid ergo erit nobis? Dicam, quæ sentio quia quando reliquit omnia, non vendidit, non renunciauit iuxtà Domini præceptum, & quia Petrus perfectionis Euangelicæ summo tenebatur desiderio, & ad illius culmen vehementer inhiabat ardore, at quia non renunciauerat, non vendiderat, sed tantum reliquerat, meritò timet, & timore hoc perterritus interrogat, quid ergo erit nobis? Iurè timet, & doctè quidem expostulat; nam qui cuncta, quæ possidet pro Christo reliquit, vsum bonorum perdit, sed non dominium, iuxtà regulam iurisperitorum; Res vbicunque fuerit Domini erit, at qui vendit, & renunciat proprietatem, possessionem, & dominium transfert cui vendit, l. 1. ff. de success. edicto, §. qui semel.

Mat. E.

Relinquere non est consumata perfectio, sed vendere, & renunciare; nam illi adolescentulo Christum interroganti, Magister quid faciam, vt habeam vitam æternam, sic legimus respondisse, si vis perfectus esse &c. & vende &c. ac si aperte diceret, si vis ad apicem Euangelicæ perfectionis ascendere dominium eorum, quæ possides, & vsum scito te perdere oportere, meritò pauet Petrus, qui relinquendo omnia, vsum tantum perdidit, non dominium, consumata enim perfectio in vsus, & dominij abdicatione consistit, ita Caietanus in Matthæ. cap. 19. *Non vendimus, sed reliquimus omnia*, ac si aperte dicat, *ecce nos non fecimus, totum quod exigis ab adolescente, si vult esse perfectus.*

Gaietan.

Quòd clarius insinuatur D. Hieron. ad Demetriadem epist. 8. circa medium: *Apostolici fastigij est perfectaque virtutis omnia vendere, & pauperibus distribuere, & sic leuem atque expeditum cum Christo ad cœlestia properare.*

D. Hier.

Hæc est ò anima mea, Euangelicæ paupertatis consumata perfectio, cuncta temporalia à se abdicare, & pro Christo pauperibus erogare, viuit nihil habens proprium Euangelicus pauper, sed sustentatur de non suo, hoc est, non sibi proprio, sed de alieno, piè tamen & iustè ab alio sibi pro sustentatione collato, ita vixit Christus, & Maria, nam si mater proprium habuisset, vel aliquid in commune, vtique haberet & filius, qui de se ait, *Vulpes foueas habent, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput suum.* Si Dominus Iesus non caruisset loco, vel domicilio, haberet vtique vbi caput reclinaret, vbi Pascha comederet, & suis discipulis non fuisset ignotus, qui sic interrogant, *vbi vis paremus comedere Pascha?* ergo Christus domicilium non habuit, nec proprium, nec commune, sed tamquam verè pauperrimus fuit semper alieno cibo sustentatus. sic D. Bernardus hom. de puero Iesu infra octauam Epiphaniæ testatur: *Vt te Domine per omnia nostræ paupertatis conformares quasi vnus in turba pauperum stipem idest obolum per ostia mendicabas, quis dabit me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri? & illius Eduly reliquias saginari.* Hoc probat D. Hieronymus inquiens, *Tanta paupertatis fuit Christus, vt vnde tributa solueret nõ haberet, habebat quidẽ Iudas communia in loculis, sed res pauperum in vsus suos assumere nefas duxit;* idipsum dans exemplum nobis hic est quòd expressissimè contuuit Iesus, idẽ exemplum in semetipso ostendit.

D. Bern.

D. Hier.

Confirmat hoc D. Thomas p. 3. q. 40. art. 3. citans Synodem Ephesinam sic dicens: *omnia paupera, & vilia elegit, omnia mediocria, & plurimis obscura, vt Diuinitas cognosceretur orbem transformasse terrarum, propterea pauperculam elegit matrem, pauperiorem Patriam eges fuit pecunijs, & hoc tibi exponit Præsepe, in quo pauperenla mater vix habebat ad reclinandum, & pannos ad inuoluendum;* igitur Beata Virgo Maria vt perfecta paupertatis Euangelicæ æmulatrix filij sui sequens vestigia possessiones terrenas, & cuncta bona temporalia, quantum ad Dominum, & proprietatem verè à se abdicauit, & dereliquit, vsum verò non omninò reijecit, sed strictè quãtum licuit, arctauit, vndè in templo degens in communi, & de communi semper vixit, sponso pauperi desponsatur, & pro se, & pro filio non manducauit nisi

D. Tho.

nisi de fructu manuum suarum, qui denique in cruce moriens non diuitibus, vt Nicodemo,& Iosepho ab Arimathia, sed pauperi Ioanni dereliquit,& comendauit matrem, vt esset hæc virginalis palma,& in uita,& in morte palmæ filio omninò similis.

Est enim similitudo causa proximationis ad similem, non approximatur quis Christo, nec illi potest esse propinquus nisi se in paupertate Christo enixè curet cōformari, nam sola paupertas in paupere uiuam Iesu Christi exprimit imaginem inter Iesum, & Ioannem necesse fuit interesse hæc similitudo, & in paupertate identitas, vt illi matrem cōmendaret, audi ipsum Euan-

Ioan.Eu. gelistam cap.19. *Cum vidisset ergo Iesus matrem,& discipulum stantem, dicit matri suæ, Mulier ecce filius tuus*: ò Deus animæ meæ, cur discipulus mutatur in filium? & quæ huius virtus commutationis, et transformationis, et quæ commutationis, et transformationis ratio?

O paupertas, ò virtus euangelica filij locum occupat, qui paulò ante paupertatis discipulus fuerat effectus, quis dignus Christi discipulus? nisi ille, qui pro Christo omnia reliquit, omnibus renunciauit, relinquēs Ioannes patrem, et rete, adeo Iesu efficitur similis, vt meritò patrocinio credatur Mariæ, à qua pro Iesu accipitur in filium, et habeatur vt alter Iesus, et qui paupertate potuit Christo conformari, et assimilari potuit, et ad illum ita appropinquare, et Crucifixo Christo proximus fieri, cui nisi prius omninò similis effectus fuisset, minimè potuisset similitudinem eius præterire, ita prorsus quò uideretur deseruisse esse Ioannes,& totus mutatus in Iesum Mariæ filium, quia similitudo est causa proximationis, & approximatio exprimit similitudinis radicem, seu originem, nudus Iesus nudas quærit animas.

Hoc non est meum, sed doctissimi

Origen. Origenes in Ioann. tom. 1. *Iesus autem matri dicit, ecce filius tuus, non ecce etiam hic filius tuus, profectò similem dixit, ac si dixisset, hic est Iesus, quem genuisti pauper, & nudus Iesus pauperi matri pauperem commendat filium, & qui ante discipuli tantum nomine gloriabatur, ecce paupertatis similitudine appropinquans Christo, Mariæ filius efficitur,& vt filius Virgini matri commendatur.*

Miraris forsitan, quod Ioannes ex discipulo, rapidissimo volatu volans ad Mariæ filiationem ascenderit, quasi ad diuina, dum loco Iesu filij Dei,& Mariæ sufficitur, & Deo Iesu assimilaretur, dum ei dicitur, ecce mater tua.

Quid miraris ò anima mea, scito in hac commendatione discipuli præclarum latere mysterium, ipse namque typum gerit Ecclesiæ, quæ constat ex animabus fidelium, dicendo Christus matri; *Ecce filius tuus*, te in persona discipuli reliquit Mariç, ac si apertè dixisset, tu ò mater animas à me sanguine redemptas, tamquam me dilige, exhortationibus robora, confirma consilijs, exemplis erudi, tuis informationibus erige, tua protectione consolida, volo, vt illas de cætero in filias habeas, tuis orationibus protegas, atque virtutibus auctas ad me perducas.

Ergo si paupertatis penna, Ioannes volauit ad Mariæ filiationem, & ad Iesu assimilationem habeas, & tu alas, vt ad similia volites, quibus pennis, seu alis? non alijs respondit tibi Propheta psal. 67. nisi paupertatis penna: *Pennæ Columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*; Animæ, quæ non habet aurum ante oculos, sed retrò reliquit, in posteriora dorsi eius deiecit aurum, pennæ nascuntur Columbarum, vt nesciat immorari, seu tardare, sed vt Columba leuissimo volatu volet ad diuina, ascendat ad Iesum, in cuius similitudinem per abdicationem temporalium bonorum transformata est, & illi omninò conformata, audi D.Bernard. serm.4. de aduentu, qui sic te docet: *Magna quidem penna est paupertas, qua tamcitò volatur ad Regnum Cœlorum, nam in alijs virtutibus, quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur, quam datur, vndè & in præsenti tempore enunciatum est, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* — Dauid; D. Ber

Leuis est paupertas,& sectatores suos pennatos efficit, ad duo inquit D. Bernard. in psalm. qui habitat serm. 3. Primò vt ab imis terrenisque attollat, auellat,& eleuet,& dirigat, seu rapiat ad cęlum. Secundò, vt Christo Domino iungat,& transformet in illius nudam imaginis similitudinem, *vos autem fratres mei* sunt verba Diui Bernardi, *vos pennati, ante quorum oculos frustra iaci-* — D. Bern.

tur,rete,vos &c.qui diuitias huius sęculi penitus reliquistis,quid timeatis à verbo asperol quoniam iam liberati estis à laqueo;Si paupertatis penna possessores suos leues reddit,& solutos à laqueis,& vim illis præstat ascendendi,& volandi, ad Deum approximandi, & in illius imaginem transformandi, quid leuitatis, seu agilitatis putas anima mea, hæc paupertatis penna Mariæ Virgini præstitisse? Tantò omnium,crede mihi,eam reddidisse leuissimam, quantò omnium fuit ipsa paupertatis amatrix, & sectatris huius Virginis spectare vitam, & ex multis, quæ tradita sunt, hoc vnum euolue Christi, & matris suæ paupertatis argumentum, quod habet D. Lucas Euang. cap. 8. Multæ sanctæ mulieres Christo ministrabant de facultatibus suis,Christo Domino coiusuis vnquam ita vehemens inseruiendi, & ministrandi amor? vt ardens amor huius Virginis? & à Christo quid vnquam iucundius, quam vt illi ministraretur à matre, & virgineis manibus, quid est hoc? & cur hic nunc non ministrat Maria? sed ministrant aliæ multæ de facultatibus suis.

Luc. 8.

O Maria, ò mater & Virgo, vt aliæ ministrent dilecto tuo de facultatibus suis, & non tu de tuis, sustinet ne hoc ardens cor tuum? tantæ erat paupertatis Maria, quod non habens vndè ipsa necessaria præstaret filio, parata si adfuisset facultas præstitura,ministrabant Iesu quædam sanctæ mulieres de facultatibus, lege pijssimum Riccardum lib.4. de laudibus Virginis sic ait; *Cum aliæ sanctæ mulieres sequětes Dominũ ministrarĕt ei de facultatibus suis*,vt dicitur Lucæ 8. *patet quod mater non habebat vndè ministrarent ei,quæ ei libentius impenderet. & ille amplius ministerium acceptare*. Paupertatis causa deerat facultas,& vt idem aperuit, ibidĕ nota,quòd licet paupercula esset Maria,non tamen legitur aliquid mendicasse,vel pro temporalibus filium exorasse cælestia semper peroptabat,pro euangelicę paupertatis zelo terrena cuncta à se abdicauit, penuriam rerum omnium non solum forti animo tulit,sed & hilari corde vnoque tantum ipsa contenta indumento,vt scribit in cap.2.Matthæi Auctor operis imperfecti: *Non ad ornamĕtum corporis,sed ad tegumentum nuditatis*, quod auertentes Magi illi,qui ab Oriĕte cum muneribus venĕrũt Bethlehem, adorare Dominum Iesum, Mariam sic læram in tanta paupertate nouerunt, cam ex hoc esse verè Dei matrem, prodebat se Christi matrem, inquit Chrysostomus,quæ in tanta paupertate lætabatur.

Riccard.

Matth.

S. Chrys.

Zelo paupertatis ascribit D. Bonauentura in lib.de vita Christi, quòd Virgo paupertatem zelans, & intelligens filij voluntatem, tàm intus docentis, quàm foris ostendentis: *fortè vultum suum auertebat ab auro, & vilipendebat totum*, inquit Sanctus, *infra paucos dies pauperibus erogauit, graue enim erat Virgini sarcinam illam auri, & donorum secum tenere abdicauit à se, & in pauperũ vsus conuertit*. Cur hoc ò anima mea? nisi vt esset filio omninò similis, & Deo vniformata paupertatem adamauit, paupertatem dilexit, amplexata est,cõsociata est,sectata est, paupertate vixit,& in paupertate vitam conclusit, quæ vt tibi clarius innotescat, ex ijs quorum Ioannem hæredem constituit, & illi testamento legauit,obserua, vt intelligas, addiscas,& cognoscas.

D. Bon.

Lege Metaphrastem de vita, & dormitione Virginis,quòd Maria proxima morti Ioanni Euangelistæ reliquit duas tunicas,quas voluit dari duabus mulieribus domui suę vicinis,quę Beatę Virgini propensiori amore præ cæteris, & pietate magis fuerunt coniunctæ, hæc sunt verba: *duas tunicas, quas toto vitæ tempore habui tegumentum mei corporis, dari iubeo bisce duabus mulieribus*.

Metaph.

Lege Laurentium Masellì lib.6. c.21. & inuenies Mariam reliquisse eidem Ioanni fasciam Christi Iesu, syndonem sepulchri Christi, feretrum, quod postea Constantinopolim fuit collatum.

Laurent. Masellì.

Reliquit zonam,de qua refert Euthimius, & D. Germanus Patriarcha in oratione de zona Virginis.

Euthim. D.Germ.

Reliquit velum, quo vultum suum virginale cooperuit ad venustatem, quando nupsit D.Iosepho, de quo scribit Gabriel Barius de antiquitate Calabriæ lib.2.

Gabriel Barius.

Reliquit pectĕn, quod postea ab Elena Treuirensibus donatum, & iam Treuiris asseruatur in Gallia, vt tradit Iacobus Maddenterpius lib.5.accademiarum,& Vgo Pharcius lib.miraculorum 6. & 5.

Iacob. Madd. Vgo Ph.

Reliquit anoulum sui sponsalitij,qui apud

Gerebr. Ferreol. apud Mandubios in Burgundia in prioratu ſeminorenſi aſſeruatur, ſi credamus Gerebrardo in ſua Chronologia anno 868. Si verò Ferreolo lib. 5. de Maria Auguſta cap. 31. ſeruatur Peruſiæ, qui in magna habetur veneratione propter præclara eius miracula.

Niceph. Reliquit fuſum, quo ad euitandum otium vſa eſt B. Virgo, ſudarium, & faſciam, quæ fuerunt in corpore Ieſu in ſepulchro, de quibus Nicephorus lib. 14. cap. 2. & 14. qui etiam lib. 2. cap. 23. mentionem facit de corona ſpinea filij ſui de velo capitis ſui, de aliquibus capillis, de lacte ſui pectoris, quæ omnia reliquiſſe Ioanni, cum pellicula Chriſto detracta in ſua circumciſione, & vaſculo aquæ & ſanguinis, quæ fluxerunt de latere Chriſti, ſanguis hic intelligo aliquas guttulas perminimas, cùm totus ſanguis in cruce, & in paſſione effuſus fuerit in reſurrectione à Chriſto reaſſumptus, hoc totum Mariæ patrimonium, hæc tota Mariæ hæreditas, quam pauperi Ioanni reliquit paupercula mater, & paupertatis Chriſti æmula amatrix, parua quidem ſunt, ſed infiniti valoris & precij pauca ſunt, & quaſi deſpecta, ſed ineffabilia, & magni ponderis, & valoris.

Cætera cuncta deuoto ſilentio commendans, vnum mihi fas ſit duntaxat dicere de talaribus illis virgineis tunicis duabus ab ipſamet Virgine matre, Virginibus teſtamento legatis, & gratitudinis amore gratioſè in morte donatis, quarum vna interuallis temporum non paucis tranſactis Conſtantinopolim fuit miraculoſè translata; Et vt tibi anima mea miraculi modum referam, velim ſcias, quòd duo Germani fratres, Gald. & Cand. Galdius & Candidus ambo tum dignitate, & honore clariſſimi, erant quippè Leonis Imperatoris intimi familiares, tum ſanguine, & virtutibus nobiliſſimi, Arriani poſt lapſum erroris diuino lumine, & Virginis Mariæ auxilio ad veritatis Catholicæ lumen reſipiſcentes non ſolum facti & pœnitentiæ cauſa, ſed nouo ſpiritus feruore, & nimio deuotionis affectu; maximoque cum comitatu Ieruſalem verſus ſunt iter aggeſſi, vt loca illa ſancta noſtræ Redemptionis inuiſerent.

Et Paleſtinam ingreſſi accidit, vt ſerò peruenirent in quadam vicum; & à muliere ſenio confecta; & paupercula nimis fuerunt hoſpitio recepti, cuius domuncula cum ex ſe eſſet ſatis anguſta, ad aliud cubiculum domui illi coniunctum, in quo quam plurimæ ardebant lampades, & de quo ſuauiſſimus egrediebatur odor, in quo pariter multi aderant varijs languoribus vexati, & oppreſſi; Cum conueniſſent, & diuertiſſent ſe, mulieri ſic alloqui cœperunt, quid eſt hoc ò bona mulier? cur hic tot luminaria, & cur hic tot infirmorum concurſus? eſt ne fortè tuæ legis ritus? erat enim mulier Hebræa obmuteſcens capitis depreſſione viſa eſt, quaſi annuere, at ipſamet veritatis ratio, quam ſilentio linguæ illis non eſt auſa aperire, compulit eos iterum eam interrogare, & præcibus multis obteſtari, vt facti innoteſceret veritatem.

Quibus cauta mulier verũ adhuc occultare contẽdens, reſpondit, Infirmorũ vos, hic videtis multitudinẽ Dei benedicti placitum eſt hoc, vt hoc in loco eijcerentur dæmones, cæcis reddatur viſus, claudis greſſus, ſurdis auditus, mutis fandi facultas, & vbi non attingit ars medica hic quilibet licèt grauis curatur morbus, & ad ſalutem ſatis eſt, vt infirmus in loco hoc ſuos ſiſtat greſſus, virtus enim hæc ſupranaturalis huic cubiculo præſtatur à Deo, qui patribus noſtris ſic apud nos hebræos circumfertur, pluries apparere, & alloqui dignatus eſt, in cuius memoria tot hic operantur prodigia, & in cuius reuerẽtiam tot accenduntur luminaria.

Quæ res fictæ potius fabulæ viſa eſt eis, quam conſona veritati, quàm vt aperiret præcibus extorquere conati ſunt, vndè vetula illa tum horum verbis victa perſuaſorijs, tum occulta vi à Virgine matre ſic coacta, de profundo pectoris ſui multis prius emiſſis ſuſpirijs, ac voce magna, & lacrymabili in hæc verba prorupit.

Heu me miſeram, quod nolo, compellor dicere, & cogor hodie vobis palam facere ſacramentum, quòd vſque modo mortalium oculis cælatum eſt, ac latuit ſub ſecreto, nec alteri vnquam aperiendum, niſi Virgini tantum.

Ego quidem ex familia, & genere exorior vnius duarum Virginum illarum, quas Dei mater, & Virgo veſtium ſuarum, quibus eſt vſa, quoad vixit in terris, fecit hæredes, & in domo mea antiquitus mos inoleuit: Hoc ſecretum

non niſi vni Virgini eiuſdem ſtirpis, & gentis aperiendum ſub ſigillo ſecreti, ſub quo illi committebatur, quòd ità ſemper ſucceſſiuè factum eſt, & fideliter vſque ad hæc tempora ſeruatum eſt; Nunc ego nouiſſima omnium, ſecreti huius tura nolens, ſed vi quadam compellor dirimere, & vobis reſerare veritatis arcanum, & eſt, quòd in illo paruo cubiculo aſſeruatur vna de duabus Tunicis matris Virginis, quæ peperit Deũ; Hæc Dei mater, & Virgo cum eſſet morti iam vicina, has duas Tunicas reliquit duabus fœminis Virginibus ſibi valdè familiaribus, ex vna quarum familia ſubotta naſcor, & ego, & hæc vna tantæ hæreditatis à Virgine matre iam hæres effecta; Tunicam, quam ipſa ſorte tulit, abſcondit in capſula piè, deuotequè, imò & ſollicitè ſeruauit, inſuper & teſtamento legauit, cum eſſet ipſa Virgo, & virginitatis condecorata flore, tantæ Virginis veſtem non niſi Virgini ſeruanda, & cuſtodienda mandauit; quòd & ſeruatum eſt ſucceſſiuè per omnes poſteros generis mei vſque modo ſub ſecreto, & ſic ad me tandem cum perueniſſet, Tunicam debito honore, deuotione, ac cultu, quoad potui ſemper ſeruaui, & fideliter, pariterque cuſtodiui ſecretum, quòd ſic me nunc matre Virgine cogente vobis notum facio, & virtute veſtis illius tot fiunt miracula, atque prodigia.

Hiſce illi auditis genibus flexis, nimioque horrore correcti ad pedes annoſæ mulieris ſe proſtrauere humiliter rogantes eam, vt permitteret eis nocte illa commorari, & aliquantum ibi conquieſcere, quòd vbi datum eſt eis in orationibus, vigilijs, lacrymis, obſecrationibus; & genuflexionibus conſumpſerunt noctem illam, at cum cæteri omnes, qui ibique aderant, eſſent grauati ſomno, ipſi duntaxat vigilantes vigilias noctis ex animo capſulæ; in qua erat pretioſus theſaurus, formam, longitudinem, latitudinem, & ligni materiam, ſeù qualitatem diligentèr obſeruare, cunctaque rimari facilè potuerunt.

Et cum iam dies aduenisset, valdè mane mulieri gratias agentes de acceptis, cui et munera multa contulerunt, & facultate diſcendendi iterum fauente Dei gratia, & reuertendi, ab ea obtenta, greſſus ſuos direxerunt Ieruſalem verſus, quorum ſanctis locis ſumma deuotione perluſtratis, à fabro quodam nouam capſulam eiuſdem formæ, ſpeciei, & figuræ, imò & eiuſdem ligni materiei, ſeu qualitatis, qua conſtabat illa, quam viderant in domo anus illius, & ipſi ſecum eiuſdem aſportauerant modulum, & figuram, efformare curauerunt, & velamine auro, & argento contexto amiciri, & obuelare ſtudioſè laborauerunt.

Et iterũ ad aniculã regreſſi, & in eodem domicilio, in quo et veſtis Virginis matris ſeruabatur, lætiſſimè, & religioſè recepti quare & orationibus, & lacrymis de corde profuſis armati in nocte illa, ſpe certa muniti, deuotione, & amore in Dei matrem ſic allecti, fidenter manus extendunt ad capſulam, & in eius locum nouam apponunt velamine illo prædiuite coopertam, quo & domus mulierem circumuenientes religioſo hoc fuco allucinati ſunt, veterem, ſeù vetulam cum illo nobili theſauro Conſtantinopolim ſecretè aſportauerunt, & in Eccleſia ſub nomine Sancti Petri, & Sancti Marci ab eiſdem duobus fratribus in eorum prædijs extructa, per aliquod tempus clam occultare conati ſunt, ſed Virgini Sacratiſſimæ cuius erat veſtis illa inſpirare complacuit dilectis fratribus, vt Leoni Imperatori, & Verinæ eius coniugi aperirent, quòd erat abſconditum, qui ſumma deuotione in honorem matris Mariæ in Regia Ciuitate Eccleſiam ſuis ſumptibus ædificauerunt, in qua non minori lætitia, ac celebri ſolemnitate capſulam ex auro, & argento miro artificio elaboratam collocare, & loco debito reponere curauerunt, vbi integra veluti perpetuum Vrbis præſidium aſſeruata eſt vſque dum commorati ſunt in ea fideles, electi, & filij Regni cœlorum, ſicut ſcribit Nicephorus lib. 15. cap. 24. tunc temporis, & ad illud ipſum tempus incorrupta permanſit, miracula multa edidit, varios repellit morbos, naturam, & vim temporis ſuperans. D. Nicephor.

Et vndè tot prodigia veſtis illius? ſi res eſt inſenſibilis? dicam quæ ſentio, quia veſtis erat matris paupertatis.

Aſcendens Petrus in templum vt oraret, rogatur à quodam paupere, vt aliquid pecuniæ ei largiretur, cui ſic reſpondit Apoſtolus cap. 3. *Argentum, & aurum non eſt mihi:* ac ſi apertè dixiſſet, Act. Ap.

au-

aurum requiris à me, quem Christi discipulum vides, qui aliud multò pretiosior auro nobis donauit; quid est hoc Petro donatum pretiosius auro? ad hoc respondit D. Augustinus lib. 3. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 15. *qui de iniquo mammona expeditus fuerat præceptum Domini seruans, nolite possidere aurum neque argentum Verbo imperii morbo ligatum citò soluebat.* D. Aug.

Soluere Verbo ligatum non est humanæ naturæ potestas, sed omnipotentis Dei, & hanc suam esse affirmat Petrus; ò Petre vndè habes quòd te dicis habere? Nempè facere miracula, Verbo formare pedes est omnipotentis Dei, non hominis, si Dei quomodo tuum? qui sic respondis, quòd autem habeo hoc tibi do, meum est, quia pro Christi amore omnibus renunciaui, cuncta mea reliqui, & vt pauper Euangelicus particeps factus sum bonorum Christi, qui vt Deus suam omnipotentiam paupertatis munere mihi contulit in possessionem, & ex homine impotente, me fecit omnipotentem; quòd si ipse omnipotentiam habet ex natura, idem mihi præstitit ex dono paupertatis alijs conferre salutem, ò miracula, ò paupertatis prodigia, quò se homo bonis paupertate se euacuat, eò Dei omnipotentia impletur, & locupletatur, & existens in terra pauper, cum Deo quasi æqualiter perambulat in cœlo, ac si æqualis esset Deo, & pauperis omnipotentia, Deus natura omnipotens, omnipotens paupertate pauper; si talia contulit Petro Deus, numquid non maiora præstitit Mariæ, & vestibus illius, quas ad sui corporis vsum habuit, nec mirum, si tantæ erat potentiæ vestis illa, quod varios pellebat languores, si naturam, & vim temporis superabat.

Si vestis ex contactu tantam habet omnipotentiam, quid paupertatis mater, paupertatis amatrix, quæ & consumatæ perfectionis auida, vt Palmæ filij sui conformaretur esset æqualis, & omninò similis, paupertatem amplecti, diligere, & imitari didicit à filio, qui sic paupertatem adamauit, teste D. Anselmo lib. de Sacramentis: *Veniens in mundum, non in sua, sed in aliena domo nasceretur, & natus propter in optam loci in Præsepio brutorum animalium poneretur, & viuens in mundo non haberet, vbi caput suum reclinaret, nec moriens, vndè nuditatem suam tegeret, nec mortuus, vndè inuolueretur, nec sepulchrum, aut locum vbi corpus mortuum locaretur;* Pauper igitur fuit Christus in ortu, pauper in progressu vitæ, pauper in termino, & vt paupertatem tibi redderet amabilem, pauperculam elegit matrē, & adeò pauperrimam, vt vnum duntaxat, vestimentum haberet non ad ornatum corporis, sed in tegumentum nuditatis; pauper semper vixit Maria, & vt paupercula, & pauperis Iesu mater in paupertate vltimum conclusit diem, vt semper Iesu esset conformis, semper Iesu esset similis, semper Iesu copulata filio, ad quem vt ascenderet, et in quem vt transformaretur, penna paupertatis transformata aduolauit. D Ansel.

Si ad Iesum anima mea cupis ascendere, & in eius imaginem transformari, et illius omnipotentiæ conformari, cum Ioanne electa es in hæredem matris paupertatis, parua sunt, pauca sunt, paupercula sūt munere tēporali, quę tibi in Ioanne testamento legauit; sed si benè attendas, et sub vmbra huius Ramusculi contemplaris, quæ tibi donata sunt, sunt infiniti valoris, sunt infinitæ potētię, sunt auro ipso pretiosiora, et vt talis ramusculi dulces carpas fructus, ascende paupertatis pēna et senties, quę dico; interim, vt sentias dulcedinem toto corde amplectere Mariam, totis viribus benedic, & dulciter cane.

Benedictum sit nomen tuum perdulcissimum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege mę, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

DE

DE DORMITIONE BEATÆ MARIÆ Virginis.

RAMVSCVLVS SEXAGESIMVSQVARTVS.

Statura tua assimilata est Palmæ.
Cant. cap. 2.



N ò anima mea, mystica, & pulcherrima palma nostra virginea, quæ ætate iam prouecta (septuaginta enim duos tunc agebat annos) cum ad bonam senectutem deuenisset, vt palma verè assimilaretur palmæ, quando vel uti illa diuina palma cæpit pallore pallescere mortis, in victoriæ tamen signum, & trophæi argumentum, quia mortis non subiacebat imperio, e Cælo per Angelum affertur Mariæ, & donatur Virgini palmæ ramusculus, eò quod semper vicerat, & moritura ipsa erat mortem victura, audi diuinum Vincentium Ferrerium serm. 1. de Assumptione: *Statim* inquit Sanctus, *apparuit sibi Angelus Gabriel salutans eam, & portans ramum palmæ.* Ramus ille significabat victoriã, quam Virgo habuit de mundo per humilitatem, de diabolo per paupertatem, & de carne per purissimam virginitatem. D. Vinc. Ferrer.

Erat ergo ramus ille palmæ in signũ victoriæ mortis, & imago quædam vitæ immortalis, ò quàm pulchrè palmæ diuinæ, palma assimilatur Maria.

Palmæ autem Christo passioni, seu morti appropinquanti, Pueri hebræorum diuinitus inspirati ramos offerebant palmarum, quibus significare volebant illum mortis victorem certissimè esse futurum. qui palmæ ramus, si in mortis articulo Mariæ offertur ab Angelo, quid est? nisi eam mortis esse victricem, & moriendo non subiacere mortis imperio.

Palluit igitur mortis pallore, & pallida gessit ora, persoluens debitum con ditionis humanæ, sed vt palma erat sempiternæ viriditatis, migrauit e vita forte non tam mortis ictu, quam amoris sagitta, verè ò Maria vitæ tuæ egressus; & terminus assimilatus est palmæ, vt tibi meritò psallat anima mea: *Statura tua assimilata est palmæ*: quæ enim est hæc palma? cui sic pulcherrimè, & omninò assimilatur Maria? o hac re lege Honorium in Cant. Christus fuit palma in cruce, quia per eũ homo adipiscitur victoriæ palmam, cui meritò assimilata est statura, id est altitudo gloriæ Mariæ, quia sicut ipse est Cœlorum Rex, sic & ipsa est Regina Angelorum. Honor.

Expalluit palma illa in cruce mortis pallore, sed vt palma subitò viruit, & ex vita, quæ in ipso erat reuixit, & sub mortis imperio subiacere non potuit, & quòd palmæ illi diuinæ donatum est ex dono naturæ, hoc idem ipse contulit matri ex maternæ dignitatis priuilegio singulari congruè non debuit Mariæ morti subesse, quæ mundo peperit vitã. ad vitam semper æmulata palmam, quã genuit intra triduum, sicut illa depositis mortalitatis humanæ indumentis incorruptionis dono, & splendoribus viriditatis perlucidis gloria amicta viruit, & reuixit & ipsa, lege D. Dionysium Areopagitam lib. de diuinis nomin. *Cæterum tametsi Virgo mater naturæ legibus fuit obnoxia, tametsi mortem degustauit, tametsi vt homo in sepulchro est deposita, naturæ tamen fines, atque terminos superauit, & excessit, neque sepulchrum, & mortalitas eam in potestate sua retinere potuit, sed vt palma cui assimilata est, statim post triduum refloruit, & virens reuixit*: dic ergo illi psallendo Mariæ, *Statura tua assimilata est palmæ.* D. Dion.

Illi palmæ diuinæ verè assimilatur Maria, quando moriens in carne non mori-

moritur nexus ille, quo cum corpore stringitur anima, in morte illius verè rumpitur, sed corpus exanimè mortis corruptioni non subditur, anima illa benedicta verè separatur à corpore, sed hoc mortis stipendia, nec patitur, nec sentit.

Videns apostata ille Iulianus mortem mundum totum principari, stultè quæsiuit; *per quas rimas mors intrauit in mundum?* Sed stultæ apostatæ petitioni
D.Aug. prudens D. Augustini satisfecit responsio; *quid quæris rimas? cum videas ianuam apertam? Lege Apostolum, & inuenies peccati primi hominis clauem ostium mortis fuisse apertum, dicente ipso, per vnū hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*; patet ostium, & de rima est sollicitus ille apostata: si ostium apertum est morti, primi hominis claue peccati, vt dicit Apostolus, à quo Virginem pleno ore, & toto corde confitemur duntaxat inter filias Adæ fuisse immunem, à filio ab ipsomet suæ Conceptionis immaculatæ instanti præseruatam speciali dono, & si Adæ Mariam non tetigit culpa, nec clauis illius morti in ea aperiret ostium, defuit clauis, quia defuit culpa, ergo semper clau-
Ezech. sa, vt vidit Ezechiel Sāctus cap. 44. *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, eritque clausa Principi*: si clausa, quomodo deuorauit illam mors? quomodo mortem illa gustauit? & per quas rimas ausa est in corpus illud, quod vitam suscepit, intrare?

O mysteria, ò miracula, exclamat D. Andræas Ierosolymit. serm. de Assump.
D.And. B. Mariæ Virg. *Partus effugit corruptionem, & sepulchrum non admisit interitum*; hæc vt capias anima mea, scito, quod quando dicit Apostolus, mortem in hominē introisse per peccatū, noluit ipse intelligere, quòd peccatum sit causa propria, & formalis mortis; sed quòd fuit causa meritoria duntaxat, & sic homo si non peccasset, mortis imperio non subiacuisset.

Erat enim, quoad corpus ex se corruptibilis, ratione principiorum, ex quibus componitur, sed ad mortem non peruenisset beneficio fructus ligni vitæ ordinati à Deo ad hoc, vt à corruptione, ad quam erat obnoxium, & trahebatur ratione principiorum suæ naturæ, omninò esset immune, quo dono peccando primus homo pro se, & à se descendentibus priuatus remansit: ergo & si mors intrauit in mundum, & in omnes pertransijt ab Adam descendentes, vndè et morti sumus obnoxij. peccatum fuit causa meritoria huius debiti, & obligationis, & non formalis.

Quò ad hanc causam formalem homo ex naturalibus suis principijs est mortalis, & corruptioni subiectus, à qua neque Christus vt homo fuisset liber, vt docet D. Thomas in tertio sententiar. D.Tho. dist. 16. q. 1. art. 2. in corp. & D. August. D.Aug. lib. 2. de peccator. remiss. cap. 29. *Quia in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipsa prorsus infantia, vt ad mortem vi*[illegible] *etiam senescendo illa caro peruenire potuisse, nisi iuuenis fuisset occisus*: Causa mortis in Christo, quia verè homo erat, respectu naturalium principiorum formalis erat, non meritoria, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius; si Christus natura fuit morti obnoxius, quid miraris anima mea, si Maria Virgo hoc mortis tributum senectute confecta morti exoluit?

At si quæris per quas rimas mors intrauit in Mariam? quia filia Adæ, per rimas conditionis humanæ intrauit mors in Mariam, & licèt esset vera filia Adæ maculam non contraxit, imò ab omni culpa immunis fuit diuino munere singulari; Audi Diuinum Hierony- D. Hier mum in serm. de Assumpt. sic scribentem: *Memores conditionis humanæ mortuam B. Virginem dicere non veremur*; ergo mors illius debitum naturæ fuit, & conditionis humanæ, non pœna peccati, defuit culpa, defuit & mortis meritoria causa, animæ, & corporis vinculi, sed nexus solutio in Maria non fuit mortis stipendium, sed naturæ tributum, naturæ, non peccato, Virgo tributaria fuit, vt in omnibus, & per omnia assimilata filio possis tu dicere, *Statura tua assimilata est palmæ.*

Si quando palma Virginea palmam illam diuinam peperit mundo, sine dolore peperit, & sine corruptione suæ Virginitatis, imò cum ineffabili dulcedine spirituali, & gaudio sui cordis, & cum perfecta sui corporis integritate, quid miraris si palma filius palmam Virginem matrem parturiens cœlo, & vitæ immortali, quando separauit animam à corpore, sine mortis stipendijs peperit.

Hæc

D.Andr. Hæc sunt illa prodigia, hæc stupenda miracula, quæ D. Andræas Ierosolymit. contemplatur in Maria, quando præ magnitudine nouitatis exclamat: *Non fuit corruptus parentis vterus, ita caro non interijt, ò miracula, ò prodigia, partus effugit corruptionem, & sepulchrum non admisit interitum*; Si in partu filij Dei non est passa Virgo corruptionem in carne, sic voluit moriens in carne, vt non moreretur, solueat naturæ debitum, sed nesciat mortis imperium, nesciat sepulchrum corruptionem, sicut nesciuit, & partus.

Mors Mariæ si benè attendas, non fuit tantum debiti conditionis humanæ, sed amori debita, amoris satisfactio, seù amoris retributio, à cuius sagitta percussa interius, & vehementius in æternæ immensæque charitatis, & diuinæ dilectionis contemplationibus absorpta, & immersa, adeò concaluit cor eius in desiderio videndi faciem dilecti filij sui, quòd quantum plus desiderabat ardentius, eò sublimius accendebatur, & sursum eleuabatur amoris ignis, ita vt nihil aliud cogitaret, nil aliud desideraret, nisi amare, quòd videre cupiebat, & videre, quod sic ardenter amabat; Amor enim nutritur pectore amantis desiderij mamma, citius lacte alitur, & crescit.

O vehementia amoris, ò dilectionis excessus, quo continuè trahebatur ad illum appetendum, cogitandum, ruminandum, desiderandum, contemplandum, videndum, fruendum, & amplexandum, quid mirum, si durationis termino caruit erga filium hic Virginis amor? quia Deus infinitæ erat bonitatis, & omnium perfectionum pelagus, in cuius visione, & fruitione, si semper Virgo mater nouas adinueniebat amoris flammas, quibus amoris ignis, magis accenderetur, & accensus alliceret, alliciendo inflammaret, inflammando delectaret, & delectatio adeò perdulcis, & suauis, quòd non sustinens naturæ fragilitatis, ex nimia amoris dulcedine, & desiderio ardenti rei concupitæ, & amatæ enecauit amantem, quia fortis est vt mors dilectio, id mors operatur in corpore, quod amor in mente.

Hic separat animum à voluptatibus, illa rumpit vincula corporis, quòd videtur astruere D. Gregorius hoc in loco, quòd mors agit in sensibus corpo-

D. Greg.

ris, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis, fortis vt mors fuit in Virgine Dei amor siquidem præ amore obijt: ò mors non amara, sed perdulcissima, ò amoris languor suauissimus, qui mortem affert optatissimam, huius vulneris vulnerata sagitta languebat plus im portunitate amoris, quam passione doloris, plus vulnerata charitate, quam aggrauata infirmitate, quòd vulnus amoris non medetur, non sanatur, pharmaco alio, quam sola præsentia, visione & fruitione dilecti.

O Maria, ò dilectionis mater, si languor tuus, languor & vulnus amoris est, pro dilecto filio, huius aspectu non remittitur languor cordis tui, sed augetur magis, tui pectoris vulnus præsentia filij tui, cuius amore vulnerata langues, non sanatur, sed dilatatur magis tuæ dilectionis ignis, non extinguitur visione, tentione, vel fruitione illius sed magis inflammabitur, magis accendetur, maiores sursum emittet flammas; ò incendium diuini amoris, ò diuinæ charitatis fornax nimis accensa; vt amoris magistra, audi respondentem animæ diuini amoris febre laboranti, salutis remedium non est aliud quam amore amati magis, ac magis inflammari, & Dei sui amati frui præsentia, satiari conspectu, delectari tentione, & deliciari visione.

Hæc vis amoris, sic in corde Virginis excreuit in fine vitæ illius, quòd impetu suæ vehementiæ traxit, & post se rapuit amorem sensitiuum, qui in appetitu sensitiuo locum tenet, & hic vt docet D. Thom. 1. 2. q. 28. residet in corde, cuius calorem vehementer facit ebullire, vt ipsa experientia docet, qui calor amoris, igne succensus, in tantum potest augeri, subcresci, & transgredi, vt potenti sua virtute omnes spiritus vitales penitus consumet, consumpto eius vehementia humido radicali. D.Thom

O cor amans, ò flamma ardens, ò Maria æstuans, sic amoris supnaturalis igne excanduit virginale cor tuum, erga dilectum filium, & dilectionis flammas sic auxit, & eructauit, quòd consumptis spiritibus vitalibus, quibus corpus tuum sustentabatur, & viuebar, quòd animam exalares, quis mirabitur? clausisti diem vltimum, & obijsti ò mater vitæ percussa non doloris, non anxietatis gladio, non oppressa infirmi-

tatis.

tatis morbo, non mortis imperio aggrauata, sed tantum vulnerata dulci diuini amoris iaculo, & æternæ dilectionis sagitta; huius veritatis testis est D.
D. Dio. Dionys. Carthus. lib. 4. de laud. Virgin. art. 3. *Dilecti filij, quàm incomparabili aspirauit ardore, diuinarum quoque rerũ erat perfectissimè tunc intenta, & totaliter immersa ergo præ spiritualis suauitatis affluentissimè experientia, ac feruentissima dilectione, separabatur sine pœna à corpore anima.*

Sagittæ immensæ dilectionis erga filium, & supercœlestium diuinarum contemplationum dulcedini ascripsit ipsamet Virgo causam suæ mortis, quã do sic affatam legimus B. Birgittæ. *Cũ*
B. Birg. *quadam die animus meus suspensus esset in admiratione diuinæ charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quòd vix se capere posset, & in ipsa consideratione anima mea à corpore fuit soluta,* dum ergo mens Beatæ Virginis in ipsa suæ mortis hora fuit suspensa in contemplatiõne suauissima, & tota absorpta in Christi amore perdulcissimo, paulatim eius complexio cæpit deficere, vsquequo sine dolore tandem non interrupta contemplatione sanctissima sius anima dulci somno oppressa deseruit corpus, ô mysteria, ô prodigia.

En secundò in hoc rubo Virginali ignis accensus, & flammis nunc mortis videtur comburi, sed non consumi, nec in foliorum viriditate obscurari, nec flos suæ pulchritudinis igne assumitur, nec consumitur, nec vllo modo corrumpitur, dum moriendo in carne non moritur, quia non mortis ictu, sed amoris lancea percutitur, percussa vulneratur, vulnerata deficit, & deficiendo viuit, & viuendo deficit, vt & tu anima mea non deficias eam laudando, & eam benedicendo possis dicere. *Statura tua ò Maria verè assimilata est palma.*

Status enim vel Virginis vitæ terminus palmæ filio assimilatus est, ascendens Christus in cruce animam suam morti tradidit, sed spontè vt voluit, & quando voluit, & vt paternæ voluntati & tuo simul à te contracto debito satisfaceret; verè anima fuit à corpore Christi separata, non mortis vi, & sagitta, sed amoris vehementia, quo te dilexit, hoc innotescere voluit tibi Sanctus [illegible] angel, quòd antequam Christus traderet spiritum, prius caput inclinauit, primò igitur inclinato capite, postea tradidit spiritum, quæ verba exponens Origines tract. 35. in Matth. sic Orig.
ait. *Inclinauit Christus caput, & quasi super Patris gremium repausans, exijt, super pectus paternum recubuit,* & in illo fonte æternæ vitæ emisit spiritum.

Et vnde mortis imperium in Christo? si vt Deus in ipsó vita erat, & vt homo, quando emisit animã, quæ egrediens de corpore, in pectus, & in gremium Patris, qui fons est æternæ vitæ, ingreditur.

Centũ viginti annorũ erat Moyses, quãdo *mortuus est in terra Moab, iubẽte Domino,* vel iuxtà os Domini, vt legsit alij, & alij ex osculo Domino absq; infirmitate, absq; mortis angustijs, & doloribus; mortuus est Moyses, & mortuus est iuxta os Domini, numquid hic Moysis transitus, mortis nomen meretur, an potius vitæ, dum moritur vt viuat; nam quando vitæ huius serui Dei vinculum solutum est, illius anima dum separatur à corpore, quia iuxta os Domini separatur, exiens, statim in os Domini videtur ingressa, & vnde mors in Moyse? si moriens transijt ipse è corpore mortalitatis in os immortalitatis æternæ? os enim Dei, labia illa diuina, vox oris illius, & alitus pectoris eius, quid aliud sunt nisi vita? non aperitur os Dei, quin vitam præstet, quando vocauit mundũ ex nihilo, & iterum in fine vocabit ex perdito, quid præstitit, & quid præstabit nisi vitam? *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt,* & flatus ipsius nonnè vita est, & vitam præstat, recordare de illo primo Psalmite. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* O viuens, ò fons æternæ vitæ, si egrediens Moysis anima iuxtà os Domini in os Dei ingreditur, & si alitus Dei, si spiritus Dei, si lingua Dei, si vox Dei si labia Dei, si verbum Dei vita sunt, vnde vermes, & corruptio? vnde cinis, & interitus? si ingreditur in æternæ vitæ tabernaculum; corpus Christi longè erat à putredine, & corruptione, quia in ipso vita erat, & egrediens anima illa sanctissima in gremium Patris, primò reclinans ingreditur vitæ domum, quam mortis tabernaculũ, mors enim eius transitus fuit, & non mors, non mors, sed potius obdormitio quædam

sancta,& noua vita.

Huius Maria non ignara mysterij, quatuor supra vigesimo anno post Christi filij sui ascensionem in cœlum, dum die quadam eum videndi,& amplexandi vehementi teneretur desiderio,æstuans anima illa sancta, & quasi non sustinens *præ* amoris magnitudine, commouentur cuncta interiora cordis eius resoluta in lacrymis, languens amore, deficiens desiderio,sæpè repetitis pectoris sui singultibus,ò anima mea exhibe te præsentem,si vales age,quòd tibi datum fuerit,intuere lacrymantem, ausculta suspirantem,conspice desiderantem?attende anhelantem, quasi solitaria turtur in nidulo lectuli sui, audi sic
Can.c.1. inclamantem de cubili suo. *Osculetur me osculo oris sui.* Osculum filij expostulat,& præstolatur, & cum osculo præsentiam illius faciei,pro cuius visione sic iacens in lecto vehementi languebat amore, & quid aliud dicere voluit nisi.

Tu fili mi, & Deus cordis mei tuam mihi præsentiam dignantèr impartire, da matri postulanti osculũ oris tui,tuũ enim osculum operetur in me,quòd sic ardentèr exopto, & expecto; excusa ò fili si dilectionis tuæ desiderio feror, & non ratione,non præsumptio,sed amoris tui affectio vrget me; præceps est amor,nec iudicium præstolatur,nec cõsilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subijcitur,impatiens est, tu scis; osculare igitur matrem osculo oris tui ò fili dulcissime,ò amor animę meæ,tu solatium cordis mei,cupio dissolui,& esse tecum,te habere præsentẽ, et sedentem te videre in dextera Patris tui,quid tunc?

Niceph. *Nuncium*, inquit Nicephorus, *per Angelum accæpit de sua ab hoc exilio migratione, quam iam proximè imminere cognoscens,immensa repletur lætitia, & spirituali gaudio*,quid enim Mariæ dulcius,quàm esse cum filio, pro cuius absentia viginti quatuor annis sustinuit dilectionis languorem, & amoris vulnus.

Instante igitur mortis articulo languens Maria amoris vehementia erga filium, mittitur in trophæum victoriæ è cœlo per Angelum palmæ ramusculus,imo & ipsemet filius de cœlo descẽ-
S.Dama. dit cum multitudine Angelorum,vt docet D.Damascenus orat.2. de dormit. Virg. *Rex ipse*,inquit Sanctus, *ad matrẽ venit, & diuinis suis, purisque manibus sanctam labis expertem ipsius animam susciperet*:& vnde mors in Maria?numquid ei negatum fuit,quòd collatum legimus seruo Moysi? qui quando mortuus est,mortuus est iuxtà os Domini, cur non Virgini? quæ vulnerata amoris vulnere, hoc præcatur expostulans *osculetur me osculo oris sui*.

Constitutus igitur Deus homo Iesus, Mariæ filius in conspectu matris suæ decubentis in lectulo, quo gaudio eam repleuit? quibus dulcissimis verbis eam salutans affatus est? & ad eam approximans,quibus amplexibus amplexatus,& quibus deosculatus est osculis? intuere matrem inter brachia filij collapsam,nouo dilectionis,suauitatis, & dulcedinis vulnere percussam, & inclamantem. *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*,quando dextera sua filius amplexatus est matrem,quid accidit,quid factum est? tunc os Mariæ in ore cordis Christi, in labijs amoris, in illa plaga laterali adhæsit,accessit os ad os tunc copulatum est,compactum est,conglutinatum est, & infigens illi dulcissima oscula, osculatur,& osculabatur.

O palma,ò Maria,ò cor ardens,tunc verè *Statura tua assimilata est palmæ filio*,qui expirans in lectulo crucis, in Patris gremium reclinauit caput, & Maria deficiens caput super filij sui pectus reclinans in eiusdem laterali plaga emisit spiritum, non vitam amittens, sed meliorem, fęlicioremque inde trahens,quia mortua est in osculo Domini moriens in carne non moritur,si moriens Moyses nihil,quòd mortis est,vel corruptionis apparuit in eo,& vndè homini isti incorruptio: vtique quia mortem accæpit ipse de manu Domini. Audi D.Ambrosium in lib.1.de Abel c. 2. D. Amb.
Moyses autem mortuus quidem legitur, sed per verbum Dei mortuus est,per quòd facta sunt omnia, Verbo autem Domini Cœli firmati sunt per verbum igitur Dei non lapsus operis,sed firmamentum est,nõ ergo tamquam relapsus in terra deprahenditur corporis solutione,sed tamquam verbi cælestis operatione donatus,& munere vt quietem magis caro eius acciperet, quam bustum:si donatum est hoc incorruptionis munus Moysi Dei seruo,quãtò magis matri Dei,quæ Deum in amã

do

do non nouit terminum, nec sensit mẽsuram in quærendo eum, & huius crescente amore crescebat & inquisitio, quo & vehementer languens deprecabatur, *osculetur me osculo oris sui*, quid est hoc ò Maria, totum quòd amas quæris habere, & oscula oris illius petis, tu mater es æternæ dilectionis, nosti Dei pectus plenum bonis omnibus, & tantummodo labia oris eius attingere, vel ab eis tangi peroptas, cur osculetur me osculo oris sui? ò amatrix, ò amoris Dei vehementia, os petit, labia amat, oris Dei oscula expostulat, non explentur amantis desideria nisi in amato, vota cordis Dei amoris sagitta vulnerati non satiantur nisi in amato, nisi in Deo ipso, cuius naturam vt tibi innotesceret, oris illius Virgo oscula petit, non vnum, sed plura, *nam anima quæ*
D.Ambr *diligit*, inquit D.Ambros.in lib. de Isaac *non vnius osculi parcitate contenta sed plura exigit, plura vendicat.* Cum Deus talis sit naturæ, & conditionis, quòd vbi aliquid sui donat statim totum se tradit, nescit stare, sed festinat totum se tradere, totum se communicare, totumque se infundere; hanc Dei naturam, quia benè nouerat Maria, vt totũ accipiat, oscula oris sui expostulat, ipsa oscula poscit, *osculetur me osculo oris sui*, at Deus verbũ se ei totum tradit,
Niceph. quando vt inquit Nicephorus. *Filius eius cum innumerabili Angelorum exercitu ad matrem descendit, Animam Virginis assumpturus, os, & oscula matri tribuit, pectus aperuit, & brachia, mammas, & vbera nudant, fragantia vnguentis optimis*, vt moriens vitam habeat, & abundantius habeat, ita vt & mortua iam adhuc videbatur viuere; amplexatam à filio, & in illius plaga laterali expirantem, meditatione deuota
D. Ioan. contemplans Mariam Diuus Ioannes
Damasc. Damascenus oratione prima de dormitione Virginis, nesciebat ipse ipsam Virginem distinguere inter viuam, & mortuam, quando Deo adhærens, & inhærens sic illa apparebat mortua, vt appareret etiam & viua. *Sacram tuam migrationem*, ait Sanctus, *mortem haud quamquam appellabimus, sed somnum, vel peregrinationem, vel (vt aptiori verbo loquar) cum Deo præsentiam*, talis remansit in morte Virgo qualis apparebat viuens, ita vt humanæ mentis oculus vix posset distinguere inter Mariam mortuam, & viuam, & de ea excellentiori modo, & uerius affirmare, quòd astipulatur Diuus Bernardus de Sancto Malachia, D. Bern.
ait enim Sanctus; de Sancto iam in mundo uiuente simul, & eodem defuncto. *Hæc erat gratia corporis eius, & hæc gloria vultus eius, quæ non enecatur, neque in morte quidem, talis quoad vixit. Talis & mortuus apparebat viuenti similior.* Talis quoad uixit, dicamus & nos de Deipara, talis et mortua apparebat uiuenti similior; unde et Virginis mors, non mors, sed dulcissimus somnus, imò et uita potius quàm mors, quia mortua est ad osculum Domini.

In illis ergo amplexibus, in illa accensa amoris fornace, in illis amantissimis osculis in illo fonte æternæ uoluptatis repleta dulcedine, cumulata gaudio, circumdata lætitia, cœlestibus coronata uictorijs, sugens mel dulcedinis, quæ stans iuxtà Crucem filij sui, quando lancea percuti nidit latus illud, suxit amaritudinem mœroris, et doloris: ò uis amoris, ò uehementia dilectionis diuinæ, uitam quam non abstulit gladius doloris in illo uulnere, nunc audet auferre, et aufert sagitta amoris, qua uulneratam audi tacitè loquentem, et amplexatam à uulnere: *In manus tuas, ò fili, commendo spiritum meum, suscipe tibi caram animam quam creasti, & conseruasti alienam ab omni reprahensione, meũ corpus tibi trado, non terræ, custodi saluum à corruptione, in quo tibi placuit habitare.*

En quomodo moriens Maria non moritur in carne, mortis imperio, et uulnere, sed amoris iaculo, et diuinæ dilectionis sagitta, ut esset in morte sicut fuit semper in uita, palmę filio omninò similis.

Tu uerò anima mea collige te sub hoc ramusculo, et meditare, quòd si Maria, quæ causam mortis non habuit in se meritoriam, à mortis tributo non fuit libera, quid erit de te ò Bernarde? qui et mortis formalem ex tuæ propaginis origine causam habes, et meritoriam, ex tui primi parentis culpa hoc debitum portas, dies ultimus uitæ tuæ non decidat, quotidie de corde tuo, ut moriens transeas ad u tam commorare sub hoc ramuscu-

lo, ut et fructus huius palmæ dulcitèr gustes, esto & tu palma recta, & viridis viriditate virtutum, & operum bonorum, inter quæ hoc primum occupet locum laudare, & benedicere nomen Mariæ illi psallens dic ergo: benedictum sit nomen tuum in æternum ô humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te præcor ô Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit, & sperat anima mea, sub umbra huius ramusculi protege me nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE GESTIS PRODIGIOSIS in Morte.

RAMVSCVLVS SEXAGESIMVSQVINTVS.

Statura tua assimilata est Palmæ. Cant.cap.7.



Vm ad senectutem bonam peruenisset Maria Virgo mater Iesu, cui nulla defecerat gratia, & venustas,ex ijs,quas à primis pueritiæ annis acceperat, licet duorũ septuaginta esset annorum, in ea nec oculus caligauit,nec dentes moti sunt, nec in nullo mutatus erat splendor gloriæ vultus eius, nihilque mortalitatis exhibebat in facie,sed omnium relucebat gloria gratiarum. & splendor diuinitatis in carne sua Virginea.

Supra quàm humana fragilitas pati posset,cum quadam die filium videndi, amplectendi,deosculandi præ magnitudine amoris,magno & vehementi tenetur desiderio,æstuans hoc dilectionis igne,sursum ad cœlestia ageretur cor eius,anhelans,& illacrymans velut solitaria turtur,casta gemebunda columba congeminatis singultibus in niduio domus suæ suspirare audiebatur.

O si adesses,ò si aspicere simul,& audire meruisses anima mea, nunc tacitè succlamantem,nunc reclamantem, nũc vociferantem,vtique audires nunc suspirantem, nunc dolentem, nunc fixis in cœlum oculis,& sursum eleuatis manibus collacrymantem videres, quas enim voces? & quæ vota de pectore promere, & quæ verba de ore eructare videres,nisi amoris,quo uulnerata erat & quò sic languens ardentèr languebat.

O fili, ò fili mi dulcissime, ò dulcis mi bone,& perbelle Iesu,ò nate Dei, ò partus vteri mei,en mater quam elegisti,& quam sic ardentèr dilexisti, dereliquisti eam in terra,nunc nihil optat, nihil à te petit,nihil aliųd à te expectat nisi iã dissolui,& esse tecũ,teq; videre in patria,teq;frui in gloria,& vt videat charitatẽ quã habes à Deo patre,& mutuã dilectionis vicem reddas dilectæ matri tuæ: Ego enim pro tempore meis vberibus paui te, nunc delicijs diuinitatis tuæ,& gloria maiestatis tuæ pascar à te lacte meo potaui te, & quibus potui alimentis cibaui te, & alui te cunctis diebus humilitatis tuæ, ò fili, ò corona capitis mei, & consumata lætitia cordis mei inebria me ab vbertate domus tuæ,& torrente voluptatis tuæ pota me simul & præsentia vultus tui perdulcissima conforta me,lætifica me, & corona me, exatiare iam, exatiare famem animæ, & pectoris dilectissimæ matris tuæ.

O dilecte cordis mei,matris tuæ pectoris vota à te non sunt abscondita, sicut nec illius amoris magnitudo, tu scis quantum te amat anima mea, hæc vis amoris cogit me, sic languere stimulat me,sic exclamare pungit me, sic anhelare premit me, sic suspirare; & collacrymari.

Propinquante igitur vltimo vitę suę die,iam ab ascensu filij sui in cœlum viginti,& quatuor anni intercesserant, tanti exilij facta impatiens,tam longas & suspiriosas præsentis vitæ moras amplius nec sustinere, nec seipsam continere amplius valens præ nimio desiderio,voces cum lacrymis, & lacrymas concomitantibus singultibus emittebat ex intimo pectoris sui, hic amplius immorari non cupio, ò fili, ad te venire,te videre,teque amplecti,tantummodo desiderat cor meum, ascendat ad te ò palma æternæ viriditatis, hæc palma tuæ matris,tibi iam per omnia facta similis, vt appræhendat fructus gloriæ

præ-

præsentiæ tuæ, tibi facta conformis in terris, tibi copulare in cœlis, & quæ similis tui effecta est in vita, vt tibi similis consocietur in cœlo, vt uerè dicatur statura palmæ matris assimilata est palmæ filio.

Cur non palmæ filio omninò persimilis Maria? quæ in radicis profunditate fuit, & ipsa humilitate humillima, in corticis duritia, & asperitate fuit & ipsa egestate pauperrima, in rectitudinis trunco fuit & ipsa puritate & innocentia purissima, in corporis proceritate fuit & ipsa dignitate altissima, in ramorum latitudine fuit, & ipsa charitate amplissima, in foliorum acuminibus, in aduersis, & passionibus fuit, & ipsa immortalitate pulcherrima, in fructuum fœcunditate, & dulcedine fuit, & ipsa in operibus pietatis fœcundissima, in umbraculo protectionis est & ipsa in nos defendendo potentissima.

Quid virtutis? quid perfectionis? quid iustitiæ? quid misericordiæ? quid sanctę operationis vnquam fuit in Christo, quòd vt in viuo exemplari non resplenduerit in Maria? quæ palmæ illi diuinæ, si semper studuit in vita palmæ hæc virginea esse conformis, si illius semper extitit singularis ęmulatrix, cur non in termino vitæ, & in conclusione vltimæ diei? si Christi, & Mariæ vna caro, vnus spiritus, vna voluntas, cur actio non vna? cur operatio non eadem? & exitus non æqualis, non omninò persimilis?

Hoc solum quòd Christus Deus erat & homo, non homo purus, vt Maria, quæ licèt esset sola homo, tamen erat homo tanta deitate perfusa, quòd videbatur homo deificata; vndè D. August. in sermon. de assumpt. non erubuit, imò adaucter ausus est, eam appellare deiformam, inquiens: *si formam Dei te appellem digna existis*: ac si diceret, si te Deo simullimam dico, digna es huius nominis, & vndè in Maria dignitas tanta? Nisi quia in eius formatione plus operata est Dei gratia quàm ipsamet natura, testis est D. Damascenus oratione prima de Natiuitate Virginis: *Quoniam itaque, inquit ipse, futurum erat, vt Dei genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratia fœtum anteuertere non est ausa, verum tantisper expectauit, donec gratia fructum suũ produxisset, siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi* *ad hoc ex matre sterili nata est Maria, vt gratia anteiret naturam, & esset gratia ipsa filia primogenita*, quod clarius testatur D. Bern. in serm. de Deipara, sic habet: *Non filia vitiata natura, sed gratia fuit Maria, quia Pater in consecratione Virginis exhibuit claritatem filius humilitatem, Spiritus sanctus charitatem, Pater auctoritatem contra peccatum, filius humilitatem contra mundum; Spiritus sanctus charitatem erga Deum, & proximum*: gratiarum ergo cumulus in Virgine, Virginem Deo reddidit simillimã, & adeo simillimam.

D.Aug.

D. Dam.

D. Bern.

Quòd spiritualis ille rerum spiritualium inuestigator cõtemplans Mariam sic deitate perfusam, & extra humanam naturam existentem præ nouitatis magnitudine exclamasse legimus: *Procul & de vltimis finibus pretium eius*; valor, & Mariæ pretium, & æstimatio de longinquo erat, & de vltimis finibus, Cur non dixit magnum, maximum, excellens, singulare, optimum, & præcipuum, sed de vltimis finibus?

Prouer. c. 31.

Num nobis voluit innotescere huius Virginis pretium ingens esse, vt rerum quæ procul ab extremis terræ asportari solent? Ea enim, quæ de longinquo adducuntur pluris fieri solet, quàm quæ nostra tellus producit, non enim hæc fuit mens Sapientis, sed dicendo, quòd pretium Mariæ est de vltimis finibus, finem posuit laudibus, quibus Mariam laudare licet, hucusque mens humana fatigat, & vlterius progredi non valet.

Vt capias quid sit esse pretium Mariæ de vltimis finibus, scito, cuncta creata habere finem, & confinem, terminus, seu confinis terræ, est aqua, aquæ aer, aeris ignis, ignis cœlum, cœli cuncti illi spiritus supercælestes, qui cœlum inhabitant, horum omnium verò finis est Deus, qui dixit, ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis, hoc est, ego sum causa efficiens, & finalis vniuersorum, vniuersa enim à Deo sunt, & ad Dei gloriã creata, quòd cognoult Plato dicens: *Deus est, qui principium, medium, & finem rerum omnium complectitur, Deus est, qui rebus omnibus, & hominibus maximè electis suum dat principium, & ipse dabit finem, quia ipse quemlibet electum ad finem perducit, ipse est principium, qui creator est omnium, & auctor salutis, ipse est finis in quo anima quiescit & beatificatur.*

Plato.

Deus

Deus ergo, si est vltimus finis, ò miracula, ò prodigia, ò altitudo Mariæ; valor enim eius, extimatio, & pretiũ non est de rebus creatis sublunaribus, nõ est de sphæris corporum cœlestium, non de ordinibus Angelorum, eò quia nullum illorum erat meritum, quo mererentur Mariam, quia si possibila foret, aliquem Angelorum matrem habere, non erat, qui dignus filius tantæ Virginis extimetur, eò quia pretium eius tantummodo est de vltimis finibus, solus Deus fuit dignus Mariæ filius, & ipsa sola meruit habere Deum filium communem cum patre, vt D. docet Anselm. de excellen Virg. cap. 3. D. Ansel.

Hunc igitur tibi, inquit Sanctus, *tàm vnicum, quàm dilectissimum, & in omnibus omninò æqualem, non passus est remanere suum, sed eumdem ipsum, voluit in rei veritate esse B. Mariæ vnicum, & dilectissimum & naturalem filium, nec ità vt duo essent, vnus videlicet Dei filius, & alius filius Sanctæ Mariæ, sed vnus, & idem ipse, qui filius Dei esset in vna persona esset filius Sanctæ Mariæ, & qui filius S. Mariæ vnus, & idem ipse, esset in vna filius Dei, quis hæc audiens non obstupescit.*

Cur non deitate perfusa, & homo deifica Maria? si tot, & talia dona, & insignia in corde suo coaugmẽtauit Deus, coniunxit, copulauit, addixit, contexit, ferruminauit, consolidauit, & aglutinauit, vt Deum mereretur generare, & vnum, & eumdem cum patre communem habere filium.

Cur palmæ filio per omnia non similis palma Maria? si teste Diuo Arnoldo in lib. de laud. Mariæ: *Vna est Mariæ, & Christi caro, vnus spiritus, vna voluntas, vna charitas, vnitas diuisionem non recipit, non secatur in partes, & licèt ex duobus factum sit vnum, illud tamen scindi non potest, atque adeò filij gloriam cum matre non tam commune iudico, quam eamdem*: si vna caro, vna persona censetur mater, & filius, ergo eadem vira, vox, actio, & operatio. S. Arnol.

Si singularis fuit Mariæ affinitas ad Christum, quia ab eà carnem accæpit, & singulari non dico vnione, quàm vnitate inter se copulati sunt; & filij habentur pro eadem persona, vt in l. fin. C. in pab. in caufis agendis, eadem vox patris, & filij, & in §. ei verò de inutil. stipulat. Vnum corpus, & vna caro, ergo & vna actio, ergo & eadem operatio.

O inexcogitabilis similitudo Mariæ, quæ si in vita fuit palmæ filio omninò similis, & in termino vitæ eidem non fuit dissimilis; instante Christi mortis hora, discipulos suos ad se vocauit, quibus multa dixit, multa prædixit, multa promisit, multa docuit, multa commisit, multa præcepit, multa consuluit, & sub specie panis, & vini seipsum in Sacramento Eucharistiæ donauit, multum orauit, & confortatus ab Angelo, à quo factus certus de morte sua, nec non & de patris decreto sponte inclinato capite tradidit spiritum.

En æmula Maria quomodo sequitur filij sui regulariter vmbram, quomodo emusicata imitatur, existens infaticabilis filij Dei æmulatrix in vita, & in morte illi conformis; quando ab Angelo de filij sui voluntate, & de sua dormitione certa redditur, & in argumentum suæ victoriæ ab eodem cum ramusculo palmæ de cœlo sibi fulgentis allato consolatur; Sic testatur Nicephorus lib. 2. cap. 21. *Virgo nuncium à filio per Angelum de migratione accæpit: migratione cognita immensa repletur lætitia*: quid enim dulcius ei, quam vt cum filio, & Rege suo rñr contingerret, idem testatur Metaphrast. orat. de dormit. Mariæ dicens: *Cum mortis eam fieri participem necesse foret, & ætate prouecta ad multam senectutem peruenisset, & peregrinationis tempus præsens esset, per Angelum se migraturam esse à filio edocta est, sicut & antea, quo tempore in eius ventrem ingressurus erat nuncius illi fuerat*; si idem nuncius ergo qui nunciauit filij Dei cõceptum, ipsemet Gabriel Archangelus nunciat eidem Virgini mortem, qui ostendit ei brauium, quod sibi à Christo datum fuerat. id erat ramus palmæ signum victoriæ, & vitæ imago immortalis. D. Nice. Metaph.

Post filij sui ascensum superuixit Virgo quatuor super viginti annis, ne nobis subitò deesset, & Apostolis, & reliquis omnibus opem ferret, præsidio esset simul & foueret, & multa eos doceret, & vt Christi Vicaria esset, totius Ecclesiæ firmissima columna, Apostolorum magistra, & consolatrix omnium fideliũ, vt scribit Lucius Dexter in suo Chronico, fuit enim hic Diuo Hieronymo coæuus dicit ergo: *Sacra Virgo Maria consilio luce doctrina, & mirabili vita exemplo Collegio præsidet Apostoli-* Lucius Dexter.

eo, nihilque graue gerunt illi, quòd non eius consilio, ductuque gerant; ad hoc enim Christus post eius Ascensionem voluit esse superstitem, vt nouellas plantulas Sanctæ Ecclesiæ eius doctrina, consilio, monitis, & exemplis, velut aquis irrigaret, firmaret, instrueret, fortificaret, & robustiores redderet.

Vig. Car. Ad hæc spectant verba Vigerij Cardinalis in suo dechacordo corda 9. quasi à filio hoc præceptum accepisset Maria, ascensurum in cœlum sic locutum matri fuisse contemplatur ipse: *Neque diù ò mater durabit nostra secundum carnem separatio, instrues, confortabis, & diriges discipulos meos, & sicut in morte mea tu sola fuisti lumen indeficiens, spei inconcussa columna, charitatis amplissimum domicilium, ita post Ascensionem meam prò gratia plenitudine, & beneficentiæ exuberanti virtute, eris perpetuò in omnes mihi fide subiectos fluuius gratiosus, quo in principio nascentis Ecclesiæ, quasi plantula, nutrientur animæ iustorum cùm hæc impleueris, cum plantationes nostræ fuerint confirmatæ, cumque ego plantaui, tu irrigaueris, veniam ad te, & quomodo nunc me vides ascendere, sic te conducam.*

Impleuit, quòd sibi iusserat filius, cui vt esset, & in hoc mater similis, antequam in cœlum abiret, videre voluit, quos suæ doctrinæ lacte educauerat, ex omnibus mundi partibus, in quibus erant Apostoli dispersi miraculosè in momento temporis, vt migraturæ Virgini adessent, & astarent, reducti fuerunt, de hac re astat testimonium Iuuenalis Ierosolymorum Episcopi, D. Damasceni; Metaphrasti, & Grrgorij Turonensis, qui lib. 1. de gloria martyrum cap. 4. sic scribentis. (Iuuen. Ierosol. Episc. S. Dama. Greg. Turon.)

Congregati sunt omnes Apostoli, de singulis regionibus, ad domum eius, cumque audissent, quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul, & Metaphrast. orat. de dormit. Virginis: *Per nubem Virginis filius suos discipulos congregauit, vt venerandum eius corpus mandarent sepulturæ*: & non solum Apostoli; sed & Septnaginta duo discipuli conuenerunt, & multi alij, qui vel amoris, vel generis propinquitate erant coniuncti. (Metaph.)

O anima mea adesto, & tu saltem, & nunc, & mente, & spiritu exhibe te præsentem, intuere Mariam in lectulo iacentem, non febre febricitantem, sed diuino amore languentem, & ad finem vitæ suæ, iam proximam quàm circũstant Apostoli, & cæteri omnes, tristes de suo discessu, lacrymantes, & dolentes de sua migratione, quos dulcissimis verbis, & materno affectu sic consolata est.

Vos valete Filioli, meum autem hinc discessum, ne luctu, sed lætitia potius spirituali prosequimini, quãdoquidẽ sic vobis persuasum, nos autem transire ad gaudium, & filij mei visionem, & fruitionem; videte vt corpus meum mandetis sepulturæ, in hac figura, in qua ego me composuero, hæc est enim mea voluntas.

Multa prædixit, multa docuit, & in spiritu rxultans cæpit laudare Altissimum dicens. Benedico tibi datori omnis benedictionis, causæ luminis, qui meum ventrem inhabitasti. Benedico tuæ charitati, qua nos Domine dilexisti, & magnifica verba tua, quæ nobis in veritate data sunt, & credo mihi affutura quæ dixisti.

His dictis amoris vulnere vulnerata collegit se in lectulo, facie cœlum vrrsus eleuata, ibique fixis oculis, manibusque extensis, cum forma decenti composuit corpus, interrim ecce à summo cęlorum descendere ad se vidit filium suum cum multitudine Angrlorum in occursum eius, ita astipulatur D. Damascen. orat. 2. de dormitione Virginis: *Rex ipse ad matrem suam venit, vt diuinis suis, & purissimis manibus sanctam, & omnis labis expertem ipsius animam suciperet*; Et licèt in vita Parochus Mariæ fuerit semper Beatus Ioannes Euangelista, cui & commendata à filio legimus in Euangelio in hac vltima hora, vt testis est Ioannes Gerson tractatu 9. in Magnificat ipse Dominus Iesus, Parochi officio functus, proprijs suis manibus communicauit dicens, accipe hoc carissima mater, quòd mox complebitur tibi reuelata facie in regno meo. vna cũ patre meo; hæc audientes Apostoli, & qui circumstabãt, genibus flexis, collacrymantibus oculis, rogabãt illam, teste Damasceno, mane nobiscum, quæ es consolatio nostra, quæque in terra es vnicum laborum nostrorum refugium, ne quæ mater es misericordiæ, nos relinquas orphanos, habemus te laborum requiẽ, & sudorum nostrorum refrigerationem si velis manere, in tua est potestate, si ve- (S. Dama. Io. Gers.)

lis recedere nihil est impedimenti; si recedis, quæ es Dei tabernaculum, nos quoque recedemus, qui vocati sumus tuus populus, propter fillum tuum, te solam nobis relictam in terra habemus, ò Maria, te viuente viuimus, & te moriente melius est nobis etiã emori, quoniam tecum mori est, quid beatum, & vita immortalis; quid autem te morientem dicimus, si tua quidem mors vita est melior & quid nobis erit, si te nobiscum non habemus? cum qua versemur?

Quibus illa, nō turbetur cor vestrum ò filioli, ero vobiscum, ero apud vos, ero vestra mater, & magistra, et apud Deum filium aduocata, cui nunc etiam vos commendo, et fixis in filium oculis, in conspectu multitudinis Angelorum sic dulciter affata fuisse testatur D. Damascenus. D. Dam.

In manus tuas dilecte fili commendo spiritum meum, suscipe tibi caram animam, quam conseruasti alienam ab omni reprehensione, meum corpus tibi trado, & non terræ: matrem tuam custodi saluam, quam tibi placuit habitare, & cùm natus es ex ea conseruasti Virginem, tu me ad te transfer, vt vbi tu es fętus meorum viscerum, ego quoque tecum degam, ad te enim propero, qui ad me venitasti citra vllam spatii distantiam, tu meis filiis maximè desiderabilibus, quos tibi placuit vocare fratres, esto mei discessus solatium, benedictioni eorum, adiice benedictionem per mearum manuum extensionem.

Ad quam dilectus filius approximãs extensis brachijs suauiter amplectens, & deosculans ad se traxit illis verbis: *Surge propera amica mea, columba mea in foraminibus petræ in hac cauerna maceriæ:* Cant.c.2. Vani benedicta mater mea in requiem meam, quam dextera manus fuæ benedicens, & quotquot erant ibi congregati, inter amplexus suauissimos dilecti filij sui orans, & psallens, & super pectus eiusdem caput reclinans, ibi pausans, & quiescens ruptis corporis vinculis, non vi seu mortis imperio, sed manu dulcissimi amoris suauitèr solutis, os in latere filij in fonte cordis illius sanctam tradidit animam, quæ absorpta est, & in fonte illo diuinitatis, & gloriæ fuit immarsa, corpus verò remansit exanima, sed à natiuo suo colore non alienum.

Mortua est Maria, sed in ea mors nihil potuit, nihil valuit, nihil intulit, dum sic in illa remansit vultus viror, gratiæ nitor, & gloriæ splendor, ita vt mortua viuere, & viuens mortua putaretur, eadem viuacitas vultus, idem splendor, odor, fragantia, & faciei illius eadem serenitas, eadem elegantia, qualis apparere solebat, dum quietè dormiebat.

Quid in ea obesse potuit mors? si mater est vitæ? & vita vitæ diuinitate perfusa, elongatur à Maria omnis horror, & mortis turpitudo, tollitur à Virgine mortis pallor, & fętor, nec mirum, quia moriens, dum os vitæ ori spirans admouit, vitam ausit non mortem.

Cuius mortis exitus qualis fuerit, & quid in eo acciderit, & vbi, si scire aues anima mea, en D. Ioannes Euang. qui adfuit, vidit, & manibus pertractauit, hanc Virginis ex hac vita migrationem in duodecimo capite suarum reuelationum vocat miraculosam, non quia illa tot fuerat illustrata miraculis, sed quia in se habuit ratione miraculi, fuit enim in ea naturalis ordo ad contrarium effectum, vel ad contrarium modum faciendi, vel contraria dispositio secundùm naturam effectui, qui apparuit; Moritur Maria vt vera filia Adæ, & non moritur, quia mater est vitæ, & mortua non vidit caro eius corruptionem, & tacta mortis manu sine doloribus tangitur: *Quemadmodum*, inquit D. Damascenus orat. 1. de Assumpt. *antequam vllo partus dolore afficeretur, peperit, ita etiam ipsius e vita discessus doloribus caruit, nullaque ægritudine confecta:* Audiamus ipsum Euangelistam: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Ioan. Eu. D. Dam. Apocal. c.12.

Attende mysterium, tunc Maria lunam visa est premere pedibus, quando ex hoc mundo migrauit ad filium, luna quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitatis symbolum est; quippè, quæ mille lucis habet mutationes, cuncta namque creata, quia generationi, corruptioni, augmentationi, diminationi, alterationi, & etiam loci mutationi subijacent, dicuntur sublunaria, & sunt caduca, transitoria, fluxibilia, & corruptibilia, quia Virgo hæc omnia pedibus calcauit, contempsit, despexit, & cęlestia, quæ firma permanentia, stabilia perpetua sunt, & æterna, petebat, & tūc in illa hora tendebat, properabat, auolabat, & anhelabat, gressusqua mentis

suæ dirigebat, sub hac figura contendit Sanctus Euang. noobis præmonstrare, & obsignare Virginis vitæ terminum, & vltimi illius diei transitum, qualis fuerit vtique miraculosus, signum magnum, quia dum pedibus suis Mariam calcat lunam in illo mortis articulo, in illo suæ migrationis actu, in illo suę obdormitionis termino ferebatur super omnes res caducas, non se caducis, sed res caducas pedibus subijcebat, quid tunc ô Ioannes? Tunc apparuit amicta sole, sole vestitur, qui superni luminis splendore protegitur, & quæ in corde solem habebat, sol ipsam quoque foris amiciebat amicta ardore, amicta charitatis flammis, vnde in Virgine mortis vmbra? mortis tenebrę? mortis dolores? horrores? angores? anxietates? mortis fœtor & corruptio? si totum, quòd gestum est lumine solis apparuit amictũ, audi D. Bernardum in serm. de verbis

D. Bern. Apocaly. *Calidissimus est huius mulieris amictus; cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari.*

Virginis corpus, & si mors attigit, ab eo tamen longissimè aufugit omnis mortis amaritudo, & corruptio, cur hoc? quia erat amicta sole, vestita diuini luminis splendore, & hoc quid est? *Signum magnum, & speciale miraculum,*

D. Andr. Cretens. inquit D. Andreas Cretensis in orat. de Assumptione, *Mater quæ ipsum viuere pepererat cõsecuta est vitæ finẽ, partus nõ obsimilem, & miraculum Deo, & si de dignum, sicut non fuit corruptus parentis vterus, ita mortuæ caro non interijt, ô miracula, partus effugit corruptionem, & sepulchrum non admisit interitum,* quia erat amicta sole.

Verè mors Virginis signum magnũ, quum dies, & hora illius fuit ab Angelo nunciata Mariæ, & in signum trophæi, & ipsius mortis victorię, in signum quoque vitæ immortalis ab eodem e cœlo defertur ramus palmæ, cuius meminit

Pomer. Auctor Pomerij lib. 10. p. 5. cap. 2. quòd habebat folia, vt stella matutina fulgentia quasi coloris argentei fulgentissimi, cuius intuitus deuotionem ingerebat

D. Dam. Niceph. Metaph. conuenientibus, & vt testes sunt D. Damascenus orat. 2. Nicephorus lib. 2. cap. 21. & Metaphrastes narrant, quòd Virginis discessus multis fuit illustratus miraculis, ita vt omnis morbi genus solo tactu

D. Andr. Cretens. profugit, & Andreas Cretensis: *Virgo,* inquit, in orat. de Assumpt. *miraculo plenum mundo reliquit ortum, & decessum.*

Nubi obscuræ, sed solis radijs illustratæ persimilis mihi videtur Virginis obdormitio, dum apparet amicta sole filij Dei, & sui, qui morienti matri adesse voluit, & vere vt super probatum est, astitit stipatus agminibus Angelorum, & vbi sol æterni luminis micat, & splendet, num simul adesse potuit mortis caligo? mortis vmbra nè, vbi irradiat, & amicit sol æternæ vitæ, qui ad vitam tertia die reuocauit & matrem, sicut tertia die, & ipse surrexit à mortuis, cur hoc? nimirum quia erat amicta sole.

Subdit, & aliud miraculum Ioannes, vt ex toto Virginis eggressus appareat fuisse signum magnum, quod in illa hora sui transitus apparuit Virgo coronata stellis duodecim, quid stellæ istæ nisi Sancti Apostoli, qui toto orbe volabant, antequam à mortalibus eriperetur, diuino nutu conuolarũt, & vt adessent Virgini ex hac vita migranti, per nubem Dominus Iesus congregauit eos, vt matris petitionibus, & discipulorum satisfaceret desiderijs, miraculo transportauit.

Iodul. de Sax. Pijssimus Lodulfus de Saxonia in lib. de vita Christi par. 2. cap. 86. premens hæc Diui Ioannis verba prælo suę contemplationis perdulcissimum hunc elicuit saporem: *Assumptio Mariæ olim fuit Ioanni in Pathmos Insula præfigurata, nam mulierem quamdam admirabilem in cęlis videbat quę sole amicta erat, & Maria circundata diuinitate in cęlum ascendebat, luna sub pedibus eius esse videbatur; per quod perpetua stabilitas Mariæ designatur, luna enim instabilis est, non diù manet plena, & designat mũdum, & omnia terrena, hæc instabilia Maria contemnens, sub pedibus calcauit, & ad cælum vbi omnia stabilia sunt, anhelauit coronam etiam in capite suo mulier habebat, quæ in se stellas duodecim continebat, corona consueuit esse signum honoris, & signat honorem gloriosæ Virginis condignum per duodecim stellas Apostoli intelliguntur, qui in discessu Virginis omnes adfuisse dicuntur:* hæc ille.

Adfuerunt vt corona, & funeri illius interfuerunt miraculosè ducti ex omni terrarum orbe, vt etiam ex comitantibus

bus

bus signum magnum apparet Virginis obdormitio, quæ in hac vltima suæ vitæ hora verè visa est amicta sole, nam descendens ad eam filius, & stans super illam inter perdulcissimos illius amplexus,& oscula,cum reclinasset illa caput super pectus dilecti sui, & faciem haberet versam ad lateris vulnus, cui proxima admouens ipsa os ori,& labia labijs illius plagæ deosculans, iam dulcitèr osculata, aperuit os suum, quid dicam? attraxit ne?an emisit spiritum,vt fatear vtrumque,& expirauit,simul & respirauit ad vitam vt purissima, & amoris vulnere dulciter conuulnerata,ex osculo lateralis vulneris subitò conuolauit ad osculum diuinitatis, & æternæ fœlicitatis, cuius animam dum comitantur Angeli diuinis hymnis deducentes eam vsque ad thronum maiestatis diuinæ, alij permulti cum sanctis illis Apostolis remanserunt circa virginale corpus psallentes, citharizantes, & dulciter canentes.

Meritò dulcitèr canebant, quia non erat dies mortis,sed transitus ad lætitiã, nam non fuit doloribus oppressa Virginis obdormitio, sed gaudijs cohonestata, vt de Vrgine prædixit Sapiens in
Prouerb. lib.Prouerb.cap.31.*Et ridebit in die nouissimo*: non mœrens non lugens occurrit morti Maria, sed gaudens, & ouans,vt quæ ibat ad amatum, quem ipsa genuerat, ridens obijt, & gaudens obdormiuit,quæ gaudio suo vicit mortem,& suo risu irridebat mortem, nam non mortis sed amoris sagitta vulnerata obijt; quæ erat meritis innumeris prædiues, & virtutibus omnibus plena mors non timorem, non mœrorem intulit, nec concussit, sed cœlesti gaudio ineffabili modo eam affecit,hinc Diuus
S.Dama. Damascenus orat.1.de Virginis dormitione hunc Virginis transitum vocat gaudij celebritatem, & lætitiæ diem: *O miraculum*, inquit Sanctus, *natura præstantius,ò res summæ admirationis plena, mors quæ odio, & execrationi prius erat, hic commendatur,& beata censetur*: quæ olim luctum,& mœrorem, lacrymasque, & tristitiam afferebat, nunc gaudii, & lætitiæ celebritatis causa est,& quæ hęc risus causa, seu ratio lætitię in Virgine? & qui hic tam lętus mortis, & gaudii, mœroris,& iubilationis nexus? Nimirum,quis si sanctorum omnium partus ad cœlum,est eorum obitus dies, sancta tamen mater Ecclesia celebritatem, & natalitia vocat, & festiuis gaudiis lęta concelebrat, & in obliuionis abyssum consepultis mortis doloribus abyssat,& sepelit, dum hac noua natiuitate cœlo nascuntur,sic edocta à sponso,qui dixit *mulier cum parit tristitiam habet*, &c. *non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum*:mortis diem eorum,non mortem, quę luctum, dolorem, lacrymas,& mœrorem affert,sed natiuitatem, & natalitia gaudiis plena appellat. Ioan.16.

Cur non Virginis, cuius obitus si fuit partus ad cœlum, & ad filij sui latus,tunc nouo ordine, nouo miraculo, nonaque natiuitate edita est; non erit dies lætitiæ, & plena gaudijs, non mors beauit Virginem,sed à Virgine fuit ipsa beata,decorata,& cohonestata gaudiis, ò verè res summæ admirationis plena, tam lætus, tot tantisque gaudijs cœlestibus fuit plenus hic transitus Virginis ad cœlum,quòd mortem,quæ amarissima est mæstitia,doloribus, luctu, gemitibus, lacrymisque plena mutauit in gaudium, vt morti vicina læta expectaret mortem, & venienti læta occurreret, & proxima ingenti gaudio compleretur,& amplectaretur,& amplexata risit in die nouissimo, vndè dicebat D. Damascenus. *Quo circa non te mors beatam reddidit,sed ipsa mortem exornasti, vt quæ eius mœstitiam sustuleris; ac mortem gaudium esse plenum fecisti*.quid mirum si tota plena gaudijs risisse dicimus in die sui nouissimi. S.Dama.

Si moriens obijt Maria ad osculũ Domini,nec mirum si risit,& ridens, & lætabunda omnis mœroris, & mœstitiæ expers obiit gaudens, quia vt dicit D. Idelphonsus; *quæ dolori non subiacuit post partum,nec labori post transitum, cuius transitus non mors fuit,sed risus ineffabili lætitia plenus*; sibi risit Maria in die illo vitæ suæ nouissimo, & tibi ò anima mea,tibi risit. vt scias in die tuo nouissimo, in articulo mortis tuæ ipsa sola potest te,& super te sua præsentia perfundere risum,& gaudium,& mortis omnem expellere, & propellere timorem,mœrorem, & dolorem: Risus Virginis fuit ex præsentia filii sui,& ex merito suæ vitæ purissimæ vocata à filio, voce illa, *veni electa mea*, ad hæc verba subdit D.Idelphonsus serm.3 de Assumptione: *ad quam ipsam vocem credimus*, inquit, *quòd gaudens, & ridens soluta est* Idelph. Idelph.

anima illa beata, & perrexit, gaudens, & ridens, quia vt mater Dei; si culpam ipsam, & culpæ ærumnas venerat primi hominis eluere, & purgare; Et vndè mortis horror, mœstitia, & timor in Maria? Si ipsa primi hominis culpam, à qua mors traxit originem, extinsit, delenit, purgauit, meritò vt aliena à mortis iniuriis, & molestia, ipsa moriens effecta est, sed ridens, gaudens, & ouans in filii sui, & in osculo, & presentia eiusdem obiit, audi D. Damascenum; *Ac proinde tuam sacram migrationem, mortem haud quamquam appellabimus, sed somnum, aut peregrinationem, vel vt aptiori verbo vtar, cum Deo præsentiam non mors vbi vita, & Dei præsentia non mœroris, sed gaudij dies.*

D. Dam.

Somño igitur perdulcissimo, & læta ridens obiit Maria completo anno ab Ascensione filii sui in cœlum vigesimo quarto, & ætatis suæ septuagesimo secundo, de die verò si vera est grauium virorum sententia, quòd in cœlū ascendit Virgo in corpore, & in anima die Dominica, cum per triduum vt filius antequam resurgeret iacuisset in sepulchro, dies mortis illius fuit die Veneris, vt quæ filium fuerat imitata in vita eumdem sequendo imitaretur in morte, vt tu anima mea posśis verè dicere *Statura tua assimita est palmæ.*

D. Dam, D. Andr. Cretens. Metaph.

Domus verò in qua obdormiuit Maria, vt testis est D. Damascenus, D. Andreas Cretensis, & Metaphrastes fuit cænaculum, vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, est celebrare asśūptionē Virginis decima quinta die Augusti, ergo tunc dies mortis Mariæ fuit dies Veneris, vt incidit, & in hoc anno de hora non dubito, quòd fuit circa horam nonam, in qua filius eius mortuus est eadem hora, in qua surrexit filius resurrexit & mater, in eadem hora, in qua cœlum ascendit filius, assumpta fuit ibi, & genitrix Maria.

Ascende et tu anima mea ad palmam et quiesce sub hoc ramusculo, roga Virginem, vt in exitu mortis tuæ de hoc mundo occurrat tibi, suscipiat te in manibus suis, consoletur te vultu suo, et splendore faciei ipsius protegat te à conturbatione Dęmonum: sub hoc Ramusculo roga Virginem, vt sit tibi scala ad Regnum Cęlorum, iter paret ad Paradisum Dei, et suis intercedentibus meritis impetret à Deo Patre indulgentiam pacis: Defende me ò Virgo antè Tribunal Christi filij tui, & causam animæ meæ tu suscipe in manibus tuis, vt hic nunc, & ibi tunc benedicat anima mea nomen sanctum tuum, quòd sit benedictum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit, & sperat anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE GESTIS POST VIRGINIS Dormitione.

RAMVSCVLVS SEXAGESIMVSSEXTVS.

Statura tua assimilata est Palmæ.
Cant. cap. 7.



Maria verè palma, tu sola sempiternæ viriditatis, sempiternæque vitæ, quando nec emortua à te perijt pulchritudinis viror, nec emarcuit honestatis tuę nitor, nec elanguit formę elegantia, nec flaccessit gratia vultus, nec in te defecit diuinitatis splendor, nec à te euanuit sanctitatis odor; facies enim illa tua decora nimis, ita pulcherrima, hilaris, & iucunda erat post mortem, quòd intuentium corda, ad se deuotè & piè trahebat, mulcebat dulcedine diuina, replebat lætitia spirituali, lætificabat consolatione cœlesti, consolabatur odoris fragantia, reficiebat suauitate ineffabili, imbuebat sanctitatis liquore, & inebriabat amoris affectu, vt de se attestatur D. Dam. Diuinus Damascenus orat. 2. de dorm. Virginis, & de cęteris, qui interfuerunt.

Qui aderant metu, desiderio, & lacrymis exultationis diuinissimum, & sanctissimum circumstantes Tabernaculum complectebantur, & osculabantur, omnibus membris os admouebant, ex contactu repleti sanctificatione, & benedictione; & vt meum enunciem animi motum, ardentissima accensus tace desiderij, à quodam horrore occupor, & lacrymis, quæ pariunt lætitiam, ipsum beatum, & amabilem lectum amplectens, qui est plenus miraculis, qui accepit tabernaculum, quòd est vitæ principium, & ex accessione sui particeps sanctificationis, ipsum sacrum, atque adeò sacratissimum Taberbaculum, & spectatu dignissimum, mihi videbar proprijs completi manibus, oculos, & labia, & frontem, & collum, & genas membris admouens, & contactum sensi perindè, ac si constaret præsenti corpore.

Si sola spiritualis, & imaginaria visio in meditatione operabatur in corde huius sancti, quòd videbatur sibi manibus tangere, contractare labijs, & inter brachia habere, tenere, amplecti, & deosculari illud Virginis corpus, & loculum, ex cuius contactu repleri videbatur suauitate, sanctitate, sanctificationis odore, & inflammari dilectionis ardore, quid operatum credimus in cordibus illorum, quos Deus dignos effecit, verè tangere, videre, osculari, & realiter amplecti.

Si Sanctorum reliquiæ suauissimum efflantes odorem, deuotione, affectu, spiritu, & amore intuentium, osculantium, tangentium afficiunt animos, qualem suauitatis dulcedinem? qualem sanctitatis odorem? qualem diuinitatis fragantiam? spirabat corpus illud Virginis, & caro illa purissima, quæ templum fuit Spiritus sancti, & Tabernaculum Filij Dei, quomodo corda amantium, & tangentium non repleret benedictionibus cœlestibus? si sanctificatione, et benedictione aerem repleuit, terrã, et aquam, vt contemplatur Metaphrastes: *aer quidẽ, & cœlum ascensu spiritus sanctificabatur: Terra autẽ similiter depositione sacri corporis, cæterum nec aqua quidem natura erat expers benedictionibus, sed ipsa quoq; lauacro purissimi corporis fuit particeps sanctificationis, & sic concludit, mundis sindonibus mundum corpus rursus in lectulo ponitur.* Metaph.

En anima mea genibus flexis, corde amanti, affectu pio, deuotione pura, amore feruenti, spiritu ardenti adora corpus illud, amplectere lectulum, deosculare vestiméta illius, vt et benedictionibus replearis & tu, & ex cõtactu sancti-

ædificaris et tu; sic enim tibi præstatur norma ab Apostolis, qui teste Niceph. lib. 2. cap. 23. *lectulum illum corona circundantes, reuerenter osculabantur*: Esto simul cum eis, & obserua, quomodo palma Virginea palmæ diuinæ assimilatur in funere. Niceph.

Statura tua assimilata est Palmæ, quæ omninò fuit similis in vita, conformis in morte, sic non dissimilis fuit in funere, et sepultura.

Egressa igitur anima illa sanctissima de purissimo corpore sui ergastulo, tradita est B. Michaeli Archangelo, qui est præpositus Paradisi, Archangelus uerò Gabriel, qui Virginis fuit custos, & nunsius præibat cum tropheo lætitiæ, et comitantibus Angelis omnibus rapta est anima illa in cœlum, et locata in sede gloriæ magni Dei, et super choros Angelorum.

Corpus autem tanta resplendebat claritate, ut tangi posset pro obsequio, à Virginibus ad lauandum aqua mundissima, nō mundandum ab ipsa, quòd iam mundissimum erat, sed ut potius à sacro corpore ipsa sanctificaretur: tāgi igitur permissum est, sed uideri præ nimia claritate, et luce minimè poterat usque dum lauaretur, post lotionem illam euanuit lux, remansit tamen facies Virginis pulcherrima, ut palma sempiternæ uiriditatis liliorum præ se ferens pulchritudinem, et suauitatem odoris.

Esto præsens spiritu ò anima mea illis, qui astabant corpore præsentes, quomodo posito iam corpore Virginis in loculo obseruа sanctam illam contestationem inter Petrum Apostolum, et Ioannem Euangelistam, hic locum cedebat Petro, eò quòd erat Princeps omnium Apostolorum de ferendo palmam Virgini ab Angelo in signum uictoriæ allatā de cœlo, Petrus cedebat Ioanni, tum quia Virgo erat, tum quia à Domino fuit illi commendata mater in cruce.

Ordinatur sacra processio Ioannes palmam uictoriæ, et luminis præferebat ante feretrum, Petrus et coapostolus eius Paulus sustentabant Virginis corpus; cæteri uerò Apostoli, cum exercitu Angelorum psallebant uoce dulcissima, et circumquaque resonabat sonus melodiæ et lætitiæ; undè, et huius nouitatis causa, ex Ciuitate exierunt in occursum plusquam quindecim millia hominum, stupentes admirabantur, ut testis est D. Damascenus. S. Damasc.

Veritas nunc hic aperitur, cuius umbra præcesserat in 3. lib. Reg. cap. 8. Cōpleto à Salomone templo illo magnifico, quando in eo collocare uoluit Arcam fœderis, ut ibi requiesceret, conuocauit primò omnes maiores, et seniores Ierusalem, in translatione Arcæ de Sion Ciuitate Dauid, in templum Domini; Sacerdotes Sancti super humeros ferebant Arcam; Leuitæ uerò, et optimates populi, et ipsemet Rex Salomon sequebantur immolantes sacrificia, et holocausta, ita notat tex. *Tulerunt Sacerdotes Aaron tabernaculum fœderis, Rex autem Salomon sequebatur, & omnis multitudo Israel gradiebatur cum illo ante Arcam, & immolabant boues, & oues absque æstimatione, & numero, & intulerunt Sacerdotes Arcam Domini in locum eius in Sancta Sanctorum subter alas Cherubim.* Reg.

Arcam quid nisi Sanctam Mariam dixerimus, inquit D. Ambrosius serm. 18. *ipsa fuit Arca in qua Dominus quum figmentum suum, seù manuum suarum à lapsu reparare constituit, requieuit, & in suam surrexit requiem*, vt huic Arcæ suæ animatæ requiem daret ipse nouus Salomon, & verè Princeps pacis, congregauit ordines Angelorum millium, & optimates noui testamenti, qui tamquam Sacerdotes portabant Arcam fœderis, sequebatur multitudo Sanctorum omnium, qui tunc aderant in Ierosolymis, & descendentes descensum montis erat cum eis Rex æternus, & æterni Patris, & ipsiusmet Virginis filius, qui suæ diuinitatis splendore, et claritate suæ gloriæ lucis velo operiebat corpus matris suæ purissimæ. S. Ambr.

Venerunt vsque ad Montem Oliueti in Villa Gethsemani, vel vt alij dicunt in Valle Iosaphat, quæ est ad radicem montis oliueti, peruenerunt ad locum quem ostenderat illis Deus, & posuerunt illud in monumento nouo, clauserunt sepulchrum, vt testis est Sanctus Militon Episcopus Sardicensis de transitu Virginis, qui à B. Ioanne Euangelista hoc accepisse testatur: ipsi verò Apostoli sedserunt ad ostium monumenti plangentes, & vigilias ducentes, & psalmos dulcitèr & sine intermisione canentes. S. Milit.

Obserua quomodo omnes Sancti il-

li

li deposito Virginis corpore in sepulchro hymnos multiplicant, & laudes, quot genuflexiones? quot lacrymas? quot suspiria? quas voces flebiles? & quas præces deuotas emittunt, ita vt D. Andreas Cretensis, & S. Iuuenal. affirmant, *licebat videre sudores, & lacrymas de fluxu contendentes, imbrem lacrymarum præ lætitia continere non valebat.*

D. Andr. Cret.

Plangere mortuos suos vt Abraham, qui fleuit Saram, Iacob mortem Ioseph, Ioseph mortem Patris, & Dominus Iesus mortem Lazari, non solum est ius gentium, sed hunc fletum exigit à nobis humanitatis pietas, & charitas, ita nos docet D. Cyrillus Alexandr. lib. 7. in Ioan. inquiens. *Erudiuit nos Dominus Iesus suis lacrymis, quonam modo charos nostros vita functos, modestiæ, & lege rationis moderatis lacrymis flere debeamus; nam ex toto, nec compati, nec mæreri, ferinum est, & durum, horum verò exuberantia muliebre.*

D. Cyrill.

Qui autem, & qualis erat Sanctorum Apostolorum planctus ad sepulchrum Virginis? dicam quæ sentio, luctus erat pietatis, & doloris, planctus erat deuotionis, & lacrymæ erant lætitiæ, & exultationis; quis non plorasset, aut quale pectus lacrymas continere valeret, videns matrem vitæ somno mortis obdormire? non plangebant exanime corpus, sed plorabant vulnerati sagitta amoris; videbant enim se tantæ Virginis præsentia destitutos, ope, consilio, & consolatione, meritò plangebant, eò quia tanta matre, tanta præfecta, tanta magistra, tanto Doctore, tanta patrona, tanta doctrina, tanto duce, tanto auxilio se priuatos conspiciebant, plangebant non voce tantum lugubri, & lacrymis, sed & gestibus complaudendo manus, stringendo brachia, tundendo pectus, amplexando se ad inuicem, doloris, & mœroris lacrymæ tantummodo non erant, sed psalmodia, & hymnodia, & lætitia plenæ, dum tot & tanta prodigia operari, tot & tanta Diuinitatis, et gloriæ præcedere intuebantur, lacrymis suas deplorabant miserias, sed consolabātur de veritate fœlicitatis ipsius, et quilibet ipsorum plangendo dicere poterat, quòd plangendo de fratre suo dicebat D. Bernard. serm. 27. in Cant. *Plango primum super mea ipsius plaga, atque huius iactura domus, plango deinde super pauperum necessitatibus, quorum Gerardus pater erat, plango certè, & super vniuerso statu nostri ordinis, nostræ professionis, qui de tuo Gerarde zelo, consilio, & exemplo non mediocre robur capiebat, plango postremo, & si non super te, propter te tamen plangere debeo, planctus enim pietatis, charitatis, & amoris est officium, & non est, qui siccis oculis ferat absentiam dilecti sui, & non doleat.*

D. Bern.

Quo dilectionis vinculo tenebantur Apostoli, qui reposito Virginis corpore in sepulchro ab ostio monumenti non recedere, sed cogebantur stare, vigilare, & flere, triduo supra tumulum Virginis perseuerauit Angelorum cantus, concentus, & psalmodia, & triduo ibidem steterunt Apostoli psallentes, & laudantem Deum, & collaudantes Virginem.

Hæc est tua doctrina ô anima, & illorum erga Virginem argumentum amoris non recedere à sepulchro, amanti enim nulla sedes, nulla patria, nullus locus, nulla habitatio gratior, quam vbi cubant, & asseruantur dilecti sui ossa, & cineres.

Regi Dauid non fuit habitatio gratior, quam Ciuitas illa Hebron, in qua vnctus fuit in Regem, ibique regnauit, ibique mansit, ibique suam habebat domum sedem, & thronum, sic enim legimus in 2. lib. Reg. c. 2. quod *ascendit Dauid cum vxoribus suis, et singulis de domo sua, & mansit in Oppidis Hebron:* Si quæratur causa, cur Rex Dauid præ omnibus ciuitatibus Iudæ, in sedem elegit Hebron, & in patriam, respondet D. Theodoretus quæst. 8. *Ego opinor inquit ipse, propterea quod Patriarchæ in illa Ciuitate, & habitauerunt, & mortui sunt, & fuerunt sepulti;* illam igitur elegit Dauid Ciuitatem in sedem, & in Regis habitationem, in qua erant tumulata ossa suorum maiorum, & suorum auorum cineres, quos ipse tenerè amabat, adiudicauit sibi patriam, & sedem gratiossissimam cineres, & ossa suorum in Hebron sepulta, Hebron reddebant illi præ cæteris omnibus cariorem, & gratiorem, quoniam amanti nullus locus, nulla sedes gratior, quam vbi iacent dilecti cordis sui cineres, & ossa.

Reg.

S. Theod

Probat hoc mulier illa nomine Rasphà, quæ vt habetur in lib. 2. Reg. c. 21. supra petram iuxtà quam erant ossa, & cineres filiorum suorum à Gabaonitis interfectorum, parauit ipsa sibi, quando

sol-

tollens cilicium, seu stratum, & substrauit ibi super petram, Cur hoc? nisi quia amanti nulla habitatio gratior, quam vbi dormiunt cineres, & ossa dilecti sui, hoc aperte insinuare voluit Caietanus, quando inquit: *maternus amor describitur, vt qua erat Regis vxor, in rupe habitauerit ad curam habendam corporum afflixorum.*

Caiet.

Peregrinum in mundo elegit se esse Sanctus Patriarcha Abraham, at vbi vidit dilectam cõiugem suam in Hebron mortuam, ibi statim emit agrum, quem vt suæ quietis locum, & sedem incoluit, & amanit, dum sic legimus in Genes. cap. 23. *Aduena ego sum apud vos, dixit ille filijs Het, date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuam meam*, lectio Hebræa, *date mihi possessionem sepulchri.*

Genes.

Lectio Hebræa.

Ille, qui ab omnibus peregrinus erat, nunc in Hebron possessionem quærit? nihil possidebat, nunc possessorem sepulchri se facit? cur hoc? nisi quia amãri nulla sedes, nulla possessio, nulla habitatio gratior, quam illa vbi sepulta iacebant cineres, & ossa cõiugis dilectæ suæ.

Si non piget, perge anima mea ad Christi sepulcrum, & à D. Ioanne addisces, quod abeuntibus Apostolis non inuenro corpore Iesu, notat rexr. quod *abierunt discipuli ad semetipsos, Maria sola remãsit, & stabat ad monumẽtũ foris plorans*; abeunt illi stat hæc sola et flando flebat; cur hoc? nisi quia hæc sola plus amabat, et amoris vinculis stricta tenebatur, ne à monumento recederet, etiam recedentibus Apostolis; erat amans, et amoris vulnere cor habebat vulneratum Maria, et vt amanti non erat illi locus gratior, quam vbi dilectus cordis sui tumulatus iacebat: sepulchrum illud erat illi locus præ amoris magnitudine patria carior, habitatio suauior, sedes gratior, et lectulus suæ quietis dulcior; sic restatur Origines alloquens Mariam. *O Maria quid spei? quid cordis? aut quid consilij erat tunc tibi? vt sola stares ad monumentum, tu ante illos venisti, & post illos remansisti, cur hoc fecisti?* sapiebas plus illis? amabar ipsa, & ardenter amabat, & tenerè amabat, & vbi hic amoris cordis sui ignis requiesceret, gratiorem locum requirebat, gratior non erat nisi vbi amatus iacuerat, vbi amatus tumulatus fuerat, & si amati dormitionis locus erat sepulchrum, quid miraris si illa amatrix, & amans nec a sepulchro, in quo amatum sperabat inuenire, videre, amplecti, tangere, et deosculari, nec discedere, nec sepulchrum deserere poterat, sed amoris vi ducta, ibi parat sedem suæ quietis, ibi parat patriam suæ possessionis, ibi parat locum suæ habitationis; Idcircò recedentibus discipulis ipsa sola non recedebat, sed amoris vinculis ligata stabat ad monumentum plorans vt videret amatum, et frueretur amato.

Orig.

Aperta tibi ò anima mea præstatur via, et exemplum: ò si cor tuum erga Virginem matrem flammis dilectionis eius æstuaret, ò si charitate illius arderet, ò si amoris sagitta illius vulneratũ sentires, vtique iuxtà Virginis sepulchrum sederes, et flens stares, nec paterer is amoueri, nec ab illo auelli, sed id te sentires, quod de Sanctis Apostolis scribit Metaphrastes. *Cum autem in orbem sanctum Virginis corpus circumdedisset Apostolorum chorus, & quidquid erat electum ex viris, & mulieribus, hymnis honorabant, qui illud ducebant, & omnia membra reuerenter simul, & amanter amplectabantur, non solum suum ostendentes desiderium sed vel ex tactu credentes percipere vtilitatem.*

Metaph.

Quid amoris, quid benedictionis, quid dulcedinis, quid consolationis, quid salutis, quidue gratiæ, quid deuotionis non sentires, quid indulgẽtiæ nõ reciperes, si nõ tàm sepulchrũ est corporis, quàm officina miraculorum, vt tui cordis rumpatur duritia, & eiusdem vana frangatur vagatio, vt deuotionis concipias spiritum, vt virtutum omnium ornamento coroneris, vt ab impietate munderis, vt erga Deum & Mariam accendaris amore, sit hæc Virginis spelunca, sit hoc Mariæ sepulchrum, sit hic Dei genitricis tumulus totius vitæ tuæ patria, sedes, domus, lectulus, locus, & habitatio.

Melius est tibi ò cor meum sepulchrum Dominæ tuæ cum Maria custodire, et ibi flens stare, quàm cum Apostolis ab eo longius abire, sta igitur et ibi morere, vt saltem iuxtà sepulchrum Virginis Dominæ tuæ sepeliaris.

Sepulchrum enim hoc Virginis non mortuorum locus est, sed viuentium habitatio, fœlix illa anima, quæ egrediens de vase fragili corporis sui, mox pote-

poterit ingredi in gloriosum sepulchrū matris gratiæ, matris spei, matris dilectionis, & matris æternæ vitæ, ita igitur iuxta sepulchrum Virginis, dum vita viues, et moriens illi adhære, illud ingredere, vt nec viua, nec mortua valeas ab illo separari, nec auelli, et vndè in te mortis horror, si Virginis sepulchrum non deseris? si vitæ tantum spirat odorem, testatur D. Andreas Cretens. ser. de dormit. Virg. *Quòd in saxo qui fuit sepulchrum Virginis remansit forma iacentis beati corporis, & tunc temporis conspiciebatur ab omnibus in valle Iosaphat apud torrentem Cedron.*

D. Andr. Cretens.

Dicam et hoc, quòd hic locus, qui est Virginis sepulchrum fuit et Christi diuersorium, habitatio, et oratorium, hic enim orauit antequam iret ad mortem, hic patratum fuit suæ proditionis scelus, hic osculo fuit traditus à Iuda, à Iudæis inuasus captus, et ligatus, hic dedit nostræ salutis initia, et is locus est victoriæ et salutis.

Vt ascendas ad palmam, descende ò anima mea in sepulchrum Virginis erit tibi vtique scala cœli, et porta vitæ, sub hoc ramusculo quiesce, et diù commorare vt fructus illius legens suauitèr gustes, esto ibi secura, non cessans laudare Mariæ nomen vt benedicens tu illi, te benedicat et ipsa, dic ergo benedictum sit nomen tuum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria monstra te esse matrē, et miserere mei, quoniam in te sola sperans confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, nunc, et in hora mortis meæ. Amen.



DE PORTENTOSO VIRGINIS MARIÆ Sepulchro.

RAMVSCVLVS SEXAGESIMVSSEPTIMVS.

Statura tua assimilata est Palmæ.
Cant. cap. 7.



MVlta magnalia, & portentosa quidem, pieque meditanda scriptis suis Sancti Patres, qui satis prolixè scripserunt de dormitione Virginis, obis testata tradiderunt; sed quæ res, ad eorum meditationem magis allicere, & delectare ad contemplationem, magisque suauiter attrahere, imò & vrgere debent, sunt sepulturæ locus, funeris portitores, solemnis nimis exequiarum Ritus, & honor; sepulchri materia, artifex, splendor, & gloria: quorum aliqua, quia diuersarum pergrauantur pōdere opinionum, in incerto laborare videntur, vt ad veritatis, firmiorisque probationis deducantur argumenta Sanctorum Patrum sententijs, ac doctrinis tibi sedulò innitendum est.

Locum igitur, in quo tumulatum fuit Virginis corpus, non dubites prædium fuisse Gethsemani, cui sic alloquitur D. Andreas Cretensis Archiepiscopus Ierosolymitan. (D. Andr. Cretens. Archiep. Ierosol.) *Gethsemane suscipe nouam Reginam, para sepulchrum, produc ea, quę sunt vsui ad sepelliendum, orna thecam vnguentis optimis, & suauissimi odoris:* Gethsemane locum fuisse sepulturę Beatissimæ Virgini, docent D. Ioannes Damascen. Metaphrast. Nicephor. Beda, & Brochard. (D. Ioan. Damasc. Metaph. Niceph. Beda. Brochar.) qui & sepulchri locum oculis meruit intueri, & ipsum loculum deosculari in descriptione Terræ Sanctę 1. p. c. 7. §. 47. sic habet: *in Valle Iosaphat, non quidem in ima profunditate, sed in pede montis oliueti, parum tamen supra ipsam Vallem locatum fuisse Beatissimæ Virginis sepulchrum.*

Verum, scias, propè Ciuitatem Sanctam Ierusalem, Vallem esse, quæ Vallis dicitur Iosaphat, quam interfluit, et it-rigat Torrens Cedron; vltra torrentem eleuatur mons oliueti, ad cuius radices villa erat, & hortus Gethsemani, de quo D. Hieronym. in lib. de locis hebraicis, (D. Hier.) sic scribit: *Gethsemani locus, vbi Saluator antè passionem orauit, est autem ad radicem montis oliueti, nunc Ecclesia desuper ædificata; sed Ecclesia hæc constructa fuit ad honorem Virginis, & sepulturæ eiusdem;* in lib. de locis sanctis sic habet Ven. Beda cap. 6. (Beda.) *In eadem Valle Iosaphat, Sanctæ Mariæ Rotunda est Ecclesia lapideo tabulato discreta, cuius in Superioribus quatuor Altaria, in inferioribus verò vnum habet in orientali plaga, ad cuius dexteram monumentum vacuum, in quo Sancta Maria aliquando pausasse dicitur;* hæc illæ; & non aliorum manibus obsequio ibi legimus tumulatum, nisi Apostolorum, qui & funeris, & feretri portitores fuere.

En quàm lætum hoc funus ab omni tristitia alienum, en quam iucundum omnis mæroris expers; corpus enim quòd efferebatur exanime, corpus erat Virginis, & mater viuentium, portitores Apostoli erant primates Ecclesiæ, comitatus non erat turbarum amarè lugentium, sed et filij Dei, & Virginis, & Sanctorum Angelorum, ille vt Deus diuinitatis suæ nouo splendore matris circumcingebat corpus, & loculum, isti modularis vocibus psallebant, cantabantque laudes debitas persoluentes, & gratias agentes Deo, collaudantes Dominum.

Collocato igitur corpore B. Mariæ Virginis in feretro, sedatoque inter Petrũ, & Ioannẽ dulci, ac humili dissidio, de palma, & corpore Virginis deferẽdo; consilio Petri, qui Ioanni antè loculum palmam dedit deferendam, & ipse, vt

Prin-

Princeps Apostolorum corpus elegit deferre Virginis, cum adhæsissent omnes, sic factum describit D. Militon Episcopus Sardicensis, Ioannis Euangelistę auditor, & discipulus; *Petrus eleuans à capite feretrum, cœpit psallere & dicere, in exitu Israel de Aegypto alleluia, sustinebant autem eum eo Paulus Beatæ semper Virginis Mariæ corpus, & Ioannes antè feretrum præferebat palmam luminis: Cæteri verò Apostoli psallebant voce suauissima; Et ecce nouum factum est miraculū, apparuit enim corona nubis super feretrum magna valdè sicut apparere solet magnus circulus iuxtà splendorē lunę, & Angelorum exercitus erat in nubibus Canticum suauitatis canentium, & resonabat terra sonitu dulcedinis magnæ*, hæc ille.

D. Milit.

En quàm nobilique comitatu, en quàm festiuis Canticis Virginis corpus defertur, & aptatur sepulchro; cuius materiam non dubites fuisse marmoream candidi coloris cum punctis quibusdam rubedinis mira iucunditate permixtis; Testis est oculatus, qui Virginis Ecclesiam describens in Valle Iosaphat sic habet, est autem, sepulchrum in medio chori antè altarum marmoreum & mirificè decoratum; Huius verò sepulchri opificium, & artifex non fuit manus hominis, sed à Deo præparatum & fabre elaboratum ministerio Angelorum, dum nullius fuisse proprium, vt Christi sepultura memoratur; si Virginis, & Martyris Catharinæ curæ fuit Christo Domino thecam manibus Angelorum præparare, aptare corpus, & sepelire; quòd et præstitit Martyri Clementi; de quo sic canit Ecclesia, dedisti Domine habitaculum martyri tuo Clementi in mari in modum templi marmorei angelicis manibus præparatum; si hoc præstitit seruulis, quantò verius matri? cui vt par redderet, et debitum, vt filius impenderet honorem, sua præsentia matris exequijs voluit interesse, et eas splendore suæ diuinitatis illustrare, immò crederem, quòd sicut pia mater emortuum filij sui corpus sepeliuit, ita filius pro sua pietate, et dilectione matris corpus proprijs manibus, inuisibilis tamen modo coaptauit sepulchro; externo autem, et visibili obsequio corpus Virginis ex Sion proprijs humeris deduxerunt Apostoli, qui proprijs manibus tradiderunt sepulturæ in prædio Gethsemani, mouent me ad hoc verba D. Damasceni. *Corpus autem* inquit, *manibus Apostolorum portatur, Rege regum inuisibilis suæ Deitatis splēdore illud contegente. Viderunt autem*, inquit D. Militon, *lucis candorem, vt nulla mortalium lingua dignè possit affari, tunc Saluator locutus est Petro, dicens, Surge Petre, tu, & reliqui Apostoli, & corpus Mariæ dilectæ meæ accipite, & deferte illud in dexteram partem Ciuitatis ad Orientem, & inuenietis monumentum nouum, in quo ponentes eam, expectate donec veniam ad vos*, & post alia subdit. *Mariam autem portantes Apostoli, peruenerunt ad locum vallis Iosaphat, quem ostenderat illis Dominus, & posuerunt eā in monumento nouo, & clauserunt sepulchrum, ipsi verò sederunt ad ostium sicut mandauerat eis Dominus*, hucusque Militon.

D. Dama

D. Milit.

Dominus Iesus, qui Apostolis suæ matris sepulturæ ostendit locum in valle Iosaphat præparauit sepulchro, non humano obsequio, sed ministerio angelorum, vt et in hoc esset pia mater filio omninò conformis, et persimilis: ò sepulchrum post Christi Domini sepulchrum verè gloriosissimum, tu cœlo ipso potius, quonam nomine te appellabo? sepulchrum, an cœlum? sepulchrum an Paradisus? sepulchrum, an thesaurus? sepulchrum an abacus? sepulchrum, an templum? quia gloriam cœli contines, voco te cœlum, quia suauissimus virtutum omnium flosculus in te plantatus est, meritò te dico Paradisum, quia in te absconditus est bonorum omnium thesaurus, thesaurum te appello, quia tibi soli creditum est aurum illud diuinum, quo placatur Deus, penu Dei, vel abacum te nomino, quia in te somnum quietis accæpit corpus Virginis totius sanctitatis domus, nuncupo te templum Dei, Dei manibus præparatum, angelorum ministerio elaboratum, tot prodigijs, ac miraculis à Deo honoratum, et illustratum.

Ad exemplum Paulæ, de qua scribit D. Hieronymus epist. 27. *Ingressa sepulchrum Resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amouerat Angelus, ipsum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratās aquas fideliore lambebat*: Ego siquidem mente, et spiritu ingressus Virginis sepulchrum hoc venerabor religio-

D. Hier.

ſo cultu, cum D. Thoma amplexabor ſepulchraria illa linteamina, quibus inuolutum fuit Virginis corpus: exoſculabor formam Beati corporis iacentis derelictam in ſaxo, vt refert D. Andreas Cretenſis in lib. de dormit. Virginis. Andr. Cretenſ. *Sepulchrum Dei genitricis*, inquit ipſe, *odoratiſsimum in hodiernum vſque diem incolume cerni poteſt elogij inſcriptionem præſeferens, corporis quoque beati forma, in ſaxo iacenti, tantis myſterij teſtis apud torrentem Cedron in valle Ioſaphat conſpicitur*, ex quibus omnibus ſitientes aquas fideli, & ſitienti corde lambam, vt inebriatus Virginis dulcedine, dilectione, deuotione, & ſpirituali conſolatione dulcitèr canam & illi, & ad eiuſdem gloriam & laudem dicamque.

Statura tua aſsimilata eſt palmæ. poſt glorioſiſsimum Chriſti Domini ſepulchrum ex tot illuſtribus ſanctorum ſepulchris, glorioſius reperiri nullum, vt Virginis Mariæ ſepulchrum, tum quia nullum illorum nec à Deo fuit præparatum, nec ab Angelis elaboratum, vel ſaltem nullum illorum traditum ſibi corpus à putredine ſeruauit illeſum, nec à cinere ità præſeruauit immune, & quòd maius eſt nullum illorum viuum poſt triduum reddidit, & immortale, quòd accæpit emortuum, ſolius Chriſti ſepulchri fuit hoc ſingulare donum, & Virginis ſuæ matris Mariæ, quæ vt palma virens vita, & huius ſpoliata folijs ſi palmæ filio fuit perſimilis, ipſa maternitatis expoſtolabat ratio, vt & in ſepulchro iacens illi non eſſet diſsimilis; quapropter Domino Ieſu matris corpus in illo triduo, quo quieuit in ſepulchro hoc cohoneſtare complacuit priuilegio, vt corruptionis non commacularetur opprobrio, nec fœtoris, nec vermium læderetur à tinea, quæ enim vt Dei mater ſi ſemper viuens polluit carnis incorruptione, & mentis integritate, æmulata filio in morte, & poſt mortem iure non potuit, nec valuit, imò nec debuit corruptionis cariem ſentire, nec fœtorem pati, ſed purè, & incorruptè ſeruari, non vt filia Adæ, ſed vt Dei mater, & genitrix.

Audiamus Ipſum Dei Patris, & Virginis filium, qui in Canticis ſic matri ſuæ alloquitur. Cant. *Lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia cypreſsina*. quando Dei filius ex ſinu Patris in Virginis ſinum deſcendit, tunc Virginis animam, & corpus veluti geniale lectulum ſuauiſsimis ſtratum floribus coaptauit, & veluti domos, vt perpetuò habitaret, requieſceretque veluti tignis cedrinis, & laquearijs cypreſsinis contignauit? quid eſt contignare cedri tignis, & cypreſsinis laquearibus? niſi incorruptionem, qua ipſe potitur, vt Dei filius in carne, impertiret & matri, & odoris fragantiam qua ipſe olebat vt Deus permiſcuè referret, & Virgini.

Lignorum duorum horum attendamus proprietates, ligni cedrini proprietas eſt nulla vnquam corrumpi carie, ſed in æteroum perſiſtere; vndè Plinius Plin. lib. 13. naturalis hiſtoriæ cap. 5. *Cedrinum lignum vocat æternum*, quia non putreſcit, nec læditur tinea, vel carie, pulcherrimum quidem, quia nulla nodorum in ſe habet maculam; lignum quoque cypreſsinum æquè gaudet incorruptibilitatis dono, ac cedrinum, ac ſatis ſuperque antefertur, quia eam, quam habet in ſe. & alijs impertit incorruptionem, non ſolum non amittit cypreſſum ſuam viriditatem ſuo nunquã ſpoliatur honore, nec ſuo nunquam exuitur ornamento, ſed etiam ab vniuerſa corruptione omne id, quòd ſibi adhæret, vel adhæſerit, & quia lignum in ſe eſt odoratiſsimum, habet & hoc, vt illi, quòd quoque pacto ſibi approximauerit eumdem communicet odorẽ, ſi hoc poteſt natura, cur non magis Dei gratia? Deique præſentia in Virgine? *Cuius vterus fuit Dei filio lectulus floridus*, inquit Rupertus Abbas, Rup. Ab. *& ex eo, ſeruata Virginitate egreſſus eſt flos ille pulcherrimus*, qui de ſe dicit in Cant. c. 2. Cant. *Ego flos campi, & lilium conuallium*. Hinc enim ingens illud in Maria factũ eſt ſingulare prodigium, quo lectulus vteri Virginalis in quo Chriſtus Ieſus nouem requieuit menſibus redditus eſt, tanti Dei præſentia floridus, triplici flore, primò ipſemet Ieſu, qui verè flos dicitur, ſecundò virginitate, cuius typus lilia ſunt candida, tertiò incorruptione carnis, tum in vita, tum poſt eius fœlicem, beatamque mortem.

Hanc intendit incorruptionis præmonſtrare dotem, dum dicit matris domum, & ſuam contignatam tignis cedrinis, & laquearibus cypreſsinis, notãtnuum quòd non dicit tigna domus meæ, vel domus tuæ, ſed domorum no-

Guhelm. ſtrarum;quia vt docet pijſsimus Gulielmus in Cant. *Ieſus os ex oſsibus, & caro de carne Mariæ fuit, ideò corpus matris Mariæ propter corpus filij, & cum corpore filij à generali lege corruptionis exceptum, perpetuæ imputribilitatis gratia conſeruatum fuit*. Si Virgo Maria, vt palma ſemper virens, ſemperque florēs tum in vita, tum in morte, ob hoc quia Verbum caro factum eſt in ea, quia Dei filius habitauit, & requieuit in eius vtero, factum eſt, vt quidquid erat in filio transfuſum eſt in matre: decorus Chriſtus, & floridus humanitate, contulit & matri, vt eſſet & ipſa decora, & florida flore virginitatis, vt eſſet florida, & pulcherrima non ſolum mentis integritate, ſed & carnis incorruptibilitate, omnia ſunt candida, ſunt munda, ſunt alba, omnia ſunt florida, omnia ſuauiolētia, ſummo perfectoque odore vniuerſa in Maria ſunt fragantia, vniuerſa in ea floreſcunt, per lectulum floridum intelligamus, & nos Chriſti ſepulchrum.

Apon. Non abs re erit ſenſus, ſi iuxtà Aponij doctrinam, qui in Canticis de Chriſti ſepulchro intelligit per lectulum hunc, in quo Chriſtus quieuit in triduò mortis ſuæ, & dicitur floridus propter aromata ex varijs floribus confecta, quibus delibutū eſt corpus Chriſti, floridum dicimus Chriſti ſepulchrū non tam ex aromatibus externis, ſed quia corpus, quòd ibi requieuit conſociam habebat Diuinitatem, quæ ſicut non receſsit ab anima iam ſeparata, ſic nec ab exanimato iam corpore, ob hoc caro illa benedicta nullam in ſepulchro experta eſt putrefactionem iuxta Dauidis oraculum in pſalmo 15 nu. 10. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionē*: & expreſsit pijſsimus Elias Cretenſis in orationem primam Nanzianzeni *ob Inhabitantem ipſum Deum Verbum, a labe, & corruptione integrum ſeruabatur, atque admirabili modo, hæc duo concurrebant in Chriſto, nempè omnium hominum mors in Dominico corpore implebatur, & item mors, ac corruptio propter ſocium verbum extinguebatur*, hæc ille; Ergo flos diuinitatis floridum reddidit Chriſti corpus poſt triduum, & ſepulchrum ipſum, per quam maximè glorioſum, ſic enim prędixerat Iſaias cap. 11. *Et erit ſepulchrum eius glorioſum*.

(Margin: Dauid. — Elias Cretenſ. — Iſaia. Pr.)

O anima mea dum audis lectulus noſter floridus, & tigna domorum noſtrarum cedrina laquearia cypreſſina, quid eſt hoc? niſi quòd & floridum factum eſt, & Virginis ſepulchrum, non marceſcit cedrus dono naturæ, non computreſcit cypreſſus priuilegio ſingulari, imò vim habet illi, quod ſibi adhæret immortalitatem, & incorruptionem, quā ipſe gaudet communicare, & odorem quo ipſe fruitur, eidem conferre & impertire, caro nè Chriſti, quæ fuit cedri, & cypreſſi odorata contignatione perfecta in vtero Virginis, incorruptibilitatem odoris, & ſuauitatis ſuæ fragantiam corpori non communicabit matris? priuilegio gratiæ ſingulari, & dono iuſtitiæ? audi D. Auguſtinum in ſerm. de Aſſumptione. *Potuit enim matrem Mariam, tàm à putredine, quàm à puluere alienam facere, qui ex ea naſcēs eam potuit relinquere Virginem. putredo namque, & vermis opprobrium eſt humanæ conditionis, à quo opprobrio cum Ieſus ſit alienus, & natura matris excipitur, quam Ieſus aſſumpſiſſe de ea probatur, caro enim Ieſu caro Mariæ eſt.* D. Aug.

Et ſi caro Chriſti, quæ in paſſione, & in morte aruerat tamquam teſta, refloruit in reſurrectione, ſicut ipſe Deo patri gratias agēdo, dicit per Prophetam Dauid pſalm. 27. num. 7. *Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei*: floruerat caro Chriſti, quando veluti flos de radice virgæ Ieſſe proceſsit hoc eſt de Virginis illibata vulua, refloruit autem, inquit D. Ambroſius ſerm. 17. de Dominica in Albis: *Cum ſuccīſo per Iudæos corporis flore rediuiuum de ſepulchro reſurrectionis gloriæ germinauit, & in floris modum, odorem pariter, & nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflauit odorem bonorum operum ſuauitatem circumferens nitorem incorruptelam perpetuæ diuinitatis oſtendens.* Dau. Pr. — D. Amb.

Quæ omnia, quòd & matri largitus ſit, apud me nulli dubium eſt, quoniam ſi caro Mariæ eſt vna, & eadem quæ filij Dei, & hæc fuit ex omni parte beata, & incorrupta, cur nō caro matris? quę eſt eadem, potuit ne filius negare matri, quòd in ſui cedebat honorem, qui & promiſit ſibi miniſtrantibus, vbi ego ſum illic erit, & miniſter meus, quid matri? quæ & corpus illi miniſtrauit ex proprio ſuo ſanguine, & proprio ſuorū vberum aluit lacte? meritò quidem exi-

ſtimat

D. Aug. stimat incredibili D. Augustin. quòd corpus illud, ex quo Deus indutus est carnem, in quo primum ab homine visus est, sic redactum in cinerē, ait ipse: *Corpus Virginis escam vermibus traditum, quia sentire non audeo, dicere perhorresco, si non est traditum vermibus, nec reversum in cinerem, patitur ne filius, vt corpus matris lateat in obscuro loco absque vllo honore, & debita veneratione? Non est passus multa corpora sanctorum sic latere, & erit credibile, quod patiatur occultari corpus Virginis matris*; hoc quia repugnat Christi gloriæ, honori, & omnipotentiæ, repugnat & matris innocentiæ, puritati, charitati, dilectioni, dignitati, & ministerio, dicamus igitur, quòd sicut Maria fuit ab omni macula immunis, & ab omnibus, quæ sordescunt corpus, & animam fuit aliena, sic & ab omni corruptione libera, nec debuit expectare, vt cæteri suæ carnis resurrectionem, sed post triduum refloruit, quemadmodum refloruit caro filij sui, vt posfit ipsa dicere filio: *lectulus noster floridus tigna domorum nostrarum cedrina* Cant. *laquearia cypressina*: Cant. cap. 1. Et tu anima mea ad Dei gloriam, & ad Virginis laudem canere: *Statura tua assimilata est palmæ.*

En quàm gloriosum Virginis sepulchrum, quia non mortuæ, sed viuentis habitaculum factum est, & de eo illa D. Atha. nobis affirmare licebit, quæ de Christi sepulchro dicebat D. Athanasius orat. in Parasceue: *Immortalitatis lacus, officina resurrectionis, dissolutio sepulchrorum, in quo mors desinit esse mors, in quo vita seruatur finem non habens*: Cur hoc D. Andr. ò anima mea? nisi quia vt dicit D. An-Cretens. dreas Cretensis in orat. de Assumptione; *Mater, quæ ipsum viuere pepererat, consecuta est vitæ finem partui non obsimilem, & miraculū Deo, & fide dignum, sicut non fuit corruptus parientis vterus, ita mortuæ caro non interijt. O miracula, partus effugit corruptionem, & sepulchrū non admisit interitum*; nec cuique mirū videri debet hoc, aut à quocumque inconueniens reputari, si eam, quæ in vita omnium supergressa naturæ legem excessit creaturam humanam, & angelicam, in morte quoque naturæ mortalis legibus non potuit detineri, debebatur Mariæ donum hoc virtute Epicheiæ.

Epicheia, seu æquitas semper ex aliquo consurgit, & est proprium illi; vt testis est D. Thomas 2. 2. quæst. 102. re- S. Thom. ducere ius legale ad ius naturæ, quo tenetur filius honorare patrem, & matrē, scriptum est in Exodo cap. 20. *Honora* Exod. *patrem tuum, & matrem tuam*; Christus, vt ipse testatus est in Matthæo cap. 5. Matt. Eu. *non venit soluere legem, sed adimplere*; honorauit patrem, vt dicit Ioannes c. 8. Ioan. Eu. *Ego honorifico patrem meum*: debuit in quantum potuit honorare, & matrem, si putredo, & vermes sunt opprobrium conditionis humanæ, à quo si extitit ipse filius alienus, & liber, debuit & matrem liberam conseruare, & immunem, cùm eadem sit caro matris, & prolis, pertinebat igitur ad Christum matris honoris curam gerere sollicitam, quando lex ipsa naturalis iubet Imperatorem in pignus amoris Imperatrici communicare iura sua.

Si Christus vt Deus ius habuit intra triduum resurgendi, & eadem erat caro filij, quæ & matris; Caro enim filij ex carne matris sicut naturaliter deciditur, sic eadem est vtriusque, quàm maximè substantia carnis, nō est post mortem corrupta caro prolis, sic testatur Psalm. scriptura diuina Psalm. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; & corrumpi, & incinerari, seu in puluerem redigi valuit caro sanctissima matris? vndè caro filij assumpta est? *Nullus dubitet*, inquit D. Augustinus, *quòd Deus* D. Aug. *hoc potuit, minus profectò dubitare debet, quod ipse voluit*, quia hoc filialē reuerētiam, & honorē decuit, & decuit virtute Epicheiæ, Christum hoc incorruptionis dono non priuare matrem, sed reducere ius illud legale, quo tenebatur Maria, vt naturalis filia Adæ, quod erat; *Terra es, & in terrā ibis*, ad ius naturæ, Gen. c. 3. & si potuit matrem à lege lata, *in dolore paries*, cur non ab hac? *terra es*, si vtraque est opprobrium humanæ naturæ dum non dubitamus in Maria plūs potuisse gratiam in eius integritate, quam naturam, ò anima mea diuinitatis enim opera sunt hæc, & ideò possibilia, & maternæ dignitati inrè debita, S. Dion. lege D. Dionysium Areopagitam in lib. de diuinis nominibus; *Cæterum tametsi Virgo mater, naturæ legibus fuit obnoxia, tametsi mortem degustauit, tametsi vt homo in sepulchro est deposita, natura tamen fines, atque terminos superauit, & excessit, neque sepulchrum, & mortalitas eam in potestate sua retinere potuit.*

potuit, quid ergo factum est.

Palma corporis virginalis similis facta est palmæ filio, qui triduò iacuit in sepulchro, & post illud gloriosè resurrexit; erat enim, vt ipsemet testatur, ipsamet resurrectio, et vita. Ioan. c. 11. & vbi adest vita, vtique non potest mors adesse, vbi est Iesus, qui est vita, mors non potest præualere, eius virtus hebetatur, & efficacia seu dominio omninò spoliatur; si caro Marię erat caro Christi, quid est caro Christi nisi caro Iesu, caro vitę, ergo sonet vox Iesu, & sepulchra non mortuorum erunt domicilia; sed viuorum. Ioan. 11.

Recordare anima mea querelę illius Marthæ sororis Magdalenæ; hęc enim dum sederet ad pedes Iesu, & audiret Verbum illius, Martha satagebat circa frequens mynisterium, in quo sociam, & adiutricem peroptabat habere Mariam, vndè dixit Iesu: *Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet;* si sensu allegorico volumus hæc intelligere verba querelæ; Duas has sorores dicito esse carnem, & animam B. Mariæ Virginis, quæ naturali vinculo amoris coniunctæ mutuò se diligebant; separatæ tandem quadam die dulci mortis, & amoris sagitta, caro quæ in vita actiua Marthę fungebatur officio relicta sola in sepulchro videns animam vacantem dulcedini, & visioni diuinæ ardenter cupiebat, vt iterum ei reunita adiuuaret, & associaret eam, hinc clamat, & conqueritur se solam in sepulchro iacentem reliquisse, dic ergo vt me adiuuet, vt vinificet me, & simul tibi ò fili in cœlesti gloria regnanti ministremus. Luc. Eu. cap. 10.

O Virginis gloria, ò matris Dei singulare priuilegium, exaudita est caro pro sua reuerentia, pro sua dignitate, erat enim Dei mater, & vt ealis, tanta enim era eius reuerētia, tàm actiua quā passiua, vt eam etiam reuerenter filius non sustineret, aut posset ei quidquam negare, digna vtique erat Maria omninò, & plenè merebatur à filio exaudiri in hac sua oratione.

Si enim Virgo à maledictione mulieris, cui dictum est in dolore paries, facta est immunis, quia peperit sine dolore, sic & à communi viri, & mulieris maledictione quoque facta est immunis, qua dictum est in cinerem ibis; hoc exigebat ipsam ius naturæ; Audi quid dicat Petrus Blessensis de instructione fidei ad Soldanum: *Vir & vxor duo sunt in carne vna expressius autem mater & filius sunt vna caro.* Dictante Spiritu sancto Patres hoc ius sanxerunt coniugibus, & hoc decretum promulgarunt, vt si alter deserens sæculum adhæreat Deo, alter non remaneat in sæculo; vnius enim carnis partes tàm violenter distrahi iustum non esse visum est eis; sic & indecens videri debet, si altera pars carnis virgineę sit in cœlo, & pars altera reddatur solo; parti alteri datum sit non videri corruptionem, & altera vt soluatur in cinerem; ne ergo caro Christi Virginea, quam de carne matris assumpserat discreparet à tota debuit quemadmodum præ cæteris in vita matrem ille singulari gratia honorauit, singulari priuilegio honorare, & in morte, et reuera honorauit, teste Diuo Augustino serm. 4. de Assumptione: *Putredo namque,* inquit Sanctus; *& vermis humanæ est opprobrium conditionis, à quò cum Iesus sit alienus, natura Marię excipitur, quam Iesus de illa sumpsisse probatur, caro enim Iesu, caro est Mariæ;* si vna caro matris, & filij, & pars filij à labe corruptionis seruatur illęsa, & expers, necesse est, vt sic & altera pars matris, quæ idcircò queritur, hoc expostulat, dum exclamat, dic ergo vt me adiuuet, tuum est officium, tuum debitum ò fili vindicare matrem ab iniuria, & contumelia corruptionis, & exaudita est pro sua reuerentia, & dignitate, vt refert D. Milito in Bibliotheca antiquorum patrum. Pe. Blef. D. Aug. D. Milit.

Ad has voces motus Dei filius præcepit Michaeli Archangelo, vt animam matris deferret, & ecce repentè Gabriel Archangelus reuoluit lapidem ab ostio monumenti, tunc Dominus Iesus voce sua diuina vocans matrem de tumulo ait: *Surge amica mea, proxima mea, Columba mea.* Cant. cap. 6. quæ non sensisti corruptionem per viri contactum, non patieris resolutionem in sepulchro, & statim surrexit Maria de tumulo, & tradita est Angelis, vt eam deferrent in Paradisū, sicque mortis disruptis vinculis Maria statim post triduum euolauit in cœlum; & egressa Maria de tumulo, sic illum (licèt vacuum, & insensibile) interrogat Diuus Damascenus: *Vbi nam est illud minimè adulterinū aurum, quòd Apostolorum manus in te condiderunt? vbi inexausta opes? vbi pretiosus ille thesau-* Cant. D. Dam.

saurus, qui vitam suscepit? vbi gratiæ abyssus? vbi curationum pelagus? vbi fons ex quo vita orta est? vbi amabilissimum Dei genitricis corpus? Pulchre respondit; quidnam in sepulchro quæritis eã, quę ad cœlestia tabernacula elata est, quid custodia rationem a me exposcitis? non eę mea vires sunt, vt diuinis iussis obluctér: relicta sindone sacrum illud corpus, postquam mihi sanctitatem impertiuit, atque vnguento ac suauissimo odore me compleuit, diuinumque delubrum effecit, abreptum, hinc abijt in cœlum: & sicut prima post filium resurrexit ad vitam immortalem, sic sola, & primã eũndem prima cum anima, & corpore glorioso euolauit in cœlum; dico primam, & solam, quia licèt ex Matthęo cap. 27. accipiamus, quòd pendente adhuc Christo Domino de patibulo crucis: *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum surrexerunt:* tunc hoc prodigium accidit, quando in morte Domini: *Terra mota est, et petræ scissæ sunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant surrexerunt:* Multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, iuxtà intelligentiam Diui Hieronymi ad vitam nouo miraculo resurrexisse, quòd quidem non antè resurrexisse intelligendum est, quam Dominus tertia die prior ille resurgeret; & quidem sensus est Euangelicus, nam dicit Euangelista: *Quòd exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in Sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis;* & valet ratio, quia eorum resurectio, erat in signi gratiam, hoc est ad annunciandam Christi resurrectionem, ergo non antè, sed quando Christus resurrexit à mortuis, surrexerunt & ipsi.

Matt.Eu.

D. Hier.

Corpora enim Sanctorum, qui tunc surrexerunt, surrexerunt tantummodo ad breue tempus & ad vitam mortalem non ad vitam immortalem, neminem antè Christum resurrexisse, videtur esse de fide, dicente Paul. Apost. 1. Corinth. cap. 15. num. 20. *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitia dormientium:* & ad Coloss. Epist. 1. cap. 1. *& ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, & primogenitus ex mortuis;* licèt ab Elia, & Elisæo aliqui resuscitati surrexerint antè Christum, tamen Christus dicitur primus resurgentium, quia ipse resurrexit ad vitam immortalem, nunquam moriturus; Illi verò surrexerunt ad vitam mortalem, iterum morituri, vt de facto mortui sunt; sic & illi, qui Christo moriente surrexerunt, non surrexerunt, nisi post Christum, hic est, qui resurgentium obtinuit principatũ, primus in ordine dignitatis, & meriti, primus in ordine diuinæ voluntatis, & intentionis, primus in ordine causalitatis, & primus in ordine etiam temporis loquendo de resurrectione perfecta; *Christus,* inquit D. Thom. p. 3. q. 53. art. 3. *Primus est resurgentium, quia ipse resurgendo primò peruenit ad vitam penitus immortalem, secundum illud:* Paulus Apostolus ad Rom. cap. 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur:* Aliorũ resurrectio, qui surrexerunt post Christũ, vel antè Christũ, vt mortui à Sãctis resuscitati surrexerũt resurrectione imperfecta & à D. Hiero. comparatur resurrectioni Lazari: *Quemadmodum Lazarus,* inquit Sanctus in cap. 27. Matthæi, *mortuus resurrexit, sic & multa corpora sanctorum, vt Deum ostenderent resurgentem:* quam expositionẽ cõfirmat idem Sanctus in epist. 150. ad Hedibiam. q. 8. & D. Chrysostomus hom. 89. in Matth. dicit enim *Christum sola voce mortuos excitasse, dum adhuc in cruce penderet;* Ergo surrexerunt ad vitam mortalem, vt Christi resurrectionem nunciarent, & probarent, & functi hoc officio ad quòd ad vitam tantummodo fuerunt reuocati, iterum obdormierunt in Domino, corpora iterum deponentes absque vllo dolore, licèt alijs ex modernis alitèr visum sit, clausisque sepulchris corporibusque intra eorum viscera conclusis, animę cum Domino abierunt in cœlum, mihi quidem satis est, Beatissimæ Virginis testimonium apud Beatam Birgittam lib. 6. suarum reuelationem cap. 49. cui dilectæ famulæ sic complacuit reuelare: *animę Sanctorum, qui surrexerunt, ascenderunt cum filio meo sed & eorum corpora expectant generalem resurrectionem:* & in lib. 7. cap. 26. *scias,* inquit, *quòd nullum corpus humanum in cœlo est, nisi corpus filij mei, & corpus meum;* Ergo sola surrexit Maria post filium ad vitam immortalem, & prima, & sola ascendit cũ anima, & corpore in cœlum, sic enim decebat, quæ Dei mater, & genitrix esse meruit: audiamus de hac re D. August. in serm. de assumpt. cap. 6. *Tanta sanctificatio dignior cœlo est, quam terra, quoniam*

D.Tho.

Paul.Ap.

D. Hier.

Idem Sanctus.

S. Chrys.

Paul.Ap.

Coloss.

B.Birgit.

D.Aug.

niam Thronum Dei, Thalamum Domini, domum atque Tabernaculum Christi dignum est ibi esse, vbi ipse est, tàm enim pretiosum thesaurum dignius est cœlo seruari, quam terra, tantam integritatem meritò incorruptibilitas non putredinis aliqua resolutio sequutur; Illud ergo sacratissimum corpus de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humana, vniuit, non amittens, quòd erat, sed assumens, quod non erat, vt Verbum caro, hoc est, Deus homo fieret, escam vermibus traditum in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quia sentire non audeo, dicere pertimesco.

Meritò sola post filium cœlum conscendit, quæ cœlo sola debebatur, quia sola filio fuit Maria semper conformis, semper imitatrix, et emulatrix perfecta, dicit enim Paul. Apost. Corinth. cap. 15. *Qualis homo de terra terrenus, talis homo de cœlo cœlestis*: ac si diceret, sicut Adam de terra terrenus mortuus est, & in terram redijt, ita & omnes ab eo nati, & fœdati in terram redibunt, ita homo de cœlo cœlestis, hoc est, sicut Christus per resurrectionem adeptus est corpus cœleste, idest incorruptibile, immortale, & gloriosum, & ex eo nati, & regenerati fiunt cœlestes, immortales, & gloriosi.

Paul. Ap.

Dum Virgo per innocentiam, puritatem, integritatem, virtutum perfectionem, similitudinem, & imitationem semper portauit in se imaginem Christi, tota effecta est cœlestis, iure non puluis in puluerem reuertere, sed vt Christitera debebat ad vitam illam cęlestem continuò resurgere: *Si ad peccatores dicitur*, inquit Origenes hom. 5. in Ierem. *terra estis, & in terram ibitis, quare non dicatur ad iustum, cuius est Regnum Cœlorum, cœlum es, & in cœlum ibis*: meritò laudando die Mariæ cœlum es ò Virgo, & in cœlum post triduum ascendisti.

Orig.

Ex hoc tota similis Christo effecta est mater, cuius carne vestitum Verbum illud, & moriendo, & resurgendo dirupie vincula mortis, quæ castigata, & à Christo corrosa remansit; quando vas illud Virgineum aggressa est mors, & illud mordens mortu suæ naturæ, sensit Mariæ carnem, Christi carni esse persimilem, & eamdem, & in Virgine tunc introspexit cęlestis hominis Christi figuram, qui fons est vitæ, expauit & ipsa, & contremuit, & dentes eius obstupuerunt, ac si morsum in Christi carne infigisset, seù dedisset, quid mirum si velociasimè aufugit, & perterrita in manu vitæ reliquit, & ad cœlum transmisit, ve sententia est Diui Damasceni; *Hanc autem ex omni parte beatam, quæ tota Deo fuit vnita, quomodo mors deuoraret? quomodo susciperent inferi? quomodo audebit inuadere interitus corpus illud, in quo vita suscepta est?*

D. Dam.

Aggressa filium didicit mors ex ijs, quæ passa est, & cum ipsa didicisset in filio, experientia fuit castigata, quando in Maria vidit imaginem illius cœlestis hominis, expauit, & contremuit, quoniam quæ portat imaginem hominis Dei, cœlum est, & non terra, & in cœlo iter calcat, & non in puluere, quomodo ò anima mea corpus Virginis, quòd cęlū erat, poterat remanere in sepulchro? audi D. Damascenum sic tibi dicentem? *Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cœlestibus educata cogitationibus, non in terram versa est, sed cùm esses animatum cœlum, in cœlestibus tabernaculis collocatur.*

D. Dam.

Certè ò anima mea, quonam pacto Virgo illa pollens innocentia mentis, & corporis integritate Virgo illa omninò incorrupta, quomodò potuit contineri in puluere, vel remanere in tumulo? cecidit in sepulchro, quia filia Adam erat, sed non debuit reuerti in puluerem, quia erat Dei mater: Ramus erat arboris Adæ, qui in diluuio aquarum cecidit in sepulchro, quia verè obdormiuit in Domino, sed vt Ramus oliuæ asportari necesse fuit in arcam æternæ beatitudinis: Ramus ille oliuæ, qui in communi omnium subuersione post diluuium, & aquarum illarum inundatione adhuc virens folijs, & coronatus fructibus à columba, non ab arbore auulsus fuit, sed in luto repertus, in luto illa amplius adiudicauit non debere inuolui, nec iacere prostratus, vt cæteri omnes, sed asportari in arcam salutis, & ibi collocatum custodiri: est enim hæc Diui Dionysij Carthusiani contemplatio; Contemplatur enim ipse quòd ille ramus oliuæ assumptus à columba, non fuit ab arbore decerptus, sed in puluere inuolutus, in quo deciderat, & ore ab ea sumptus asportatur in sublime.

S. Diony.

Meritò post diluuium, quo cuncta remanserunt consumpta, & sepulta, solus Ramusculus oliuæ, adhuc virens, &

vigens perpulchrè seruabat natiuum colorem, folia, e fructus, meritò ipse solus separatur à luto, eleuatur à puluere, committitur columbæ, cuius ore, et volatu defertur in arcam in sublime.

O virens ramusculus totius humanæ naturæ, tu ò Maria, quæ sola cuncta eiusdem effugisti diluuia, culpa illa originalis in genus humanum nonne fuit vniuersale diluuium? quo sepulti, & in mortis luto inuoluti prostrati iacent omnes filij Adam, ex quibus omnibus tu sola euasisti immunis, te solam non tetigit culpa illa originalis, nec prostrauit, nec deiecit, nec maculauit, maledictio illa mulieribus cũctis inflicta, nonnè diluuium fuit, quo fœminæ vniuersaliter summerguntur: *In dolore paries*, & sub viri potestate eris, quæ ab hac maledictione libera, & exempta nisi tu sola ò Virgo mater.

Genes. c. 3.

Molis prægrandis aquarum fuit illa maledictio humano generi lata, *puluis es, & in puluerem reuerteris*, quis nam ab hoc diluuio saluus? nemo nisi tu ò verè ramus oliuæ, cuius viriditatis pulchritudinem non tetigit hoc vniuersale diluuium, cecidisti ex lege naturæ in luto sepulchri, sed tibi negatum est remanere in puluere, hinc tertia die immissa fuit columba illa candidissima Michaelis Archangeli, qui tui corpusculi ramum eleuauit ex puluere, & detulit comitantibus Angelis in arcam mansionis æternæ.

Debebatur Mariæ hæc à mortuis resurrectio, vt puta quæ filio non tantum in uirtutibus, sed etiam in passionibus fuit omninò similis, non fuit creatura, quę in corde suo imaginem Christi Crucifixi sic expressam portauit ut Maria, & resurrectio ad vitam non debetur, nisi passioni.

Dico quod in hac parte sentio, vbi plura, vbi expressa, vbi recentiora sunt Christi vulnera, ibi prematurum expectatur resurrectionis meritum, hoc fuit Christi ingenium, suæ resurrectioni, & resurrectionis accelerationi semper passionem præponere, hac primò descripta, & nostris præsentata conspectibus, subnectit, & tertia die resurgeren resurrectionis acceleratio, quę retardari non potest in eo, in quo magis expressa est Christi Crucifixi passio, & impressa eiusdem passionis imago, ò Deus cordis mei, quæ vnquã fidelium sic expressè in corde suo Christi passio expressit, vt Maria? quæ dum filij sui passionis viuam portat figuram, non debuit, & non potuit, & eius resurrectio retardari.

Addisce tu anima mea hoc à sole, qui moriente Domino, & in cruce pendente, sol enim Christi typus erat, occubuit & ipse, dum lucem obscuratus amisit, dicentibus Euang. Matth. c. 27. *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*, & sol obscuratus est, hinc & eisdem testibus, quòd in Die resurrectionis Domini sol plus solito festinauit cum Christo resurgente resurgere, testatur hoc lib. 4. exam. D. Anastasius Synaita, qui sic docet: *Sol tamquam Christi typus, simul cum Christo eius miserescens, est passus, & cum defecisset eius impolluta anima ex corpore, simul etiam defecit sol ex ex cælesti suo corpore, & tum Christus subyßet inferos, simul etiam & cum eo sol subyt nocte adueniente, vnde etiam Christo exoriente, & resurgente à mortuis mane vna sabatorum, vna cum eo oritur sol, etiam à terra faciens diem.*

Matth.

D. Anast.

Numquid non luna occubuit Maria moriente filio? quo deficiente, num non defecit & mater? quæ si passionis filij in corde, & in carne sua portabat imaginem; portat & eiusdem resurrectionem, festinat gloria resurrectionis, vbi expressa cernitur Christi passio, & passionis imago.

Quod si Virgo mater in passionibus est palmæ filio effecta omninò conformis, en in resurrectionis acccleratione vis scire quantum fuit persimilis, accede ad sepulchrum eiusdem cum Apostolo Thoma, qui cum alijs præsens nõ interfuit, & tanto priuatus bono, nimio dolore afficiebatur, dolebat enim, fingebat, & suspirabat, conquerebatur, & lacrymabatur, quòd corpus Virginis non vidisset, non tetigisset, & non osculatus esset, vt tanti Apostoli cæteri satisfacerent desiderio, sepulchrum aperiunt, corpus autem iam tumulatum non inuenitur, sed tantum linteamina, hæc deosculatus est pius Apostolus, hæc tetigit, hæc amplexatus est, & infigens dulcia oscula lacrymis madefecit, hæc tu anima mea amplectere, osculare, spiritu hæc tangere; vt eorum odore perfusa, & refecta, capias arrham tuæ resurrectionis, commorare sub hoc ramusculo, quia non tam est sepulchrum mortuorum, quam officina miraculorum,

rum, surge igitur propera anima mea, & descende in vallem Iosaphat, prædiō Gethsemani ingredere, sub vmbra Virginis sepulchri sta, vt iotelligas, commorare, vt salueris, sede, vt fructus deuotionis, & spiritus carpas, viue, vr viuas, qnia non fœtoris est sepnlchrum, sed consolationis, saluris, & vitæ domus est, & non est morbi genns, quòd suo tactu non expellat, audi D. Damascenum de dormitione Virginis; *Tūc autem morbi quidem fugiebant, fugabantur turba Dæmonum omni ex parte compulsa ad sola loca subterranea Aer, Aeter, cælum ascensu spiritus sanctificabatur, terra autem depositione corporis, sed neque aqua natura erat expers benedictionis, lauatur enim aqua pura, quæ non eam mundabat, imò verò ipsa sanctificabatur; Hic surdis quidem pefficiebatur auditus, claudis autem integer reddebatur gressus, firmaque, & solida fiebant bases pedum, cæcis restituebatur visus, accedentibus peccatoribus disrumpebantur Chirographa*; Hæc & maiora percipies, si in re viget amor erga Virginem, & reuerentia, & summa deuotio circa eiusdem sepulchrum, sepulto Domino amatrix, & sectatrix illa muller à monumento ounquam recedit, nec recedere audebat, sed sollicita Iesum mortuum, & ibi sepultum quærebat; *Maria*, Inquit Euangelista cap. 20. *stabat ad monumentum foris plorans*, et fuis Irrigata, seù madefacta lacrymis meruit Angelos videre, eisque alloqui, et perseuerans in fletu quem quærebat, et sublatum credebat, meruit videre, alloqui, quando vidit Iesum stantem, et non sciebat quia Iesus est, adiudicanit quòd horti illius Colonus esset, quapropter dixit illi Ioan. cap. 20. *Si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti, vt & ego eum tollam.*

S. Dama.

Ioan. Eu.

Ioan. Eu.

Quid est, quòd resurrectionem Domini prima meruit videre, et ex discipula fieri Apostolorum magistra? non vtique quia ad quærendum in cursu fuit nimis impigra, et anxia, quia in fide nimis fuit tarda, et imperfecta, quando Dominicæ arcanum resurrectionis, vt caperet, er intelligeret, nec visio illa fælix Angelorum, nec eorum vox, et colloquium nec ipsummet sepulchrum vacuum, nec linteamina illa sepulchralia seorsum reposita, et tot simul collecta potuernnt à corde, et ab oculis eius tantæ cæcitatis, et ignorantiæ tenebras erumpere, seù aoertere, et cum esset in ijs omnibus imperfecta nimis, ploratus, vlularus eius, et fletus imperfectione laborabat, plangebat mortuum, qui erat inter mortuos liber, er quærebat mortuum, qui gloriosè iam viuebat; En quam imperfecta tunc eius fides quando nec Angelorū visione, et colloquio vinci potuit, nec sepulchro cedere volnit exausto, et nudo, nec sepolchralia, quibus iam fuerat Christi corpus inuolutum, eius pectoris penetralia valuerunt frangere, er deuincere, sed stabat ad monumentum foris plorans, viderat enim monumentum vacuum, er tamen non discedebat, et recedentibus Apostolis ipsa non recedebat, sed stabat perseuerans, sic victa perseueratntiæ dono.

O Magdalena, ò sancta mea mulier, cur stas ad monumētū plorās? er querula quærens? si vacuum vides monumentum, et in quo non cernis Iesum quem quæris, cur non abis cum abeuntibus discipulis? cur non alibi non quęris Dominum? sed stas in monumento, sic perseueranter, et impigrè adhæres sepulchro? io quo non vides quem quæris? ò prudens fæmina sedebat ad monumentum, et pro reuerentia, et cultu, et honore, quem exhibebat, et quo Dominum Iesum venerabatur, perseuerabat in fletu: Hæc quidem perseuerantia ex amore et summa reuerentia, quam in Iesum habebat, ortum trahebat, ex qua sola tot et talia meruit obtinere, obtinuit perseuerantiæ merito, quæ non meruit fletu tam magno, vndè et contigit, vt eum tunc sola videret, qoæ remāserat vt quæreret; *Quia nimirum*, inquit D. Gregorius homil. 25. in Euang. *virtus boni operis perseuerantia est*: adepta est, et reuerentiæ merito et honoris, quem nomini Iesu deferebat, et exibebat hoc singulare donum, primò videre Iesum gloria, et honore resurrectionis coronatum, quòd non meruit merito fidei; *Reuerētia Deo exhibita*, inquit D. Gregorius in epist. ad Germanum Episcopum Constantinopolitanum, *& cultus, & veneratio non est absque præmio*: quicumque omninm Dominæ, castæque Dei matris imaginem venerantur, his sine dubio magna retribuit, quandoquidem imaginis veneratio In Prototypum redit.

D. Greg.

D. Greg

Hæc Magdalenæ reuerentia erga Dominum Iesum, hæc Mariæ deuotio, vera-

necatio,& cultus dignā reddidit, vt vide ret,& primò videret quē quærebat; Hæc reuerētia,hæc perseuerātia vicit tarditatē lacrymarū,imperfectionem fœmineā, & quæ in ea erant infirmitatis,& imperfectionis superauit perseuerantia, & reuerentia cultus, sistenda sunt hic verba Diui Cyrilli Alexandr.lib. 12. in Ioan. c.47. *Tarda est hæc ad intelligendum mulier, nondū enim intellexit, quid visio illa significaret, fletus autem causam explicat.* Verum quoniam Christum semper Dominum appellaret, & feruentem erga ipsum amorem hoc modo ostenderet, propterea etiam ipsum videre digna iudicata est,reuerentia, quam Iesu exhibebat, semper Dominum illum appellando vicit suæ tarditatis, suæ infirmitatis, & imperfectionum duritiem, & expulit fugauitque tenebras suæ ignorantiæ, & fecit vt Dominum videret, & primò videret, fieretque Apostolorum magistra.

D.Cyril. Alexan.

Inuigilabat ipsa Christi sepulchro, adherebat,& stabat,ad cuius exemplum sta, & tu anima mea ad Virginis sepulchrum,à quo non abierunt Apostoli,licet cunctis circa virginei corporis sepulturam completis iam mysteriis non recesserunt, nec sepulchri clauso ostio, non illicò illud deseruerunt,nec discesserunt, sed triduò, quo perseuerauerit Angelorum concentus,melodia,& lætitiæ cantus, perseuerauerunt & ipsi in hymnis, & canticis spiritualibus, quo transacto vt Apostoli Thomæ,qui funeri Virginis,& dormitioni eiusdem non interfuerat, satisfacerent desiderio, lacrymis,& precibus,sepulchrum aperuerunt,fascias sepulchrales, & sudarium dulcedinē, & vitæ odorē spirantia tantum inuenerunt,corpus verò non inuenerunt: O si vidisses,ò si audisses voces, suspiria,& lacrymas, omnium,qui aderant cum illis interroga, & tu anima mea sepulchrum illud vbi est aurum purissimum, quòd in te condidit manus Apostolica? vbi diuitiæ, quæ con sumi nequeunt, nec à tinea corrumpi? vbi volumen in quo sine manu fit ineffabiliter Verbum patris scriptum est? vbi abyssus gratiaru m? vbi desiderabile illud Mariæ corpus? desiderabile dico, quòd vincit, & vicit cordium omnium vota, & desideria?desiderauit illud Deus ex quo purpuram, qua indutus est sibi diuinitus contexit, & nouem mensibus in eius vtero inhabitauit, desiderant illud tota curia cœlestis, & cœlum ipsum,desiderat illud terra, quæ x tribus diebus meruit habere in corde suo,desiderauit illud Diu. Thomas, vt videret, adoraret, oscularetur, & veneraretur, desiderat & anima mea oculis meris videre illud,cordis amplexibus amplecti, tangere, deosculari, venerari; ò sepulchrum, ò Dei mei templum dicito mihi,vbi est,non vt illud tollam, sed vt debito honore, debitaque reuerentia illud humiliter adorem, & benedicam; attende,quid tibi respondeat theca illa, quid quæris à me, & in me quid inuenire peroptas, palma illa virginea filio assimilata est palmæ, surrexit, & gloriosa secuta est palmam vsque ad solium dexteris diuinæ, nec me honoris, deuotionis,salutis, & vitæ reliquit expertem,& vacuam.

Quātæ salutis,quantotque prodigiorū illud effecit parratorem,& honore,& omni reuerentia dignum. attendamus, quid dicat D.Damascenus oratione de assumpt.Virg. *O sacrum miraculum*, inquit Sanctus, *hoc est monumentum illud augustum & adorandum,quòd etiam Angeli non sine magna quadam reuerentia, & metu astantes complectuntur, Dæmones pertimescunt, homines per fidem accurrunt honoranter, adorantes,oculis, & labijs, atque animi cupiditate exosculanter,vberrimamque bonorum copiam hauriunt; quemadmodum enim. si quis ingentis pretii vnguentum vestibus, ac loco alicui imponat,ac rursus eximat suauitatis reliquia, abstracto etiam vnguento restant,eodem modo nunc quoque diuinum tuum,& sanctum ac macula omnis prorsus expers,diuinaque fragantia respersum corpus, fons inquam ille gratia perennis in sepulchro collocatum, ac deinde rursus ad præstantiorem, ac subliorem regionem abreptum, haud quaquā ita sepulchrum reliquit, vt honoris expers esset: Verum tum diuinam fragantiam & gratiam ipsi impertiit, tùm sanationum, ac bonorum omnium fontem iit, qui cum fide ad monumentum accedunt,reliquit;* hæc ille.

S. Dama.

Si hoc Virginis sepulchrum tibi ò anima fons est ad vitam,& ad salutem, esto secura,& fidenter sede sub vmbra illius,quia non absque mysterio hoc factum est, vt vallem eligeret Deus Iosaphat.Hæc enim vallis illa est, quæ posita est inter montes Sion, & oliueti, &

præ-

prędium simul eligeret Gethsemani, vt vbi Virginis fuit incolatus legibus, adhuc seruiens naturæ, ibi finem vitæ ipsa acciperet, ibique locum haberet quietis, cur hoc? Nisi quia in illis duobus montibus fuit filij sui frequens, & dulce diuersorium, & prędium illud eidem locus conuersationis, orationis, & deprecationis ad mortem; hæc est villa, in qua proditionis scelus consumatum est, in qua nefandi inuadentium ausus; & temeritas iniecit manus in Iesum, in qua nostra salus accępit initium, & sumpsit exordium, in qua erit, & nostri finalis
Ioel. Pr. iudicij disceptatio iuxtà Ioelis prophetiam cap. 3. *Congregabo omnes gentes in Valle Iosaphat.*

Vt intelligas salutem tuam ex Christi Domini passione, & sanguine sortiri effectum, & finis potiri in die iudicij, non nisi ex Virginis vmbra, & protectione, audi non me, sed potissimum Ric-
Riccar. cardum à Sancto Laurentio lib. 10. de laud. Virg. Vt anima se eximat ab ira Iudicis, & damnationis sententiam effugiat, non effugiet nisi obumbrata sub hac Virginis vmbra, exponens ipse ver-
Isaia, Pr. ba illa Isaiæ cap. 4. *Erit tabernaculum in vmbraculum diei ab æstu, & in securitate, & in absconsionem a turbine, & a pluuia. Erit enim, ait, gloriosa Virgo Maria seruientibus, & amatoribus suis in die iudicij in vmbraculum ab æstu, & contra æstum illum*, de quo dicitur in secunda
Petr. Ap. Epist. Petri Apost. c. vltimo: *Elementa calore soluentur*: at dulcius quidem D.
German. de Zona Virginis, Virginum sic alloquens: *Tu cùm habeas maternam apud filium tuum fiduciam, & potentiam nos qui sumus condemnati, & non audemus intueri cæli altitudinem, tuis interpellationibus, & intercessionibus Deo nos efficis familiares, das salutem, & ab aeterno liberas supplicio.* D. Germ.

Quid times igitur ô anima mea in vallem Iosophat descendere, & ingredi villam Gethsemani? formidas, si terret te Iudicis ira, si metuis inferni damnationem, si ęstuas sola flammarum illarum memoria, si erubescis, & confusio faciei tuæ operit te ex confusione, & deformitate peccatorum tuorum, en Virginis sepulchrum, hoc à Deo mynisterio Angelorum prępacatum, & collocatum est in valle Iosaphat, erit tibi in refrigerium, & in vmbraculum, & ad tuæ salutis solatium, sub vmbra illius sede, vt capias dulcedinis poma, & protectionis perdulcissimos fructus, ita ad monumentum at Virginem contempletis, & laudes, & eius perdulcissimum nomē semper benedicas. Benedictum sit nomen tuum in ęternum ô humilis Virgo Maria mater Iesu filii Dei, te precor, ô Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit, & sperat anima mea, sub vmbra huius Ramusculi protegę me, nunc & in hora mortis meę. Amen.

DE GLORIA ACCIDENTALI Virginis.

RAMVSCVLVS SEXAGESIMVS OCTAVVS.

Statura tua aſſimilata eſt Palmæ.
Cant. cap. 7.



E Veſtigio perfecta Chriſti Ieſu æmulatrix Maria, quæ ſi viuens fuit in vita labili, & mortali virtutum illius ſectatrix indefexa, & obdormiens in morte, & poſt mortem ad vitam iam reſurgens immortalem fuit & illi conformis, ita decens erat, vt eidem in cælum tum triumphali pompa aſcendenti vſq; ad ſolium deitatis paternæ, in hac fœlicisſima ſua aſſũptione in cęlũ eſſet omninò perſimilis, vt verè, & in hoc quoq; per omnia palmæ filio aſſimilaretur hæc noſtra palma virginea; quæ quidem quantò depresſius, & humillimè ſe humiliauit, tantò altius in cœlum iam euecta, & in throno conſociata filio humilitatis merito, pręcipuè meruit exaltari ſuper omnes choros Angelorum, & locum obtinere eminentiorem. Hoc vt capias, & tu anima mea, velim primò attendas, quid de Chriſto Domino dicat Apoſtolus ſcribens ad epheſios cap. 4. ſic habet: [Paul. Ap.] *Quòd autem aſcendit, quid eſt? niſi quia descendit primum in inferiores partes terræ*: per has terræ partes, non ſepulchrũ, vt falsò aliqui intellexerunt, intelligit Apoſtolus, ſed inferos, vt teſtis eſt Diu. [D. Hier.] Hieronymus.

Inferiora terræ infernus accipitur, inquit Sanctus, *ad quem Dominus noſter, & Saluator deſcendit, vt ſanctorum animas, quæ ibi tenebantur incluſa, ſecum ad cœlum victor adduceret*: & D. Chryſoſtom. [S. Chryſ. Theoph.] & Theophilatus hoc idem teſtantur; deſcendit ad Infimas partes terræ, poſt quas non eſt aliud quid, & aſcendit ſuper omnia, vltra quæ non ſunt alia, quæ enim ſunt hæc omnia vltra quæ non ſunt alia, quæ enim ſunt hæc omnia vltra quæ non ſunt alia? exponit idem Apoſtolus, qui deſcendit ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cœlos, hoc eſt, Æthereos, ergò aſcendens Chriſtus Ieſus aſcendit ſuper Empireum, ſupra quo eminet, & inſiſtit ipſi cęlo empireo, ſedens, & reſidens in loco ſupereminentiori, quemadmodum Rex in Throno eleuatus, & euectus ſuper omnia inuiſibilia, & ſuper Angelorum ordines, & ſuper omnium ſpirituum ſupercęleſtium Hierarchias.

Cur enim altè, tam ſublimè, tam eleuatè, & tam eminentèr aſcendit? & ſedet Dominus Ieſus? niſi ex hoc, quia primum profundisſimè deſcendit in inferiores partes terræ.

O Maria, ò humilis Virgo mater tanti filij, vera humilitatis æmulatrix, à quo, & didiciſti, & tu deſcendere in inferiores partes terræ.

Adſciuit Maria à filio non cęlos creare, ſed humilitate, & manſuetudine cor coronare, & animam, quando dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*; nonne Virgo deſcendit in inferiores [Mat. Eu. cap. 11.] partes terræ? quando ad ſui cognitionẽ, imò nihilitatem profundisſimè deſcendit? Hac humilitatis virtute Virgo concepta eſt, & nata, hac lactis mamma enutrita, & infans, & viuens ſemper ſe ſingulariter exercuit: ò profunda Virginis humilitas, quando tàm humilitèr de ſe ſentiebat, vt cum tot gratijs, donisque repleta, & à Deo ſublimata eſſet, nulli tamen creaturæ vnquam ſe prætulerit, ſed ſemper deſcendit ad imitationẽ filij in inferiores partes terrę, vt pariter cum eo posſit aſcendere, & quidem aſcendit ſuper omnes cœlos.

Sic teſtatur Illuminatus Doctor Marſilius in tertio ſententiar. q. 5. artic. 3. [Marſilius] In-

Inter omnes homines post Christum, Maria fuit humillima, quia nunquam super omnes cœlicolas ascendisset, nisi mentis humilitate prius sub omnibus descendisset, eò quod vis ascensionis est humilitatis descensio; si Maria altius super omnes cœli milites assumpta, & euecta ascendit, hoc est in causa, quia infra omnes creaturas se demiserat, & depresserat, & si capi non potest eius humilitas, quid miraris, si capi non potest eius sublimitas, & throni gloria, & altitudo?

Quia Maria fuit omnium humillima, Deus omnipotens post triduū suæ dormitionis humilitatis merito euocauit à mortuis; & quę Palmæ filio in humilitatis descensu fuit sic adæquatè persimilis, iure, & merito eiusdem virtutis complacuit eidem, vt Virgo, mater in sua assumptione filij non esset dissimilis, imò & illi per omnia adęquatè conformis tùm in sublimitate gloriæ exaltans illam super omnes creaturas, tùm in modo triumphandi, tùm in pompa nobili, iubilatione, & comitatu Angelorum, tùm in cœlesti concessu, vt et tu anima mea tantæ Virgini valeas dulcitèr decantare.

Statura tua ò Maria verè assimilata est palmæ; Humilitas fuit prima, & singularis Christi virtus, ad quam solam veracitèr edocendam is, qui sine extimatione magnus est, vsque ad Passionis ludibria, & opprobria, vt inquit Diuus Gregorius lib. 34. cap. 21. *Factus est paruus, vt huic virtuti strenuè anima mea studeas, non quempiam alium, sed se ipsum tibi proposuit semper humilitatis exemplar*: ò prodigia, ò viscera pietatis Dei mei, qui eras plenus maiestate, gloria, honore, fortitudine, & potestate, imò vt verius fatear; tu solus plenitudo eras totius entis, exausisti te, inanisti te, inanem, & vacuū effecisti te, & ex omnibus quasi ad nihilum redegisti te, dùm ex Deo factus es homo, & ex Domino seruus, ex Creatore creatura, ò verè Deus cordis mei, laudet te cor meum, benedicant te omnia interiora animæ meę;

D.Greg.

Attendè, vt capias quæ D. Bernardus docuit serm. 2. super missus est: *In Christo agnoscitur longitudo breuis, latido angusta, altitudo subdita, profunditas plana; lux non lucens, uerbum infans, aqua sitiēs, panis exuriens; attende, & videbis potentiam Regis, sapientiam instrui, virtutem sustentari; Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem, vagientem; sed & miseros consolantem: videbis tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari, sed est tristitia lætificans, pauor confortans, mors viuificans*: ò Dei charitas, & amor, Deus erat, & tantum humiliauit se, quòd formam serui acceperit, in qua forma; & dictis, & factis, quid aliud docuit, nisi quòd ipse sapiebat, gestabat, & operabatur, *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*; hæc enim humilitatis virtus, in schola Christi est primum, medium, & vltimum; *Si quaras*, inquit D. August. Epist. 56. *quæ via sit ad obtinendam veritatem? quid primum sit in Religione, & disciplina Christi, respondebo primum est humilitas? quid secundum humilitas? quid tertium? humilitas? & quoties interrogabis, toties dicam, humilitas?*

D. Bern.

D. Aug.

Humilitate Christus meruit exaltationem sui corporis, nempè gloriam immortalem, sedem ad dexteram patris super omnes Angelos, humilitate meruit à morte primò resurgere, & resurgendo meruit obtinere dotes corporis gloriosi, qui corpus suum humiliauit in passione, meritò in Resurrectione pro mercede accœpit corpus gloriosum planè immortale, impassibile, clarum, fulgentissimum, agillimū, & subtilissimum; propter quod euehi meruit super omnes choros Angelorum, & sedere in dextera patris, vbi accæpit sceptrum, & coronam Regni, & diadema gloriæ; quæ omnia Christo erant debita ratione vnionis hypostaticæ, tamen quia nobis factus est exemplar, & meritum, possidere voluit merito humilitatis suæ, qua descendit vsque ad inferiores partes terræ, *qui sic descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.*

Quòd si Maria exemplo filii sui descendit, & exinaniuit semetipsam, meruit, & ipsa humilitatis merito post triduū à morte resurgere, cęlū ascendere, & exaltari, & extolli super omnes choros Angelorum, & quo se humiliter deiecit, & humilitate se depressit, eò ad sublimiora altius descendit, de hoc laudatur à sponso.

Quando capilli capitis Mariæ, qui teste Ruper. Abbat. cordis Mariæ meditationes, & mentis eiusdem cogitationes exprimunt; hi enim capilli sunt, qui non pereunt, sed honorificè præmiantur; & Rup. Ab.

coro-

Luc. Eu. coronantur, dicente Domino: *Et capillus de capite vestro non peribit* Luc. Euangelista cap. 21. Comparantur non absq; mysterio gregibus Caprarum ascendentium de monte Galaad, obserua modū loquendi, Cant. Cant. cap. 4. *Capilli tui sicut greges Caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*, quando dicere debuit descenderunt de monte, ascendere, & de monte non cohærent, ascensus enim est ad montem, & descensus de monte, si erat descensus, qua ratione vtitur verbo ascendendi?

Non ad modum rectè loquendi, sed ad mysterium tali vsus est vocabulo, capilli enim natura sunt graciles humilitate, molles mansuetudine, pressi discretione, recti longanimitate patientiæ, quantò Maria in sui cognitione descendit, quantò plus in suis oculis humili se deprimebat cognitione, tantò amplius ante Deum altè ascendebat ad montem diuinitatis suæ.

Et quantò plus à Deo gratiarum cumulo eleuabatur, tantò ipsa in Abyssum suæ nihilitatis se deiiciebat, ò cor Virginis, ò mens purissima, quando nō quiescebat, nisi in centro suæ humilitatis, suæ nihilitatis, hanc habebat præ oculis, huic attendebat, & hanc intuebatur, teste D. Bernardino tom. 2. serm. D. Bern. 51. cap. 3. *Gratia primæ sanctificationis, quæ eam omni virtute repleuit, sic in principio mentem eius in abyssum humilitatis fundauit, quod sicut nulla creatura post filium Dei tantum ascendit in gratiæ digtitate, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundæ*; nec insuper alicui puræ creaturæ in hoc sæculo datum est tantum sui sentire, seù cognoscere nihilum, nec tantum se humiliare, & sub volito maiestatis diuinæ se annihilare, vt datum est Mariæ, quæ quò magis ad altiora eleuabatur à Deo, eò magis ad inferiora suæ nihilitatis descendebat; & hic descensus humilitatis erat ascensus apud Deum, quòd sacer textus testatur dicens: Cant. cap. 4. *Capilli tui sicut greges Caprarum, quæ ascende-* Cant. *runt de monte Galaad*: sic expandit hæc verba D. Riccardus à S. Laurentio. *Ca-* D. Ricc. *pilli isti sunt cogitationes humiles, quæ de corde velut de capite oriuntur, & ascenderunt de monte Galaad, idest de sublimitate perfectionis suæ quam commēdat.*

De monte hoc greges humilium cogitationum cordis Virginis ascendebant cum considerata sua celsitudine, quam diuina magnificentia in tantum honorabat se, & sua per humilitatem extenuabat, sicut capilli tenues sunt, macilēti, & exiles nominās se ancillam, benè igitur dictum est ascenderunt, licet descenderent, descensus hic in oculis Virginis erat ante oculos Domini magnus, & altus ascensus.

Quàm altus, & quàm magnus humilitatis ala fuerit hic Mariæ ascensus ex doctrina D. Bernardini, auctoritate Apostoli Pauli addisce tu anima mea, & primo attende quid dicat Apostolus scribens ad Hebræos cap. 1. de throno gloriæ Christi sic scribit Apostolus: *Se-* Paul. Ap. *det ad dexteram maiestatis in excelsis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit*: gloriam igitur, qua fruitur in cœlo Christi humanitas, & locum quem possidet nemo est, qui dubitet esse æqualem maiestati diuinæ, itaque eucta ad cœlum, eleuata est ad æqualitatem Dei, sine ad participationem, & communionem diuinæ, vti hypostasis, ita & gloriæ, illud enim sedere ad dexteram Patris accipitur pro loco eminentiori, quia super omnes creaturas tam loco, quam beatitudine, & gloria Christi humanitas est exaltata, vt longè transcendat Angelos, Cherubim, & ipsos Seraphim, ita vt sit Deo proxima tanquam Dominans Angelis, hominibus, & cunctis creaturis, ita docet D. Athanasius inquiens: *vt filium patri honore parem ostēderet, & gloria*, dicit Apostolus, *quod se-* D. Atha. *det ad dexteram maiestatis*: Gagneuus in Gagneu. suis scholijs clarius; *Homo ille ratione humanitatis à Verbo assumptæ in eadem maiestate, & dignitate cum patre habitat cœlis, & hanc Christi gloriam, & thronum super omnes eleuatum, esse Christo debitum ratione filiationis.*

Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: Ecce super omnes Angelos Christi gloriæ altitudo loci, sedis, & throni sublimitas, & quando subdit: *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius prę illis nomē hæreditauit*: Ecce filij dignitas, & filij dignitas, & filiationis meritū

Christus Dei patris filius, ita patri humanitate naturalis est filius, vti est diuinitate, tunc enim genuit, docet D. D. Amb. Ambrosius lib. 3. de sacramētis, D. Atha D. Atha. nasius apud Ecumenum, D. Hilarius, D. Hilar. Cyrillus, Origenes, & Theophilactus in Cyrill. Orig.

ver-

Ps. verba illa: *Ego hodie genui te*, psalm. 2. quæ ad humanam generationem referunt: *Ly hodie*, hoc est in præsenti tempore & vita, Ego genui te hominem ex B. Virgine Maria, teque hominem vnini personæ Verbi, vt sis mihi filius naturalis perinde ac, vt est verbum; quòd nemo Angelorum meruit, *nunquam Angelos apprehendit, sed tamen Abrahæ*, ergo Angeli nomina seruorum tantum sortiuntur, & non filii, nisi metaphoricè.

At quantum interest inter filii, & serui nomen, tanta amborum exurgit differentia gloriæ, Angelis enim datur gradus gloriæ, vti seruis, Christo homini, vti filio, & quò altius eleuatur filii nomen, eò sublimius, & excellentius præstatur celeste Diadema, & gloria,

D. Ansel. inquit enim D. Anselmus: *Pater in die Ascensionis filij sui obtulit consessum suũ; sede à dextris meis, requiesce gloriosè ad dexteram maiestatis paternæ, hoc est in æqualitate patris, & sublimitate gloriæ eius*: Angelis tàm prestantius, quàm sublimius, tàm excellentius, quàm differentius est nomen filii à nomine seruorum, & sic à dignitate, & sublimitate nominis filii argumentatur D. Paulus altitudinem, & thronum gloriæ Christi à gloria Angelorum.

D. Bern. Quo argumento vtitur D. Bernard. vt exprimat loci sublimitatem, throni, seù sedis altitudinem, & gloriæ magnitudinem, qua Maria vincit, & superat altitudinem gloriæ, & choros omnium Aangelorum, vt iuxtà Christi inextimabilem gloriam inextimabilis cognoscatur, & Mariæ throni sublimitas, et eiusdem gloriæ altitudo.

Dicatur ergo B. Virgo Maria sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tantò maior Angelis effecta, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit, ex nomine matris probat Sanctus altitudinem gloriæ, materna enim dignitas in Maria, qua mater est Dei, procedit ex bono infinito, ergo dignitatem pariter consequitur infinitam, nulli Angelorum dici potest à Christo, vt Mariæ mater mea es tu, tu me genuisti, tu me carne tua induisti, tu me in tuo vtero gestasti, tu in tuis visceribus hospitio me recepisti, tu me vberũ tuorum lacte nutriuisti, tu me pauisti, cibasti, & educasti, quãtò enim differentius, & p̃stantius Maria pre omnibus Angelis nomẽ hereditauit maternum, tantò sublimius sedet ipsa super omnes Angelos ad dexteram maiestatis in excelsis.

Sed altius ex hoc erigamus, & nos ò anima mea. Angeli humiles sunt admodum, & ad seruiendum non tantum Deo soli, sed etiam singulis quibusque hominibus paratissimi, sunt enim nuncij, & cum Deo, cum hominibus, tum etiam cunctis Angelorum ordinibus obtemperant, & quia voluntatem cum illa diuina habent coniunctissimam, hinc cum sint volũtate humiles, fœlicitate humiliter descendendo perfruuntur æterna, quia descensus humilitatis ascensus est apud Deum, vt præmonstratum est Iacob in scala illa cœlesti, sed Maria, quia humiliando se profundius descendit, ex hoc humilitatis descensu altius ascendit, quo altius? dicat D. Bernard. qui Mariæ in cœlo locum Angelis sublimiorem ascribit, & ex eo, quia mater Dei effecta est, & vnde Maria hanc obtinuit dignitatem maternam? Nescis forsan? quod non concepit ex Virginitate, sed bene ex humilitate, vtique si illa humilis non extitisset Dei mater non esset effecta, ipse D. Bernard. S. Bern. testatur hoc hom. 1. super missus est: *Et si placuit ex virginitate*, inquit ipse, *de humilitate tamen concepit*. *Maria non tantum*, inquit Albertus Magnus ser. 6. Albert. Magnus. *pro eo quòd erat mundissima, sed potius pro eo quod erat humillima meruit concipere filium Dei*: hoc idem expressit ipsamet Virgo, quando dixit: Luc. Euang. Luc. Eu. cap. 1. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, si humilitate effecta est mater Dei, & materno hoc nomine eualat super Angelos, vincit, superat, excellit, & transcendit cunctos gloriæ sublimitate, quid est hoc? ò anima mea, & quæ est ista, quæ ascendit super omnes cœlos, nisi quia ad imitationem filij primò descenderat ad inferiores partes terræ, & quæ omninò in humilitatis descensu fuit filio similis, consimilis similiter effecta est in triumpho suæ euectionis, & assumptionis.

O lætitia, ò iubilum cordis mei, gloriosa post triduum surgit è tumulo Maria, & cum iubilantibus psallentium choris super triumphalem currũ triumphans eleuatur cęlũ versus, comitata ab Angelis, & electis omnibus, quorũ alij præibant, alii sequebantur plectra tangentes, & dulciter canentes triumphan-

 ti,

ti; quid hodie antè B. Virginem, inquit D. Idelphonsus serm. 1. de assumptione; *quando illa in cælestem Ierusalem excipitur, quantus exercitus Sanctorum præcurrit cum hymnis, & Canticis, nec dubium, quin illa centum quadraginta quatuor millia, qui in conspectu seniorum sunt, tenentes cytharas suas cecinere cum omni frangore cæli canticum nouum, quẽ nemo potest dicere, nisi ipsi, qui hodie festiuè veniunt obuiam cum cytharis suis, ac læti in suo beatam choro excipiunt Virginem non qualemcunque, sed vnam de numero prudentum, & primam omnium inter primas, quæ vadit post agnum proximior eleuando eam super omnes cælos.* D.Idelp.

O cor meum, ò anima mea, & quale cœlum non erat debitum Mariæ? si hodie super omnes cœlos, vt Regina cœlorum coronata assumitur à filio?

1 Si Lunæ cœlum est mater humorum, & Maria, vt cœlum, mater est omnium gratiarum.

2 Si Mercurij cœlum est habitum, vt scientiarum Deus, & Mariæ nonnè & ipsa mater est veræ sapientiæ?

3 Si Venus est cœlum dilectionis, & Maria nonnè mater est veri, & æterni amoris?

4 Si Sol fons est totius luminis, & Maria nonnè mater est diuinæ illius lucis, quæ illuminat omnem hominem?

5 Si Mars est belli dux, & vexillum, & Maria non est illa bellatrix acerrima, quæ contriuit caput venenati serpentis?

6 Si Iuppiter planeta est iucunditatis, & lætitiæ, & Maria nonnè planeta est, quæ influit in corda fidelium omne cæleste gaudium?

7 Si Saturnus est stella mæroris, & tristitiæ, & Maria in passione, & morte filij sui, nonnè fuit stella doloris, & mæstitiæ?

8 Si Cœlum octauum, est cœlum perlucidis vermiculatum syderibus, & Maria numquid non est cœlum vermiculatum per fulgoribus virtutum omnium?

9 Si Primum mobile dat omnibus moueri, & motuum omnium causa est, & origo, & Maria, vt prima creatura, cuius motum, & dilectionis motu erga Deum, corda fidelium, tamquam spheræ inferiores nonnè vt primum mobile ad Dei amorem per ipsam mouentur?

10 Si Cœlum crystallinum est perlucidum, & clarum, & ab omni turbine alienum, & Maria, vt pulcherrima, & purissima nonnè, & ipsa est perlucida, & expers ab omni macula?

11 Si denique cœlum empyreum est Dei sedes immobilis, & immobilis sedes Dei fuit Maria, in qua requieuit ipsemet Deus, et requiescet in æternum.

O Maria, ò humilissima Virgo, quia per humilitatem descendisti in profundum tuæ nihilitatis, et quidem iustum est, vt ascendas cum triumphali gloria super omnes cęlos.

Et si Maria humilitatis penna volat simul, et eleuatur super omnes cœlos, tu sola anima mea, vt derelicta eris in terra? En dilectionis suæ ala, en amoris sui penna, qua si velis, poteris, et si non corpore, saltem spiritu, eleuare à terra, sequere ascendentem, et comitare triumphantem.

En cęli omnes mutua certatim ęmulatione celebrare contendunt suas virtutes, facta hæroica, suas laudes, suam gloriam, et triumphum; Vndè triumphales formant arcus, et sub diuersis apothegnis canentium chori, Marię palmas canunt, trophea, et coronas.

Attende ò anima mea; et simul obserua cum rheda illa angelica, super quam triumphans sedebat Maria peruenisset ad orbem lunæ, eleuatis oculis ingressa arcum glorię, à quo pendebant suę prodigia pulchritudinis cum suo dictu: *sicut luna perfecta in æternum, & testis in cęlo fidelis*: cui modulatis vocibus respondebat chorus dulcitèr canentium vnà cum turba Virginum: Virgini triũphanti in occursum egressa palmis, & lilijs coronata cum tympanis, & organis: *quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra vt luna*: Pulchra vt luna. Dan. pr. psal. 88. Can c. 1.

Et cantantibus ijs; simul, & pulchritudinem Marię laudantibus; ingreditur rheda illa angelica cœlum eloquentis Mercurij; à cuius triumphali arcu pendebant elogia eloquentiæ Mariæ, suauitatem, & sapientiæ profunditatem præmonstrantia; erat enim scriptum in arcu; *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce*: Cuius Cantici melodia totus Mercurij resonabat orbis, cui chorus sanctorum Confessorum expectantium Virginis triumphantis ingressum, cum citharis, & hymnis dulciter Can. c. 4

ter respondebat: *Mel, & lac sub lingua tua, fauus distillans labia tua*: ò Maria, *fauus distillans labia tua*; ò Maria. (Can. c. 4.)

Et ijs iubilantibus, & citharizantibus in citharis suis, triumphantis currus ingreditur cœlum Veneris, illam excipiens, vt veri matrem amoris, cuius dilectionis insignia ab arcu fulgenti pendebant, & carmina amoris Virginis, altitudinem, latitudinem, & profunditatem canentia, hæc est mater pulchræ dilectionis, quæ diligentes se diligit, cui astabat martyrum chorus, quia iuxtà (Tholom.) Tholomei sententiam, irradiatio huius planetæ est rubicunda instar sanguinis, qui & martyrum adumbrat sanguinem, vndè eis benè conuenit hic orbis, qui laureati coronis exultantes, & canentes respondebant Eclesiast. cap. 2. *& eos, qui diligunt illam, diligit Deus, diligit Deus.* (Eccl. c. 2.)

Et amoris Virginis præcrescentibus flammis solis lucidissimi currus ille cęlestis ingreditur cœlum, à cuius arcu præfulgenti radiantibus splendoribus pendebat rescriptum, quò pandebatur purissima vita Virginis, & eius innocentia sole ipso lucidissima psallentibus choris: *in sole posuit tabernaculum suum*: (Dau. pr.) Dauid Propheta psalm. 18. huic modulatis vocibus respōdebat Sacratus Apostolorum chorus, qui veluti solis duodecim signa duodenario numero instar solis ipsi totum perlustrarunt mundum, vndè ad gloriam triumphantis suauitèr canebat sol & luna: *sol & luna steterunt in habitaculo suo*: Habacuch propheta cap. 3. (Habac. proph.)

Interim triumphalis rheda illa angelica paulatim sursum eleuando se, peruenit ad cęlum Martis, & subtus arcum ibi ad gloriam ascendentis iam paratum ingrediens, à quo pendere intuebatur coronas, & victoriæ insignia, spolia inimicorum prostratorum, cum vniuersis armis victricibus, in quorum gloria en vox canentium, & quasi digito præmonstrantium Canticum gloriæ: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: circa cuius arcum erat numerus Prophetarum, Cantica dulcia præcinentium: *in chordis, & organo*; Ista: *terribilis est, vt castrorum acies ordinata*. Can. cap. 6. (Can. c. 4.) (Can. c. 6.)

O gloria triumphantis Mariæ, ò lętitia cęlorum, en sextum Iouis aduentat cœlum currus ille angelicus, cui triumphans insidebat Virgo, quæ proprijs oculis pendere intuita est, ex arcu gloriæ suæ immaculatæ Conceptionis puritatem, in cuius laudem musici illi spirituum supercęlestiū canebant propheticum dictum: *Sanctificauit tabernaculum suum*: Altissimus, quibus resonabat orbis ille Iouis, quasi dulciter echo modulatis vocibus Patriarcharum: *adiuuabit eam Deus mane diluculo, mane diluculo.* (Dau. pr. psal. 45.) (Dau. pr. Psal. 45.)

Et horum concrepantibus vocibus triumphans Maria, quietem septimi cœli, hoc est Saturni consequitur cum lætitia omnium creaturarum, cuius arcum glorię ingressa ipsa audiuit Canticum: *Hæc requies mea in sæculum sęculi*; in lateribus, cuius arcus erat expectans cętus Angelorum, Archangelorum, & virtutum, qui vt prima Hierarchia clarissima diuinæ essentiæ visione, cum citharis, & Canticis spiritualibus, ad gloriam triumphantis respondendo canebat; *Hic habitabo, quoniam elegi eam, quoniam elegi eam.* (Dau. pr. psal. 131.) (Dau. pr. psal. 131.)

Currus ille, qui nec per momentū retineri poterat, sed volatu celerrimo volitans comitantibus spiritibus illis beatis, vt peruenit ad cęlum octauum, cui non deerat arcus mirificè fabrefactus, quem decorabant omnia genera gratiarum, quibus plena, & super plena fuit Maria, quòd indicabat elogium ex arcu pendens, *In me omnis gratia vitæ & virtutis*: cui non minus suauiter respondebat chorus potestatum, principatuum, & dominationum, qui vt secunda Hierarchia cęlorum psallendo Virgini dulciter canebat, species cęli ò Maria, tu gloria stellarum. (Eccl. c. 2.)

En primogenita antè omnem creaturam sedens in curru triumphali peruenit ad primum mobile, & hic cunctæ creaturæ, vt earum Reginæ, in seruitutis argumentum, tributa persoluant iubilationis, & lætitiæ arcum triumphalem, & ipsæ fabricant, & laudando, & plaudendo manibus, iubilādo cordibus ad eius gloriam suauiter canunt; *Hac girum cęli circuiuit sola*; ò chorus exultantium thronorum, Cherubim, & Seraphim, vt tertia Hierarchia exulta, & tu, benedic, & lauda, & triumphanti Marię gloriam cane, girauit cœlum in circuitu gloriæ suæ. (Ecc. 24.)

Ascende, & tu anima mea, & intuere quantum tibi datum est lętissimum triumphantis Mariæ ingressum in cœ-

lum cryſtallinum, in quo cum magnifica pompa, & apparatu regio recepta est, cuius vitæ innocentisſima fuit cœlum cryſtallinum, in cuius concauo introſpiciens, & intuens ſe Deus, ſplendeſcere vidit, & clarisſimè repreſentari ſuę maieſtatis, ſuæ diuinitatis, ſuæ dominationis diuinę, ſuæ potentiæ infinitę clara lumina, vt prædicat, quod ab arcu pendet, edictum; *Speculum ſine macula;* tu ò Maria: *& imago bonitatis illius:* cuius aſtipulatur chorus, & cętus omnium creaturarum, lęto applauſu, & muſicalibus vocibus plaudendo: *quam pulchra es, & quàm decora cariſsima in delicijs puritatis tua.*

Sap. c. 7.

Can. c. 7.

Sed vt illuſtrior eſſet hic Marię triumphus non ſolum creaturæ omnes, & cũcti ſpiritus cęlorum venerunt in occurſum eius, ſed ipſemet Dei, & Virginis filius, Dominus noſter, cũ maieſtate & gloria venit in occurſum matris ſuæ, vt inquit D. Bernardus ſerm. 1. de aſſump. *Etenim non ſolum tota cœleſtium legionum multitudo, in Maria occurſum prodiit, illamq; ad thronũ gloria magno deuotionis affectu dedu·it, ſed & filius placido vultu, ſerena facie, diuinis amplexibus eandem ſuſcepit, & ſuper omnem creaturam exaltauit, & denique dulciter oſculatus eſt.*

D. Bern.

Cum iubilo omnium ſpirituum ſupercęleſtium ingreſſa Maria cęlum empireum, prodijt in occurſum eius Pater æternus, qui manus porrigens inuitauit ad coronam dicens; veni de libano, veni filia coronaberis, Spiritus ſanctus, vt ſpõſus dat ei dexteram, & inuitat ad æternas illas nuptias; *Veni de libano ſponſa mea, veni coronaberis;* Filius quoque extenſis brachijs amplexatur, & dulciter deoſculans inuitat ad thronum dexteræ ſuæ, veni de libano mater mea, veni dilecta mea coronaberis, & ſede à dextris meis genitrix mea, & ſedens Virgo mater ad dexteram maieſtatis in excelſis canitur interim à cęleſtibus illis ſpiritibus Canticum illud, benedicta, quæ venit in nomine Domini ò Regina gloriæ.

Can. c. 4.

D. Aug.

Tu verò anima in medio cordis tui forma arcum laudis, & dulcisſimæ benedictionis, & ſub hoc Ramuſculo dulciter cane.

Benedictum ſit nomen tuum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Ieſu filij Dei, te præcor ò Maria monſtra te eſſe matrem, ò Regina glorię, ò iubilum cordis mei, quoniam in te ſola confidit anima mea, ſub vmbra protectionis tuæ protege me, nunc, et in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE GLORIA ESSENTIALI Virginis.

RAMVSCVLVS SEXAGESIMVS NONVS.

Statura tua assimilata est Palmæ. Cant. cap. 7.



O Maria, ô Regina Cœlorum, ô lætitia, & plena lux cœlestis Ierusalem, esto tu mihi Maria, Maria, ô illuminata, & illuminatrix animæ meæ, illumina me nunc à montibus æternis, quos sic gloriosè coronata inhabitas, sic illi æternæ fœlicitati donata festiuè exultas, sic altè sublimata læta omnia repleς, & sic glorificata iucundè cum Christo conregnas, vt ineffabilis, & immensæ gloriæ beatæ animæ tuæ possit anima serui tui compræhendere, quæ sit latitudo, quæ longitudo, quæ sublimitas, & quæ eiusdem profunditas.

Lucis tuę radio illumina oculos cordis mei, vt comprehendam profunditatem, hoc est, intensionem illius beatæ fœlicitatis tuæ, sublimitatem, hoc est, altitudinem, seù excellentiam visionis tuæ beatificę, longitudinem, hoc est, extensionem diuinæ tuæ fruitionis, & latitudinem æternorum illorum gaudiorum, quibus eleuatur, glorificatur, & absque vlla mensura repletur virginale cor tuum.

Cuius immensæ gloriæ longitudinē quanta ipsa sit, vt possim comprehendere ô Maria, ô lux animæ meæ, da, vt intelligam, quam longa, quam extensa, quam immensa, quam intensa fuerit primò tui pectoris charitas, tui cordis dilectio, & ardens amor in Deum, cuius amoris longitudini, cuius charitatis extensioni, cuius dilectionis immensitati respondet in cœlo præmium gloriæ, & corona, si Virgo præ omnibus sanctis Deum ardentius dilexit, nam teste D. Hieronymo ad Eustochium scribentem de Assumptione, indesinenter cremabatur cor Mariæ flamma pij desiderij, incendioque pij amoris: *Quia*: inquit Sanctus, *& si diligebat Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, nonis tamen quotidie inflammabatur præsentia, absens desideriorum affectibus, tantò siquidem validius, quantò diuinis illustrabatur intus visitationibus, quia totam repleuerat Spiritus sancti gratia, quam totam incanduerat diuinus amor, ita vt in ea nihil esset, quòd mundanus violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris.*

D.Hier.

Quæ si amore in Deum, & charitate superat omnes, vincit vniuersos, quid miraris anima mea si illo charitatis lumine circumamicta omnes pariter excellit, & excedit, sic coronata in cœlis gloriæ profunditate iuxtà suæ humilitatis mensuram, æternæ fœlicitatis, & Regiæ maiestatis sublimitate iuxtà passionum, & pœnalitatum mensuram, latitudine præmiorum, & vniuersalis imperij, ac dominii iuxtà mensuram operum iustitiæ, & longitudine incomprehensibilis illius beatitudinis iuxtà mensuram suæ charitatis, & dilectionis, quoniam veluti palma palmæ illi diuinæ iam in cœlum euecta consedit in throno omnibus spiritibus supercælestibus, tantò eminentior, quantò sedes est magis eleuata, & pertingit vsque ad solium filii Dei, cui assimilata, possis, & tu ad illius gloriā decantare ex corde, quemadmodum & totus ille supercælestis chorus beatarum mentium festiuus psallendo Virgini, & vt Dei matrem collaudando Mariam canit dulciter, & resonat Echo, *Statura tua, ô Maria verè assimilata est palmæ,*

Meritò Maria assumpta in cœlum, & conregnans in illo Regno luminum, & claritatis, palmæ filio assimilatur in thro-

throno gloriæ, nam si ipsa degens in terra studuit iugiter illi in omnibus esse conformis in profunditate humilitatis, in sublimitate passionum, & pœnalitatum in latitudine operum, & in longitudine dilectionis, in quibus si semper Mariæ filio similem se exhibuit; similis iustum est, vt esset in gloria.

Paul. Ap. Pulchrè D. Paulus hoc demonstrat loquens de corporibus nostris, Saluatorem expectantibus in die illa vniuersalis resurrectionis, sic habet scribens ad Philippenses cap. 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Christus Iesus, qui est primogenitus mortuorum, & viuorum in illa mundi innouatione reformabit corpus humilitatis nostrę, hoc est, commutabit illud in aliam figuram non essentialem, sed accidentalem, nempè ex corruptibile faciet corpus incorruptibile, ex passibile, impassibile, ex terrestri, cęleste, ex opaco, clarum, & gloriosum: *Idcirco*, inquit D. Bernard. serm. 47. in Cant. *vocat corpus humilitatis, quia soli humiles hac gloria reformabuntur.* S. Bern.

Corpus nostrum vocat Apostolus corpus humilitatis, corpus verò Christi nominat corpus claritatis, qui tunc transformabit, & transfigurabit corpus hoc, humile, vile, abiectum, miserabile, & obscurum, tunc reddet conforme corpori claritatis Christi, quando configurabit illud, seù reddet illud in similitudinem corporis gloriæ suæ, ò dignitas, ò honoris excellentia, hoc vile corpus erit simile corpori Christi claro, & glorioso, quid fiet de corpore matris? quæ in humilitatis profunditate, in dolorũ, & passionum sublimitate, in operum bonorum latitudine, & in longitudine charitatis, & viuens, & moriens semper Christo fuit conformis, et similis, cur non similis in gloria, si vtriusque est vna caro? de nostra stupet, et admiratur

S. Chrys. D. Chrysostomus inquiens: *Papæ illi ne, qui ad dexteram patris sedet conforme fiet hoc corpus? illi, qui adoratur ab Angelis? illi, qui est super omnem principatum, potestatem, & virtutes conforme fiet? nobis facta est hæc promissio, corpus nostrum fiet conforme corpori glorioso Christi.*

Si corpus hoc vile vbique scatens vermibus, et putredine, vbique rationi inobediens, et ipsi Deo rebelle, et inimicum visum est Christo Iudici pro mercede promissa posse fieri conforme corpori suo claro, et glorificato, quando assimilabit illud clarissimo corpori suo, quòd assumpsit ex Virgine, ita vt eandem claritatis figuram habeat nostrum, quòd suum possidet corpus.

Certum est rationi, & iustitiæ valdè consonum, quòd quilibet pro operibus suis bonis ex condigno meretur vitam æternam, beatitudinem, & gloriam, quã Paulus Apostolus appellat; *Coronam iustitiæ*, scribens ad Timotheum epist. 2. cap. 4. Ex eo quia iusta operauit iustè meretur, vt iustissima Iudicis sententia donetur ei corona gloriæ, erit ergo in cœlo vnicuique corona, eaque pro meritis varia. Paul. Ap.

Quæ, et qualis, et quam eleuata erit corona Mariæ, quã palmæ filio similis, quã vniformis, quã cõformis, quã æqualis, licèt non ex æquo, dicẽte Apostolo, alia est claritas solis, scilicet Mariæ, alia claritas stellarum, videlicet Sanctorum, quilibet enim eorum magis, & minus præfulgebit, vti hic gratia, et meritis ita ibi gloria, corona, & præmiis, teste Diuo Hieronymo contra Iouinianum, qui testatur in cœlo esse disparitatem præmiorum, prout hic dispar sunt semina meritorum. D. Hier.

O anima mea, si quæ præparauit Deus diligentibus se, talia, & tãta sunt, quòd nequeunt explicari, quæ præparauit matri, quæ genuit eum, portauit, peperit, lacte mammillarum sui pectoris depauit, nutriuit, educauit, sedule in omnibus ministrauit, & præ omnibus dilexit, quam profunda, quam sublimia, quam immensa, quam inesplicabilia, hoc tantum dicam, quòd Beatus Thomas Valentię Archiepiscopus anno tauit in Cantico secundo de Assumpt. Virginis Mariam alloquens, sic inquit, *Quid de tuis delicijs dicam ò Maria? si oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, quòd præparauit gignenti se, & procul dubio præ omnibus diligenti, quis loquatur? non homo, non Angelus, sed ipse solus intelligit, & capit, qui exhibet, dicat, nimis profunda sunt, nimis sublimia, nimis alta, & immensa*; Dicam & illud, quòd in hac parte sencit D. Anselmus de excellentia Virginis cap. 8. *Immensitatem gratię, glorię, & felicitatis tuæ considerare cupienti, sensus deficit,* D. Tho. Valent. Archiep. D. Ansel.

cit,& lingua fatiſcit, nec mirum, quando fatiſcit,& deficit etiam lingua Angelorũ.

Quando ſpiritus cœlorum viderant Mariam ſic glorioſè aſcendentem, cor, & talibus coronis onuſtam, tam ſublimè euectam,& eleuatam, num non notaſti,quòd ingreſſum aſcendentis verbis explicare minimè potuerunt, nec altitudinem gloriæ, nec throni ſublimitatem,& conſeſſus celſitudinem, ad quam ſuper omnes ſpiritus eleuabatur; ſilentio tantum mentis ſtupore rapti, prædicare, ſeù celebrare contendunt, cur hoc? quantum capit anima mea. quantum ſapit cor meum, dicam non ego, ſed D. Bernard. illorum verba,ſtuporem mentis, & admirationem perpendens; D. Bern. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto*, inquit ipſe. *quanta eſt hæc? & vndè aſcendentit de deſerto affluentia tanta deliciarum? neque enim pares inueniantur deliciæ in nobis, quos in Ciuitate Dei lætificat fluminis impetus, quia à vultu gloriæ voluptatis gloria potamur,*

Meritò admirantur de deſerto tantam deliciarum affluentiam. & copiam tantam? gloria Angelorum, qui quotidie potantur ex ipſo voluptatis fonte,& ora tenent iuxtà aquæductum fluminis Dei,cuius faciem, facie ad faciem fruẽdo,lætando,iubilando,gaudendo,citharizando,ſatietate perfecta, læti,beati, & glorioſi intuentur: Papæ ò, ò, ò non attingit ad iſtam,qua hodie Virgo coronatur,& circumamicitur,quid ni? ſi nõ attingit, imò longè ſuperatur, & vincitur ab illa.

O Deus animæ meæ, ò corona, & præmium beatorum, ſpiritus illi cæleſtes, cæleſtia inhabitantes, cæleſtibus fruẽtes cæleſtibuſq; abundãtes qui ſunt in deliciis Paradiſi,licèt in ſeipſis pleni, nihilominus non replentur affluentia tanta,vt repletur Maria,ò Deus gloriæ, & æternæ beatitudinis. Quæ eſt iſta ſic onuſta deliciis,aſcẽdens de deſerto? num in deſerto inueniũtur lapides ſic pretioſi,& adeò fulgẽtes, aut in cæleſti illa Ieruſalẽ? nec noua India cœli producit illis æquales,& perſimiles? num ex ſolitudine deſerti, in qua paupertas ſumma dominatur, & regnat,poſſunt afferri gemmæ, & margaritæ tanti valoris? quas non poſſident palatia Paradiſi & quia aſcẽdebat Maria de deſerto, affluere meruit deliciis tantis quod etiam illos ſpiritus Angelicos,& ſublimitate throni,& altitudine gloriæ, & immenſitate fruitionis diuini conſpectus poſt ſe reliquit. D.Dam.

Ipſa namque Virgo teſte D. Damaſceno in ſerm. de Aſſumptione: *Inter animas Sanctorum,& Angelorum choros ſupereminens euecta, merita ſingulorum, & omnium titulos antecellit, praeminet, & ſuperat omnes, tàm immenſitate gratiæ,quàm ſplendore, & altitudine gloriæ* Cur hoc? & vndè? ò prodigia,ò manus diuinæ potentiæ, niſi quia aſcendens aſcendebat de deſerto.

Vt capias quæ dico,attende quid dicat D.Chryſoſtomus hom. 16.in Matth. cap. 20. D.Chryſ *Qui ſibi arrogat, is verè humilis eſt, qui verè humilis eſt, is ad veræ ſublimitatis cacumen volabit.*

Solus arrogans,& de ſe maximè præſumens eſt verè humilis, hoc eſt, nullius valoris, nullius pretii, nullius æſtimationis, nullius præmij, ſed vilis, miſer, & miſerabilis, & abiectus, qui verò de ſe humiliter ſentit, hic humilitatis pẽna altè volat,& quo preſſius ſe deprimit,eò altius aſcẽdit & ita ſublimè quòd præfertur Angelis,& ſuper eos eleuatur.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto? GaSt. Cant. c. 8. vtique Maria? cuius vitæ progreſſus, & iter, ſemper de deſerto; dum veluti deſertum deſerta fuit Virgo, denudata, ſpoliata, vacua, ſicca,& mundi affectibus, & honoribus ſemper ſterilis, ſemper humilis, vt deſertum, quid miraris ò anima mea ſi ſic leuis, & humilis aſcendens humilitatis penna aſcendat delicijs affluens deliciarum Dei.

Mira ſententia, & profunda laus Angelorũ,qui admiratione rapti ſic interrogant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto?* aſcendentem de deſerto vident ſimul,& affluentem delicijs,quid eſt hoc? quando Virgo aſcendebat nonnè de deſerto in Empireum aſcendebat? cur hoc? & vndè? deliciis ſuper cœli incolas affluebat? num plus potuit deliciarum conferre Mariæ deſertum hoc, quàm Angelis intuentibus Deum facie ad faciem,Empireum, cœleſtis illa patria, & viſio illa beatifica Dei? Hæc tua viſio ò Deus cordis mei,non eſt tota merces te videntium,& beatorum præmium? non eſt totum illud bonum,quòd velut theſaurus in theſauro reconditum faciei tuæ ſeruatur? num maiores delicias,maius bonum maiorem pulchritudinem, maius gaudium, maiorem lætitiam, & gloriam potuit conferre Mariæ deſertum,

tum,

tum, quam Angelis tua facies, quæ est summa omnis boni, & fons omnis pulchritudinis, imò, & thesaurus æternorum gaudiorum, & gloria totius Ierusalem cœlestis.

Præ admiratione, & mentis stupore deficit verborum copia, eloquentiæ facultas, dicendi stylus in angelis, & quod non valet dicere, energia, seù efficacia sermonis, enunciant, & producunt modo loquendi, & exemplari.

Liquoris quantitas recipitur iuxtà amphoræ capacitatem, hoc nemo ignorat, quantò vas est capacitate maius, tantò plus capit, & retinet liquoris; at si intra vas includitur aer, non habens exitum, vel aliquid luti, seù paleæ minoris certè redditur capacitatis, sic è contra, quantò plus euacuatur, tantò maior est illius capacitas, & vas efficitur capax maioris liquoris,

Cor nostrum vas quoddam est infinitæ, & immensæ capacitatis, quia Deū ipsum capit, & tunc cor Dei capax efficitur, quando veluti desertum, euacuatur, & exinanitur, & aere, seù spiritu mundani honoris, præsumptionis, superbiæ, & extimationis, & quidquid humanum est, spoliatur, denudatur, & veluti desertum efficitur vacuum.

O cor Virginis, ò pectus virginale, ò vas immensæ capacitatis, nonnè velut desertum euacuauit se, dùm mater Dei eligitur, & ancillam se nominat? quid mirum, si ascendens de profundo deserto suæ humilitatis, repleta Deo, plena gratia sublimata gloria, adeò pulchra, adeò perfulgida, adeò gratiosa, adeò splendens, adeò delicijs affluens, quòd videntes angeli stupore perterriti, & admiratione stupefacti admirati exclamant: *quæ est ista, quæ ascendit &c.*

Tantis delicijs affluens ascendebat Maria, quòd cęlum ingrediens, plura ipsa in se exibuit spiritibus beatis spectanda, quàm ipsa de deserto ascendens in illa cęlesti gloria spectaret, & intuenda contemplaret; hoc sonant verba Diui Damiani serm. 1. de Natiuit. Virgin. *Summa gloria est, post Deū, te videre, adhęrere tibi, & in tuę protectionis munimine demorari; excepta igitur beata Trinitatis visione, & Christi humanitatis intuitione, plura, pulchriora, diuiniora in vna hac Virgine spectanda inueniuntur, quam in tota illa cælesti curia*, testatur D.Bonauentura: *Post Deum maior nostra gloria, & maius nostrum gaudium ex Maria est*, quòd clarius annotauit Diuus Petrus Damianus ser. 3. de Natiuit. Virgin. *Maria præsentia totus illustratur orbis, adeò, vt & ipsa patria cœlestis clarius rutilet Virgineæ lampadis irradiata fulgore*: O anima mea cogita, si vales, quantum gaudium generat, illam matrem misericordiæ; Reginam pietatis, & clementiæ videre in illo Regno beatitudinis, quàm mirabiliter omnium cœlestium spirituum mentes lætificat, & miro quodam modo, nescio quo, inextimabili gaudio omnem beatam creaturam, quàm dulciter inebriat videre cœlestis Reginæ faciem, & Mariæ deificatam claritatem, & suæ beatissimę prolis glorificatam humanitatem.

D. Dam.

D.Bona.

Petrus Damia.

O lux æterna, ò æternæ lucis filia, meritò statura tua in tua Assumptionis gloria assimilata est palmę filio: palma enim victoribus, & vincentibus tribuitur in præmium, & corona; dùm cęlum Virgo de deserto ascendit delicijs affluens, intuere Regnum illud cœleste, & videbis ibi regnantes cum palmis, & coronis pro præmio, & dum contemplaris Mariam super omnes illos coronatos euectam, & eleuatam, in laudem Virginis balbutiendo cane, *Statura tua ò Maria assimilata est palmæ filio;* qui ad dexteram suam te collocauit.

Gloria essentialis consistit in visione, fruitione, & tentione Dei, qui gradus gloriæ si respondent in patria tribus illis virtutibus, nempè fidei, charitatis, & spei; certum est apud Sacros Doctores, quòd fidei succedit clara visio, qua anima in sua potentia intellectiua quodam habitu luminoso superinfuso eleuatur ad Deum clarè, sicut est videndum cum summa, & ineffabili iucunditate.

Charitati respondet fruitio, per quā anima in sua potentia volitiua adhæret Deo, & fit vnum cum Deo, quo fruitur tota immersa, & absorpta affluentia illa inenarrabili dulcedinis, & bonitatis diuinæ; spei verò succedit perpetua illa Dei possessio, per quam anima secundū memoriam gratificatur, & glorificatur innixa summæ Maiestati Diuinæ secura, absque vllo timore de perpetuatione gloriæ, & tentionis Dei.

O anima mea si B. Virgo Maria præ omnibus, & super omnes effulsit in via hac, hisce virtutibus, nempè fidei, & charitatis, & spei, quàm gloriosa, quàm subli-

bli-

blimis, & præpotens, & super Sanctos, & super omnes exercitus Angelorum erit visio, fruitio, & tentio Virginis in cęlo? verè de illa dicere possumus: *Corona aurea super caput eius expressa signo sanctitatis gloria honoris, & opus fortitudinis.* (Apocal. cap. 4.)

Quanta autem fuerit huius dexteræ consessus altitudo, quantauè huius glorię coronæ sublimitas, vnico verbo me expediam, quanta fuit ipsius Virginis passionum tolerantia, & sustinentia laborum; nemo ò anima mea fœlicitatem illam, & beatorum societatem præripere gestiat, vnicuique nostrum laborandum est, donec beatorum fœlicitatis mane illud illucescat, & rutilans illius deificæ visionis aurora appareat, ne succumbans tu, luctare cum Angelo, quia Regnum cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, quia corona non datur, nisi legitimè certauerit, brauium felicitatis æternæ non accipit, nisi qui strenuè currit, & luctatur in palestra, nec præmium debetur nisi labori; quòd probatur sententia D. Chrysostomi, qui testatur; (S. Chrys.) *quòd non est æstas sine hyeme, non est messis sine labore, sic nec corona sine certamine, nec Christi Regnum sine Cruce*; Est etiam, & hoc apud Deum ius legale, à quo vsque modo exemit neminem; & huius veritatis testis est Diuus Amadeus homil. 5. de martyrum meritis, (D. Ama.) qui fatetur, Dei filium, cui Deus pater dedit omne iudicium facere, quia filius hominis est, nec Virginem matrē suam ab hac excepisse lege, quando toto cordis affectu ad Dominum Iesum conuersus, sic affatus est; *Domine Iesu terribilis nimis in consiliis super filios hominum, nec matri tua pepercisti, quin gladius doloris animam suam pertransiret: hac nobis via per igneum gladium transeundum omnibus in communi est, ad lignum vitæ, quòd est in medio Paradisi.*

Et si ita insolubile est hoc ius, quòd nec in Virgine matre legimus à filio fuisse solutum, cum soluetur ab eo, qui non venit soluere legem, sed adimplere, in homine nequam, vt ad coronam gloriæ possit ascendere sine cruce, cœlum penetrare absque certamine, Paradisum adire absque quod pertranseat per ignē passionum, & pœnalitatum, quærit D. Ambrosius, & quidem satis curiosè, cur Deus eiecto primo homine de Paradiso voluptatis, non occlusit loci illius ostium, sed ad custodiam Cherubim delegauit, & obsignauit, vt sollicitè excubaret, & ingressum illius præpediret, ne cuipiam ex nascituris ex Adam facilè, seù liberè pateretur ingressus, ita nos docet facer textus in Genes. cap. 3. *Collocauit antè Paradisum Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*, (Genes.) cuius fructus, ne quilibet tangeret homo natus de muliere, nec ipsemet comederet, quā non obserauit Dominus ostium, sed tantum custodem adhibuit ad custodiam, fores reliquit apertas, & propatulas, sed ab Angelo custoditas; ex quo colligitur primò ostia diuinæ misericordiæ, & gloriæ suæ Deum nemini præcludere, & secundò vt intelligas non esse ingrediendum nisi per ignem pressurarum, & tribulationum, & quòd hæc sit mens Doctoris Sancti, audiamus ipsum in ser. 20. in psalm. 118. vbi sic inquit. (D. Amb) *Sicut romphæa ignea est in ingressu Paradisi, vt qui redit, per ignem reuertatur.*

Attendè, & tu anima mea, hominem illum, qui primo in Paradisum ingredi meruit, hic ex testimonio Diui Arnoldi in lib. de septem Verbis Domini, fuit latro, qui pendebat in cruce à dextris Domini Iesu, in cuius sanguine iam lotus promeruit audire: *Hodie mecum eris in Paradiso*: (D. Arn. in lib. de septem Verbis Domini.) Sistantus hic verba eiusdem Arnoldi; *Apertis seris antiquis, latro primitiæ derelictorum introducitur (aperiente Christo) in Regnum cœlorum; amoueturque ab introitu Paradisi custodia, quæ ab initio erat posita, & introducitur latro*: Ex quibus verbis intelligimus, quòd ex illa hora, qua primus homo fuit eiectus è Paradiso vsque ad horam, qua Dominus Iesus in cruce pendens Deo patri tradidit spiritum, stetit custos ille cœlestis, ante Paradisum voluptatis ad custodiendam viam ligni vitæ, quo, & per mortem Christi subloto, cui primò patuit, seù referatum est iter, & complanatus ingressus? Nisi huic latroni? sed non gratis ei datum est, nec liberè ingredi, sed coactus est per crucem ascendere, & per ignem passionis transire.

Et quid mirum? Si hic Christo associatur in gloria, & Regni cœlestis pa et aditus, quem idem comitem habuit in passione, & in cruce? *Meritò hic*, inquit D. August. serm. 13. in feria sexta Parasceuæ, (D. Aug.) *testis est Maiestatis, qui socius probatur doloris*: quòd videtur autumare Diu. Ambrosius serm. quinquagesi-

tum, quam Angelis tua facies, quæ est summa omnis boni, & fons omnis pulchritudinis, imò, & thesaurus æternorum gaudiorum, & gloria totius Ierusalem cœlestis.

Præ admiratione, & mentis stupore deficit verborum copia, eloquentiæ facultas, dicendi stylus in angelis, & quod non valet dicere, energia, seu efficacia sermonis, enunciant, & producunt modo loquendi, & exemplari.

Liquoris quantitas recipitur iuxta amphoræ capacitatem, hoc nemo ignorat, quantò vas est capacitate maius, tantò plus capit, & retinet liquoris; at si intra vas includitur aer, non habens exitum, vel aliquid luti, seu paleæ minoris certè redditur capacitatis, sic è contra, quantò plus euacuatur, tantò maior est illius capacitas, & vas efficitur capax maioris liquoris.

Cor nostrum vas quoddam est infinitæ, & immensæ capacitatis, quia Deũ ipsum capit, & tunc cor Dei capax efficitur, quando veluti desertum, euacuatur, & exinanitur, & aere, seu spiritu mundani honoris, præsumptionis, superbiæ, & extimationis, & quidquid humanum est, spoliatur, denudatur, & veluti desertum efficitur vacuum.

O cor Virginis, ò pectus virginale, ò vas immensæ capacitatis, nonnè velut desertum euacuauit se, dùm mater Dei eligitur, & ancillam se nominat? quid mirum, si ascendens de profundo deserto suæ humilitatis, repleta Deo, plena gratia sublimata gloria, adeò pulchra, adeò perfulgida, adeò gratiosa, adeò splendens, adeò delicijs affluens, quòd videntes angeli stupore perterriti, & admiratione stupefacti admirati exclamant: *quæ est ista, quæ ascendit &c.*

Tantis delicijs affluens ascendebat Maria, quòd cœlum ingrediens, plura ipsa in se exibuit spiritibus beatis spectanda, quàm ipsa de deserto ascendens in illa cœlesti gloria spectaret, & intuenda contemplaret: hoc sonant verba Diui Damiani serm. 1. de Natiuit. Virgin. D. Dam. *Summa gloria est, post Deũ. te videre, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari; excepta igitur beata Trinitatis visione, & Christi humanitatis intuitione, plura, pulchriora, diuiniora in vna hac Virgine spectanda inueniuntur, quam in tota illa cœlesti curia*, testatur D. Bona. D. Bonauentura: *Post Deum maior nostra gloria, & maius nostrum gaudium ex Maria est*, quòd clarius annotauit Diuus Petrus Damianus ser. 3. de Natiuit. Petrus Damian. Virgin. *Maria præsentia totus illustratur orbis, adeò, vt & ipsa patria cœlestis clarius rutilet Virginea lampadis irradiata fulgore*: O anima mea cogita, si vales, quantum gaudium generat, illam matrem misericordiæ; Reginam pietatis, & clementiæ videre in illo Regno beatitudinis, quàm mirabiliter omnium cœlestium spirituum mentes lætificat, & miro quodam modo, nescio quo, inextimabili gaudio omnem beatam creaturam, quàm dulciter inebriat videre cœlestis Reginæ faciem, & Mariæ deificatam claritatem, & suæ beatissimæ prolis glorificatam humanitatem.

O lux æterna, ò æternæ lucis filia, meritò statura tua in tua Assumptionis gloria assimilata est palmæ filio: palma enim victoribus, & vincentibus tribuitur in præmium, & corona: dùm cœlum Virgo de deserto ascendit delicijs affluens, intuere Regnum illud cœleste, & videbis ibi regnantes cum palmis, & coronis pro præmio, & dum contemplaris Mariam super omnes illos coronatos euectam, & eleuatam, in laudem Virginis balbutiendo cane; *Statura tua ò Maria assimilata est palmæ filio*; qui ad dexteram suam te collocauit.

Gloria essentialis consistit in visione, fruitione, & tentione Dei, qui gradus gloriæ si respondent in patria tribus illis virtutibus, nempè fidei, charitatis, & spei; certum est apud Sacros Doctores, quòd fidei succedit clara visio, qua anima in sua potentia intellectiua quodam habitu luminoso superinfuso eleuatur ad Deum clarè, sicut est videndum cum summa, & ineffabili iucunditate.

Charitati respondet fruitio, per quã anima in sua potentia volitiua adhæret Deo, & fit vnum cum Deo, quo fruitur tota immersa, & absorpta affluentia illa inenarrabili dulcedinis, & bonitatis diuinæ; spei verò succedit perpetua illa Dei possessio, per quam anima secundũ memoriam gratificatur, & glorificatur ionixa summæ Maiestati Diuinæ secura, absque vllo timore de perpetuatione gloriæ, & tentionis Dei.

O anima mea si B. Virgo Maria præ omnibus, & super omnes effulsit in via hac, hisce virtutibus, nempè fidei, & charitatis, & spei, quàm gloriosa, quàm sublimi-

blimis, & præpotens, & super Sanctos, & super omnes exercitus Angelorum erit visio, fruitio, & tentio Virginis in cęlo; verè de illa dicere possumus: *Corona autem super caput eius expressa signo sanctitatis gloria honoris, & opus fortitudinis.* Apocal. cap. 4.

Quanta autem fuerit huius dexteræ consessus altitudo, quantaue huius gloriç coronæ sublimitas, vnico verbo me expediam, quanta fuit ipsius Virginis passionum tolerantia, & sustinentia laborum; nemo ò anima mea fœlicitatem illam, & beatorum societatem præripere gestiat, vnicuique nostrum laborandum est, donec beatorum fælicitatis mane illud illucescat, & rutilans illius deificæ visionis aurora appareat, ne succumbans tu, luctare cum Angelo, quia Regnum cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, quia corona non datur, nisi legitimè certauerit, brauium felicitatis æternæ non accipit, nisi qui strennè currit, & luctatur in palestra, nec præmium debetur nisi labori: quòd probatur sententia D. Chrysostomi, qui testatur; *quòd non est æstas sine hyeme, non est messis sine labore, sic nec corona sine certamine, nec Christi Regnum sine Cruce;* Est etiam, & hoc apud Deum ius legale, à quo vsque modo exemit neminem; & huius veritatis testis est Diuus Amadeus homil. 5. de martyrum meritis, qui fatetur, Dei filium, cui Deus pater dedit omne judicium facere, quia filius hominis est, nec Virginem matrē suam ab hac excepisse lege, quando toto cordis affectu ad Dominum Iesum conuersus, sic affatus est; *Domine Iesu terribilis nimis in consiliis super filios hominum, nec matri tuæ pepercisti, quin gladius doloris animam suam pertransiret; hæc nobis via per igneum gladium transeundum omnibus in commune est, ad lignum vitæ, quòd est in medio Paradisi.* S. Chrys. D. Ama.

Et si ita indissolubile est hoc ius, quòd nec in Virgine matre legimus à filio fuisse solutum, num soluetur ab eo, qui non venit soluere legem, sed adimplere, in homine nequam, vt ad coronam gloriæ possit ascendere sine cruce, cœlum penetrare absque certamine, Paradisum adire absque quod pertranseat per ignē passionum, & pœnalitatem; quærit D. Ambrosius, & quidem satis curiosè, cur Deus eiecto primo homine de Paradiso voluptatis, non occlusit loci illius ostium, sed ad custodiam Cherubim delegauit, & obsignauit, vt sollicitè excubaret, & ingressum illius præpediret, ne cuipiam ex nascituris ex Adam facilè, seù liberè pateretur ingressus, ita nos docet sacer tex. in Genes. cap 3. *Collocauit antè Paradisum Cherubim, & flāmeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ,* cuius fructus, ne quilibet tangeret homo natus de muliere, nec ipsemet comederet: nā non obserauit Dominus ostium, sed tantum custodem adhibuit ad custodiam, fores reliquit apertas, & propatulas, sed ab Angelo custoditas; ex quo colligitur primò ostia diuinæ misericordiæ, & gloriæ suæ Deum nemini præcludere, & secundò vt intelligas non esse ingrediendum nisi per ignem pressurarum, & tribulationum, & quòd hæc sit mens Doctoris Sancti, audiamus ipsum in ser. 20. in psalm. 118. vbi sic inquit. *Sicut romphæa ignea est in ingressu Paradisi, vt qui redit, per ignem reuertatur.* Genes. D. Amb

Attendè, & tu anima mea, hominem illum, qui primo in Paradisum ingredi meruit, hic ex testimonio Diui Arnoldi in lib. de septem Verbis Domini, fuit latro, qui pendebat in cruce à dextris Domini Iesu, in cuius sanguine iam lotus promeruit audire: *Hodie mecum eris in Paradiso;* Sistamus hic verba eiusdem Arnoldi; *Apertis seris antiquis, latro primitiæ derelictorum introducitur (aperiente Christo) in Regnum cœlorum; amoueturque ab introitu Paradisi custodia, quæ ab initio erat posita, & introducitur latro.* Ex quibus verbis intelligimus, quòd ex illa hora, qua primus homo fuit eiectus è Paradiso vsque ad horam, qua Dominus Iesus in cruce pendens Deo patri tradidit spiritum, stetit custos ille cœlestis, antè Paradisum voluptatis ad custodiendam viam ligni vitæ, quo, & per mortem Christi sublato, cui primò patuit, seù reseratum est iter, & complanatus ingressus? Nisi huic latroni? Sed non gratis ei datum est, nec liberè ingredi, sed coactus est per crucem ascendere, & per ignem passionis transire. D. Arn. in lib. de septem Verbis Domini.

Et quid mirum? Si hic Christo associatur in gloria, & Regni cœlestis pa et aditus, quem idem comitem habuit in passione, & in cruce? *Meritò hic,* inquit D. August. serm. 11. in feria sexta Parasceuæ; *testis est Maiestatis, qui socius probatur doloris:* quòd videtur autumare Diu. Ambrosius serm. quinquage- D. Aug.

mo quinto de tempore: *Vnquam latro*, inquit Sanctus, *diu aberrans, & naufragus, aliter ad patriam redire non poterat, nisi fuisset arbori ligatus*; Quid est ô anima mea nisi fuisset arbori ligatus? nisi quod absque nisu corporis, absque impetu passionum, absque igne præssurarum, loci illius fęlicitatis peruadere limina, vel intra ædes eiusdem penetrare pedem non valuisset: si quis audet, si quis audet, procul dubio à seipso alienatus viuit, & magno videtur laborare delirio. — D. Amb.

Quo defatigata sponsa exclamabat in Canticis cap. 1. *Osculetur me osculo oris sui*; magno ipsa quadam die tenebatur desiderio, & vehementer anhelabat sponsi sui frui vultu, & præsentia, frui visione illa beatifica, quæ est gloria Sanctorum, & amplexibus eiusdem delectari, deliciari osculis oris sui, & sic amoris stimulo agitata ad eum conuersa deprecabatur, *Osculetur me osculo oris sui*, per osculum iuxta intelligentiam D. Greg. Nisseni intelligebat dulcedinem, & fruitionem beatæ illius visionis: *Moyses*, inquit Sanctus, *tamquam sponsa sponsum osculabatur*: ad exemplum huius in Canticis, inquit sponsa *Osculetur me osculo oris sui*; & per osculum ipsa anhelabat peruenire ad fruitionem præsentiæ sui sponsi, illius gloria satiari ponti, frui beatitudine, & compotem fieri suæ faciei dulcedinis, sed absque labore, absque cruce, absque vulnere gladij illius, quo via custoditur, & prohibetur ingressus. Confisa in hoc, quòd ostium reseratum remanserat, & custos ad custodiam iam abiudicatus est, & à Christo in sua passione totaliter abreptus, ergo liber, patens, & illaboratus est ingressus, complanata est via, & absque labore est introitus ad lignum vitæ. — D. Greg. Nissen.

Cæca mentis est hæc fiducia, imò & delirium. Christus sua morte feras reseratis amouit custodem, & cuncta elongauit impedimenta sed flammeum gladium ab ingressu Paradisi haud sustulit, sed tantummodo commutauit, nam gladium quem Cherubim delegatus ad custodiam stricta manu vibrabat, nunc Deus ipse habet, & seruat in ore; ita se vidisse autumat D. Ioannes cap. 1. suarum reuelationum; *& de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*; non meum est hoc, sed mens fuit Diui Asteri Epist. ad Amatum, qui sponsam alloquens, sic fatur; *quòd os habet sponsus, ô sponsa, vt osculetur te ? nisi illud*, quod vidit Ioannes in Apocalypsi; *emittens gladium ex vtraque parte acutum*: ac si diceret, si Deum habere sponsum: illum intueri, illius amplexibus frui, potiri præsentia, *& osculis deosculari oris sui flagras amore*, ardes desiderio; scito, quòd antequam ad os peruenias sponsi, & osculi oris sui sentias dulcedinem, primò necesse est, vt gladius, quem habet in ore, pertranseat tibi pectus, penetret viscera, confodiat animam, & cor scindat, & diuidat; tibi primò per crucis ignem transeundum est, & per gladium passionis, quoniam de manu Cherubim in os sponsi Dei tui translatus est gladius: si illius osculis aues, & anhelas deosculari, non potes ad os peruenire, quin prius te pungat, non feriat gladius, quin prius non te vulneret ferrum gladij oris illius qui vtique versatilis est, & ad hoc ex vtraque parte acutus. — Apocal. — D. Aster.

Si iure sic statutum est, & hanc legem vsque modo in nullo abrogatam legimus, quando ab ea nec Virginem matrem exemit nec voluit excipere, valuit sed maluit, vt ad osculo oris sui transiret per ignem, & accederet per crucem, & cur hoc? nisi quia crux, ignis passionis, labor, cruciatus, & mors ipsa sunt flores: qui nobis æternæ fęlicitatis æternæque gloriæ fructus parturiunt; teste D. Gregorio Nisseno; qui sic testatur: *Fructuum; qui sperantur flos afflictio est, & anima quæ hos gloriæ fructus degustare peroptat, non potest, nisi sibi hos flores primò legat in campo certaminis, quibus coronata floribus, si fuerit, coronabitur in illo regno beatitudinis corona gloriæ, quæ non datur, nec debetur nisi laboris* sic in Apocalypsi cap. 2. Pergami Episcopo promisit Deus, dicens: *Vincenti dabo manna absconditum*, & licèt D. Bernardus, D. Ambrosius, & Riccardus per manna accipiunt dulcedinem côtemplationis, Andreas Victorinus, & Glosa in hoc loco de præmio vitæ æternæ, manna enim cibus est de cœlo datus filiis Israel, omnium ciborum sapores continens, quòd primò degustantes admirati dixerunt: *Manhu, quid est hoc?* Exodo cap. 16. significat autem infusam dulcedinem, qua Deus mirabiliter pascit suos electos in patria, & omni replet suauitate & tanta suauitate, quòd admiratione extra se rapti, dicent: *Manhu quid* — D. Greg. Nissen. — Apocal. — D. Bern. — D. Amb. — Riccard. — Glosa. — Andreas Victor. — Exod.

,quid est hoc? & meritò dicitur manna absconditum, quoniam non omnibus datur, sed tantum seruatur certantibus, & strenuè laborantibus.

Quod, & Angeli videntes Virginem ascendentem de deserto tot affluentem deliciis cœlestibus, spiritualibus, atque diuinis, hoc manna illam accepisse, quia ascendebat innixa supra dilectum suũ, cur dilecto sic enixè innititur? & non in deliciis virtutum, & gratiarum, quibus affluens ascendebat Maria? certè ne caderet, dilecti sui meritis, & donis innititur, & non in suis, sic explicat hunc Hailg. locum Hailgrinus: *Affluere autem dicitur gratiarum delicijs, & virtutum, & innixa supra dilectum suum, nam ne perderet delicias affluentes, non suis meritis, sed ipsius innititur gratia*, qui gratiam tribuit, & meritum, præmium superaddidit, ô mysteria, ô profunditas diuinæ sapientiæ Mariæ, si filio non fuisset innixa, cœlum siquidem non ascendisset; Mariam in cœlum euexerant eius eximia merita, & labores, qui si filii meritis non forent innixi, Virginem vtique euehere minimè potuissent.

Huius veritatis figuram præcesserat in Iacob, vt habetur in Genes. qui dormiens vidit scalam è terra assurgere vsque ad cœlum, & licet per eam videret Angelos ascendere, & descendere, ipse verò sopori vacabat, scala hæc Christi merita obumbrat, ô anima mea, vt cœlum penetres, vt Deo fruaris, vt manna pergustes diuinæ illius dulcedinis, quam abscondit Deus diligentibus se, satis tibi non est scalam tantummodo intueri, contemplari, videre, & te illi credere, & fidere, & ei obdormire cum Iacob, quia manna illud cæleste non datur degustare, satiari, frui, nisi vincenti, nisi currenti, nisi laboranti; non vincit, qui dormit, sed qui vigilando certaminibus, & laboribus se exponit, necesse est vt huius scalæ gradus nunc manibus appræhendat, nunc alios pedibus premat, vt scandat, vt ascendat, qui more Angelorum sine intermissione non ascendit, non descendit, & ascensionis labores nõ sustinet, non sunt satis Christi merita, & passio.

Qui ad manna hoc degustandum sui cordis palatum parat, debet parare, & manus, hoc est opera bona, & pedes, hoc est sancta desideria, & inniti Christi meritis, en tibi ante oculos hodie illi spiritus cœlorum Virginem proponunt imitandam, quam si conspicis deliciis affluentem assumi in cœlum, & manna repleri deliciarum Dei, Dei erant illæ deliciæ, quibus affluens eleuabatur Maria, quia non ex alio fonte emanabant, quàm ex conspectu Dei, ex visione Dei, ex tentione Dei, ex fruitione Dei, & quò ad corpus ex impassibilitate, ex claritate, ex agilitate, & subtilitate sui corporis, ijs, & alijs affluebat, sed innixa super dilectum suum: Virginis erant merita, sed simul erant dona Dei, audi D. Augustinum in lib. 9. Confess. c. 13. D. Aug. epist. 105. ad Xystum, & in lib. 50. homil. 14. exponens illud Pauli ad Timothe. 2. epist. cap. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus Iudex: *Reddet mihi Dominus*, ait Paulus *debet ergo Dominus, quòd reddit, reddet ergo iustus Iudex, non enim opere inspectõ potest negare mercedem, qui opus inspicit:* Bonum certamen certaui, opus est, cursum consumaui, opus est, fidem seruaui, opus est, superest mihi corona iustitiæ, merces est, sed in mercede nihil agis, in opere non solus agis, corona tibi est ab ipso, opus autem abs te; sed non nisi ipso adiuuante, & post pauca cùm Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua, ascendebat Maria opibus cœlestibus, & delicijs spiritualibus affluens, quibus iam sibi intexerat coronam, sed non nisi innixa super dilectum suum, hoc est Christi merita, Dei enim erant dona, sed & sua erant merito, adepta in campo hoc certaminis, & in Palestra huius vitæ, in qua & luctauit cum Iacob vsque mane.

Quid admiramini ò spiritus cœlorũ Mariam delicijs tantis Paradisi affluentem, & de deserto ascendentem super choros Angelorum, en iustus Iudex, qui laborum census censibus respondet gloriæ, quòd & promisit eidem Pergami Episcopo, cui iurauit dare manna abscõditum, & quid plura, subdit lib. Apocalyp. cap. 2. Apocal. *Et dabo ei calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptũ, quòd nemo scit nisi qui recipit*: nota verba anima mea, nota & tu profunda mysteria, nomen nouum æstimo nomen filii Dei, sic appellabuntur omnes iusti, quos Deus agnoscet suæ hæreditatis hæredes, nam si filii, & hæredes: Res vt capias quæ dico, nomen habet, ab eo, quod sunt, & à bono, quod quisque ha-

bet, nominatur hoc nomen nouum nemo scit quanti sit valoris, aut quid valeat, quantum boni compræhendat, quantæ dignitatis, quantæ fælicitatis sit non potest cognosci ab homine: *Filij Dei sumus*, inquit Ioan. Euang. 1. epist. cap. 3. *& nondum apparuit quid erimus.*

Ioan. Eu.

Et D. Chrysostomus, quódnam est brauium vitæ æternæ, non est ramus palmæ: *Sed quid Regnum cælorum requies sempiterna, gloria cum Christo; hæreditas, fraternitas, innumerabilia bona, qua verbis exponi non possunt, palma illius pulchritudinem explicare nefas est solus ille nouit, qui obtinet, & qui acceptu rus est hac affert accipiēti nomen nouum, quod in calculo scribere promisit Deus, & in calculo nomen nouum scriptum.*

S. Chrys.

Calculus lapis est breuis, paruus, rotundus, & durus, quo vsi sunt illi patres antiqui, vel ad computationem, seu numerationem, vel ad absoluendum, vel ad condemnandum, hic erat niger pro rei damnatione, ille candidus pro absolutione, mos erat apud Iudices eam nomina absoluendorum, quam damnandorum scribere in calculis, quo more vsi sunt etiam in comitiis, nomen, cui suffragiis fauebantur, scribebant in calculis, mos pariter inoleuit apud veteres dies fælices calculis albis obsignare, vt infælices nigris, & scribit Xystus Senens. lib. 2. Bibliothe. Sanctæ, quòd mos erat apud Ethnicos Victoriarum dies publicis festorum tabulis inscriptos, consueuisse candido lapillo prænotari, quidquid sit veritatis, mihi pro cōperto satis est, quòd nomē filij, & hæredis Dei, dum non scribitur, nisi in calculo candido, & calculum Deum non dare nisi vincenti, nisi victoribus, quid est hoc ò Deus cordis mei, ò Deus & merces militantium tibi, non scribis, non iudicas dignos vitæ æternæ, nisi strenuè certātes, nisi laboribus defexos, & passionū, ac tribulationum igne examinatos, & approbatos.

Xystus Sen.

Egressi iam ex Aegypto filii Israel, mirati sunt aliqui, & meritò, cur post transitum maris rubri non statim numerati sunt, nō statim certos in Catalogos non fuere deducti, et calculati, respondit huic quæstioni Doctissimus Origenes hom. 1. in num. *Sed nec quàm mare rubrum transiens venit ad desertum dicitur numerari populus, nondum ab hoste fuerant impugnati, quos nondum probauerat tentatio, quos nondum oppugnauerat labor hostilis nondum exagerauerat ærumna, non defatigauerat pugna inimicorum non censetur, non adscribitur, non agnoscitur à Deo, vt populus eius non calculatur in Catalogo electorum Dei, nisi post bella, post labores, ærumnas, post longa certamina, quia stat immobilis Dei promissio, non datur manna caleste, non datur calculus candidus, non inscribitur non assumitur in numerum filiorum Dei, nisi qui certat, nisi qui pugnat, nisi qui oppugnatur, & ærumnis, & laboribus exagitatur.*

Orig.

Quid cum Angelis admiraris anima mea Mariam deliciis affluentem de deserto super omnes Angelorum choros ascendere, & eleuari? manna cælesti sic super omnes repleri, & in calculo candido illius fælicitatis æternæ nomen nouum scriptum accipere, et filiæ, et hæredis simul et matris: Intuere Palestram suæ vitæ, contemplare certamen sui laboris, quòd si mulieri illi Apocalipsis datæ sunt duæ alæ, vt volaret in Maria hæ alæ, vna fuit penna contemplationis, et altera operationis, si in illa tum quò ad gradus intensionis, et extensionis dilectionis suæ, tum quò ad volatus sine intermissione, quando nec quietis somnus valuit interrumpere omnes Angelorum excessit exercitus, & in vita actiua cunctos superauit homines, quid miraris si super omnes elenatur, et dulcedine deliciarum Dei repletur? quando dicit D. Petrus Damianus ser. 1. de Natiuitate Virginis, quid hæ duæ alæ in Maria sic erant dispositę, et connexæ: *vt nec actio contemplationem minueret, & contemplatio non deseret actionem*: vt et multa de Virginis actionibus paucis concludam, non piget hic annotare, quod de ea scribit D. Bernardin. Senens. ser. 51. art. 3. cap. 3. ait enim.

D. Petr. Dam.

D. Bern.

Sicut nunquā vlla fuit similis contemplatrix, sic nunquam fuit Virginis similis ministratrix, alij induunt pauperes de lana ouis, ipsa induit filium suum de purissimis sanguinibus suis: alij induunt de panno, ipsa de corpore suo: alii pascunt pauperem de pane extrinsece, ipsa pauit humanatum Deum lacte sua proprio: alii suscipiunt pauperem hominem in tugurio, ipsa verò suscepit immensum Deum in corde suo, & in corpore suo: alii propter Deum ministrant infirmo, ipsa Deo in paupere senlo-

corpore ministrant, alii solliciti sunt ne aliquid deficiat inopi, Virgo sollicita ministratrix, & manibus suis laborauit, vt subueniret homini indigenti: alii incarceratos, & vulneratos homines visitant, & eis compatiuntur, dum viuunt, & mortuos sepeliunt, Virgo pro nobis capto ligno crucis affixo, vulneribus dilaniato tanto dolore compassa est, vt inexplicabile sit etiam Angelicæ linguæ; hæc Sanctus.

D. Bona. Addam ad hęc, quæ scribit D. Bonauentura in lib. meditat. vitæ Christi cap. 3. & sunt verba ipsius Virginis ad Sanctam Elisabeth sic respődentis: *Tu credis filia, quòd omnem gratiam, quam habui, habuerim sine labore, sed non est ita, imò dico tibi, quòd nullam gratiam, donum, vel virtutem habui à Deo sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda deuotione, multis lacrymis, & multa afflictione.*

Licebit ne mihi hac vice ex ijs argumentari, quòd si Virgo per omnia Christo extitit persimilis, & in hoc non extitisse simillimam: de Christo enim loquens Sanctus Euangelista Lucas cap. 2. (Luc. 2.) ait; *Iesus autem proficiebat sapientia, & ætate*; quid est ætate proficere, nisi in dies nouos vitæ profectus adipisci; (siste) anima mea, paulisper hic mentis tuæ gressus; pro comperto habetur, quòd cuncti viuentes, quò plus viuunt, eò magis deficiunt, omnis namque viuens plus deficit viuendo, quam proficit, quos homo vixit annos, eos minus habet, & vt multa taceam, dicam duntaxat, quæ de hac re scripsit Psalmista psalm. 89. (Dau. Pr.) *Manè sicut herba transeat, manè floreat, & transeat*; En infœlix vitæ humanæ progressus, cum herba mutationi perpetuæ, & vicissitudini obnoxia componitur, herba vix frondibus videtur pubescere, rore cœli respersa videtur virescere, & virens florescit, & florens marcescit, subita mutatione decidit, arescit, euanescit, & deficit.

Quid vita hominis? herba vtique virens, florens simul, & decidens; loquendi modum attende prophetæ, mane transeat, mane floreat, & transeat: Cur prius transeat? si in omnibus primum est florescere, quam transire, ò Deus vitæ meæ, & vitæ meæ infælix progressus, cuius primò est transitus, quam floris vigor, inter dum transeat, statuit Propheta eius florere, & eius virescere, ac si diceret totus humanæ vitæ flos est transitus, dum à transitu incipit, & in transitu desinit, ergo non est profectus eius cursus, sed magis defectus, & transitus, crescat, augescat, adolescat, roboretur, virescat, florescat, non est aliud nisi transitus, & defectus, & sic homo viuendo magis deficit, quam proficit in ætate.

De te solo mi bone Iesu verè dicitur, Iesus autem proficiebat ætate, cur hoc? dicam quę sentio, solus Iesus à suæ conceptionis exordio nesciuit à passione, à gemitu, à labore vacare, anni, quos crux, labor, certamen, passio, excruciatus, circumuallabant, non deficiebant, sed proficiebant, profectus erant ad merita, ad præmia, ad coronas. De hac re audiamus D. Dionysium Alexandrinum (D. Dion. Alexan.) epist. contra Paulum Samos. quid dicat, ait enim: *Non enim accessio horarum aut annorum est accretio vllius hominis, sed potius quotidie deficit, puer autem Iesus Deus Israel, Deus est idem ipse, & anni eius non deficiunt*, hæc ille: Anni Iesu non deficiunt, sed proficiunt, quia à sua conceptione cæpit in Palestra currere, & luctari non deficiunt anni, quos ærumna custodit, tentatio, crux, certamen, & labor seruant: O anima mea, si Virgo filium in omnibus est æmulata semper illi persimilis, num in hoc tantum passa sit dissentire? non quidem, sed à sua infantia cæpit laborare, luctari in palestra, & certare in stadio virtutum, dicat & ipsa bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui, & tu de illa id fateri, quod de Iesu dicit Sanctus Euang. *Maria autem proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & apud homines*: Ni fallor hoc videtur astruere de Virgine sponsus ille cœlestis in Cant. c. 7. quando inter laudes Virginis hæc vna non est minor.

Can. c. 4. *Emissiones tuæ Paradisus ò Maria, malorum punicorum cum pomorum fructibus*: Emissiones, sunt Virginis contemplationes, actionesque, quas ipsa de Paradiso cordis, & pectoris sui, emittebat, sic interpretatur piissimus Alcuinus: (Alcuin.) *Per emissiones intelligimus bonas operationes, quæ sunt Paradisus*: hoc est delectabiles, & quidem Paradisus malorum punicorum dicitur, quia sicut malum punicum in vno cortice multitudinem habet granorum, sic in Virgine multitudo bonarum operationum, intra fidem Dominicæ passionis tenetur. inclusa:

clusa:

clusa: Emissiones, hoc est Mariæ cogitationes, verba, actus, facinora, & opera malis punicis assimilantur, hæc arbor sola inter omnes, & flores, & fructus emittit coronatos, sic Virgo inter filias Adæ, hinc factum est, vt & flores suarum cogitationum, & pomorum fructus suarum operationum, quos emittebat de sui pectoris Paradiso, & coronis fulgerent, & candore nimio simul, & rubore purpureo purpurarent.

Et si Deus laborum calculos, numerando, calculando calculis compensat, gloriæ, præmiat, & remunerat, ô Deus gloriæ, & liberalis remunerator operum bonorum, si ad mensuram laborum, & exigentiam operum, tu in cœlo operantes remuneras, et si pro vno bono opere centuplum redonare promittis in Euangelio, qui intellectus excogitare poterit quantis præmiorum sublimium donis, et coronis suam Deus ditauit, cohonestauit matrem, cuius opera, et Deo gratissima, et in seipsis non habent numerum, quo calculare quis valeat nisi Deus, qui nouit, et præmiauit in Virgine.

Labores, et operum Virginis merita, cunctorum longè excelluit Sanctorum iuxtà diuinæ iustitiæ leges consonum est, vt omnium etiam præmia superet, et excellat. Labor Mariæ inter cæteros fuit in, sustentando Christi infantiam nutriendo, et proprio sui pectoris lacte lactando, hic labor inter omnes non obtinet vltimum locum, si attendamus ad id; quod refert Lactantius Firmianus lib. de diuinis institutionibus cap. 22. Quòd Iuppiter tanti fecit laborem suæ nutricis, nomine Amalthæa, cuius educationi traditus, & lacte nutritus, & educatus fuit, vt in suæ gratitudinis argumentum, pro lacte à Nutrice sibi propinato præbuerit ei cornucopiam, quæ mammillæ figuram refert; hæc enim cornucopia omnis boni liquorem ad sui nutum eiaculabat, & abundanter suppeditabat, quidquid cor Amalthææ peroptabat, petebat, & expostulabat, sed ne in re tanti momenti, nos Poetarum fabulis, & fictionibus vti videamur, est pro nobis Spiritus sanctus, qui per Iob hoc aperit veritatis sacramentum: Vir sanctus volens explicare nobis varia venustatis, & pulchritudinis ornamenta, quibus super reliquas eius filias, alioquin perpulcherrimas, cùm de illis dicat sacer textus lib. Iob. cap. 24. *Non sunt inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersa terra*: vt demonstraret quantò præ cæteris tertia earum præfulgeret, voluit hoc insinuare ex nomine, vocabatur enim tertia hæc filia, Cornustibia, & nomen tertiæ inquit textus, Cornustibij, Caietanus ex lectione Septuaginta Interpretum legit nomen tertiæ Cornu Amalthea, quo nomine appellabatur mulier illa Iouis nutrix, quæ pro lacte Ioui propinato in præmium sui laboris accæpit Cornucopiam in argumentum etiam Iouis gratitudinis, & dilectionis ei præbitam, & donatam, quæ vt supra dictum est, mammillæ figuram refert.

Lactan.

Iob

O Deus cordis mei, ô Deus vberum, quæ tua liberalitas, quæ tua magnificentia, quæ gratitudo tua erga Virginem genitricem tuam? quæ non solum vberum suorum, sed & sanguine suo Spiritus sancti virtute intra viscera sua concepit, vndè non Christi nutrix tantum, vt Amalthæa Iouis, sed & vera mater, cui pro labore, & lacte tibi in carne mortali propinato, præbuisti, Cornucopiam referentem mamillæ figuram, hoc est mammillam pectoris tui, quod est fons omnis voluptatis, omnis fælicitatis, omnis iucunditatis, omnis benedictionis, omnis beatitudinis, & omnis boni, in quo collectiuè Sanctorum omnium, & singulorum præmia continentur, & quidquid ex illo fonte singulis præstatur præmij, & gloriæ per partes, in Maria verò tota donatur plenitudo gloriæ, vndè et emanat fluminis impetus fælicitatis illius, non est, quod desideret cor eius, quod abundanter, & superabundanter non obtineat? quòd cœlestim non possideat? quo æternaliter continuò non fruatur? si filij, & matris vnus est thronus, & vna est confessionis sedes, hoc testatur D. Arnoldus Carnutens. tract. de laud. Virginis his verbis: *Est illa constituta super omnem creaturam, & quicumque Iesu curuat genu, matri quoque pronus supplicat, & acclinis: nec à dominatione, vel potentia filij mater potest esse seiuncta, vna est Maria, & Christi caro, vnus spiritus, & vna charitas, ex quo dictum est ei, Dominus tecum, inseparabiliter perseuerauit promissum, & donum, & filij gloria tu cū matre;*

S.Arnol.

matre, non tam comunem iudico, sed eamdem hoc est sedere ad dexteram maiestatis in excelsis.

Sede, & tu anima mea sub hoc ramusculo contemplare quatuor illas dimentiones, & iuxtà mensuram cuiuslibet contemplare fructus illarum suauissimos, recordare, quòd natus laboris est gloria, & quod non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, & vt fructus huius ramusculi carpere valeas, descende in profundum tuæ cognitionis, humilitatis, & huius, & illius pennà euolare possis, & tu simul, & ascende ad palmam, videre altitudinem gloriæ, pulchritudinem coronæ, capacitatem cordis Virginis, quasi immensam sublimitatem throni, sub cuius vmbra obdormire paulisper, & excitata somno dulcedinis dulciter canendo laudes, & laudando benedicas, & benedicendo laudes nomen Virginis dic ergo. Benedictum sit nomen tuum perdulcissimum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te precor ò Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea, sub vmbra huius ramusculi gloriæ tuæ protege me, nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE.

DE CORONA VIRGINIS vt Regina Cœlorum.

RAMVSCVLVS SEPTVAGESIMVS.

Statura tua assimilata est Palma.
Cant.cap.7.



Ssumpta Maria in cœlum, & iam euecta ad thalamũ, in quo Rex Regum, & Dei, & ipsiusmet virginis filius, gloria, & honore coronatus stellato sedet solio, ad cuius dexteram exaltatam, & collocatam consedere fecit, & matrem, quæ luctans, & certans in hoc campo certaminis; si filio pugnando fuit similis in labore, consimilis necesse fuit, vt esset in palma, & corona; nam vt ipse, & ipsa certando vicit, vincendo meruit, merendo obtinuit coronam gloriæ, tùm corporis, tùm famæ, tùm nominis, tùm pleni dominij in omnibus, & super omnia.

Triumphus sicut non canitur, nisi peracta victoria, sic palma non tribuitur, nisi victori vincenti; ò gloria tantę Virginis, ò triumphatrix inimicorum omnium, nondum ingressæ cœlum in signũ victoriæ è cęlo à Deo mittitur palma, quibus coronis meruit coronari, iam collocata ad dexteram filij sui ? vt intueri meruit D. Ioannes, quando dixit: Apocal. cap. 15. *Signum magnum apparuit in cęlo mulier amicta sole &c. & in capite eius coronà stellarum duodecim*: per quas Diuus Bernardus serm. signum magnum, intelligit duodecim prærogatiuas, quibus prę cęteris coronatur B. Virgo Maria; nam D. Bern. *primò singularis fulgor refulget in generatione Mariæ; Secundò, in Angelica salutatione: Tertiò, in Spiritus sancti superuentione: Quartò, in filij Dei inenarrabili Conceptione: Quintò, quòd virginitatis sit primiceria: Sextò quòd sit sine corruptione fœcunda: Septimò, sine grauamine grauida: Octauò, sine dolore puerpera: Nonò, est mansuetudo pudoris: Decimò, deuotio humilitatis: Vndecimò magnanimitas credulitatis: Duodecimò martyrium cordis.*

At nos clarius per has duodecim stellas intelligimus duodecim choros electorum, sanctorumque omnium totus namque beatus cętus ex nouem Angelorum choris comprehenditur, & ex tribus hominum ordinibus, nempè Martyrum, Confessorum, & Virginum, quorum omnium gloria, & prærogatiuis caput coronatur Mariæ, cui debetur aureola florea, vt Virgo, gemmea, vt martyr, stellata, vt Ecclesię Archimagistra.

O si præfulget caput Virginis diadematum diademate, & serto duodecim stellarum. 1. vt est corporis impassibilitas. 2. mira agilitas 3. summa subtilitas. 4. clarissima claritas. 5. visio beatifica. 6. æterna fruitio diuitiarum Dei. 7. ineffabile gaudium. 8. cognitio clara creaturarum in Verbo. 9. sceptrum Regale. 10. eminens illa, & regalis dignitas. 11. ineffabilis potestas. 12. dominium vniuersale.

Velut stellæ præfulgidæ in cęlesti illa gloria micant, & splendent omnes illi spiritus cœlorum, at Virgo mater, vt luna perfecta, tùm magnitudine, tùm immensitate, tùm splendore gloriæ, tùm ad Deum approximatione, tùm throni, & consessus vicinitate, tùm similitudine, & materna dignitate, tùm amoris, & dilectionis latitudine, tùm perfectionum virtutum omnium, ac operum bonorum sublimitate, vt Regina, ipsa præeminet, superat, vincit, transcendit, excellat, micat, splendet, & super omnes eleuatur.

O Maria, ò cęlorum Domina, meritò tui vteri partus Deus, & homo, perquã fulgidis compacta gemmis corona te coronat in cœlis; dum sanctorum om-

nium in cœlestibus constituit, & in terris Regnorum omnium Imperatorem; Tu enim totum Sanctissimæ Trinitatis possides Regnum, & præsides: vt iurè tibi sic coronatæ cantet anima mea: *Statura tua assimilata est palmæ.*

Non immeritò cœlum ingressa Maria Virgo, & ad dexteram filij sui iam exaltata consessu, Palmæ filio assimilatur in gloria, & corona, quid mirum? si certans in campo hoc certaminis, certanti filio fuit mater similis in labore, cur ouanti, & ipsa ouans non similis in corona? *Palma*, vt testis est Plinius lib. 17. cap. 44. *est solis amantissima*: adeò quòd afferit idem lib. 13. cap. 4. *nullam palmam esse frugiferam, nisi in terra, & solo feruido, seù soli exposita*; hinc semper sitit, & magis gaudet aquis scaturientibus, quàm imbribus, & pluuijs; vndè vt palma irrigatione continua ardores vincat æstatis, & frugifera reddatur, necesse est, vt assiduè circumfodiatur, & irrigetur aquis. O Deus cordis mei, nonnè, vt palma Maria solis Christi amantissima, vt fructus suauissimos, & super omnes perdulcissimos, aquas non pluuiales huius mundi, sed scaturientes, & salientes in vitam æternam perpetuò sities illa sitiuit, & bibit, & tu ipse aquis omnium gratiarum circumuallasti, & irrigasti? Plinius.

Vt palma palmæ persimilis Maria, nunquam cessit oneri quantùlibet graui, seù ingenti, imò contra pondus semper inclinata surrexit: en palma sempiternæ viriditatis in sublime iam eleuata, veluti palma diuina Dactylos in terra deorsum inclinat, vt testis est D. Gregorius, in cœlum meritorum verticem vsque ad solium deitatis se erexit hæc palma virginea; fructus tamen suę bonitatis, & clementiæ ad nos inclinat, dùm vt mater inuocantibus filijs, suis precibus, & meritis opitulatur, & succurrit; hoc totum sonat Epithalamium nostrũ: *Statura tua assimilata est Palmæ, & vbera tua botris.* D. Greg.

Siste paulispèr gressus mentis tuæ ò anima mea, contemplare, & intuere palmam hanc virgineam sic in sublime euectam vsque ad solium maiestatis diuinę; & deorsum dactylis onustam, pendentibus ramusculis: ò benignitas tantæ Virginis, ò clementia erga nos tantæ matris, Deum in patria illa cœlesti intimè contemplatur, cuius facie fruitur, & visione beatifica lætatur, ad nos tamen præ omnibus Angelis, & Sanctis omnibus nostræ salutis sollicita, misericorditèr sese demittit; cùm enim tàm excelsa sis ò Maria, vt fastigium cœli attingas, pręsides, & dominaris; attamen pietatis visceribus victa summittis te infirmis, & egentibus, quibus vbera tuæ doctrinæ, tuæ consolationis, vbera, dico, præbes tuarum gratiarum, ad hoc coronaris in cœlo, vt Regina.

Cuius corona eò est gloriosior, quò palmæ filio est similior; in serm. trigesimo septimo de Sanctis, docet nos Diuus Augustinus, quòd quilibet Sanctus varijs in cœlo pro varietate meritorum coronis à Deo coronatur: *Quoniam*, inquit ipse, *cœlestis illius Ierusalem floribus, nec rosæ, nec lilia desunt, certant nunc carissimi singuli ad vtrosque honores amplissimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas, vel de doctrina laureas; hæc est enim illa aureola reposita martyribus, debita Doctoribus, & seruata Virginibus.* D. Aug.

O anima mea, si Deus in coronatione Sanctorum ab Apostolo Paulo non vocatur largitor, seù donator, sed redditor, quia non donat, nõ dat; sed vt iustus Iudex tãtùmodo reddit, quia ex meritis præmiat, ex meritis coronat, & eò corona varia, quò varia fuere, & merita vniuscuiusque, dic si vales quę? qualis? & quanta erit corona? qua sertum est caput Mariæ, quæ meritorum fuit abyssus? virtutum mater, & perfectionum omnium sacrarium, exemplar, & magistra? Paul. Ap

Si corona crescit ad augmentum certaminum, & laborum, crescentibus certaminibus crescit, & corona, vt testis est D. Ireneus lib. 4. cap. 72. *Pretiosam coronam arbitramur, quæ per agonem nobis acquiritur, sed non vltrò coalitam, & quantò per agonem nobis aduenit tantò est pretiosior.* Si Maria caput est martyrum, & ipsa plusquam martyr, quantò pœnalior, & acerbior, quantò durior, & prolixior eius agon, tantò eius corona gloriosior, & excellentior; meritò igitur de corona, qua redimitur caput Mariæ propter eius eminentiam, & pretiositatem dicere possumus coronam Virginis complecti coronas omnium sanctorum, & in hac vna Virginis corona sunt omnium in cœlis coronatorum coronæ; vt de Christi corona contemplatur Diuus D. Iren.

D. Amb. Ambrosius, ità & nos de corona Virginis Mariæ? *Quæ est corona, qua coronatur Christus*, inquit Ambros. *nisi corona gloriæ? Ioseph coronam habuit castitatis, Paulus iustitiæ, Petrus fidei; singularum virtutum coronæ sunt, solus Christus habuit coronam gloriæ, in hac corona, omnes coronæ sunt, quia gloria non pretio vnius coronæ, sed præmium omnium coronarum, est*: ò quàm pulchra, ò quàm florida refulget Maria serta non vna corona, sed coronis omnium cœlestium spirituum, & electorum Dei.

Quæ est hæc corona, qua Mariæ caput coronatur? quale hoc diadema, quo diademate Maria super omnes coronatos refulget in cœlo? contemplare anima mea, & mentis oculis intuere caput illud Virginis sertis redimitum, & ex diademate intelliges Mariæ coronæ altitudinem, pulchritudinem, & excellentiam.

Quis illas extimet gemmass? quis numerat, & nominat stellas illas, quibus Mariæ regium compactum est diadema? & quæ simul sit hæc Virginis corona? respondet sic Amadeus in homil. 6. de laud. Mariæ; *Corona capitis eius Christus est*, dicente Salomone; *Filius sapiens corona est matris suæ*: & quis sapientior filio Virginis, qui Dei Patris est Sapientia? ò altitudo, ò pulchritudo diadematis Mariæ, quando corona, qua coronatur Pater æternus, coronatur et Virgo mater; filius, qui est corona paternæ fœcunditatis, idem est corona maternæ virginitatis; teste Diuo Bernardo serm. 3. super missus est; *Nesciens virum, sed gignes filium, qualem filium? filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis*; ergo non alia corona coronatur Maria, qua coronatur pater ille cælestis, qui est omnium sanctorum corona.

Amad. Prouerb. cap. 13. D. Bern.

Hoc non solum est indicium excellentiæ, eminentiæ, & sublimitatis Mariæ, sed immensæ dilectionis, & amoris Dei, maximum erga Christi Virginem argumentum; vt amorem suum, quo super omnes mulieres Esther amabat Rex ille Assuerus, ostenderet, hoc signum amoris fuit singulare, vt notat textus, quòd posuit diadema Regni Rex ipse super caput Esther, sic habes in cap. 2. *Adamauit eam Rex plusquam omnes mulieres, habuitque gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni super caput eius*. Hoc fuit

Esther.

stemma magni amoris, & prerogatiua maximæ dilectionis, sed quid cum amore, quo Deus adamauit Mariã? quando ab æterno dilexit eam, & elegit, & præelegit, & prædestinauit in matrem filij sui, qui si corona est patris, vt testatur Salomon Prouerb. c. 17. *Corona senum filij filiorum*; & capiti Mariæ ad dexteram sui throni sedenti diadema imposuit Deus, & hoc diadema est idem Filius, qui Patris est corona, quid maius? quid excellentius? quid grandius hoc Mariæ diademate? quo arguitur diuini amoris indicium, simul & dignitas, & sublimitas tantæ Virginis, vt nos docet Spiritus sanctus in lib. Sapientiæ cap. 18. *Magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat*.

Prouerb. Sap.

Vis ò anima mea, scire Mariæ magnificentiam, & super omnes coronatos à Deo dignitatem agnoscere? Intuere capitis ipsius sertum illud, contemplare cuius filij sit Virgo, mater, cogita maternæ illius dignitatis altitudinem, & cum Beato Eucherio in serm. de vigilia Natiuitatis Domini, sic inuenies scriptum: *quæritis qualis mater, quærite prius qualis filius*; interroga Diuinum Anselmum, & dicet tibi, quòd *Deus Pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita disposuit, vt naturalitèr esset vnus, idemque communis Dei Patris, & Virginis filius*.

D. Euch. D. Ansel.

Et hunc, qui erat sui capitis corona, Mariæ dedit, vt tantæ Virginis etiam esset, & ipsemet diadema: ò prodigia, ò singulare nunquam alteri datum grande priuilegium, quale autem sit hoc? & quantum extollat Virginis dignitatem, audi quid dicat Deus ipse in oraculis Isaiæ Prophætæ cap. 42. *Gloriam meam alteri non dabo*; super quæ verba, docet Procopius, quòd Deus Pater filium suum gloriam suam vocat his verbis; *Gloriam Domini*, inquit ipse, *filium appellat, tamquam qui omnia à Deo creata lõgè superans eiusdem sit diuinitatis cum patre; & hanc gloriam suam, qui filius est, iurat pater Deus alteri non dare; gloriam meam alteri non dabo*; si postea Mariæ videmus exhibitum, seù datum, & matrem constituere Virginem eiusdem filij, cuius ipse Deus est pater, horum duorum quale erit verum datum Mariæ, an non dare alteri.

Isai. Pr. Procop.

Si attentè pensas hæc, ò anima mea, verum-

vtrumque inuenies verum, & non dare alteri, *gloriam meam alteri non dabo*, veritas ipsa est, & datum Mariæ, hoc à veritate minimè est alienum, ò incomprehensibilis, & verè superexcellens tantæ Virginis dignitas; quando tot, & tantis dñinis donis fuit cumulata à Deo, vt à Deo ipso altera esse non videretur; homo erat Maria, sed homo deificata, quoniam descendit in ea Spiritus sanctus cum omnibus suis essentialibus donis, quorum splendore Deus potius videbatur, quam pura creatura, ergo non altera à Deo, qui quando affirmat, & testatur, gloriam suam alteri non dare, non excluditur Maria, quæ priuilegio maternitatis à Deo altera non erat. Audi Diuum Riccardum à Sancto Laurentio lib. 4. de laudibus Mariæ; *Dicit Deus Pater*, inquit ipse, *gloriam meam, hoc est filium meum, quia gloria Patris est Filius sapiens, alteri non dabo, quàm Mariæ*; quia soli Mariæ hoc priuilegium debebatur: & quale hoc priuilegium? Nisi quia ipsa sola inuenta est tanti filij digna mater. O Maria, ò Maria quale erit tuum diadema, quo dra...te in cęlo resplendes? si tua corona non est alia ab illa, qua coronatur ipse Pater Deus, si sua corona est Christus, quantis gemmis, quantis syderibus micas, & super omnes coruscas, quid mirum si omnium hæc vna tua corona complectitur coronas? quando sic coronatam te vidit hac corona Pater tuus Dauid, & ad tuæ coronæ gloriam in psalm. 44. sic cecinit; *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate*: ... Quòd, & si in illa gloria, quantum spiritus fas est videre, ò anima mea, Virginem, & Virginis statum intelligere desideras, siste gradum cordis tui, & cũ Propheta Sancto erige te, & ante thronum Dei intuere Mariam sedentem à dexteris eius, quæ sedendo, stat vt Regina coronata triumphans ad thronum Regalem euecta, loco sublimiori, & gloria potiori præ omnibus sanctis fruentem describit in vestitu deaurato.

D. Ric. à s. Laur.

... pr.

En corona aurea, qua redimita anima Mariæ coronatur, contexta ex auro, hoc est ex præmio substantiali, quod consistit in visione Dei clarissima, in fruitione Dei suauissima, in tentione Dei securissima, quia meritò, vt Regina alijs altius coronatur circumamicta varietate diuersarum coronarum; coronatur enim aureola florea, vt Virgo, quæ datur Virginibus, quæ virginitatis flore, in hac vita floruerunt: Coronatur gemmea, vt martyr, quæ deberur martyribus, qui in passionibus instar lapidea fortissimi fuerunt: Coronatur corona stellata, vt Magistra Apostolorum, & totius Ecclesiæ militantis Archimagistra; hęc enim corona præstatur Doctoribus, qui cœlestia docuerunt.

Huius coronæ sublimitas argumẽtatur ex maternitatis Dei dignitate, quæ in Maria, vt docet D. Thom. par. 1. q. 25. art. 6. fuit infinita, ratione cuius venerunt Marię omnia bona, & in gradu sublimi, vt pura, si interrogas me, cur fuit à peccato originali præseruata? cur tàm alta & sublimis gratia, imò totius gratiæ plenitudo fuit illi collata? cur antè communem resurrectionem est ipsa in cœlum assumpta? Non nisi, quia mater est Dei, si igitur dignitas maternitatis est infinita, quid miraris, ò anima mea, nisi dignitati infinitę respõdet gloria infinita, infinita illa, & ineffabilis, ineffabilis, & infinita, & illa, & filij sui gloria, & coronæ quasi æqualis; quoniam quando exaltata, exaltata est Maria, in cœlum ingressa est, vt mater Dei, & tamquam Regina cœlorum, ingressa est cum ingenti comitatu Angelorum, ingressa est cum diuitijs innumerabilibus meritorum, & sicut supergressa est omnes sanctos in dignitatis altitudine, & copia meritorum, vita & præmiorum absque termino; sic enim præ dixerat de ea Spiritus sanctus in lib. Prouerb. cap. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas*; tàm animas sanctorum, quàm & intelligentias Angelorum, quia corona, & Virginis gloria æquiparatur gloriæ, & coronæ Filij Dei.

D. Tho.

Prouerb.

Mouet me ad hoc, Pijssimus Guarricus Abbas serm. 2. de assumpt. inducit ipse Christum cum Virgine matre sic alloquentem; *Veni electa mea ponam in te thronum meum: nullus plus mihi ministrauit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea; Communicasti mihi, quòd homo sum, communicabo tibi, quòd Deus sum, vt & quæ Deũ in terris carne vestiuit humana, vicissim meruit a Deo, & ipse vestiri (quantum fas est puræ creaturæ) in gloriæ veste diuinitatis suæ*; & si Maria Virgo veste deitatis amicitur in gloria, & corona redimitur

Guarric. Abbas.

maiestatis diuinę, quanta, et quã magna & immensa, ô anima mea, erit huius Virginis gloria, & corona fœlicitatis æternæ? vno tantum liceat concludere verbo, quanta, & filij Dei, qui in illo regno beatitudinis tantò claritatis lumine, & glorię splendore fulgét, & apparet amictus, vt hominis tantummodo videatur habere similitudinem; ita se vidisse, testatur D. Ioannes in 1. cap. suarum reuelationum:

Apocal. *Et conuersus, vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum, similem filio hominis, vestitum podere, & praecinctum ad mamillas zona aurea;* hominis quidem naturam in se retinet Verbum Dei Patris; nam vt inquit Diuus Da-

D. Dam. mascenus: *quòd semel assumpsit, nunquam dimisit;* sed tanta claritatis gloria, & tantæ fœlicitatis lumine fulget, & splendet illa Christi humanitas, quòd totum illud, quòd videtur, seù sanctis illis spiritibus contemplandam, fruendumque obijcitur, est deitatis maiestas, & splendor, candor lucis æternę, claritas, & gloria suæ diuinitatis. Sisto hic verba Ab-

Ioac. Ab. batis Ioachimi, sic dicentis; *Christus in cœlo tanta luce praeminet, vt sicut in eo aliquando diuinitatis gloriam occultabat humanitas, ita & nunc humanitatis abiectio exinanita à maiestatis gloria videatur;* ac si diceret, quia Christus in sua passione ità apparuit diffiguratus, quòd non videbatur Deus, qui erat, nunc in cœlo gloriæ suæ claritas, & splendor, & corona maiestatis suæ diuinæ ita transfigurat eum, quòd seruata hominis similitudine, & natura, Deus videtur, & non homo.

Cuius autem corporis gloria, & claritas, quanta erat futura in cœlo, sub vmbra solis, & lunæ sic vaticinatus est Isaias Proph. cap. 30.

Isai. pr. *Et erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis septimpliciter sicut lux septem dierum.* Hæc duo luminaria cęli in die vniuersalis iudicij ad mentem prophetæ fulgebunt maiori lumine, & maiori claritate lucis micabunt, quam nunc splendent, quia luna in die illa amicta, amicta solis amictu, seù fulgore lucebit, vt sol, & lux solis septimpliciter sicut lux septem dierum.

O anima mea quonam modo erit hoc? si veritas ipsa Dominus noster Iesus Christus, vt testatur Sanctus Euang.

Mat. Eu. Matth. cap. 24. differens cum discipulis suis de die iudicij vniuersalis, inter cetera, quæ commemorantur ibi, hoc est vnum, & valdè singulare, quòd tàm corpus solare, quàm lunare corpus in die iudicij, non solum non lucebunt maiori lumine; sed verè eclypsabuntur, *quia sol obscurabitur; & luna non dabit lumen suum;* quid clarius? quid hac veritate verius? & si priuabuntur lumine, quo nunc splendent, & micant, quomodo erit verum iuxtà Isaiæ vaticiniũ, quòd fulgebunt maiori lumine, quomodo lux lunæ erit sicut solis, si luna in die illa non dabit lumen suum? & si sol obscurabitur, quonam pacto lux solis lucebit sicut lux septem dierum? augeri enim lumine, & priuari, splendescere, & eclypsari luce, non solum sunt opposita, sed & contraria.

Et huius contrarietatis argumentum S. Chrys. D. Chrysostomus homil. 14. in epist. ad Rom. & homil. 77. in Matthæum soluit satis eruditè; nam quando legimus, apud Matthęum: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum,* non vult Sanctus Euangelista nobis insinuare, quòd hæc duo luminaria cœli spoliata lumine splendoris, & claritatis suæ, vel eclypsata apparebunt in cœlo absque splendore lucis innatę: *Non quòd priuentur lumine,* inquit Sanctus, *sed quòd à luce Christi superentur, & sic obumbrata à superiori, & clariori lumine, non apparebant, vel videbuntur, quasi eclypsata, sic circumfusa à maiori claritate Corporis Christi.* O anima mea, & hæc Corporis Christi claritas quanta? & vultus illius quantus splendor, maiestas, lumen, & gloria? si luna ab hac claritate circumamicta fulgebit vt sol, & lux lunæ erit sicut lux solis, & corpus solare Christi lumine irradiatum septimpliciter lucebit, sicut lux septem dierum; & nihilominus eorum lux luci, & claritati collata, seù comparata Corporis Christi apparebit veluti eclypsata.

O Deus cordis mei in cuius lumine videbimus lumen, quàm magna, quàm immensa, quàm incomprehensibilis, quã ineffabilis erit hæc Corporis Christi claritas, quando solaris suæ præsentię à lumine clariori lumẽ obscurabitur lunæ lucentis in illa die vt sol, & lux solis fulgentis septimpliciter sicut lux septem dierum? quam Christi claritatem D Bern. contemplans D. Bernard. in Cant. serm. 33. vocat meridiem, qui totus est luminis dies nesciens vesperam, & prohibens

om-

omne nubilum, & omne clarum communicans, quando sic exclamat: ò verè meridies, plenitudo feruoris & lucis, solis statio, vmbrarum exinanitio, desiccatio paludum, fœtoris depulsio, ò perenne solstitium, quando non inclinabitur dies: ò vernalis temperies, ò æstiua venustas, ò autumnalis vbertas, ò quies, & feriatio hyemalis, amictũ Christi corpus suæ diuinitatis lumine, & gloriæ claritate erit lucidum totum, & suę claritatis lumine circumfusum, & circumamictum suæ diuinitatis splendore, quo irradiata corpora Sanctorum, & configurata claritati Corporis Christi, fulgebunt & ipsa vt sol septem dierum.

O anima mea quid Mariæ et corpus illud virgineum, et Spiritus sancti habitaculum, et filii Dei tabernaculum? si vice humanitatis, qua Deum ipsa vestiuit, vestie illam Deus amictu diuinitatis suæ, quo circumamicta indumento, quia vestis est Dei: *Per glorificationem* D.Ansel. *suam*, inquit D. Anselmus in lib. de excellentia Virginis cap. 8. *omnia, quæ in cœlo sunt, inextimabiliter decorantur, illuminans sua claritate omnes electos illius patriæ cœlestis.*

Quorum tamen claritas, et gloria collata glorię, et claritati Virginis Marię, quę cum sit vestita diuinitatis veste, et coronata diademate, quo coronatur ipsemet Deus, Deus potius apparebit quàm homo, & obumbrata videbitur claritas sic obnubilata à clariori Virginis claritate, & id accidit Sanctis omnibus, & electis Dei, quòd & astris inferioribus respectu solis. Quo argumen- Petrus Damian. to vtitur ad hoc probandum D. Petrus Damianus in serm. de assumpt. Virgin. *Sol lucidius incalescens*, inquit ipse, *ita sibi syderum, & lunæ rapit positionem, vt sint, quasi non sint, & videri non possint; similiter, & Virga Iesse vena prauia luminis in illa inaccessibili luce praelucens, sic vtrorumque spirituum (scilicèt Sanctorum, & Angelorũ) hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis non possint, nec debent apparere.* ò sublimis altitudo, ò immensitas altitudinis gloriæ tantæ Virginis; quando splendor gloriæ Angelorum, & hominum Virginis appositus splendori, & claritati, non erit splendor, non gloria, non claritas. quid est hoc? ò anima mea, quid est hoc?

Si tanta est in cœlo fœlicitas, lumen, & gloria vnius animæ, quam si præmonstraret Deus homini in hac vita mortali adhuc degenti illo fœlicitatis, & claritatis amictu indutam conspiciendam, contemplandamque, tanta repleretur lętitia, & ineffabili gaudio, quòd viuere haud posset, nisi speciali Dei auxilio seruaretur in vita iuxtà illud: *Non videbit me homo & viuet*; quid erit in illa cœlesti Ierusalem, non vnam videre, sed millia millium, & decies centena millia cōspicere, & intueri, quid erit videre tot myriades Angelorum, de quorũ natura loquens D. Chrysostomus inquit: *quòd* S. Chrys. *vniuersa creatura visibili nobilior, & præstantior est Angelus*, quantò præstantior nobilior, & clarior erit in gloria, & in claritate illius luminis, & splendoris æterni?

Et si Virgo sola sua claritate obnubilat claritatem, tùm Angelorum, tùm sanctorum omnium; ò anima mea, ò cor meum, quid erit videre Mariam in vestitu deaurato diuinitatis, circumamictam varietate, coronatam serto maiestatis diuinæ, & sedentem à dextris filij sui super omnes ordines Angelorum.

Quæ si, & Angelos, & homines supergressa est in natura, teste Diuo Hieronymo, sic attestante; *Quòd natura non* D.Hier. *habuit, vsus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cęlum, stupet terra, creatura etiam omnis miratur cœlestis, quando Virgo peperit supra naturam*. Si supergressa est omnes in gratia; quapropter D. Bernard. appellat Virginem non solum plenam, & superplenam, sed superefluentem. *Veniente autem Spiritu sancto*, inquit ipse, *plena sibi, eodem quoque superueniente nobis super plena, & superefluens fit Maria*; quid miraris, anima mea. si & in gloria, & claritate beatitudinis, & in altitudine fœlicitatis æternæ, & in maiestate coronæ, & imperij supergreditur Angelos. Audiamus de hac re ipsum Diuum Bernardum, D. Bern. ascendit planè Maria super omne genus hominum, ascendit vsque ad Angelos, sed & ipsos quoque transcendit, & cœlestem omnem supergreditur creaturam, non loco tantummodo, & pulchritudine, sed & gloria claritatis, & corona diuinitatis, ita vt meritò trahat apud se, & post se etiam mentes illorum spirituum supercœlestium in stuporem, & ad mirationem.

Aulici, & milites Principis Holofernis, & cunctus exercitus Assiriorum, viden-

dentes pulchritudinem, & decorem vnius fœminæ Iudith, contemplantes vultum illius, cui Dominus ad venustatem naturæ contulit suæ gratiæ splendorem, præ stupore extasim passi sunt omnes, etiam & Holofernes captus est in decore illius, considerabant faciem eius, inquit sacer textus cap. 10. *Et erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis.* Ita pulcherrimus, ita nimis decorus visus est illis humanus vnius mulieris aspectus, quo vt potirentur, & fruerentur pro nihilo habuerunt, & bellicam laborem, & sanguinem, et vitam ipsam profundere, quando et dixerunt, quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus? vmbra mortis, et vana, mortalis, et transitoria erat pulchritudo illa.

Iudith.

Heu quid illa immortalis, & æterna, & Virginis, non humana, sed & diuina pulchritudo, claritas, gloria, & maiestas? O raptus, ò extasis, ò Mariæ fœlicitas, decor, & luminis æterni splendor ineffabilis, si valuit in stuporem ducere etiam mentes illas Angelorum: quando viderunt illam sic gloriosè ascendentem, sedentem sic sublime in dextera filij Dei, & sic diuinitus coronatam, fuit enim, & erit stupor in oculis eorum admirantes pulchritudinem eius, & gloriæ maiestatem exclamauerant, Cant. cap. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens innixa supra dilectum suum*: quid erit in oculis Sanctorum?

Cant.

O fœlix anima, cùm meruerit in illo Regno beatitudinis videre Mariam, intuere pulchritudinem faciei illius, cui Dominus contulit splendorem suæ diuinitatis, frui gloria claritatis suæ, tantæ pulchritudinis, tantæque gloriæ erit vultus ille virgineus, quòd si foret possibile quòd iam impossibile est, omninò in illa cælesti Ierusalem, vbi faciei Dei nostri visio est tota merces beatorum, Deum ad momentum, vel ad tempus faciem suam à Beatis abscondere, vt ij bearentur, & cælesti illa gloria fruerentur, & æternæ illius beatitudinis potirentur claritatis satis erit Mariæ facies, pulchritudo, & gloria vultus illius. qui vtique tantæ est maiestatis, tantæ claritatis, pulchritudinis, fœlicitatis, & beatitudinis: *vt post Deum*, vt inquit D. Bonauentura, *maius nostrum gaudium, & maior nostra gloria ex Maria est*: nostræ igitur mentis lætitia, nostri pectoris perenne gaudium, nostri cordis fœlicitas, & nostræ animæ beatitudo, nostræque capacitatis plena satietas est videre Mariam in gloria, & claritate suæ maiestatis, & sua virginali frui præsentia, qua beantur Angeli, & homines. Testis est D. Bernard. serm. 1. de Assumptione Virginis: *Mariæ præsentia totus illustratur orbis, adeò vt ipsa iam cælestis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore, quid putamus, quidnam fuit cælestium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præsentia meruerunt*: immensa, ineffabilis, & infinita hæc, quia ineffabilis, immensa, & infinita est illa, à qua processit.

D. Bona.

D. Bern.

Dignitas enim ista fuit collata Mariæ, cùm quintumdecimum annum ageret, & à quintodecimo anno vsque ad septuagesimum secundum, quo obdormiuit in Domino, sëper fortitèr amando, perseueranter benè operando, assiduè orando, incessanter meditando, contemplando, continuò pariendo, quot incrementa, quot additamenta, quot accessus adiunxit auxit, amplificauit, produxit, protulit, protendit, & addidit ad infinitatem illam? & ad coronam, & suæ gloriæ diadema? anima mea oculus non capit, auris non percipit, nec cor valet ascendere hominis.

Ad hoc coronæ matris suæ augmentum respiciens Dominus Iesus Virginis dilectus filius voluit eam post Ascensionem ipsius in cęlum relinquere per annos vigintiquatuor, vt tot annorum spatio, tum amoris affectibus, tum inflammantis cordis sui desiderijs, tum dilectionis operibus, & animæ sinum repleret, & coronæ, maiores adderet coronas, non est mea, sed Diui Laurentij Iustiniani de Assumptione Virginis, hæc meditatio, introducit hic Sanctus filium matrem sic alloquentem, & rationem reddentem, cur secum non traxerit: *Non vt negligerem, nec desideria tua contemnerem sed vt cumularem merita, affectum accenderem, posterisque in te exemplum patientiæ demonstrarem.*

D Laur. Iustin.

O capacitas animæ Mariæ immensa, & infinita, plena erat gratia, postquam descendit in ea Spiritus sanctus, & nouis donis, nouisque muneribus eam superimpleuit. post hanc efficitur capax filij Dei, & effecta immensa, quid mira-

ris,

ris, si in cælesti Ierusalem ei immensa respondet gloria? cuius coronę immensitatem si capere cupis, contemplare tres status filii ipsius Virginis. Primus est ab instanti suæ Conceptionis vsque ad ascensum Crucis, in qua filius posuit animam suam, qui status dicitur passibilis. Secundus est impassibilis à die resurrectionis suæ vsque ad ascensionē ipsius in cælum. Tertius est à die ascensionis suæ vsq; ad consessum in dextera patris, & in quolibet istorum statuum, propter vehementem dilectionis suę erga nos ardorem, priuare se voluit aliqua gloria singulari: In primo statu passibili triginta trium annorū spatio fuit priuatus in carne, gloria, quæ humanitati illius debebatur, tum ratione vnionis hipostaticę, tum quia erat Dei filius naturalis, etiā vt homo, tum ratione animæ suæ beatæ, qua gloria voluntariè carere voluit, vt pro nobis esset passibilis, et pati posset. In secundo statu Dominus Iesus per dies quadraginta corpus suum, licet gloriosum priuare voluit loco, et gloria, quæ ei repofita erat in cœlo. In tertio verò statu sedens iam ad dexteram patris, spontè ex vi amoris priuare se voluit, gloria quadam accidentali, quam consequi posset, si in cœlum ascendens, matrem secum adduxisset: his coronis se Christus priuare voluit pro hominum amore, quarum complementum, et perfectio fuit Virgo mater, quando assumpta fuit in cœlum. Introducit filium matrem alloquentem Abbas Guarricus in ser. de Assumptione Virginis: *Veni igitur electa mea,* hęc sunt verba ipsius: *ponam in te thronum meum, non imprimam labia labijs, sed spiritum spiritui osculo perpetuo. & indissolubili, quia concupiui speciem tuam, nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu glorificeris*: Christus nonnè erat perfectè glorificatus in gloria sua sedens ad dexteram Dei patris? Non testatur ipse, nisi simul glorificata sit Maria, audi diuinum Bernardum, quid ipse respondet; *Et coronauit eum, & vicissim meruit ab eo coronari*: ò mutua dilectio. ò mutua corona, coronata Maria coronauit eum, à quo et ipsa meruit coronari; si suæ passionis complementum fuit videre matrem iuxtà Crucem, sic videre eā in cœlum assuptam, et in dextera sua coronatam, fuit suæ gloriæ, seù glorificationis perfectio.

Guarric. Abbas

D. Bern.

O corona matris Mariæ, ò sublime Virginis diadema, quando accidentaliter complet, & perficit coronam filij sui, & Dei: Esto & tu mihi corona ò Maria, ò Regina cœlorum, sub hoc ramusculo collige me, sub vmbra hac tuę coronæ salua me, illumina me, & instrue cor serui tui, vt perfectè currat viam mandatorum Dei, reuela oculos serui tui, vt intelligat gloriam nominis tui, quòd sicut benedicitur ab illis cælestibus spiritibus in cœlo, sic benedicat te, & in corde suo semper resonet hoc cęleste Canticum.

Benedictum sit nomen tuum in æternum ò humilis Virgo Maria mater Iesu filii Dei, te præcor ò Maria. monstra te esse matrem, & miserere mei: quoniā in te sola confidit, & sperat anima mea, sub vmbra huius ramusculi protege me, et salua me nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE REGNO, ET IMPERIO Virginis.

RAMVSCVLVS SEPTVAGESIMVSPRIMVS.

Statura tua assimilata est Palmæ, Cant.cap.7.



IN Regali solio maiestatis diuinæ variis gloriæ sertis,& aureo coronata diademate, assistens, et sedens Maria, vt potestate, titulo, et stemmate, non per similitudinem, non metaphoricè, non impropriè,sed verè,realiter,et propriissimè, tum cœlorum, tum totius mundi, tum Angelorum, et hominum Reginæ, et Imperatricis perfruatur nomine, & fungatur officio, Reginm diadema, & Regale sceptrum accæpit à filio in signum veri,& pleni dominij ipsi Virgini sacratissimæ debiti, non iure electionis, vel priuilegij, vt esset, & in hoc ipsa palma virginea palmæ filio omninò similis,sed iure suæ profundissimæ humilitatis, vt docent D. Bernar. in serm. signum magnum, & D. Idelphonsus in serm. de Assumptione Virginis: *Nam ipsa propter humilitatem Regina nostri orbis dicitur, meritò facta est omnium Domina, quæ se exhibebat ancillam:* ac si dicerent, quia Virgo Maria animi deiectione, & Angelos vicit, & homines, meritò humilitatis, & regnũ meruit adipisci, & Imperium.

D. Bern. D. Idel.

D. Ansel. Si D. Anselmo præstamus auditum, dominium omnium creaturarum, & Imperium nacta est B. Virgo Maria, ex eo quod est Spiritus sancti sponsa. *Ipse spiritus Dei,* inquit Anselmus *ipse amor omnipotentis patris,& filij,ipse per quem, & in quo amatur omne, quod benè amatur, ipse,inquam,corporaliter(vt benè dicam) venit in eam singulatique gratia præ omnibus,quæ creata sunt,siue in cœlo, siue in terra, requieuit, & Reginam, & Imperatricem cœli,& terræ, & omnium, quæ in eis sunt fecit sponsam suam:* ergo dotis nomine Maria Regnum accæpit, & Imperium.Sponsam enim,quæ sponsi sui sunt, iam iure statutum est habere communia cum sponso. *Quomodo*,inquit D.Epiphanius de laudibus Mariæ, *Virgo inuenitur esse cœlestis sponsa, & mater,quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accæpit:* dotis verò gratiam,cœlum,& terram, hoc est,omnium imperium,& dominium. D.Epiph.

D. Athan. Si verò D. Athanasio credamus, aucupatur ipse in Maria imperium,& dominium super omnes creaturas, etiam supercælestes ex dignitate matris Dei, sic etiam D. Damascenus lib. 4. de fide orthod.cap.15.& Rup.Abbas in Canticis cap. 4. *Hæc in cœlis Regina Sanctorum, & in terris regnorum Regina est, quandoquidem est mater Regis coronati, quem constituit Dominus super opera manuum suarum, ac proindè Regina constituta totum iure possidet filij regnum:* sicque Maria iure materno cœli,terræque cum filio præses Domina, præposita, & prælata constituitur, & coronatur Regina. D. Dam. Rup. Ab.

Iure materno, vt excludatur metaphora,improprietas,electio, & priuilegium,nam aliter non possemus ei verè dicere: *Statura tua assimilata est palmæ:* Quoniam Dominus Iesus Virginis filius Rex regum est, & Imperator summus non ex electione, nec per similitudinem, sed verè ex ipsa sua natura, hoc est ex sua diuinitate, quæ sicut sacerdotem inunxit, sic & Regem, & quoniam filii dignitas,& honor, qui filio competit ex sua natura, necessario prouenit matri, quòd nobis insinuare voluit D. Arnoldus in tractatu de laudibus Mariæ: *Nec à dominatione,vel potentia, sed potestate filij, mater potest esse seiuncta,* S. Arnol.

vna est Maria, & Christi caro, vnus spiritus, & vna charitas, vnitas diuisionem non recipit nec secatur in partes, & licet ex duobus factum sit vnum, illud tamen scindi non potest, & filij gloriam cum matre, non tam communem iudico, quam eandem.

Vt ex toto in matre filii reluceret similitudinis imago, & huic palmæ diuinæ palma hæc virginea esset in Regno, & in Imperio omninò persimilis, idem quod Christus natura obtinuit, seu potius est, communicauit & matri, cui tu verè dicere posses ô anima mea: *Statura tua assimilata est palma.*

O Maria, ô dominatrix, et Regina gloriæ, ô mundi, et cœli Imperatrix, et Domina, ô Deus, et corona capitis mei, ô iubilum animæ meæ, iubilet tibi, cantet tibi, psallat tibi cor meum, psalmum dicat nomini tuo in æternum, in æternum, in æternum, quoniam per omnia Virgo palmæ filij effecta est similis, et sicut illi ô Deipara, ita et tibi subditur, et mancipatur omnis creatura.

Statura tua in hoc assimilata est palmæ, si Christum palmam humanæ naturæ, etiam vt homo erat, & Angelorum, & hominum, & infernorum, & omnium creaturarum verum, et legitimum, ac purum plenè habuisse Dominum, et imperium nulli dubium est, ita vt non tam cœlestia, et terrestria subdantur ditioni suæ, sed etiam inferno totus, quæ potestas, et dominii dignitas aduenit Christo homini ex vnione illa hipostatica, qua diuinitas humanitati sociata, contulit illi sacerdotium, Pontificatum, regnum, imperium, et dominium. Euecta igitur illa humanitas vi deitatis ad hanc regiam dignitatem iure naturali, illius voluntati, et nutui, illius sceptro, et imperio, et subdi, et parere debent Angeli, et homines, et dæmones, et omnis creatura, siue corporea sit, siue spiritualis, vt in facto subduntur, obtemperant.

Christi imperium, et regni dominiũ, quis audebit negare, matri non redundare, seu communicari à filio? iisdemque conditionibus, titulis, et latitudine, semper enim, et à natura habetur, quod filii dignitas, et honor redundat in parentes; Si Maria verè mater est Regis, Cur non ipsa Regina? si vnitas carnis, spiritus Charitatis, et voluntatis Christi, et Mariæ diuisionem non recipit, num recipiet corona, et Imperii sceptrum?

Quod non recipiat, testis est D. Damascenus orat. 1. de assumptione, sic inquiens; *Oportebat Dei matrem, ea, quæ filij erant, possidere, atque ab omnibus rebus conditis, vt Dei matrem adorari, quamquam enim semper ita compertum est, vt hæreditas à parentibus ad filios deuoluatur, nunc autem sursum sacrorum fluminum fontes fluunt, etenim filius matri res omnes conditas in seruitutem adduxit.* & orat. 1. de assumptione: *Quod sit æquale cum filio matris imperium, vocat Reginam ob politicum, & eiusdem imperium Dominam, quapropter vniuersale dominium, omnium rerum, & haram propter potestatem in seruos, & mancipia sortitur*: Ergo Maria potestatem Imperialem, & Regiam, comunem cum filio possidet iure materno, seu iure maternitatis. D. Dam.

Et quia honor filii redundat in matrem vis agnoscere, quantum Maria, & quam, & æqualiter gaudeat dominio, & imperio, audi diuinum Bernardinum Senens. serm. 61. art. 3. cap. 6. qui extollens similitudinem matris ad filii imperium, æquiparat Mariæ sceptrum ad Dei patris principatum: *Tot enim creaturæ seruiunt gloriosæ Virgini, quot seruiunt Trinitati*, & subdit: *Ille autem, qui filius Dei est, & Virginis benedictæ volens paterno Principatui principatum æquiparare maternum ipse, qui Deus erat matri famulatur in terra.* D. Bern. Senens.

O Maria, ô incompræhensibilis imperii tui altitudo? Dominus Iesus, qui ex commercio diuinitatis liber erat solutus, & ingenuus, seu liber esse noluit, & valet ratio, quoniam filii ad parentes subiectio, non est libertinitatis, & infirmitatis summissio, sed libertas, summa ingenuitas, & dignitas. Filii debitũ est naturale parentibus obedire, & subiici, vt ex D. Amb. elici potest in verbis illis, & erat subditus illis inquit Sanctus; *Quid enim magister virtutis, nisi officiũ pietatis impleret, nõ vtiq. infirmitatis, sed pietatis ista subiectio est* nõ erat indignum Christo matri subiici ex debito naturæ, quia obsequium in parentes nõ est seruitus, sed pietas, & quæ hæc pietas, sic respondet D. Bernard. *Ille, cui subditi sunt Angeli, Principatus, & potestates subditus erat Mariæ, & Ioseph propter Mariam, vtrumlibet ergo mirare, &* D. Amb. D. Bern.

elige, quid amplius mireris, fine filij Dei benignissimam dignationem, siue matris excellentissimam dignitatem, vbique stupor, vbique miraculum, id quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas est absque exemplo, & quòd Deo fœmina principetur sublimitas sine socio.

In laudibus Virginum in cœlo lætantium, canitur de eis, quòd sequuntur agnum quocunque ierit, quibus ergo laudibus Virginem iudicas dignã, quæ etiam præit; præit, & principatur Maria filio Dei, dùm ipse, qui Deus erat matri famulatur in terris, ecce excellentiæ dignitas tantæ Virginis, quando non solum eius imperiũ æquiparatur imperio, & Regno filij Dei, quẽ potestate patria habebat debitorem, sed si fas est dicere, filii imperium excellit, & superat, nàm dùm ipse matris potestati subijcitur, & erat subditus illis, subditus Mariæ dicitur, vt Mariæ imperium patris imperio æquipararet, cui imperio, quòd pater habet commune cum filio subditæ sunt creaturæ omnes, & iuxtà Diui Bernardini sententiam, hæc est vera propositio; *Diuino imperio omnia famulantur; etiam Virgo, quæ est creatura:* sicut cætera à Deo creata, sed dùm imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus, non solum pronunciat æquale, sed quid superius, & excellentius, dicam tantum cum Diuo Methodio serm. de Purificatione Virg. *Euge, quæ debitorem habes eum, qui omnibus mutuatur: Deo vniuersi debemus, tibi, ò Maria, etiam ille debet:* vt subdita anima mea, dicat tibi, *statura tui imperij, ò Maria assimilata est imperio filij tui, & Dei.*

D. Bern.

D. Meth.

In cuius Regnum, & imperium iure maternitatis successit, & hæreditauit illud, non solum dignitate, potestate, dominio, excellentia, & latitudine, sed etiã & tempore, vt tempus nullum esset, quo Maria imperiali dignitate non æquipararetur filio, dùm enim ex decreto Dei efficaci, prius est in Dei matrem electa quàm præuisa eius Conceptio, seù natiuitas, quæ Dei electio ad esse matrem Christi, ius præbuit Mariæ ad regnum, & imperium.

Si iure maternitatis Maria effecta est omnium creaturarum Domina, & Regina, si tempus nullum fuit, quo non esset Dei mater, sic non fuit, quo ius non haberet ad imperium, & regnum, & non esset Imperatrix, & Regina, ergo quando concipitur in vtero, Regina concipitur, & quando de matris ventre nascitur, omniũ coronata Regina nascitur; non est mea sententia, sed Diui Chrysologi serm. 146. *Quomodo non ante conceptum mater? quæ post partum Virgo permansit; aut genitrix, quando sæculorum generauit auctorem* Maria mater Dei vocatur, & quando non Maria mater? Si non fuit vnquam instans temporis, quo conceptus huius esset vacua dono? aut non fecunda? quia non nuda, aut spoliata nascitur, vt filij Adæ: sed sole amicta concipitur, & Spiritus sancti sponsa generatur; hæc est sententia Diui Chrysostomi loquẽtis de malis, quę nobis attulit Adam, & de bonis, quæ nobis parturiuit Maria: *seductio Euæ attulit mortem, consensus Mariæ peperit a sæculo Saluatorem;* per Verbum illud à sæculo, non vult Sanctus Mariã constituere matrem Iesu, quando verè parturiuit in illa florida ætate, sed à sæculo, ac si diceret, non fuit instans sui esse huius Virginis, in quo filia apparuit Adæ, quin diuini partũ nõ esset fęcũda mater; quòd si clarius capere cupis, quæ dico, audi D. Bernardum: *Quòd nomen Iesu ab hominibus Christo datum fuit, postquam natus est, sed ab Angelis priusquam in vtero conciperetur; Iesus est Saluator Angeli, & hominis, sed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ;* huic tempestiua valdè fuit salus, homini verò serotina post multa facinora, ex quo Angeli nomẽ Iesu Saluatoris tribuunt, antequã in vtero conciperetur ab illo æternitatis instãti, homines verò post conceptum, & iam natum de Virgine, quòd de filio, hoc aucupari possumus de matre, quæ Christi Iesu effecta est mater, antequam in vtero illum conciperet, quem post in plenitudine temporis peperit, & reclinauit in Præsepio, ergo si semper mater, semper & Regina, dùm iure maternitatis, ad hoc electa est imperium.

D. Chrysolog.

D. Chrys.

D. Bern.

Regni Corona, & Imperij sceptrum erant debita Mariæ etiam iure suę puritatis, & innocentiæ; quando Deus creauit hominem, ad suam imaginem creauit illum, inquit Sacra Scriptura, quid est ad Dei imaginem? vt inter cætera homo polleret intellectu, libertate, & dominio super omnes creaturas: erat ergo Adam in statu innocentiæ, & integritatis omnibus dominans, erat quasi Deus terrenus, erat Dei Vicarius, seù vice Deus.

Deus, factus ille Deo inobediens iusto Dei iudicio, inobedientes effecti sunt, & illi quotquot primò subditi, & obedientes erant.

In articulo illius instantis, quo creatus est Adam contulit illi Deus Imperium, & dominium super omnia creata sicque ille ab initio sui esse suscipiens dominium, & imperium omnis creaturæ corporeę factus fuit Rex vniuersæ terrę, Imperator, & Dominus *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quòd mouetur in terra.* O regale hominis imperium, ô potestas vniuersalis creati, psalmati; *Faciamus ad imaginem, vt præsit &c.* Hanc dignitatem ponit ante oculos tuos D. Chrysologus serm. 148. *Adhuc quid adijciat ad honorem tuum tuus Creator, excogita, in te imaginem suam ponit, vt terris inuisibilem conditorem visibilis imago præsentem poneret, & in terrenis dedit vices suas, vt non fraudaretur Domini Vicario, mundi tàm larga possessio*: en quid contulit homini imago Dei, ad quam ille formatus est, vt mundo visibilem, & præsentem redderet inuisibilem Creatorem, sicque homo Dei Vicarius, seù vice Deus, dùm homini imperandi, dominandi, regnandi præstat vices suas.

Genes. cap. 1.

D. Chrysolog.

In sua creatione Adam creatus est in ætate perfecta, alienus à corruptione, robusta in fortitudine, scientia, sapientia, corona, & Regno, quę omnia proueniebant ei ex iustitia originali, qua integra, integra simul seruabatur Dei imago; & illa corrupta veneno peccati originalis, cuncta perdidit, per inobedientiam factus est mortis reus, spoliatus vita, priuatus scientia, & fortitudine denudatus robore, & regno, & ex libero factus est seruus, ex diuite pauper, ex fęlice, & beato, miser, & miserabilis.

Deperdita ab homine iustitia originali perdidit simul, & imperium, quòd nulli datum est recipere, seu recuperare, nisi tantum Mariæ, quæ eum esset ab illa originali culpa immunis, & libera, non solum irrationabilium creaturarũ, vt Adam, sed & Angelorum, & hominũ fuit creata Domina, Imperatrix, & Regina, ergo, inquit D. Anselmus in lib. de excell. Virg. cap. 11. iure naturæ, & suæ puritatis debetur Mariæ imperium, *vtique cuncta, quæ Deus bona, & vtiliter fecit*, inquit Sanctus, *in eo statu, in quo condita fuerunt, sic vt diximus esse, destituerunt, & per hanc Virginem in pristinum statum reuocata sunt, & restituta*; sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta pater est, ac Dominus omnium, ita Beata Dei Genitrix suis meritis cuncta reparando mater est, & Domina rerum, Deus enim est Dominus omnium singula in sua natura propria iussione constituendo, & Maria est Domina rerum omnium singula congenitæ dignitati, per eam, quã meruit gratiam restituendo, & perditam, primi hominis culpa, sui primi status ab homine dignitatem, & gloriam, Virgo suæ innocentiæ, & puritatis meritis refecit, & omnium facta est Regina, & in hoc ô Maria, *Statura tua verè assimilata est palmæ*, dum euecta in cœlum, & ad dexteram filij sublimi, & regali locata throno capiti tuo in cui imperij, & regni argumentum imponitur diadema: à diademate hoc, quòd gestat simul, & coronatur, metire si potes anima mea Mariæ imperij altitudinem, & latitudinem, quæ ad Angelos, ad homines, ad inferos, & ad cuncta creata se extendit, & in cunctis potestatem Regiam exercet, non tam durè puniendo, non vexando, non pręmendo, non spoliando, vel tributa exigendo, quàm omnium misericorditer miserendo.

D. Ansel.

Principatus proprium est misereri, inquit D. Chrysostomus homil. 4. in cap. primo ad Ephesios, hinc ex Dei præscripto Reges, & Prophetas oleo vngebantur; oleum enim symbolum est mansuetudinis, magnificentiæ, & misericordiæ, vt benignitate, & misericordia insignes futuros doceret Principes, & Reges. Regium est ergo non solum sibi subditos tegere, protegere, defendere, saluare, & obumbrare, sed & inimicis parcere, & eis misericordiam tribuere, imò & iniuriæ sibi illatæ, non recordari, probat hanc veritatem D. Augustinus serm. 66. de diuersis. D Aug.

S. Chrys.

Cùm turbæ Iudæorum sæpè confluxerint, vt Christum Dominum eligerent sibi in Regẽ, ipse verò quando potuit commotam plebem dulcissimis verbis sedauit, quandoque fugam arripuit, vt habetur in Ioan. 6. cap. *Iesus autem cum cognouisset, quia venturi essẽt, vt raperent eum, & facerent eum Regem fugit iterum in montem ipse solus.* viuens semper hanc regiam dignitatem à se abdi- Ioan. 12.

cauit, at pendens in cruce passus est regium titulum super caput suum affigi, imò volentes Iudæos illum delere per Pilatum, arcano Dei consilio repressit, quando ille Iudex eis respondit. *Quod scripsi scripsi.* Cur titulum Regis viuens abhorruit, sed in signum acceptationis inclinato capite moriens amplexatus est, deleri non permisit, cur hoc? Nisi quia inimicis suis misericordiam præbebat, & qui pro inimicis preces fundebat ad patrem, vt eis ignosceret, & qui iniuriæ omninò immemor publicas inimicorum suorum offensas propellere, nec rependere intendebat, nec de eis vltionem sumere, sed misericordiam elargiri poscebat, dignus erat, qui Rex ab hominibus haberetur, agnosceretur, & confiteretur, est enim inimicorum dilectio regia planè dignitas.

O Maria, ò Regina cœlorum, si Regis gloriæ tibi thronus præstatur in aula illa cœlesti, & te vt puta matrem veram, & speciosissimam sponsam præ omnibus dilectam amoris amplexu ipsemet Rex sibi associat in throno, ac si esset vnus, & vna corona munus, quod accepisti vt Regina, exequere, & perfice, nos obumbrando defende, parcendo miseris, misericordiam tuam illis tribue, & effunde, fructus indulgentię, gratiæ, simul, & gloriæ præbe, & elargire, ad hoc effecta es Regina, & tibi collata est omnis potestas in cœlo, & in terra; *Et quid tibi negabitur?* inquit D. Petrus Damianus serm. 2. de Natiuitate Virginis, *nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis releuare.* (D. Petr.)

Et quis vnquam absque succo gratiæ in terra vixit, & vita viuit? & in cœlo quis beatitudinis, & fœlicitatis potitur lumine, enutritur, & satiatur humore? Nisi à te ò Maria, quæ radix es omnium bonorum, largiatur. Hoc voluit astruere D. Bernard. serm. 2. de aduentu, quando vocitat Mariam plantulam cœlestem: *O verè cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior vniuersis, ò verè lignum vitæ, quod solum dignum fuit portare fructum salutis, quo fructu viuit Angelus, & omnes electi in mensa Domini, & in terra omnis homo, qui ab hac planta, veluti inanis ramusculus non est abscissus, succus gratiæ, succus vitæ, & omnis boni à radice emanat in truncum, & in ramos plantæ istius virgineæ, quæ vmbra sua sola protegit, & defendit, frondibus suis sanat, & saluat, floribus oblectat, & recreat, fructibus verò satiat, & inebriat, reficit, & beat, & qui ab illius elongatur vmbra, elongatus viuit ab omni bono, quoniam, & ipsummet cœlum nihil est, & nihil habet boni, gratiæ, & gloriæ absque Maria.* (D. Bern.)

Pastor ille cœlestis ouis centesimæ perditæ, suum vt ostentaret amorem, quo amabat eam, & sollicitudinem, qua quæsiuit, vt inueniret eam, & tandem inuentam, suis in humeris reportauit cùm gaudio ad ouile cœleste, quod Dominus hac occasione appellare voluit desertum, quando relictis nonaginta nouem in deserto, venit ad errantem, & per desertum D. Gregorius, & alij multi intelligunt cœlum empireum, quod si tot erat stipatum Angelorum agminibus, cur deserti nomine nominauit illud, & non cœlum? cùm id sonat desertum, quod vacuum, quod denudatũ, & desolatum omni bono. (D. Greg.)

Dicam quæ sentio, meritò sub nomine deserti à Domino nuncupatur cœlum, quia tunc carebat hac vnica oue generis humani, carebat Virgine, carebat vmbra protectionis, & fructibus iucunditatis, & saturitatis huius plantæ virgineæ, cuius amore si condidit Deus cœlum, & terram, & dedit esse, vt essent, ita D. Bernard. serm. 1. super salue Regina, & Galat. lib. 7. arcanorum cap. 2. *Sic non conseruat,* inquit D. Fulgentius lib. 4. mythol. *nisi sub Virginis vmbra: Cœlum, & terram,* inquit Sanctus; *iam dudum ruissent, si non Maria precibus sustentasset.* (D. Bern. Galat. Fulgent.)

Antequam hæc planta cœlestis eleuaretur in cœlum, absque Maria videbatur desertum, & quidem, at quando diuinus ille agricola è terra transplantauit, & eleuauit eam in solio maiestatis suæ diuinæ, & coronauit illam diademate Regni sui, & indiuisum voluit habere Imperium, cui cum filio Dei in carne vna, & vno spiritu indiuisum fuit pietatis, & vnitatis mysterium.

Factum est, vt quòd erat desertum præsentia huius plantulæ vertit in Paradisum deliciarum Dei, dum vmbra sua supercœlestes obumbrat spiritus, quibus data fuit Maria in restaurationem, & eorum per eam Cathedræ reparantur, & ruinæ, obumbrat, & homines, qui sub ramis eius viuunt, & quiescunt, cuius fructu satiantur, & aspectu cũcta crea-

creata viuunt,& beantur. Audi Diuum Anselmum in oratione Virginum,sic alloquentem. *Per te elementa renouantur, homines saluantur , & Angeli redintegrantur.*

D. Ansel.

O quàm læto animo, ò quàm sereno aspectu suscepit eam Deus Angelorum, & hominum , quando transplantauit in cœlum, vt in Paradisum verteret, quòd absque Maria erat desertum ; & Principatum dedit illi super omnem locum dominationis suæ,& in throno consedere fecit maiestatis suæ in cœlestibus, vt repleret omnia, vt bearet omnes intendentes in illam, & vt Regina præsideret omnibus.

Heù,& quando dabitur nobis,& huius plantæ Virgineæ sedere sub vmbra, & illius , quæ lignum est vitæ,degustare fructus , illius frondium sentire sanitatem florum odorare odorem , frui præsentia,& beari vultu,& aspectu illo Virgineo.

Recordare ò Maria,quòd ideò constituta es Regina,vt obumbrares me,&quę mea culpa perdidi, restaurares , & quę mea labe amisi,tu restitueres; si Rhãnus illa potuit dicere,quando ei Regnum delatum fuit non sine futuri mysterij tacita insinuatione , dixerant enim omnia ligna ad Rhamnum, vt habetur in lib. Iudicum cap. 9. *Veni,& impera super nos,quæ respondit eis, si me Regem vobis constituitis,venite, & sub vmbra mea requiescite* ; Cur non tu ò vera Regina , ò vera mater misericordiæ ? Tuis enim prouoluta pedibus anima mea te confitetur Reginam , & Imperatricem omnium, & in signum suæ seruitutis , & in tui honoris cultus, & reuerentiæ argumentum laudum coronas , benedictionum serta , gratiarum diademata , quæ potest tibi offert,vt Regina,tibi obtulit, vt Imperatrix, dic ergo illi, veni, & requiesce sub vmbra huius Ramusculi.

Iudic.

Et si flores non habet Virgineos , & decoros , nec pura lilia Canticorum, & laudum, quibus tibi plectat debitam,& Regiam Coronam: sub hoc Ramusculo tua fulta gratia audax effecta. licèt non habeat ex se, legat ex hortulo tui cordis flores, quibus te coronauit Pater , quibus te diademauit Angelus,& quibus te certatim in Regno glorię tuę coronant omnes beatorum cœtus, & chori, quorum resonantibus vocibus,& tuarum laudum dulcissimis canticis concrepet, & vox parua serui tui te laudantis , tibi psallentis,& benedicentis .

Benedictum sit nomen tuum in æternum, ò humilis Virgo Maria mater Iesu filij Dei, te precor , ò Maria monstra te esse matrem,& Reginam, & miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea , sub vmbra huius Ramusculi protege me nunc , & in hora mortis meæ . Amen .



DE CVLTV; ET VENERATIONE Virginis.

RAMVSCVLVS SEPTVAGESIMVSSECVNDVS.

Statura tua assimilata est Palmæ. Cant.cap.7.



O Maria, ò mei laboris tu palma semper virens, semper verans, semperque parata victoriæ, tu sēper onusta fructibus, qui sunt ad vitam: tu semper vestita folijs, quæ sunt ad sanitatem gentium, tu lapsis semper vmbrosa ad requiem; per tui nominis dulcedinē; & tuæ Regię Maiestatis gloriam, da ò Maria, ò pietatis mater, tua hac me semper protegi vmbra, virentibus tuisque folijs sanitati restitui, & redire ad salutem, simulque pasci, & enutriri fructibus perdulcissimis tuis, sic ego enutritus dactylis, salutaribus sic emundatus folijs, sub vmbra hac, & laudum tuarum præconia, & tuę dignitatis, imperij, potestatis, dominij, & coronæ merita, non solum dignè possim digno enunciare elogio; sed & digna concelebrare laude, venerari honore, reuereri affectu, conclamare corde, psallere spiritu, beatificare mente, salutare lingua, labijs extollere puris, Canticis semper offerre spiritualibus, benedicere genuflexionibus, glorificare benedictionibus, exaltare hymnis, æmulari amore, prosequi reuerentia, & membris omnibus debito semper obseruare cultu, quo mihi indigno fas est si nō quo tu digna es, & perfectionum tuarū merita expostulant, honorare, venerari, & adorare scabellum pedum tuorum.

Scio, & verè confiteor, quòd vnus est altissimus Creator omnium omnipotens, qui creauit te in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est; ipsi soli, qui te creauit, qui te sic altissimè sublimauit, qui donis supercœlestibus sic te ditauit, & omnibus gratijs sic te repleuit, & sic repleta voluit honorari à nobis, concelebranda relinquitur tuarum virtutum, perfectionum, ac laudum, imò, & ipsa tuæ regiæ dignitatis sublimitas, & altitudo.

Quæ si meores hominum Spiritus sancti lumine edoctas percussit Sanctorum nimio stupore, cur non mentis meę aciem tot, tantisque ignorantiæ tenebris vndequaquè circumfusam? audiendus est hic, ò anima mea, D. Augustinus qui in serm. 83. de Assumpt. Virg. sic exclamat: *Sed quid dicam de te pauper ingenio, cum de te quidquid dixero minor laus est, quàm dignitas tua meretur. Sum enim exili voce, tardaque lingua, fatetur de se D. Epiphanius, & minimè desertus, vt sic verba facere possim de percelebri sancta, & innupta Deipara matre Domini, de qua leuiter loqui non debet humana lingua*: Tantæ Virginis dignitatis, tantęque Marię bonitatis timore percussus de se dicebat D. Hieronymus in serm. de Assumpt. B. Marię Virg. *Timeo satis, & valdè pertimesco, dum vestris cupio parere profectibus, ne fortè sicut improbus ita, & indignus laudator inueniar; profectò cum nec sanctitas, nec fecundia suppeditet, vt gloriosam Virginem Mariam dignè laudare queam*: Huius etiam cultro timoris adaptato calamo librum scripsit D. Anselmus de excell. Virg. in quo sic legimus annotatum: *horreo peccatorum, quibus premor enormitatem, & valdè timeo, ne mihi tàm alta petenti mox obyciatur hoc Sacra Scriptura dictum, tolletur impius, ne videat gloriam Dei.* D.Aug. D.Hier. D.Ansel.

Si Sanctos tanta sanctitate præditos, qui cum sāctitate singulari simul etiam coniunxerunt, & doctrinā, perterruit, & obmutescere fecit illa grandis Virginis gloria, & dignitas tàm alta, num, & impeditus linguæ erit eloquens, qui nec do-

doctrina pollet, nec sanctitate florescit; at ne anima serui tui ò pia mater. & Virgo ingratitudinis criminaetur vitio, & si non quantum ei par est, saltem quantum ei fas est, & à te fuerit donatum, tibi ò Regina, ò corona capitis mei, seruitutis, cultus, famulatus, honoris, benedictionis, laudis, & gratiarum actionum, & reuerentiæ debitum cuixè, & deuotè persoluat, da quod cupit, vt capiat, quod optat, & humiliter expostulet, suppeditare tu ò Maria, quod ei deest, & vmbra tuæ protectionis, & odore fructuum tuorum suauissimo, & foliorum dulcedine, & viriditate dulciter allecta inueniat, quod auidè quærit, & cupit; Nec ei deesse potes, quæ Regina es curialissima, ita testatur D. Bernardinus serm. 52. de salutatione angelica *Nec potest salutari sine resalutatione miranda, si mille Aue Maria dicis, et in die deuotè millies à Virgine resalutaris.* Sede igitur secura sub vmbra huius ramusculi, sub qua vt adorationis hyperduliæ cultu debito honores Virginem, & honoris, & reuerentiæ illi soluas tributum, attende Virginis maiestatem, & obserua virtutum suarum, & perfectionum altitudinem, & multitudinem, intuere gratiæ illius, & gloriæ eiusdem gradum, sublimitatem, & excellentiam, verte oculos tuos ad diadema illud, & positionis thronum, quo omnes Dei electos collectiuè transcendit, meditare Dei matris infinitam illam dignitatem, contemplare dominium, et vtriusque Regni Imperium, & videbis, quod sicut Dominus Iesus matrem suam sibi habet cæteris sanctis propinquiorem, et cunctis sanctis habet chariorem, sic ad interpellandum pro te apud ipsum habet potentiorem.

D. Bern.

Cur non omnium potentissima Maria? si pro corona capitis sui habet Deũ filium, cum quo idem habet Regnum, thronum, imperium, potestatem, et vniuersale dominium, hinc vult ipsemet matrem suam, vt nos super omnes Sanctos prædiligamus, honoremus, & cernui veneremur, quo honore? qua veneratione? qua reuerentia? ipse, qui nouit eam, et perfectè cognouit eius dignitatem, potestatem, et immensitatis gloriam, ipse qui iubet, te docebit, simul, & præstabit, vt possis dicere, et tu ad gloriam eiusdem.

Statura tua assimilata est palma. Verbum Patris Dei filius, qui de Virgine nasci voluit, et matrem suam sic honorauit, et à nobis honorari voluit, ipse præstabit tibi, ò anima mea veræ intelligentiæ lumen, quo valeas, et tu intelligere quam verè, et in hoc palma virginea palmæ filio assimilatur: Verum vt tantæ Virgini debitum honorem, et cultum impendas, verum scias te esse obnoxiam venerari Virginem, non solum actibus internis, qui sunt actus illi eliciti à voluntate, nam vt docet Diu. Thomas 2. 2. q. 84. interna adoratio stat in interiori mentis deuotione, quæ mẽtis deuotio non est aliud, nisi voluntatis actus, sed et teneris illam adorare, et honorare cultu adorationis externo, qui fit per membra corporis, et sensus, cum ex vi, et imperio interioris cultus in externa, et sensibilia illa reuerentiæ signa anima prorumpit, quæ eleuata iam ad cognitionem, dignitatem, et excellentiam rei adorandæ, oritur in ea submissio illa humilis, et reuerentialis, qua rei adoratæ subditur, et summmittitur tamquam superiori, et honorem, quo illa digna est, ei defert, non mentis tantum deuotione, sed et corporis adoratione, humiliatione, et reuerentia. D. Tho.

Adoratio namque interna, seu mentalis non excludit, imò amplectitur externam adorationem, quoniam adoratio interna cordis est, velut anima adorationis externæ, quæ per actiones corporis exhibetur: *quia èx visibili, & inuisibili constamus*, inquit D. Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 13 *duplici quoque adorationis genere, rerum omnium parentem afficimus,* D. Dam.

De quo cultu sensibili, et externo plurima habentur in sacra pagina exẽpla, et testimonia, sigillatim in Daniele Propheta cap. 6. quem ritum obseruauit Dominus noster Iesus Christus præsertim, quando oraturus ad patrem, hortum ingressus seorsum ab Apostolis procidit in faciem suam, positis genibus orauit. Illi tres orientales Magi *intrantes domum*, inquit D. Matthæus cap. 2. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Dan. Pr. Matt. Eu.

Qui venerationis vsus, et consuetudo, quæ adorationis exercitatio, genuflexionibus venerari Virginem, Virgini ipsi est gratissima. et tibi ò anima mea valdè vtilis, quod probatur exemplis.

S. Elisab. plis. De Sancta Elisabeth Regis Vngariæ filia legitur, quòd nocturno tempore surgens a latere viri sui, orationibus, & genuflexionibus occupabatur; scribit
Surius. etiam Surius tom. 2. filiam B. Birgittæ nomine Catharinam, ita fuisse genuflexionibus deditam, quòd in cultu Virginis Mariæ insumebat singulis noctibus quatuor horas in sacro hoc exercitio.

Quem adorationis ritum docent nos signanter illi septem spiritus beati, qui astant ante thronum Dei, de quibus sic scribit Diu. Ioannes in sua Apocalypsi
Apocal. cap. 4. *Et septem lampades ardentes ante thronum:* & in ijs septem lampadibus designati sunt septem spiritus Dei, quibus vniuersorum hominum cura demandata est, & prouidentia, per thronum ante quem astant sic reuerenter illi septem spiritus cęlorum, possumus, & nos intelligere Deiparam, quo nomine appella-
D. Greg. Thaum. tur à Diuo Gregorio Thaum. serm. 2. de Annunciat. *tu verò thronus euasisti Cherubicus, vbi glorificatur pater omnis principij expers, cuius obumbrantem habuisti potentiam.*

Verè Dei thronus effecta est Maria; quando sedit in ea per Incarnationis mysterium æterni patris filius; ita legimus fuisse præmonstratum Isaiæ Pro-
Isai. Pr. phetæ cap. 6. quando dicit; *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum:* Vgo Charensis per solium excelsum, & eleuatum intelligit Beatam Mariam, in qua sedit Deus, & requie-
D. Meth. uit, quòd perlucidè expressit D. Methodius in serm. de Purificat. B. Virg. *Vidi sedentem super solium excelsum, & eleuatum, ecce tibi tamquam thronus sublimis, & eleuatus ob gloriam illius, qui ipsũ est fabricatus, Virgo mater Regi Domino Sabaoth palam instruitur, super illum nunc montem tibi Dominum carne indutum publicè procuntem imaginare. super inquam virginali throno eum, qui ad nouam hanc laudibus omnibus celebrandam perfectionem adornauit, venerare.*

Thronus verè est Virgo, in quo Deus sedet, & ex præsentia etiam Angelis effecta est terribilis; scalam vidit Iacob dormiens, cuius extrema pars, vbi hærebat terræ, summitas tamen eius pertingebat vsque ad cœlum, per quam vidit Angelos ascendentes, & descendentes, & euigilans è somno timore correptus excla-
Genes. cap. 28. mauit: *ò quam terribilis est locus iste:* num gehennam vidisti, vel alium infelicitatis locum? quòd sic pertimescis, & paues? cur terribilem appellas, si tu dicis verùmque: *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli;* si locum conspicis amabilem, desiderabilem, gratissimum, & omni cęlesti iucunditate refertum, cur paues, & appellas terribilem? si scala hæc, si domus illa, si porta cœli Virginem adumbrat, Virginem præmonstrat, ita D. Bo-
D. Bona. nauentura in lib. Eccles. Hierarchię circa finem: *Scala cęlica per quam patet ascensus ad æterna, Maria est;* inquit ipse, & D. Andreas Cretensis orat. 2. *Hæc est*
D. Andr. Cretens. *porta cœli,* de qua Iacob dixit; *quàm terribilis est locus iste, verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Cur terribilis, si dulcedinis manna Mariæ nomen retinet, & vbi insonuerit, mæror omnia abijt, pauorem timoremque omnem fugat, imò mentem turbatam dulcescit, & miro suauitatis dulcore, & quietis, & tranquillitatis suæ dulcedine recreat, dulcorat, & fouet in sinu.

Metuendus quidem, ac terribilis locus Maria, sed non pauoris, non timoris, non formidinis, sed Religionis, cultus, venerationis, & reuerentiæ, siuè ascendentes, siuè descendentes Angeli, non erat timoris ascensus, seù formidinis descensus, sed reuerentiæ, adorationis, cultus, & venerationis, iuxtà illud, quòd de Sancta Ecclesia testatur Diuus
D. Bern. Bernardus in ser. 6. de anniuers. Ecclesiæ, & nos possumus fateri de Virgine: *Locus iste,* inquit Sanctus, *est omni reuerentia dignus; quem Deus ipse sua quoque præsentia dignatur, cum sit domus Dei, & porta cœli.*

O Deus cordis mei? quanta cum attentione in hoc virginali templo vacandum est laudibus, quantò cum tremore coram ipsa genuflectendum? quanta cum veneratione est os aperiendum ad illam praces fundendas, quanta cum contrictione coram ipsa pectus est tundendum? quanto cum fletu, & cordis humiliatione sunt crimina confitenda, & plangenda delicta? quanto cum silentio est in Mariano templo meditationibus inuigilandum? quanta cum summissione manus puras, & angelicas cogitationes necesse est attollere in cęlum? Terribilis sanè locus iste est, & summa reuerentia, summoque dignus honore, & cultu, adeò vt septem illi Angelorum Principes veneratione humili, & adorant, & venerantur, ita Archangelus

Ga-

B.Amad. Gabriel reuelauit B.Amadeo, quando in suo raptu in contemplatione tantæ Virginis positus sibi loquentem audiuit: *septem Angeli sumus, qui genitricem Dei nostri veneramur, alios omnes vestri generis præcedimus.*

Si septem Angeli, qui throno Dei semper astant, & cuncti exercitus Angelorum, vt inquit D.Bernardinus Senensis cap.3.serm.3.art.3. habent de illa merito confiteri, & dicere illud 4. Regum cap.10. *Serui tui sumus, quæcumque iusseris, faciemus*: quid tu anima mea, humiliare Virgini benedictæ huic, illam adora mente, corde cole, genuflexionibus honora, labijs oris tui lauda. & venerare cum timore, & tremore, & scito, quòd quilibet honor, seu cultus à te illi impensus, licet grandis, & maximus, exiguus, & paruus, nec vnquam potest par esse Virginis dignitati, & maiestati, nunquam par gloriæ, & suæ immensitatis, quòd mihi videtur asserere D. Gregor. Nicomed. in orat. de oblat. *Quis honor,* inquit Sanctus, *exhiberi poterit puritati Deiparæ. ex æquo respondens? Cuius amore captus opifex ex ea solum cōstruxit tabernaculū suum, in quo minimè recusauit habitare, in quo paterna voluntas est impleta, quænam gloria ei poterit tribui pro meritis suis, cuius superiorem gloriam præter se ostendet creator: ò donum, quòd nullo pacto, nulloque potest honore, vt par est, affici*; hæc ille. Si in laudando Virginem humana deficit virtus, & eloquentia, age, quæ de te docet Scriptura Diuina.

D. Bern. Senens. Regum.

D. Greg. Nicom.

Terræ illi, in qua ardens rubus ardebat, & non comburebatur, cupienti Moysi, & curioso, nisi nudato pede applicare non est permissum, imò nec appropinquare, cur hoc? homo ille, cui similem, nec maiorem, tunc sua non tenebat æras, Propheta ita Sanctissimus, quòd Deus ipse testatur, post eius mortem, non surrecturum maiorem: homo qui singulari Dei dono Rex erat, Dux, Sacerdos, & Dei legislator, homo, qui super omnes filios hominum mansuetudinem gestabat pro suo stemmate; homo, qui virga diuisit mare rubrum in diuisiones: homo, qui portenta, & prodigia talia fecit, quorum in toto mundo adhuc resonat echo: homo Dei amicus, & ita dilectus, quòd cum Deo loquebatur facie ad faciem, ad terram illam iussu Domini non valuit accedere, nisi nudis pedibus, quid est hoc ò anima mea? nisi tu addiscas, qua deuotione ad Virginis laudes decantandas accedēdum sit, quo honore honoranda, quo cultu colenda qua reuerentia adoranda, qua puritate cordis, qua munditia mentis, quo candore linguæ, quo pectoris affectu, inuocanda, in necessitatibus. Moyses quamuis esset magnus Rex, Sacerdos, Sanctus, Dux, Legislator, Propheta, & Dei amicus, & tàm familiaris, quia de ęgypto egressus veniebat, terram illam, quę Virginis figuram pręseferebat, & imaginem adumbrabat, non permittitur tangere, accedere, pedibus calcare, nisi primò depositis calceamentis, & hoc in reuerentiæ, & cultus signum, & argumentum, dictum erat ei, *terra, enim in qua stas, Sancta est.*

Si ad Virginis laudes cupis ascendere, ò anima mea, solue primò calceamenta de pedibus tuis, discalcea cordis tui affectus ab omnibus creaturarum similitudinibus, ab omnibus immundis cogitationibus; & actibus impuris. Si Virgini Sacratissimę honorem debitum persoluere, & reuerentiam exhibere peroptas, esto, primò vita, & moribus Angelus, si cupis ad eam accedere, dignè laudare, salutare, & honorare.

Quæ in omnibus, vt palma virginea fuit palmæ filio semper similis, nunquid in honore, & cultu erit illi dissimilis? attendē dignitatem palmæ, & certè quòd in hoc (vna duntaxat differentia) illi dicere poteris, *Statura tua assimilata est palmæ.*

Reuerentia debetur alicui, vel respectu dignitatis, vel respectu familiaritatis, vel ratione plenitudis donorum, & gratiarum, quia hic honor impenditur personis grauibus, vel prælatione, vel officio sublimitatis, dignitatis, & sanctitatis; hinc est, quòd vbi cæteris sanctis debitus præstatur reuerentiæ cultus, qui Dulia dicitur, & est cultus creaturis debitus, in quantū sunt imago Dei viuentis; Marię verò vt pura creatura, nō alius honor, seu cultus impendendus erit, at quia mater est Christi, datur, & debetur adoratio Duliæ, eminentius tamen, quā cęteris creaturis, quæ hyperdulia dicitur, qua adoratione, etiā adoratur caro Christi, nō ratione rei adoratę seu totius subsistentis, quòd esset adorare Verbum Incarnatum, vt docet D.Thom. p.3. q. 25. quia humanitas illa, vt est Verbo D.Thom.

 vni-

vnita, ei debetur honor, seu adoratio; quæ est actus latriæ, ita testatur D. Damascenus de fide orthod. lib. 3. *Adoratur caro Christi*, inquit ipse, *in Verbo Dei incarnato, non propter seipsam, sed propter vnitum secundum hypostasim verbum*; adoratione verò hyperduliæ adoratur, vt est eius secundum se, & ratione suæ humanitatis perfectissimæ, & omni numero gratiarum, virtutum, ac perfectionum consumatæ, & quia honor est exhibitio reuerentiæ alteri impensa in signum, & testimonium perfectionis, & virtutis. Dum Virgo Maria perfectissima fuit in omni genere virtutum, sanctitatis, & perfectionis, idcircò eo honore, & cultu, ea reuerentia, & adoratione à nobis colitur, qua Christi caro per se sola adorata adoratur, et veneratur: en quam verè potes tu dicere, Deiparam mente, et corpore, corde, & lingua, labijs, et ore adorando: *Statura tua assimilata est palmæ.* D. Dam.

Et hic honor, & hæc seruitus Mariæ debita ratione maternitatis Dei impēditur, non tantum ab hominibus, sed etiam ab Angelis, cum ratione dignitatis, tum ratione familiaritatis, tum ratione plenitudinis gratiarum, ex quo factum est, quod homo natura, & statu dignitate, & donis Angelis inferior metuebat, timebat, & reuerebatur Angelos, & pronus in terra adorabat, vt videri potest in lib. Genes. lib. Iudicum, & in oraculis Danielis Prophetæ, & hac reuerentia seu cultu profitebatur homo se esse Angelis inferiorem: at quando missus est Angelus à Deo ad Mariā, licet hæc esset vera filia Adæ, & ille spiritus cœlestis, non solum natura nobilior, & excellentiæ dignitate superior, erat enim de supremis illis Angelis, quando autem ingressus est ad Virginem, vt notat D. Augustinus serm. 4. de Natiuitate Domini in signum reuerētiæ, non solum inclinauit se, sed flexis in terra genibus, vultu, & capite demisso salutauit, honorauit, coluit, & adorabit verbis illis: *Aue gratia plena, Dominus tecum benedicta tu in mulieribus.* Genes. Iudic. Dan. Pr. D. Aug.

Num superior inferiorem sic humiliter decet honorare? adorare? & venerari? ô altitudo tuæ dignitatis ô Maria, humili gestu, & hoc cultu te colens Angelus Gabriel, te illo confitetur sublimiorem, & digniorem, & tuæ sublimitatis gradum innotescit verbis dicendo: *Aue gratia plena*, in plenitudine gratiæ te esse illo superiorem familiaritate, & vicinitate ad Deum, dicendo, *Dominus tecum*, te esse natura ipsa angelica viciniorem, nam in cœlis vbi Deus, Angelis est Dominus; Mariæ verò ipse Deus est filius, quid vicinius? quid hac dignitate altius? In puritatis dono, & in candore innocentiæ, dicendo: *Benedicta tu in mulieribus*, te puritate sublimiorem confitetur Angelus, quos vt purissima superas, & vincis, quod profitetur idem Angelus, dum hoc honore te reuerenter adorat.

Quod si reuerentia debetur personis grauioribus, dignitate, officio, vel prælatione sublimitatis, en nostra virginea palma, adeò exaltata, quod est Domina cœlorum, & Angelorum Regina, adeò sublimata, quod est Imperatrix cœli, & terræ, imò & mater Dei, idcircò & ab Angelis meruit honorari, & à nobis venerari, & coli eo cultu, quo Christi caro per se adoratur, & colitur, adora igitur, & lauda anima mea dicendo: *Statura tua ò Maria assimilata est palmæ.*

Sed non est silentio prætereundum, quod docet Riccardus de S. Laurentio lib. 1. de laud. Virginis cap. 8. quod non potest anima dignè laudare palmam hanc virgineam, nisi ipsa vita, & moribus sit Angelus, purissimis autem illis virgineis auribus laudes, & cantica, quę ex impuro corde, impura mente, sordido ore, & immunda lingua fluunt, placere minimè possunt; *Dignè salutare tantam Virginem*, inquit ipse, *quod non sit quilibet dignus, ostendit Dominus, cum ad eam salutandam, non nisi Angelum misit*: per hoc euidenter ostendēs, quod qui salutationem suam ab ea desiderat acceptari, angelicam vitam debet imitari. D. Ricc.

Sed clarius hoc ostendit D. Ioannes Euangelista, qui spiritu ingressus in illam sanctam Ciuitatem inter cætera, quæ vidit lib. Apocaly. cap. 14. *Agnum stantem supra montem Sion; & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis*: & Canticum nouum, quod cantabant ipsi, quilibet alius non erat dignus nisi tantum, illa centum quadraginta quatuor millia. Apocal.

Christum Dominum vocat hic Sanctus Euang. *Agnum, qui à scriptura sacra*, inquit D. Clemens Alexandrinus lib. D. Clem.

lib. 1. pedagog. cap. 5. *pueros, & infantes vocat agnos, & Deum, qui est Verbum, quod propter nos homo factus est, & nobis in omnibus assimilari voluit, vocauit agnum*: sub qua specie voluit nobis innotescere quam Christo sit chara, & pretiosa mansuetudo, & quam ardenter amat agnos, amat Agnetes; amat Virgines mites, innocentes, & puros, quibus tantum licebat; & non alijs cantare canticum nouum, & quale erat hoc canticum nouum, et quam ad canendum difficile, imò impossibile, dum nō alius in cęlo dicere, nec canere poterat nisi isti soli centum quadraginta quatuor millia. O cæleste canticum, et reuera nouum, ò noua Dei exultatio, ò iubilū; et Dei noua laus, quale hoc canticum? vt capias, vt intelligas, lege D. Gregorium in 3. par. Pastoralis adm. 29. *Singulariter canticum Agno cantare est, cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus, etiam de incorruptione carnis gaudere, quod tamen cæteri electi canticum audire possunt, licet dicere nequeunt, quia per charitatem quidem illorum celsitudine lati sunt; quamuis ad eorum præmia non assurgunt*: quale verò sit hoc canticum in particulari, fælix te ò anima mea docebit experientia, quando in cœlo, vel tibi dabitur canere, vel saltem audire.

D. Greg.

Vndè si canticum istud est gaudium, seù gaudere cum agno de incorruptione carnis, vtique erit iubilum, & exultatio Virginum ob insigne, & rarum castitatis, & virginitatis donum, Virginitas enim est virtus noua, propria noui testaméti, nam in veteri omninò erat sepulta, & incognita, sicque in illa cœlesti Ierusalem huius noui testamenti virtutis præmium erit canticum nouū, quod nemo potest dicere nisi illa centum quadraginta quatuor millia, quos virginitate insignitos, & puritate præditos vidit B. Ioannes, & ipse testatus est, quod erat numerus Virginum dicens lib. Apocaly. cap. 14. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt*: his duntaxat datum est sequi agnū quocumq; ierit, his datū est agno, qui virginitate, & puritate lilijs valdè delectantur, virginitatis cantare, canticum nouum, & canentes sequuntur agnum, comitantur agnum, & ab agni latere elongare se nesciunt, nec agni relinquere vestigia. Testis est huius veritatis, veteranus ille Tertullianus lib. 1. ad vxorem loquens de Virginibus, sic fatur: *Deo sponsæ sunt puellæ cum illo viuunt, cum illo sermocinantur, illum diebus, & noctibus tractant orationes suas, velut dotes Deo assignant, & ab eodem veluti munera maritalia dignationem quotiescumque desiderant consequuntur*: sic æternum sibi bonum Domini occupauerunt, ac iam in terris non nubendo de familia angelica deputantur, dicente Christo per Matthæ. 21. *Qui neque nubent, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo.*

Apocal.

Tertull.

Matt. 22.

Si Mariæ laudum dulcia cantica, ò anima mea cantare peroptas, & debito cultu salutare eam, honorare, colere, venerari, adorare, beatificare, benedicere, & collaudare: Esto vita puritate Angelus, si non es Angelus, time, & erubesce, & vt timorem foris expellas, & ad Virginem salutandam si accedere cupis, æmulare Angelos, accede moribus angelicis, & puritate angelica ornata, quod si feceris, quam acceptabilis, & quam grata erit Virgini virginalis, seù angelica tua salutatio, honor, seruitus, adoratio, cultus, & reuerentia, addisce ex hoc, quod salutatur ab Angelo non foris stante, sed ad eam ingresso, ergo & Angelum prius oportet te esse, postea ad eam intrare, si dignè volueris salutare, & honorare Mariam, quam si Deus sic honorare voluit sublimare reuerentiam, & cultum, qui alicui debetur, optima praxis est considerare, & attentè intueri, quo Deus prosequutus est honore, & dignitate, nam tantò maior eleuatur creatura, quantò maioris honoris, & ponderis est apud Deum.

In seruum venundatus est Ioseph, Iacob Patriarchæ filius, & in compedibus humiliauerunt pedes eius, & sub iugo durissimæ seruitutis, multo tempore vitam seruilem duxit, at vbi à Rege Aegypti cognita fuit eius virtus; & eidem nota fuere eius merita, ita honorauit, ac exaltauit, quod à seruitutis miseria ascendere fecit ad thronum regalem, & ad maiestatem regiam lib. Genes. cap. 40. 41. 42. *Tu eris super domum meam ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantum Regni solio te præcedam*: quid plura? *Tulitque anulum de manu sua, & dedit in manu Ioseph, quem & vestiuit stola byssina, & collo eiusdem circumposuit torquem auream*: vt videri potest in lib. Genes. capit. 40. 41.

Genes.

41. 42. & concrepantibus buccinis prædicata est Ioseph potestas in toto Regno ægypti, & viso à populo honore, quo à Rege eorum honorabatur Ioseph, cœpit, & ipse ipsum honorare; vndè genuflexi cum timore, & tremore ad eum accedebant, & humilitèr reuerebantur.

Cur hoc? Nisi ex Regis optione, videntes quanti Ioseph faciebat, licèt primò seruus, & seruus tàm vilis, & abiectus. Quando viderunt ægyptij quanti erat, seruus hic apud Regem, & Ipsi magnificare cœperunt, & debitum honorem, & cultum deferendo, quasi Regem venerabantur. Si Rex mortalis, sic honorando potuit in Regiam Maiestatem extollere seruum, quid faciet Deus, & quid nō poterit Deus omnipotens? Qui quanti fecerit Mariam, vno dicam Verbo, ex serua, quam se esse confitebatur, fecit vt esset Dei mater, ad cuius titulum sequitur illa suprema dignitas, & altitudo, qua non modo mens stupet humana, sed extra se corda rapuit Angelorum.

Nonnè decet Mariam, quæ Rex ægypti dixit Ioseph, quando sublimauit ad Regnum: *tu eris super domum meam, ad tui oris imperium cunctus populus obediet*: Rabbi Dauid legit: *ad imperium tuum osculabitur omnis populus*; quid est osculari? nisi confiteri Ioseph esse Regem in tota terra ægypti, osculari manus, vel pedes alicuius est in signum seruitutis, in illa verba osculamini filiū, Doctissimus Oleaster exponit: *signa subiectionis ostendite*; O Maria, ò Regina cœlorum ad tui oris imperium osculabitur omnis populus, tùm angelicæ naturæ, tum humanæ in signum subiectionis, & seruitutis; quanta est hæc tuę matris dignitas non capit cor meum, ò Deus cordis mei, & quo cultu adoranda, qua laude laudanda, qua lingua benedicenda; qua cordis humilitate veneranda, qua adoratione colenda, quo amore seruienda, dicat qui capit, quid magni est? quòd Angelus in signum subiectionis manus osculetur Mariæ? quid magni est? quòd anima mea ad eius pedes prouoluta osculetur scabellum pedum eius, in signum seruitutis, & obedientiæ, si tu Deus æterni Patris filius in argumentum subiectionis, quando eras subditus illis, manus matris tuæ pluries osculatus es?

Rabbi Dauid.

Oleaster

O palma virginea, ò palma sempiternæ viriditatis verè: *Statura tua assimilata est palmæ*; quando thronum maiestatis tuæ vno tantū gradu præcedit thronus filii tui & Dei: tanti te fecit Deus, vt cuncta gratiarum dona, & thesauros omnes bonitatis diuinę, & misericordię suæ, apud te, & in manibus tuis deposi tauerit Deus, quanti igitur es, & quanti præuales, apud Deum, ò benedicta inter mulieres, quantò honore, quo cultu, qua reuerentia, & adoratione, te honorare, tè laudare tenetur anima mea, amet te cor meum, honoret te mens mea, venerentur te interiora mea, adorent te præcordia mea; & licèt vita, & moribus non sim Angelus, sub vmbra huius Ramusculi obumbrando me, munda me, laua me, vt mente pura, mundis labijs, corde perfecto, laudem te, & glorificem in eum, qui te tantum voluit exaltare, & venerari; totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & totis vocibus, inquit D. Bernard. in serm. de Natiuit. Virginis: *Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam*.

D. Bern.

Tu igitur palma, tu Regina, tu refugium, tu meæ protectionis vmbra, qua protegi, qua saluari, & adiuuari sperat anima mea; si paruus est affectus cordis mei, erga te, ò Maria, si leuis est deuotio, si modica est mea seruitus, & reuerentia, quod seruus non potest, quòd creatura nō meretur, mereatur tuis precibus, tuis meritis, ìpetret tuus erga nos maternus affectus, amor, charitas, & dilectio, esto mihi defensionis vmbra, ò obumbrata Spiritus sancti vmbra, adiuua imbecillitatem meam, & salua me, esto mihi vmbraculum salutis ab æstu furoris Dei: mater effecta es, & filijs non misereri nō potes? Nec rogas, quin non impetres? In manu tua sunt omnia Dei dona, nec hęc parua mea in te deuotio, suo careat fructu, ò Virgo, ò pietatis mater, quæ in necessitatibus non deficis, nec deseris.

In illo conuiuio, quòd celebratum est in nuptijs Canæ Galilæ, licèt esset dies lætitiæ, & iucunditatis, quia mundi erat conuiuium, statim se immiscuit dolor; & tristitia, & vini defectus fuit causa, vt interesset miseria, & necessitas; at quia ex conuiuantibus vna erat Maria, sic testatur Sanctus Euang. cap. 2. *Et erat ibi mater Iesu*, aderat præsentia Virginis & in cordibus conuiuatorum, qui Mariam vocauerant ad nuptialem cęna,

Ioan. Eu.

erga

erga ipsam erat pura deuotio spe, & fide munita, sed quid tunc horum deuotio operata est in ipsis, & Mariæ præsentia,& pietas? quia mater pietatis erat & viscera pietate plena habebat, non rogata erogat suæ benignitatis munera, & vbi eorum, qui conuiuium parauerant vini defectus silentio ora obturat, & obumbrat, tacentibus linguis, in eorum pectoribus, non tacebat erga pietatis matrem deuotio; hæc est, quæ pectus Virginis aggreditur; hæc est, quæ cor Mariæ misericordia plenum agitat; hæc est, quæ Virginis pietatis viscera pulsat, stimulat,& instigat, *Deficiente vino, dicit* Ioan.Eu. cap.3. *Mater Iesu, vinum non habent*: hæc ad filium breuis, sed pia, & feruens oratio, impetrat, & obtinet, & vini necessitati subuenit, & operata est nouum illud, & primum Christi miraculum, vt aqua mutaretur in vinum.

Quid est hoc? quòd non rogata Maria omnium prima suggessit filio, vt interposito miraculo suæ potentiæ, vinum prouideret conuiuis. Dicam, quæ sentio, fuit pia conuiuantium in Mariam deuotio, sic docet Ruper. Abbas. Rup.Ab. *Oportebat enim Dei Genitrix conuiuantibus fieri ianua cœlestis beneficij, ne illorum deuotio, qui se inuitauerant suo fructu careret.* Hæc illorum deuotio agitabat cor Virginis, vt qui eam inuitauerant, non defraudarentur optatis,& quòd Deus suæ merito matris suppeditat, indigentium deuotio, cor virginis pulsando, mouendo obtinet, & impetrat, quod lingua non postulant.

O fælix anima, quæ deuotione, affectu, & amore sub vmbra huius palmę virgineæ se colligit,& reponit, & eam honore debito, cultu,& reuerentia colit veneratur, amat, & seruit. Hæc animæ deuotio in corde Virginis stimulus est, quò pungitur, & quò illa erit feruentior,& ardentior, eò hic acutior, & penetrabilior ad mouendum, vt tui misereatur,& te citò succurrat, & protegat; & ne tua deuotio suo fructu careat, ipsa est, quæ tribulationum, tentationum, afflictionũ aquam obtinet suis meritis, vt mutetur in vina dulcedinis, & consolationis; spera, & non frauderis optatis.

Inuenta enim vmbra huius palmæ virgineæ, scito te inuenisse omne bonũ; D.Idiot. *Ipsa namque,* inquit D.Idiota, *diligit diligentes se, imò seruientibus sibi seruit, & non deserit.* Ipsa supra benedicto filio suo irato potentissimè reconciliat seruos,& amatores suos; Tanta quoque est eius benignitas, quòd nulli formidandum est ad illam accedere, tantaque misericordia, quòd ab ea nemo repellitur.

Omne animæ bonum post Deum est ipsa Maria, ipsa omnibus bona, bona, omnibus clemens, omnibusque pia,& misericors, accede ad eam amore, accede dilectione,& cultu, accede reuerentia,& adoratione, sta sub vmbra eius & noli timere, noli pauere, vmbra salutis est, vmbra protectionis, & defensionis.

Tẽpore mortis Christi non casu factũ est, vt ipsa astaret filio pendenti de cruce etiam mortuo, cur hoc? Nisi, vt cuncta fluenta gratiarũ, quæ de cęlo fluunt, ad tui salutem scias effluere, & descendere ex meritis Mariæ, ipsa est, quæ iratum Iudicem mitem facit, & eius seueritatem in misericordiam, & dulcedinem mutat. Dura erat Petra illa deserti, sed bis percussa virga Moysis, virgæ tactu, seù ictu fluenta aquarum effudit, & largiter dedit, ita vt biberet populus, & cuncta iumenta eorum, vt in lib. Numer. cap. 20. legimus. Num.

In animam peccatricem durus, & seuerus est Deus, & quis est, qui ignoret illam ad mortem tendere defectu aquæ misericordiæ,& indulgentiæ; at si cupis bibere hanc aquam de petra, percutiat illam non virga Moysis, sed virga Mariæ, qua vbi fuerit tacta,& percussa, non potest non effluere fluenta gratiarum. *Petra hæc Christus:* vt inquit Apostolus, Paul.Ap. insensibilis, seuera, & dura rigore Iustitiæ,& mortis horrore, attendè pendentem in Cruce,& morte inuenies factum insensibilem; Ioan.Eu cap.9. *Ad Iesum autem, cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum;* quid tunc accidit? vnus militum pendentis, latus mortui lancea aperuit: ictus,& vulnus fuit militis, lancea eum percutientis, & percusso latere Christi continuò exiuit sanguis,& aqua; aqua,& sanguis de corpore mortuo, quis vnquam vidit? & audiuit? Nam in corporibus nostris sanguis post mortem algescit,& congelatur, de Christo tamen legimus, sanguinem exijsse,& aquam: hic sanguinis exitus fuit post mortem, ergo præter ordinem naturæ, ergo miraculosè, ergo voluntarius, non necessarius; si fuit miraculum, cuius meritò operatum

cen-

censemus, nisi Mariæ, filio tunc ad hoc adstantis? In matris suæ gratiam gratiæ fluenta in reconciliationis signum per filij latus affluxerunt, miles latus Christi perforauit, at virga orationis, & meritorum matris Mariæ, cor filij tetigit, & exiuit sanguis, & aqua, quibus omnium nostrum peccata abluuntur, sic testatur Riccard. de S. Laurentio lib. 12. de laudibus Virginis: *Hæc est virga Moysis, quæ percussit petram, & fluxerunt aquæ. Petra Christus, duritia huius petræ rigor, seu seueritas iustitiæ diuinæ, ipse namque nunquam, ita seuerus, aut durus est erga peccatores, quin effundat aquas gratiarum, vel indulgentiæ, si hac virga Virginis ipsum tetigerit pia oratione.*

Riccar.

Si igitur aqua indiges reconciliationis ô anima mea, si indulgentiæ, si misericordiæ, si salutis, si vitæ, aquas extuas bibere, en vmbra huius ramusculi tuæ palmæ virgineæ, eam adora, eam lauda, cole, venerare, collauda, exalta, committe te vmbræ protectionis, & defensionis Mariæ, & quod tu indignus non mereris accipere, accipias merito tantæ Virginis, roga vt ipsa percutiat petrã, vt ipsa tangat ad hoc iuxta fluenta omnium gratiarum Dei, exaltata sedet, & cõregnat, vt tibi impetret, largiatur, & donet aquã remissionis, vt lauata in sanguine Christi, semper exultes, & toto vitæ tuæ spatio laudes, & benedicas nomen filij eius, & nomen matris eius.

Cuius sacratissimum nomen sit benedictum in æternum, ô humilis Virgo Maria, mater Iesu filij Dei, te præcor ô Maria monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola, ô spes vnica mea confidit anima mea, sub vmbra hac protectionis tuæ protege me nunc, & in hora mortis meæ. Amen.



DE

DE VMBRA QVINTÆ PALMÆ VIRGINEÆ.

Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Cant. cap. 2.



O Maria, ô Dei mei mater, & Virgo, quando tuę vmbrę fructus nõ dulcisſimus gutturi animæ, vel degentis in via, vel ſedentis in patria, ſub hac vmbra tuæ quintæ palmę virgineæ tot vernantis folijs, quot erant tui cordis vota, & deſideria filium videndi, eoque frui præſentia in dextera paternæ maieſtatis tot decoratæ floribus, quot poſt filij tui in cœlum aſcenſionem, in terris relicta corpore, cœleſtibus tamen ſemper enutrita contemplationibus exercitia, facinora geſsiſti, & opera: tot onuſtæ fructibus, quot nunc iam tranſlata in gloriam diuinis micas ſplendoribus, & vt omnium Regina, quot etiã operum, meritorumque, & beatitudinis filio conregnas coronata fertis, ſi per ſpeciem datur beatis ô Maria, tua ſedere ſub vmbra, & tuæ palmæ virgineæ frui, enutriri, paſci, deliciari, beari, & plenè exatiari fructibus.

Heu mihi, quia et ſi mei corporis incolatus loco nimis prolongatus eſt, inter filios Cedar habitans in tenebroſis, et eorum vmbra, et anima affectibus multum incola fuit, cui ſi culparum ſuarum ſic exigentibus meritis per ſpem iam ambulanti tua hac ſedere negatur ſub vmbra, tuæ tamen pietatis clementia, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria: ſaltem non denegetur viuere; viuat in via, vt ſedere valeat in patria, et vmbræ, et tuæ palmæ virgineæ carpere fructus, qui vtique ſuauiter paſcunt animam, ſed quam tua duntaxat protexerit, et protegit vmbra.

Siſte eam tua ſub vmbra, iam viuentem ſub ſuæ peregrinationis vmbra, vt per vmbram tuæ protectionis, et auxilij, poſsit aſcendere ad te, cuius eſt vmbra, de qua refrigerium ſperat hic accipere, et in patria plenam refectionem; ô Maria, et mater, ſi tu differs; ipſa quidem diutius non fert, non ſuſtinet, quia tantò moleſtior eſt de dilectione mora, quantò magis ſunt prorogata dulciora, et neſcit cordis eius amor, et ſui pectoris ardens deſiderium de mora tam longa, et diſpẽſatione capere ſolatium, da ſedere, vt viuat, viuat, vt ſedeat, et ſedendo, et fruendo fructibus dicat: *Sub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

Si quidquid, ô anima mea, de Maria meditatur, & piè cõtemplatur ſub vmbra tuæ peregrinationis dulcisſimum eſt, quid erit in patria? niſi totius dulcedinis plenitudo, ſuauitatis, & deliciarũ affluentia, plenè exatians famem noſtri cordis, & deſideria: *Et erit*, inquit Diu. Bernard. ſerm. 48. in Cant. *Cum declinauerint vmbræ creſcente lumine, imò penitus diſparuerint, & ſubintrabit ſicut perſpicua, ita & perpetua viſio, eritque non modò ſuauitas gutturi, ſed & ſatietas ventri, ſine faſtidio tamen.* D. Bern.

Quapropter velim ſcias, quod huius palmæ virgineæ vmbra, non eſt attendenda iuxtà intellectum ſimplicis illius nominis vmbræ, ſed ſecundum ſimilitudinariam eiuſdem apparentiam, virtutẽ, & efficaciã, et ſecundũ hoc ſub ũbræ nomine intelligitur illa in patria cœleſti beatorũ gloria, ex eo quia beati illi ſpiritus, æterna quietis, refrigerij, fęlicitatis, et pacis beatitudine perfruũtur, et delectantur dulcedine, ita vt quilibet eorum poſsit dicere: *Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

Qua fructus dulcedine, & vmbrę ſuauitate illectus Dei filius, ſub hac Virginis vmbra ſedẽs obumbrauit primò ſua vmbra palmam virgineam, cuius vmbra complacuit obumbrari, & eius fructu paſci, enutriri, & dulciter frui, & plenè

exa-

exatiari, ita vt eadem verba posſit, & ipſemet Deus homo dicere, *ſub vmbra illius,quam deſideraueram ſedi,et fructus eius dulcis*, &c.

Sub vmbra hac virginea ſedent,& illi ſpiritus cœlorum, qui licèt dum Virgo concipitur, naſcitur, lactatur, nutritur, alitur,adoleſcit,ſtat,incedit, quieſcit,ſedet,operatur,vigilat,meditatur,dormit, migrat è vita, aſſumitur in cœlum Angelorum miniſterio, & ſub eorum cuſtodia, & vmbra illi obumbrando, habuerunt; *Adfuit Virgini Angelorum protectio*; inquit D.Bernardinus Senenſ.to. 2.ſerm.52.art.3.cap.2. *Aſſidebant enim illi innumerabiles multitudines Angelorum in eius protectionem,& custodiam.* D.Bern.

At quid Angelis magis gratum, & iucundum, Virginem obumbrare, vel à Virginis vmbra obumbrari? O Deus cordis mei, ſic feſtiuè, ſic iucundè Angelorum exercitus obumbratur à Virgine,magis quam ipſi illi,ita vt ſub Virginis vmbra viuunt, & ſedent gaudentes, & iucundè quieſcunt;ò quam læti,ò quam beati ſunt huius Virginis præſentia, Virginis conſpectu, Virginis pulchritudine,contemplatione, dilectione, colloquijs,vmbra,& Virginis fruitione, qua beantur, & iubilant,& lætantur, & gaudent:vt etiam,& ipſi dicant,*ſub vmbra illius, quam deſideranimus, ſedimus, et fructus eius dulcis gutturi noſtro*. Tu verò anima mea in hac tui incolatus, & peregrinationis mora dulci memoria tantæ Virginis interim delectare ſub vmbra, vt de vmbra ad illius deuenias præſentiam,cuius eſt vmbra, qua merearis, & delectari,& frui, ſimul & beari, & exatiari dulcedine fructus. Ad tui cordis ſolatium, velim attendas verba Diui Petri Damiani ſermon.45. *Fœlices Angelici Spiritus,qui Beatæ Virginis habent præſentiam, nos interim memoriam ſuauitatis tuæ eructamus,illi præſentiam.nos memoriam ſi dulcis eſt memoria,quid erit præſentia?* D.Petr. Damian.

Vtique dicerem, dulcedo quædam eſt ineffabilis,qua dulcorantur omnia, & quidem,vt capias,ò anima mea, ſinè: ſub vmbra in via per ſpem,& ſpeculum in ænigmate,ſiuè per ſpeciem,& exatiatè deguſtantur fructus huius quintæ palmæ virgineæ, ſemper licèt dicere. *Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*. Dicat Deus homo,dicat Angelus, dicat,& homo purus, quando non dulcis omnis vmbræ, & noſtræ palmæ virgineæ,tùm ventris,tùm mentis fructus? ſi ventris fructum attendis, quid dulcius? dùm eius dulcedine dulcorantur omnia, omnis lenitur amaritudo amara, & omne, quòd triſte eſt, depellitur; ita Diuus Bernardus in Cant.ſerm.15. *Ieſus mel in ore,in Aure melos, in corde iubilus:triſtatur aliquis noſtrum,veniat in cor Ieſus,& indè ſaliet in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, reddit ſerenum.* D. Bern.

Si ad Virginis mentis fructum intendis animum, ò anima mea, quid candoris? quid amoris?quid gratiæ?quid pulchritudinis?quid dilectionis?quid defenſionis?quid virtutis?quid dulcedinis?quod non reſplendeat,& non guſtetur in Virgine? ſic ad eam loquitur Piiſſimus Eckibertus Abbas in ſerm. de Virgine; *Tu nec nominari quidem potes, quin recrees,tu nunquam ſine dulcedine diuinitus tibi inſita pia memoriæ portas ingrederis.* Eckiber, Abſit à corde animæ fidelis ſuarum amaritudo culparum, & ab ore Verborum, ſi vult fructus palmæ huius virgineæ ſentire dulcorem. Hoc teſtatur D. Bernardinus Senenſ.tom.4.ſerm.4. de Ieſu. Nos autem de Maria, quæ vt mater particeps nominis, particeps eſt, & dulcedinis: *ſerui Dei*, inquit Sanctus, *quantò magis ſunt in gratia, tantò maiorem deuotionem, & dulcorem ſentiunt de vmbra,& fructibus Mariæ*. D. Bernardin, Sub vmbra ligni,quod erat in medio Paradiſi ſedens quadam die mater Eua, & allecta pulchritudine fructuum illius, & ſerpentis promiſſione, tulit de fructu arboris, & comedens, dulcedinem,quæ promittebatur,& ipſa deſideraueratdeguſtate, minimè inuenit, ſed amaritudinem,& dolorem,vt annotauit D.Thom.opuſc.8. *Eua quæſiuit fructum, in illo tamen non inuenit,quæ deſiderabat*; D. Tho. Tria namque Eua concupiuit: Primò, æqualitatem Dei,ab hoſte mendace falsò promiſſam 1 *Eritis ſicut Dij,ſcientes bonum & malum* Secundò,voluptatum, & deliciarum dulcedinem, videns eſſe bonum ad veſcendum,& guſtui ſuauem, & delectabilem: Tertiò pulchritudinem ex pulchritudine fructus, qui vtique erat pulcher viſu, aſpectuque delectabilis;Proh dolor,& lacrymabilis caſus,illius fructus pulchritudo non pulchrificauit, ſed turpauit, & fœdauit omne, Gen.c.3.

quòd

quod in Eua pulchrum erat: Non dulcorauit eius dulcedo, quia dulcis non erat, nec affecit dulcedine comedentem, sed confusione, & amaritudine, nec Deo assimilauit, nec eam deiformauit, sed deformauit, & deformē reddidit, & bestijs insipientibus consimilē effecit, cur hoc? Nimirum quippè, quià fructus erat ligni vetiti, quo vescens Eua insipiens facta est, & Deo dissimilis, deformis, & amara velut absynthium, cuius amaritudine nos omnes amaricauit in radice, & infecit.

O verè huius palmæ virgineæ dulcissimus fructus, qui nos refecit, nos dulcorauit, nosque deiformauit, dum eo dignē vescentibus id, quòd promittit, attendit, transformans nos in Deum, & similes efficiens, dùm nos consortes reddit diuinæ naturæ, & præstat, esurienti, & manducanti delectamentum, & omnis saporis suauitatem, quam continet; vnde D. Bernard. dicebat ad Virginem; *Benedictus fructus ventris tui, benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie*: quoniam, qui hoc fruitur fructu, & vescitur esca in via, pulchrificatur in corde, decoratur in mente, & totus deiformatur, & in patria videns, & fruēs beatur, beatificatur, & ineffabili illa diuinitatis dulcedine satiatur afficitur, & repletur, quia hic fructus, nō solū Virginis Mariæ fructus est ventris, sed et æterni Patris vteri, ita D. Bernard. *illius ò Maria eris mater, cuius Deus est Pater, filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis*; Sapientia paterni cordis erit fructus tui vteri virginalis, qui dulcissima credulitate totum genus satiauit humanum, & dulcorauit; ò anima mea, & qua dulcedine, quò dulcore fructus hic diuinus palmam nostram virgineam dulcorauit, & qua suauitate repleuit eam? quæ ipsum portauit in vtero, & semper gestauit in mente? & quo nunc plenius fruitur, & exatiatur, & pascitur in gloria? tanta dulcedine (quæ modo nobis est ignota vsque dùm dabit Deus nos experiri) vt ausim dicere, quod effecta sit ipsamet dulcedo, quapropter dicebat D. Bernard. serm. 1. super Salue Regina. *Non erit absre, sed valdè optimum si ipsa, Reginam misericordia, vitam, & dulcedinem nostram dicamus, qui minus experti adhuc vita huius, & dulcedinis sumus, per ipsam speramus nos posse consequi, quidquid totius bonitatis factor dignatus fuerit gratia nobis impartiri*; Non erit absre, Mariam cum Ecclesia vocare dulcedinem nostram, cum ipsa sit mater omnium, quæ lacte suæ dulcedinis pascit, & consolatur, & relicta est nobis ad mœstorum consolationem, & desolatorum solatium. Luna solis absentiam vt suppleat, dicitur creata: Lunę interest, sua luce mundum illuminare, dùm ille migrat in occasum; dum abest iste, adest illa, surgit ista; dum occidit ille: ò vis amoris erga nos in pectore Christi, qui sol est iustitiæ abit, & longè fit à peccatoribus, at vt saluentur, consolentur, & solatium in tenebris peccatorum suorum inueniant, in deficientis locum matrem substituit; abscon ditur sol Christus, sed apparet Maria, sol abest, sed adest nobis luna ad lucem, & ad protectionis, & defensionis solatium.

D. Bern. hom. 3. super missus est.

D. Bern. hom. 3. super missus est.

D. Bern.

Antiquis etiam Poetis inter tenebras cœcitatis eorum illuxit hæc veritas, dùm lunam vocitabant Dianam, quam, & dicebant matrem esse omnium viuentium. et in erroris argumentum eorum finxerunt Dianæ simulacrum totum mammis plenum, & quamplurimi infantes tùm hominum, tùm brutorum, & bestiarum lactebant mammillarum papillas, & lac sugentes, lac præbens omnibus, vt puta, quæ omnium erat mater; tangit hoc Poetarum figmentum Diu. Hieronymus scribens ad Paul. & Eustoch. *Multi mammam nominant græci, vt scilicèt ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam bestiarum, & viuentium esse nutricem.* D. Hier.

Somniabant hæc illi ignorantiæ tenebris obumbrati: Nos verò, qui sub veritatis, & lucis vmbra sedemus, dicimus Mariam esse verè matrem multarum mammillarum, quæ in præsentis vitæ deserto lacte suæ dulcedinis, suæ dilectionis, suæ protectionis, solatij, & consolationis iuxtà naturæ leges, quos genuit lactat, pascit, nutrit, protegit, custodit, saluat, dulcorat, et consolatur, et in patria beat, satiat electos, et lætificat suę dulcinis mammis, effecta ad hoc ipsamet dulcedo, & talis dulcedo, quòd omne dulce illi comparatum est amarum, omne decorum, fœdum, omne iucundū, triste, omne pretiosum, vile, sordidum omne. quod desiderabile est amatorum mundi fluentis; Et talis dulcedo Maria, quòd meruit portare, et parere fructum

omnis dulcedinis. Arbor pulcherrima est Maria pulchra quidem in folijs oris, pulchrior autem in floribus cordis, pulcherrima verò in pulcherrimo fructu ventris sui, & hunc fructum, vocat Diuus Bonauentura super Sal ue Regina: dulcedinem dulcedinis: *dulcedo dulcedinis benedictus ventris tui Virginis, Agnus Dei dictus*: Vocat Mariam dulcedinem, quæ extitit mater dulcedinis, cur hoc? Nisi quia Virgo fuit ipsamet dulcedo, & fructus eius dulcissimus: D. Ioan. Damascenus orat. 1. de Natiu. Virginis, sub hac vmbra contemplans verba illa Ioelis cap. 3. *Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte*; Vocat Mariam dulcedinem, cuius progenitores colles dicuntur, & montes, qui effluentes in generatione Mariæ dulcedinem, & lac stillauerunt, & stillantes, Virginem hanc effuderunt. Ioachim, & Anna, inquit Sanctus, tanquam spirituales montes dulcedinem stillauerunt; non dixit Mariam, sed dulcedinem, quia Virgo fuit ipsamet dulcedo, quæ nobis peperit fructum dulcedinis, quo dulcorata sunt omnia; & mundum totum Euæ amaritudine perfusum, & amaricatum, dulcorauit, & cælesti imò, & diuina dulcedine perfudit, & dulcorata in corde dulcedine hac sanata in lingua, possis, & dicere, ò anima mea.

D. Bona.

D. Dam.

Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Perdulcissimis onusta fructibus est vmbra nostræ palmæ virgineæ, inter quos ad tui salutem, & oblectationem micat, & pulcherrimus, & dulcissimus apparet fructus suę protectionis, & dulcissimæ sua defensionis, hoc nomen sibi vendicat vmbra in Scripturis Sacris, quùm dicimus Deum habere vmbram, hoc est potentiam, & virtutem.

Nemo est, qui ignorat vmbram ex corpore resultare, & vltra corpus se extendere, & sæpè quoque accidit, quòd vmbra videtur licet corpus minimè videatur; Deus enim noster vmbram suæ potentię, & gratię sic longè, lateque diffundit, vt quamuis persona non appareat, vmbra tamen, & resultatio, seù vmbræ fructus, seù effectus suæ gratiæ, suæ bonitatis, suæ potentiæ, suæ dilectionis, suæ misericordiæ, pietatis, & clementię, & munificentiæ ad omnes se extendit, & omnibus se innotescit.

Hæc Dei vmbra erat, quam præstolabatur, & peroptabat Sanctus David in cunctis suis tentationibus, periculis, & necessitatibus, quando piè deprecabatur, sub vmbra alarum tuarum protege me, & alibi: *In vmbra alarum tuarum sperabo*: Hoc est protectionis Dei protegi, & defendi sperans suspirabat; qua edoctus doctrina D. Bernard. de seipso dicebat serm. 9. in psal. 90. *Si insurgunt aduersum me prælia, si sæuit mundus, si fremet malignus, si ipsa caro aduersus spiritum concupiscit, in te ego sperabo, quoniam tu es Domine spes mea.* D. Bern.

Nosti anima mea, quòd vmbra nostræ palmę, vmbra est Dei, nosti, quòd vmbrę proprium est, se corpori, cuius est vmbra, conformari; si quid igitur protectionis defensionis, si quid securitatis, & salutis tibi sperandum est, sub hac vmbra sciro te fore sperandum, quia ipsa sola est perfecta Dei imago, & illius diuinæ imaginis vmbra, singularis quidem in potentia, & fidelissima in facto, quam vt capias.

Sistamus hìc verba ipsius opificis Dei in formatione primi hominis, sic legimus in Genes. cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris*: quæ verba acutè perpendens Theod. q. 20. in Genes. quærit in quo stat, seù consistit in homine hæc Dei imago? Et consistere respondit in officio, seù potestate dominādi, quòd probat ex aliorum sententia, quos citat, & ex ipsomet verbo, præsit; præesse est idem, quòd dominari. Eiusdem sententiæ est D. Gregor. Nissen. in lib. de opificio hominis cap. 3. & 4. *O rem admirandam, sol creatur nulla deliberatione præcedente*, inquit, *eodemque pacto cælum; quibus duobus nihil esse par creatis in rebus potest, ad solius hominis fabricationem creator ille verum quadam cum consideratione accedit; nam naturam condidit, veluti instrumentum quodam Regno administrando idoneum*: Et clarius idem Sanctus in orat. 1. *Vbi est imperandi vis, illic & imago Dei, primum nobis imperium datum est in ea, qua habitatione à nobis seiuncta sunt, non dixit præsit animalibus, quæ simul cum ipso sunt educata, sed piscibus, qui in aquis degunt*: hæc ille.

Genes.

Theod.

D. Greg. Nissen.

Idem Sanctus.

Hoc munus principandi primo homini collatum fuit ex eo, quia conditus est ad imaginem Dei, quæ ex trangressio-

fionis nebula, quando homo ille magis mulieris voci, quam Dei sui præcepto suæ voluntatis præbuit assensum, deleta,& abolita fuit in eo, etiam dominandi potestas, & regnandi corona, & imperium, quod satis doctè testatum reliquit D. Chrysostomus hom. 17. in Genes.& in serm. de Adam. Introducit vir Sanctus Deum quærentem hominem fugitiuum, & eum sic alloquentem. *Adam vbi es? quid factum est, in alio loco te reliqui, in alio te inuenio; in alia gloria vestitum te reliqui, nunc in nuditate te inuenio? vndè nuditas sensus tibi contingit? quę repentina hęc mutatio? Adam vbi es? vbi imago mea primum formata? vbi Paradisus pretiosissimus ornatus? vbi manuum mearum artificium? vbi imago Regni mei nuper depicta? vbi nunc familiaris meus amicus?* hæc Chrysostomus. (S. Chrys.)

Proh' dolor, & lacrymabilis ruina diuinæ imaginis decore ex tunc Adam, et tota eius posteritas regnandi extitit denudata imperio (Maria sola excepta) ita testatur ipsa de se loquens, ait. Prouerb.cap.8. *Nondum erant abysfi, & ego iam concepta eram.* (Prouerb.)

Nondum erant abysfi culpæ originalis, quæ deleuit in Adam, & obnubilauit in posteris candorem gratiæ, quæ est participata quædam similitudo diuinæ naturæ, & deleta imagine, deletum fuit in illis regnandi, & dominandi imperium. Nondum erat culpa etiam in æterna illa permissione, permittente omnes ab Adam naturali propagatione progenitos maculari, & abului caligine, quando ego, ait Virgo purissima, in ipsa mente diuina concepta eram, & in diuina voluntate etiam præcognita, & præordinata, vt essem viua, & expressa Dei imago, ratione cuius imaginis Virgini soli ex Adam descendentibus firmatum est dominandi, imperandi, regnandi corona, sceptrum, & imperium, quia vbi est vis imperandi, illic est, et Dei imago.

Et Regum proprium est, quos regũt, quibus imperant, & dominantur obumbrare, tegere, defendere, & saluare, non humana est hæc doctrina, sed diuinitus inspirata in mystico illo arborũ apologo, quẽ sacer text. annotauit in lib. Iud. cap.9. quando plantulæ illæ Rhamnum sibi ipsis elegerunt in Regem, & iam accepto Regno, & coronata, vt earum Regina, sic respondisse legimus; *Si verè me Regem constituitis, venite, & sub vmbra mea requiescite*; Pagninus ex hebręo legit sic: *Si in veritate vngitis me in Regem super vos, sperate in vmbra mea:* Septuaginta verò legunt: *Subsistite in vmbra mea, confidite in protectione mea.* (Iudic.) (Pagnin.) (septuag.)

En regnantis munus, en imperantis potentia, munus Regis est sua potentia obumbrare, tegere, opitulari, ferre auxilium, & saluare, quibus imperat. Sic astipulatur D. Greg. scribens ad Theodorũ, et Theobertum, Reges Francię in epist. 120. *Summum in Regibus bonum est, iustitiam colere, & sua cuique iura seruare, & subiectis non sinere, quod potestatis est fieri, sed quod æquum est, custodire.* O anima mea, dum audis Virginem fateri se ab æterno fuisse conceptam in mente diuina, eo ordine, eo modo, et ea dignitate, vt decebat omnium primogenitã, quæ futura erat Dei mater, totius orbis Domina, Angelorum hominumque Reginam, si in illo tunc diuinæ præcognitionis fuit concepta ad Dei imaginem, tunc quidem imperandi, et regnandi collatum fuit imperium, vt tibi esset vmbra ad custodiam, protectionem, tutelam, defensionem, et salutem: audi D. Anselmum in lib. de excellentia Virginis cap.4. sic ait. *Ipse spiritus Dei, ipse amor omnipotentis patris, & filij, ipse per quem, & in quo amatur omne, quod benè amatur, ipse inquam venit in eam, singularique gratia præ omnibus, quæ creata sunt, siue in cælo, siue in terra requieuit, & Reginam, & Imperatricem cæli, & terræ, & omnium quæ in eis sunt, fecit sponsam suam.* & vt inquit D. Bernard. serm.1. super Salue Regina: *Nomen Reginæ, non solum est nomen gloriæ, & honoris, magnificentiæ, & decoris, dulcedinis, & pietatis, amoris, & honorificentiæ, sublimitatis, et potentiæ, gubernationis, et iustitiæ, sed defensionis et gratiæ.* (D. Greg.) (D. Ansel.) (D. Bern.)

Si in Maria sola ex natis ab Adam eluxit viua Dei imago, ipsa sola fuit Dei vmbra, & in ipsa sola eluxit, & elucet regnandi potestas, & corona, & in cælis ad hoc est constituta omnium Regina, vt omnes sub vmbra illius viuant, quiescant, & sperent, sub qua ipsa omnes protegit, obumbrat, tegit, adiuuat, & saluat; certò scias anima mea tibi non esse locum tuæ salutis tutiorem, munitiorem, nec refugij requiem, nec protectionis, & defensionis auxilium,

lium, nec securitatis effugium, nisi sub hac Virginis vmbra, sub qua, vt Regina fortis est ad tui defensionem, audax ad tui exemplum semper te præit, præscia futurorum ad præcauendas tuorum inimicorum insidias: clemens ad tibi indulgendum, iusta ad te ab impijs defendendum, diligens ad te custodiendum, humilis ad tibi ministrandum, vigilans ad tibi largiendum, stabilis in promissis, verax in verbis, fidelis in factis, liberalis ad præmia, sapiens ad gubernacula, innocens ad opera, pacifica ad reconciliandum, sagax ad vallãdum, velox ad circumueniendum, prudens ad opitulandum, honesta in conuictu, suauis, & tranquilla ad audiendum, seuera, & mitis in corrigendo, modesta ad loquendum, facilis ad veniam præstandam, flexibilis ad misericordiam, amabilis ad gratiam, ardens, potens, & amans ad saluandum, si quid ergo auxilij, & defensionis perop:as, & speras inuenire, sub hac vmbra sede, & tu anima mea si illius aues degustare fructus, mater est, & Regina, vt mater iure naturæ non desistit lactare, alere, nutrire, quos genuit, & iure legali vt Regina, quos regit, custodit, obumbrat, tegit, vt laiuet: vnde dicebat D. Bernard. super Salue Regina serm. 1. *Conuenienter vocatur Regina misericordiæ, quod diuinæ pietatis abyssum, cui vult, et quando vult, et quomodo vult creditur aperire, vt quilibet enormis peccator non pereat, cui sancta sanctorum patrocinij sui suffragia præstat.*

D. Bern.

O Maria, ò vmbra spei meæ, ò Regina omnium, omnia elementa, cunctaque mixta, & quidquid post Deum creatum est, fateor toto cordis affectu, tuæ solius voluntatis subiacere imperio, & si omnia obediunt tibi, obtemperant tuæ voluntatis nutui, omnia parent tuę voci, ò Regina, ò mea pijssima Imperatrix, impera igitur tempestatibus maris pectoris mei, tentationum ventis, imbribus prauarum cogitationum, et procellis motuum sensualium, & erit animæ serui tui tranquillitatis quies, securitatis portus, defensionis turris fortissima hæc tua vmbra virginea. O vera Dei imago, ò vmbra Dei mei, stilla mihi o Maria guttam suauitatis tuæ, quia tu es Pincerna dulcoris, & gratiæ, vt sic dulcorata dulcedine, & tuæ vmbræ fructibus sic exatiata, & impinguata anima possit ad cui nominis laudem dicere.

Sub vmbra illius, quem desiderueram sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo. Et quando non dulcis omnis huius palmæ virgineæ fructus gutturi, vel hic sub ea viuentis in via, vel sedentis in patria? Si fructus protectionis est, salutis, & gloriæ, fructus misericordiæ, pietatis, & saturitatis: stilla, ò Maria dulcedinis guttam vberum tuorum, & ex lacte manante tuæ defensionis refice viscera serui tui, ò desolatorum solatium, ò afflictorum suauitatis dulcedo, si per annos quatuor super viginti te post Ascensionem suam Iesus filius tuus dereliquit in terris, & in cœlum euectam Reginam omnium te coronauit. cur hoc? nisi vt vmbra tuæ defensionis obumbrares nos, & saluares à malis omnibus, & protegeres ab ira suæ diuinæ iustitiæ, quoniam si meruisti pro liberandis proferre prætium, plus Sanctis omnibus poslis liberatis iam impendere suffragium.

Meritò sperat in te; ò Maria anima mea, quia sicut apud Deum nemo re potentior, ita ad mei salutem te sollicitior est nullus: ita exclamasse ad Virginem legimus Diuum Anselmum *Exaudi pia adesto propitia, adiuua potentissima, vt mundentur sordes mentis meæ, & illuminentur tenebræ cordis mei secura sed, sub vmbra; & sentiat fructus illius dulcedinem, & tuæ protectionis suauitatem.* D. Ansel.

Sedem vidit Ioannes in sua Apocalypsi cap. 4. & super eam sedentem vidit Deum. *Et ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens, & qui sedebat similis erat aspectu iaspidis, & sardinis. & iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*: O visio magni ponderis, & nimis fœta mysterijs, si sedes illa erat Dei, & qui sedebat erat Deus ille immensus, infinitus, incircumscriptus, & incomprehensibilis, qui & qualis est arcus iste, qui sua circumferentia intra sui circuli sinum claudit, & totam amplexatur Dei sedem, & Deum inibi sedentem? Et iris in circuitu sedis: & si Dei sedentis vestis colorem referebat iaspidis, qui vt gemma pulcherrima translucens diuinam naturam præfigurat, quia lux est, & natura sua maximè visibilis, & per suam pulchritudinem valdè amabilis, propter zelum autem suæ diuinæ iustitiæ, & sanctitatis, colorem referebat etiam

Apocal.

etiam vestis illa, & sardij, qui ignis habet speciem, & est gemma valdè terribilis feris: proptee terrorem, sardio dicitur similis Deus, quia sua pulchritudine omnibus amabilis est; arcus verò, qui sua circumferentia, & intra sui circuli sinum circumcludebat Dei sedem, & sedentem in ea, & iris in circuitu sedis, erat viridis coloris, smaragdi referens colorem, de quo dicit Plinius lib. 37. cap. 5. *Nullius coloris aspectu iucundior est, nam herbas quoque virentes frondesq; quidē spectamus; smaragdos verò tanto libentius, quoniam nihil ōmninò viridius comparatum illis viret*: cur viridis coloris arcus, si vestis, & Deus ipse, & sedes, sardij, qui terrorem incutit, colorem referebant?

Plinius.

Mysteria latent in his gemmis, quæ captu difficiliora sunt, nec capi sinunt, nisi sub vmbra nostræ palmæ virgineæ; pro cuius intelligentia notandum est, quod Sanctus Dauid prænunciauit in persona Virginis loquens in psalm. 51. ait enim: *Ego sicut oliua fructifera in domo Dei*: hæc quidem congruenter dicitur Maria, oliua fructifera, cuius fructus est oleum misericordiæ. Oliuā vberrimam, pulcherrimam, fructiferam, & speciosam vocauit Dominus nomen Virginis, vbertima, pulcherrima, & speciosa, quia maculam non habuit, neque rugam, fructifera, quia misericordię oleo habet viscera plena, & exuberantia, quo oleo lucet, & splendet Virgo Maria in domo Domini. In domo domini erat arca testamenti, vt nobis Sacra narrat Historia in lib. 3. Reg. capit. 6. super quam erant simulacra sculpta duorum Cherubim, *Fecit in oraculo*, inquit textus, *duos Cherubim de lignis oliuarum*; itaque oliua illa, quæ erat in domo Domini, non erat simplex oliua, sed sculpta in duas effigies cherubicas: erant duæ effigies quas hebręi appellabāt Cherubim, quorum simulacra erant de lignis oliuarum auro tecta, & fructus huius oliuæ, quæ Cherubim referebat imaginem, quem afferebat illis, qui sub vmbra illius sedebant, sperabant, & reportare confidebant, erat tantummodo obumbrare propitiatorium. Ita nos docet D. Paulus ad Hebræos cap. 9. loquens de arca testamenti ait. *Super quam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium, quòd erat velut sedes Dei sine sedente*: inquit Caietanus in hoc loco, obumbrātia, hoc obumbrātes, quia alę eorum extentæ desuper vmbram faciebant tabellæ illi, quæ appellatur propitiatorium, vel quia ex adoratione Dei, ibi propitiatio diuina sperabatur, vel quia Deus inibi exoratus se placatum, & propitium exhibebat, & super tabellam, vel laminam illam auream, quām alis suis Cherubim obumbrabant, sedere videbatur Deus ibi apparens, loquebatur, & reddebat responsa.

Dau. Pr.

Reg.

D. Paul.

Illi duo Cherubim secundum hebręos erant formati instar pulchrorum, & splendidorum iuuenum, de forma verò eorum variæ sunt sententiæ, vt refert Xystus Sen. lib. 5. Bibli. ann. 58. Hoc autē pro certo habetur illos humana forma factos fuisse, quorū vnus Christum Dominum figurabat, qui suis alis, cum sit mediator Dei, & hominum, obumbrat propitiatoriū, quem posuit Deus, inquit D. Paulus ad Rom. cap. 3. *Propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*: alludit Apostolus ad propitiatorium, seū tabellam auream tegentem arcam, quæ erat velut thronus clementiæ Dei, ex quo propitiatus dabat responsa.

Xist. sen.

D. Paul.

Alter figurabat Mariam, de qua licēt dicere, quæ de Cherubim dicebat textus in lib. 3. Reg. cap. 6. *In mensura pari, & opus vnū in duobus Cherubim*. Nam vbi Virgo Dei Patris filium carne sua vestiuit, verbum Patris matrem induit ratione dignitatis maternæ potentia infinita, quando ambo obumbrant propitiatorium, & diligenter pro sua quaque parte, pro hominum salute vigilant, & & Deum placant, ignem suæ iustitiæ, & furoris in nos extingunt, dum sardij coloris veste apparet amictus.

Reg.

En nouus Cherubim, en oliua Maria, hæc est iris illa smaragdi coloris, quæ sedem Dei, & Deum ipsum alis suę vmbræ, sui vteri virginalis circulo circumplectitur, concludit, stringit, amplexatur, & obumbrat, licēt immensus, & incomprehensibilis, quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti. Hinc meritò dicit D. Bonau. in speculo B. Virg. cap. 5. *Tu ergo immensissima Maria capatior es cælo, tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo*: Sede anima mea sub Virginis vmbra contēplare hos duos Cherubim super arcam cœli in cœlesti illa gloria, & verè de eis affirmare id, quòd de Cherubinis, dicit

D. Bona

Sa-

Sacer textus: *Fecit Deus pater duos Cherubim de lignis oliuarum, verè Cherubim gloria obumbrantia propitiatoriū in mensura pars, & opus vnum*. Si Christus ascendit in cœlum,& sedet ad dexteram Patris in excelsis,sedes,& Maria,quę est oliua fructifera in domo Domini.

En quam perdulcissimos fructus attulit,& affert,dum sedem Dei,& Deum ipsum sedentem carne obumbrauit,qui si irascitur in nos, & velut Sardius ignem spirat furoris,vindictæ, & punitionis, vmbra suæ protectionis nos defendit, protegit, & saluat; quapropter sub figura Iridis viridis coloris,vt Smaragdus,tibi se monstrat,quia vt oliua misericordiæ semper viret, & viriditate sua te excitat,vt,speres sub vmbra illius fructus misericordiæ suæ carpere: spera in vmbra Virginis, & esto secura vescendis fructibus eius. Audi D. Bernardum ser.1.de Assumptione. *Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tamquam Iudicis mater,& mater misericordiæ suppliciter, & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit*; Esto igitur secura, sede sub eius vmbra, quia vt oliua fructifera in domo Dei dabit oleum misericordiæ,pietatis,protectionis,& salutis animæ sedenti sub illius vmbra, quo fota olen plaga tuæ necessitatis sanabitur, & impinguata spiritu possis ei dicere: *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi,& fructus eius*. Cant.c.2.

D. Bern.

Cant.

Dulcis siquidem vmbræ nostræ palmæ virgineæ est fructus,& animam,quę vescitur illo, tanta replet, & satiat dulcedine erga Virginem, tanta sagipat eam deuotionis pinguedine, quod tali, ac tanto enutrita,& obesa cibo facilius, & clarius, quam Elias eleuatur ab vmbra ad claram Dei visionem, & fruitionem; nec mirum cum Virgo sit vmbra Dei,quod sua vmbra,sua dulcedine fructus ducat animam ad eum, cuius est vmbra.

Vt capias,quę dico,velim scias,quod vmbra quandoque significat internam cordis deuotionem,quæ, vt vmbra defexos refrigerat, refouet, fatigatos retocillat, laxitudinem medetur, & compensat;vt ergo in teipsa anima mea,excitetur internæ, & feruentis erga Virginem deuotionis affectus,& à te torpor & tepor, quo tepes, & torpes, quo langues,pigrescis,stupes,& deficis,aboleatur,& abrogetur,& feruidæ deuotionis alis ascendere possis ad Deum per vmbram, & cœlestibus illius donis frui, & fructibus pasci,sta sub hac vmbra virginea,sicut Elias sub vmbra Iuniperi.

Elias homo erat constans animo, & fortis adeò, vt et Regem Achab de cultu Idolorum satis adaucter non timeret arguere,et increpare,tantę etiam sanctitatis erat,quod et cęlum,ne plueret super terram valuit claudere suis precibus, quibus quando voluit, et aperuit, vt pluuiam immitteret, fecit et de cœlo ignem descendere in vltionem inimicorum, Baal Prophetas veri Dei cultus suo zelo iugulauit, mortuum sua nimia charitate euocauit ad vitam; nihilominus à facie vnius mulieris nomine Iezabel timore mortis percussus, et perterritus desertum petiuit, et aufugit; et tum itineris, tum laboris, tum fatigationis ieiunij tædio affectus laxato corpore sub vmbra vnius Iuniperi se summittens obdormiuit.O fœlix ūbra,sub qua meruit Dei Angelū videre,audire alloqui,et ab eodem tangi, excitari à somno, pane resici, et aquæ potu potari, quo refectus viatico in fortitudine cibi istius valuit laxitudinem ieiunij quadraginta dierum, et noctium sustinere, et ascendere vsque ad montem Dei Horeb, ibique Dei præsentia frui, et illius dulcissima visione potiri; Nam Horeb mensa Dei dicitur, pro eo, quod ibi æternæ refectionis mensa piè, et iustè in vinea Domini laborantibus præparatur; O suauis, ò fœlix Eliæ vmbra Iuniperi, sub qua, et manus crudelis mulieris illum ad necem quærentis euasit, et recreatus, et obesus feruentis deuotionis affectu interius, ciboque illo externus instauratus in membris ab Angelo, à quo vbi pane subcinericio restauratur, reficitur, et confortatur, roboraturque ab itineris languore, et corporis laxitudine excitatur à somno, consolatur colloquio,dirigitur ad dulciora mentis pabula, et deuotionis feruore, et amoris igne, dilectionisque flamma, et calore eleuatur in Dei visione, non in spiritu forti, et timoris, non in commotione cordis cogitationum, non in igne imperfectæ charitatis,sed in sibulo aurę tenuis,hoc est in mentis dulcedine, dulcere, et internæ cordis deuotionis suauitate,et plenitudinis satietate.

En

En ò anima mea, quod Elias non dormit securius, nisi sub vmbra Iuniperi cur hoc? quia vmbra illa erat S. Prophetæ tutum, & singulare ab impia muliere effugium, & suæ protectionis, & saluationis refugium salutare? Si semper fuit Iuniperi vmbra infesta serpentibus, quid mirum? si tutò, & quietè dormit sub ea, & ab eadem vmbra deuotionis penna eleuatur vsque ad montem Dei Horeb, & quidem quia cineres Iuniperi pleno anno seruant ignem.

Iuxtà sui nominis ethymologiam Iuniperus est, quasi gigniperus hoc est gignens ignem; nam ignem contectum diu seruat, & tenet: vndè si prunæ, seu carbones fuerint cooperte cineribus Iuniperi ad annum integrum perueniunt. Vt inueniret Elias, & excitaret in se deuotionis, & Dei dilectionis ignem, et inuentum seruaret in pectoris sui sinu, sub qua securius vmbra, quam sub vmbra Iuniperi, quæ et ignem gignit, et longo tempore, et securè seruat?

Sed quid iuniperi vmbra, ad vmbram nostræ palmæ virgineæ? quid ni? experimento iam exploratum est, quòd vberiores, copiosiores, dulciores, & suauiores carpet anima mea defessa itineris labore sub ea fructus, quam Elias sub vmbra iuniperi. O anima mea, & quæ vnquam arboris vmbra inferni serpentibus magis infesta, vt Virginis vmbra? quæ sola verè contriuit caput veneneti serpentis; Et quæ arboris vmbra verius gignit, & generat erga Deum dilectionis ignem, & magis flammigeras deuotionis euomit flammas, & securius, & longius seruat amoris prunas, vt hæc Mariæ Virginis vmbra.

Quia igitur ò anima mea, torpet in te meritis deuotio, tepet, & alget, tùm erga Deum, tùm erga benedictam Virginem gelidi tui cordis affectus, proh re miseram iam carnis mulier suis stimulis in palestra luctatur, palestrizzat, aduersatur, molestat, persequitur, insidiatur, & ad necem quærit spiritum, quem et deiecit, & vicit; quapropter vehementer alges tu, & frigescis: nullibi erit tibi effugij locus, nec ad tuæ tepiditatis, & torporis liquefactionem validius incendium, vt vmbra huius palmæ virgineæ, quæ mater est pulchræ dilectionis, agnitionis, & sanctę spei; ipsa sola gignit deuotionis ignem, & seruat dilectionis prunas, sola Virginis vmbra affectum sedentis sub ea oblectat suauiter, & dulciter mulget, dulcorat gustum, mentem impinguat, & omnia cordis eius interiora medullitùs inflammat, cur hoc? Respondet D. Bonauentura serm. 1. de Virg. tom. 3. *Quia tanta ardens fuit, omnes se amantes, eamque tangentes incendit, & sibi assimilat, quid hoc fructu animæ deuotionis frigore laboranti, dulcius, & delectabilis.* D. Bona.

Vt in te liquefiat, dissipetur, & demolliatur gelu, & deuotionis ignis accendatur, nulla efficacior, nec dulcior vmbra, quàm vt hæc virginea, sub qua à somno turtoporis, excitaberis ab Angelo, cibaberis pane illo cœlesti, & aqua refectionis potata educaberis, & nutrieris, roboraberis deuotionis viatico, & confortata protectionis fructu promoueberis, duceris, & eleuaberis vsque ad montem Dei Horeb; in qua mensa fructus dulciter degustabis perdulcissimos spiritus, & contemplationis diuinæ non amplius in spiritu timoris, nec in commotione turbatarum cogitationum, nec in igne imperfectæ charitatis, sed in sibilo dulcedinis auræ tenuis in mentis suauitate, cordis deuotione, deuotionis dulcedine, vehementi amoris incendio, ardentis incendij alacritate, dulcissima deuotionis flamma, feruenti spiritus impetu, celerique cursu alatæ deuotionis, & altæ eleuationis volatu vsque adfruitionem diuinæ præsentiæ.

Esto, ò Maria, tu mei incolatus vmbra, vt tuam per vmbram ducas me ad eum, cuius sola es vera vmbra. O Dei mei vmbra, tuæ protectionis, tuæ defensionis, tuæ custodiæ, tuæ gratiæ vmbra obumbra animam serui tui, cui nunc tua dedisti viuere sub vmbra, & tuis meritis pasci, & frui fructibus, quibus est effecta, & ipsa fructifera, dones pariter, & in patria tua sedere sub vmbra, & illius exatiatè fructus frui dulcedine, qui factus est fructus ventris tui, ò benedicta in æternum tua dulcedinis vmbra mollire cor, & linguam serui tui, vt tibi dignè, & dulciter reddat fructus dulcedinis nominis tui.

Quòd sit benedictum in æternum, ò humilis Virgo Maria mater Iesu Filii Dei, te precor ò Maria per merita totius vitæ tuæ, & per intercessionem

beatæ Theclæ, Beatæ Agnetis, & Agnetis Virginum tuarum, monstra te esse matrem, & miserere mei, quoniam in te sola confidit anima mea. Sub vmbra tuæ palmæ virgineæ fructibus tuis perdulcissimis ciba me, pasce cor, mentem, & animam, protege ab hostium insidijs, & salua me, vt ad tui laudem possim dicere, sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Benedicta sit tu, ô Maria, & benedictus fructus ventris tui, Iesus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus per cuncta sæcula. Amen.

FINIS.



INDEX FIDELISSIMVS

Rerum præcipuarum non vocum tantum, sed præcipuè conceptuum, qui hoc in nostræ Palmæ Virgineæ volumine continentur; ad maiorem studiosorum facilitatem diligenti cura elaboratus.

Quinque verò litteræ F.P.R.V.C. Foliorum, Palmarum, Ramusculorum, Vmbrarum, & totius operis columnarum numero obsignatarum indicant, & præmonstrant numerum.

Abacus vocum, seù litterarum Alphabeticarum est marginalis.

Ani-

Ido-

Obla-

Cul-

Par-

gio

Fu-

vnio-

Ma-

E palm.

Ma-

Ma-

F Verba

mar-

Vir-

ho-

Ter-

vi-

So-

FINIS.